UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani, Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis, Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non Problematicae Disquisitiones ... Tomus ...

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lugduni, 1652-1663

urn:nbn:de:hbz:466:1-80513

Visual Library

Th. 862a.

G VIII
14.

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
Fol. IV.

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
Fol. IV.

R. P. ANTONII

DE ESCOBAR ET MENDOZA,

VALLISOLETANI,

Societatis IESV Theologi,

VNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS, RECEPTIORES ABSQVE

Lite Sententiæ nec-non Controuersæ Disquisitiones,

TOMI TERTII PARS PRIMA.

ADHVC SACRAMENTA.

QVINQVE LIBRIS TOTIDEM TRACTATVS *apponit, videlicet de Iubilæis, de Eucharistia, de Missæ Sacrificio, de Extrema-Vnctione, & de Ordine.*

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.



LVGDVNI,

Sumptib. PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDE, ET GVILL. BARBIER.


M. DC. LXIII.

CVM APPROB. ET PERMISSV.

Collegii Societatis Jesu Paderborna 1692

F. ESCOBAR Theol. Mor. Tom. III. IV. Fol.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN



Illustrissimo ac Reuerendissimo
D. D. GABRIELI

DE ESPARZA

SALMANTICENSI
EPISCOPO.

NAscenti libro, PRÆSVL ILLVSTRISSIME, qui *partus quidam humanæ mentis* à Clemente Alexandrino lib. 1. Strom. dicitur non minus quàm homini opus Custode Angelo esse crediderim. Quia vt in lucem editur, hostium patet incursibus: inuidus dente petit, superbus naso suspendit, doctus nauseat, indoctus obstrepit. At vbi se se vir aliquis opponit meritorum celsitudine cœlo dignus, perinde est, quodammodo, ac si vnus è cœlestium Choris Angelus protector accurrat. Profecto cum huic mentis meæ curæ nascenti custodem Angelum perquirerem, optarémque eum esse, qui & beneuolentiæ studio, & virtutum præstantia, & authoritate vitæ, & sapientiæ splendore, & generis claritudine excellens, facilè posset omne malum

F. COBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
F. IV.

auertere: non iam Angelum, sed Archangelum felix inueni, ô GABRIEL ILLVSTRISSIME, cui Archangeli Gabrielis apprime ethymon adaptatur. Nam vbi nos legimus *Archangelus*, in Hebræo habetur אלוה *eloha*, & in plurali *elohim* vnde Deo, & omnibus Præsulibus sæpissimè id nomen tribuitur: propriè enim sonat *Iudicem, Antistitem*, vel *Gubernatorem*. Hinc noster Alcasar Apoc. 1. asserit, vocem illam, *Ego sum Gabriel*, idem esse, ac Ego sum spiritus nobilis, virtute, iustitia, beneficentia, ac fortitudine Dei. Profecto in Te hæ Gabrielis prærogatiuæ quasi de primatu contendunt, & qualibet quasi suo iure principali, Te ipsum in qualibet constituunt facile Principem.

Quid enim de generis tui ætherea claritate dicam? Certè ab auis & atauis accepisti illustrissimam, quam in operibus nobilitatem ostentas. *Vera namque illa est nobilitas*, (vti asserebat Ausonius) *quæ augusta in venis, accepta, in gestis non atteritur*. Equidem si ad vitæ authoritatem solem planè fulgentissimum liceat aspicere, te verum Episcopum contemplor, O quantum, Deus immortalis! donorum cœlestium hoc in nomine lumen ingeris! Haud *Episcopi* nomen vanum iactas, sed iis certè refertum virtutibus Paulus authoritatem Episcopalem cap. 1. v. 7. Tito commendat. *Oportet Episcopum sine crimine esse, non superbum, non iracundum, non turpis lucri cupidum:*

sed

ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, iuſtum, ſanctum, continentem. Cum ergo *Epiſcopus per has virtutes* (cum D. Ambroſio de ſacerd. dignit. loquor) *vitam exhibeat Deo compoſitam*, per eas tu quoque Dei imitator ades omnibus tuis, omnibus immines, omnes contines. Inter hæc præclariſſima ſidera munificentia tua in morem Luciferi mirificè rutilat. Erat Abrahamus *Diũes in poſſeſſione auri, & argenti.* Gen. 13. v. 2. ſed menſam pauperibus ſtructam lautè, eſſe volebat. Ad quæ D. Petrus Chryſologus ſer. 21. *Abraham opes non habere, ſed prorogare geſtiebat, ſciens ſe non incubatorem, ſed diſpenſatorem Diuinæ poſitum largitatis.* Id voce elata, de Te Pax-Iulia prædicat, id Salmãtica laudibus effert. Vna, & altera Diœceſis tua tonat, quod de ſuo Traiano Plinius dixerat. *Tam velox eſt tua munificentia, tamque intenta in omnes, & accincta bonitas, vt triſtius aliquid paſſis ad remedium ſufficeret, vt ſcires.* Teſtor noſtrum Pax-Iulienſe Collegium, quod recens natum tua ex munificentia cœpit adoleſcere. De tua mirabili ſapientia otioſa eſt commemoratio. Nam ſi Menander cecinit. *Sapientia ex incrementis computatur*: Sapientia tua Te ad Collegium D. Bartholomæi adduxit, ad Pampilonenſis Eccleſiæ Canonicatum retulit, ad Pax-Iulienſis Præſulatum promouit, ad Salmanticenſe produxit. Nec ibi conſiſtes. Tantæ enim ſapientiæ ac virtuti auguſtiora incrementa debentur.

F. SCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
F. IV.

Reſtat illud in Te magnum, totum omninò noſtrum, nimirum tua erga Societatem beneuolentia, & perenne ſtudium, quo eam foues, amplecteris, ornas. Deus bone, quàm amplus hoc loco ſe ſe mihi aperit ad diſcurrendum campus! quàm geſtit oratio mea excurrere! quam obiectas perrumpere carceres! Continebo tamen illam, & habenis ad temperantiorem gyrum reuocabo. Hinc mihi Societatis alumno ſpes fulgurat, munuſculum hoc grata à Te manu accipiendum, eique Te Cuſtodis non iam Angeli, ſed Archangeli officium præſtiturum.

TVI OBSEQVENTISSIMVS.

ANT. DE ESCOBAR ET MENDOZA.

LECTORI

LECTORI MEO.

DE duobus te (BENEVOLE LECTOR) in limine admonitum esse velim. Primum, à me nomen *Problematis* non semper adeò rigida significatione vsurpatum vel hactenus fuisse, vel deinceps vt vtraque pars mihi probabilis, aut in praxi sequenda videatur. Aliquando enim potius auctoritatis, quàm veritatis problema conficitur, quia scilicet suus est, aut fuit cuique quæstionis parti Author. Illud autem nos in ipsa decisione semper obseruamus: istam scilicet certam, certissimam, aut simili appellando nomine: & contrariam aliquali censura notando. Quia tamen post nonnulla Volumina excussa visum fuit R. admodum P.P. Iosepho Gibalino de litteraria republica optimè merito (cuius egregia Volumina maximi à cunctis Theologis & Iuris prudentibus toto orbe æstimantur) in aliquibus quæstionibus nomen *Problema* occasionem fore alicui minus docto, aut beneuolo, sistenti in titulo, nec resolutionem meam legenti, offendiculi lapillum inuenire: vocabulum, *Problema* in *Dubium* commutari: cum tamen certum sit omnia Dubia (vnum vel alterum si excipias) problematica esse.

Secundum, me in hisce Problematibus, seu Dubiis adeò veram, firmamque grauium, probatorumque Authorum doctrinam secutum semper esse, vt non solùm fideliter (vt par vbique est) mentem, propriusque eorum sententias proponam: sed etiam ipsissima eorum verba sæpe, conscribam, probatissimos Doctores imitatus, qui vt promptius, & sine dispendio animus Authorum synceriſſimè Lectori in vno libro constet, integras non dico clausulas, sed columnas in suos tractatus transferre non mediocri Reipublicæ Litterariæ commodo voluerunt.

F. SCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.

Facultas

Facultas P. Prouincialis Societatis IESV Prouinciæ Caſtellanæ.

FRANCISCVS Antonius Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Caſtellana, poteſtate ad id mihi facta à R. admodum P.P. Vincentio Carrafa Præpoſito Generali, facultatem do vt opus morale de ſacramentis in Genere & particulari *à P. Antonio de Eſcobar* compoſitum, grauiúmque doctorum hominum Iudicio approbatum, typis mandetur; In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo munitas dedimus Valliſoleti Iulij die 28. ann. 1647.

FRANCISCVS ANTONIVS.

APPROBATIO.

R. *P. Antonij de Eſcobar Societatis IESV Tomos Tertium, Quartum, Quintum, Sextum, & Septimum vniuerſæ Theologiæ Moralis* attente perlegimus nos infra ſcripti facultatis Pariſienſis Doctores Theologi nihilque in illis occurrit, quod non ſit planè conſentaneum tum fidei Catholicæ, tum probis moribus; adeoque luce publica dignos. Actum Lugduni die 9. Februarij 1663.

Fr. CYRILLVS MOREL *Carmeli Lugd. Prior.*

Fr. STEPH. MOLIN *Carmelita.*

Approbatio Ordinarij.

CVm hos quinque Tomos, nempe *Tertium, Quartum, Quintum, Sextum & Septimum Vniuerſæ Theologiæ Moralis*, quorum Author eſt *R. P. Antonius de Eſcobar Societatis IESV*, ſe attentè perlegiſſe ſuprà nominati Facultatis Pariſienſis Doctores Theologi teſtentur, nihilque in illis deprehendiſſe, quod non ſit planè conſentaneum tum fidei Catholicæ tum probis moribus. Idcircò quinque præfatos Tomos typis mandari & in lucem prodire non abnuimus Lugduni die 15. Februarij 1663.

DE-NEVF-VILLE *Abbas S. Iuſti Vic. Gen.*

Conſenſus Procuratoris Regij.

LIbrum inſcriptum R. P. Antonij de Eſcobar, & Mendoza Societatis IESV Theologi, *Theologia Moralis*, typis mandari & in Lucem edi, Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, PETRI BORDÉ, GVILLELMI BARBIER, Bibliopolarum Lugdunenſium; Ego Regis Conſiliarius & Procurator in Lugdunenſi Præfectura, non impedio. Datum Lugduni die 16. Februarij 1663.

VIDAVD.

PERMISSIO.

VIſo Procuratoris Regis Conſenſu, Librum huncce typis mandari à prædictis Bibliopolis Lugdunenſibus, concedimus, & ne quis vltra conceſſam facultatem denuo excudat inhibemus, Datum Lugduni. Die 20. Februrij 1663.

DE SEVE.

INDEX

INDEX

CAPITVM, ET PROBLEMATVM, Quæ in hac Tomi Tertij prima Parte continentur.

LIBER XIX.

Iubilæum.

SECTIO PRIMA.

De Iubilæo receptiores sine lite sententiæ. p. 1

Cap. 1. *De natura, ac origine Iubilei.* 1

Cap. 2. *De Iubilæo Romano.* 2

Cap. 3. *De Compostellano Iubilæo.* 3

Cap. 4. *De duarum hebdomadarum Iubilæo.* 4

SECTIO SECVNDA.

De Iubilæo Problemata.

Cap. 5. *Circa Iubilæum Romanum.* 5

Prob. 1. Per reuocationem in Iubilæo Romano expressam suspenduntur, & non suspenduntur Indulgentiæ ac facultates Bullæ Cruciatæ. 6

2. Per reuocationem Iubilæi Romani suspenduntur, & non suspenduntur facultates absoluendi, ac dispensandi Religiosis concessæ. ibid.

3. Indulgentiæ, & facultates sic per Iubilæum Romanum suspenduntur, vt indigeant, & non indigeant postmodum noua concessione, vt vim habeant, Iubilæo transacto. ibid.

4. Tenetur & non tenetur vxor obedire Marito Romam adeunti, & sibi præcipienti vt comes sit peregrinationis. 7

5. Expedit, & non expedit, vt Regularis Prælatus concedat suis Monachis licentiam pergendi in Vrbem anno Iubilæi. ibid.

6. Hoc Iubilæum incipit, & non incipit à peruigilio Natiuitatis Domini inclusiuè. ibid.

7. Potest, & non potest obtineri hoc Iubilæum tota peruigilij Natiuitatis die. ibid.

8. Romæ suspenduntur, & non suspenduntur omnes aliæ Indulgentiæ, durante Anni Sancti Iubilæo. 8

9. Indulgentiæ non plenariæ, & ab Ecclesiasticis Prælatis concessæ, seu concedendæ suspenduntur, & non suspentur, hoc Anno. ibid.

10. Suspenduntur, & non suspenduntur Sancti Anni Iubilæo Indulgentiæ, quæ viuis conceduntur cum facultate, vt eas pro defunctis valeant applicare. ibid.

11. Per hoc Iubilæum suspenduntur, & non suspenduntur facultates, quam habent Regulares ex vi suorum Priuilegiorum, ad absoluendum sæculares à casibus sedi Apostolicæ reseruatis. ibid.

Cap. 6. *Circa Iubilæum Compostellanum.* 10

Problem. 12. Potestas absoluendi à reseruatis per hoc Iubilæum concessa extenditur, & non extenditur ad contenta in Bulla Cœnæ. ibid.

13. Præ

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.

13. Præter potestatem absoluendi à reseruatis concedit, & non concedit Iubilæum Compostellanum commutandi vota facultatem. ibid.
Cap. 7. *Circa duarum hebdomadarum Iubilæum.* ibid.
Probl. 14. Potes, & non potes, bis hoc Iubilæum obtinere. ibid.
15. Obtento Iubilæo in primâ hebdomadâ, à casibus reseruatis, si fortè incideris, potes, & non potes in secunda absolui. 11
16. Obtenta absolutione à reseruatis teneris, & non teneris sub graui culpa Iubilæum quærere. ibid.
17. Omnia opera pro consecutione huius Iubilæi præscripta debent, & non debent eadem hebdomada præstari. ibid.
18. Ad obtinendum Iubilæum tenetur, & non tenetur confiteri, qui peccati lethalis conscientiam non habet. 12
19. Intra tempus à Iubilæo præscriptum confiteris, sed ante hebdomadę finem, in quo debet obtineri Indulgentia, incidis in lethale: teneris, & non teneris, iterum confiteri. ibid.
20. Facit quis intra hebdomadam Confessionem Sacrilegam. Sufficit, & non sufficit, ante hebdomadę finem Contritionem elicere ad Indulgentiam lucrandam. ibid.
21. Ad lucrandum Iubilęum, sufficit, & non sufficit Dominica sequenti post transactam hebdomadam confiteri. ibid.
22. Ad obtinendum Iubilęum, sufficit, & non sufficit confiteri ipsa die Dominica, qua solet promulgari. 13
23. Tempore Iubilęi quis per aliquam impotentiam Physicam, seu moralem confiteri non potest, sed opera reliqua præscripta gerens communione contritus se reficit: Hic lucratur, & non lucratur Iubilęum. ibid.
24. Religiosi Iubilæi tempore, possunt, & non possunt eligere Confessarium non approbatum ab Episcopo, sed à Regulari Prelato. ibid.
25. Iubilęi tempore possunt, & non possunt Religiosi sine sui Superioris licentia, ad Confessarios approbatos extra suum Ordinem accurrere. ibidem.
26. Partem operum præscriptorum quis ad impletin prima hebdomada, & partem in secunda: Hic lucratur, & non lucratur Iubilæum. 14
27. Qui Burgis lucratus est hoc Iubilæum, & postmodùm venit Vallisoletum, vbi idem Iubilæum celebratur: Potest hic: & non potest secundò illud lucrari, & à reseruatis absolui. ibid.
28. Ad lucrandum hoc Iubilæum, sufficit, & non sufficit, quòd fiat Sabbatho commutatio operum, quæ diebus præcedentibus geri debuissent. ibid.
29. Ex malitia præscripta opera in Iubilæo omisisti vltima die poteris, & non poteris illud lucrari, si opera quę geri debuissent, in alia à Confessario commutentur. p. 14
30. Cuncta præscripta opera pro Iubilęo lucrando gessisti, sed die vltimâ in qua Eucharistiam debebas accipere, per incuriam, seu obliuionem naturalem ieiunium violasti: Potes, & non potes Iubilęum lucrari, mutata à Confessario in aliud opus pium communione. 15
31. Confessarius, qui ex facultate Iubilęi eligitur ad commutanda opera præscripta debet, & non debet necessario esse ille solus, qui ad Confessionem ad Iubilæi lucrationem eligitur. ib.
Cap. 8. *Circa Votorum commutationem.* ibid.
Prob. 32. Confessarius potest, & non potest virtute Iubilæi Vota extra Confessionem commutare. ib.
33. Iubilæi tempore voto astringeris, quod non curas tunc tibi commutari: Potes, & non potes, Iubilæo exacto, impetrare huiusce voti commutationem. 16
34. Iubilæi tempore exacto, poteris, & non poteris obtinere commutationem votorum Pontifici reseruatorum, quorum tunc immemor commutationem non efflagitasti. ib.
35. Confessarius potens commutare virtute Iubilæi vota potest, & non potest iuramenta emissa commutare. ib.
36. Vt votum à te emisum non ludendi (v.gr.) serues, iuramentum emittis, quo confirmare valeas votum emissum: Confessarius virtute Iubilæi potest, & non potest huiusmodi iuramentum commutare. ibid.
37. Facultas commutandi vota virtute Iubilęi, extenditur, & non extenditur, ad commutanda iuramenta adiecta contractui, in quo est turpitudo, aut iniustitia. 17
38. In

38. In generali facultate ad vota commuranda, comprehenduntur, & non comprehenduntur Vota reseruata peregrinationis Ieroſolymitanæ, Romanæ, ac Compoſtellanæ. ibid.
39. Confeſſario Iubilæi virtute impenditur facultas commutandi vota, exceptis votis Religionis, & Caſtitatis: Poteſt hic, & non poteſt commutare iuramenta ingrediendi Religionem, & Caſtitatem obſeruandi. 18
40. Leui metu ab extrinſeco incuſſo Religionis, aut Caſtitatis votum emiſiſti: Poteſt, & non poteſt Confeſſarius Iubilæi virtute huiuſmodi vota commutare. ibid.
41. Emiſiſti votum in vtilitatem Tertij, & acceptatum iam fuit ab eo, in cuius commodum fuit expreſſum: Tale votum eſt, & non eſt Iubilæi indulto commutabile. ibid.
Cap. 9. *Circa Iubilæum Communionis generalis ſingulis Menſibus in Societate IESV, ac in aliis Religionibus lucrari ſolitum.* 19
Prob. 42. Sectatur quis Iubilæi tempore opinionem *probabilem* circa illius *conſecutionem*: Lucratur quidem, & non lucratur Indulgentiam. ibidem.
43. Tibi aliquod votum Iubilæi indulto commutatur: at poſtmodùm voluntate mutata Iubilæum non lucraris: Votum commutatum reuiuiſcit, & non reuiuiſcit. ibid.
44. Peccat, & non peccat lethaliter, qui poſtquam bona fide vororum commutationem obtinuit, poſtmodum voluntariè præſcripta in Iubilæo opera omiſit. ibid.
45. Dies Dominicus (verbi gratia) Februarij eſt vltima huius Menſis dies: vel Dominica dies eſt prima dies Martij: Dominica talis vltimi diei Februarij poteſt & non poteſt pro Communione generali Martij aſſignari; & talis primæ diei Martij Dominica pro Communione generali Februarij. 20
46. Vbi ſunt plures vna in Vrbe Societatis domus, poteris, & non poteris in omnibus hoc Iubilæum lucrari. ib.
47. Poteſt & non poteſt hoc obtineri Iubilæum in Eccleſiis Seminariorum Societatis. 21
48. In Sacellis, Capellis, aut Oratoriis Societatis villarum, ſeu prædiorum; poteſt, & non poteſt hoc Iubilæum generali Communionis obtineri. ib.
49. Ad Iubilæi Communionis generalis lucrationem; eſt, & non eſt neceſſarium Confeſſionem præmitti, cùm quis lethali crimine grauatur. 22
50. Requiritur, & non requiritur, vt ad huius Iubilæi lucrationem Communio de manibus Sacerdotis Societatis IESV ſuſcipiatur. ibid.
51. Ad commonendũ populum de Communionis generalis Iubilæo, tempore Interdicti, poſſunt, & non poſſunt Campanę pulſari. ibid.
C. 10. *Circa Iubilæum Quadraginta Horarum.* 23
Prob. 52. Neceſsarium eſt, & non eſt, orationem eſſe contiuuam per has Quadraginta horas, ita vt in Eccleſiâ, vbi hoc Iubilæum obtinetur, ſemper aliqui, vel aliquis orationi inſiſtat. ibidem.
53. Septennium huius indulti incipit, & non incipit à die ex quo ad notitiam peruenit eorum, in quorum gratiam conceſſum fuit. ibid.
54. Valet, & non valet hoc Iubilæum: ſi pro eodem tempore in eadem Eccleſiâ aliud quodcúmque iam conceſſum extet. 24
55. Licet, & non licet, aliquid dare, vel accipere pro huiuſce Iubilæi expeditione. ibid.
Cap. 11. *Circa Iubilæa pro Chriſti, Deiparæ, & Sanctorum Feſtis conceſſa.* 25
Prob. 56. Feſtiuitatis celebritas à proprio die extrahitur, & in alium transfertur: Poteſt, & non poteſt in eum diem Iubilæum pro ea Feſtiuitate conceſſum ſimul transferri. ibid.
57. Notarij Regij, ſeu pro ſæculari foro deputati ſubſcriptio ſufficit, & non ſufficit, vt Iubilæorum huiuſmodi tranſumptis fides adhibeatur. ibid.
Cap. 12. *Circa Iubilæa ac indulgentias Regularibus, eorúmque Eccleſiis conceſſas.* 26
Prob. 58. Religioſi facti Epiſcopi fruuntur, & non fruuntur ſuæ Religionis indulgentiis. ibid.
59. Apoſtatæ, ac Fugitiui à Religione fruuntur, & non fruuntur Iubilæis, & indulgentiis in Defunctorum gratiam expenſis. ibid.
60. Inter Regulares diuerſi Ordinis eorumque Eccleſias datur, & non datur, tam arcta circa Iubilæa communicatio, vt ſi vna Religio fruatur quin-

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.

que, verbi gratia, Iubileis pro quinque Sanctorum Solemniis, totidem aliæ Religiones Mendicantes ad similem Diuorum numerum potiri existimentur. 27

61. Regulares possunt, & non possunt sine Cruciatæ Bullâ lucrari Iubilæa pro suis Ecclesiis, concessa. ib.

62. Religiosi in Hispaniæ Regnis valent, & non valent lucrari Iubilæa & indulgentias vniuersis Christi fidelibus in generali concessas sine Cruciatâ. 28

63. Omnes vtriusque sexûs Regulares possunt & non possunt in suis Ecclesiis lucrari omnia Iubilæa, & Indulgentias concessas pro omnibus Christiani Orbis Ecclesiis, locis, & stationibus. ibid.

64. Iubilæum Sanctæ MARIÆ, de Angelis, seu de Portiuncula possunt, & non possunt fideles lucrari in Ecclesiis Monialium Diui Francisci Regulam profitentium licèt sub Ordinariorum non Regularium regimine viuant. 29

Cap. 13. *Circa Iubilæum Missionum Societatis IESV.* *ibid.*

Prob. 65. Qui à nullo Superiore mittuntur, possunt, & non possunt Iubilæo, Missionum vti, & eius indultis potiri. 30

66. Possunt, & non possunt fieri Missiones intra Ciuitates, & Oppida vbi domos aut Collegia Societas habet. ibid.

LIBER XX.

Eucharistia Sacramentum.

SECTIO PRIMA.

De Eucharistiæ Sacramento, receptiores sine lite Sententiæ. 31

CAP. I.

DE Eucharistiâ secundùm se. 31

CAP. II.

De Eucharistiæ Materiâ. 32

CAP. III.

De Formâ hoc ineffabile Sacramentum conficiente. 34

CAP. IV.

De Eucharistiæ Adoratione, ipsius ad salutem necessitate, Obligationeque eam sumendi ex diuino præcepto. 35

CAP. V.

De Ministro Eucharistiæ, ad consecrandum, & ministrandum. *ibid.*

CAP. VI.

De Eucharistiæ susceptoribus. 38

CAP. VII.

De Dispositione susceptori Eucharistiam internâ. 39

CAP. VIII.

De externa susceptori Eucharistiam dispositione. 40

CAP. IX.

De Eucharistiæ Effectibus. 41

SECTIO SECVNDA.

De Eucharistiæ Sacramento Problemata. 42

Cap. 10. *Circa Eucharistiæ Sacramenti Naturam.* *ibid.*

Prob. 1. De necessitate Sacrificij est, & non est Panis simul, ac Vini Consecratio. ibid.

2. Panem & Vinum simul consecrari, est & non est præceptum diuinum. ibidem.

3. Potest, & non Potest Pontifex dispensare, vt aliquandò liceat in altera solummodò consecrari specie. 43

4. Potest, & non potest materia consecranda coram Sacerdote non existere, sed à tergo statui. ibid.

5. Sufficit, & non sufficit, materiam esse præsentem secundùm aliquam partem, vt tota possit consecrari. ibid.

6. Materia Panis, & Vini est, & non est consecrabilis in qualibet maximâ sine termino quantitate. 44

7. Sacerdos verè consecrat, & non consecrat hostias coram se positas in pyxide, vel in altari, quas initio Missæ consecrandas suscepit: postea verò consecrationis tempore prorsus fuit oblitus. ibid.
8. Consecrat, & non consecrat Sacerdos hostias, quas consecrandas accepit, cum non sunt in corporali super aram, si consecrationis tempore tradidit oblivioni. 45
9. Sacerdote prorsus insciò, quædam hostiæ consecrandæ super Aram collocantur, quas celebrans non aduertit antè consecrationem, sed post illam: Hæ quidem manent, & non manent consecratæ. ibid.
10. Multis hostiis consecratis vna non consecrata admiscetur: potest, & non potest illam Sacerdos consecrare. ib.
11. Eucharistia est & non est vnum specie atoma Sacramentum. ibid.
12. Eucharistię Sacramentum fuit, & non fuit Mense Martio institutum. 46
C.13. *Circa remotam Eucharistiæ materiam.* ibid.
Probl.13. *Blattâ* seu *Centeno* potest, & non potest esse sufficiens Eucharistię materia. ib.
14. Farina triticea aquâ rosacea, vel alia non naturali si subigatur: erit, & non erit apta consecrationi. ibid.
15. Vrgente necessitate potest, & non potest Panis aliquantulum corruptus consecrari. ibid.
16. Panis ex Amydo, Hispanè Almidon, confectus, est, & non est consecrationis materia. 47
17. Peccat, & non peccat Sacerdos Græcus in azimo consecrans. ibid.
18. Graui necessitate obueniente, potest, & non potest Sacerdos Latinus in fermentato consecrare. ibid.
19. Mustum est, & non est consecrationis materia. ibid.
20. Lora, seu Acinaceum, Hispanicè *Aquapie* potest, & non potest consecrari. 48
21. Vinum congelatum est, & non est consecrationis materia. ib.
22. In Vino congelato potest, & non potest licitè consecratio fieri in necessitate. ibid.
23. Acetum est, & non est consecrationis materia. 49
24. Aquę gutta vino Calicis mixta conuertitur, & non conuertitur immediatè in Dominicum Sanguinem ib.
25. Massa cruda est, & non est consecrationis materia. ibid.
26. Mica Panis madefacta, & digitis compressa, vt velut Massa fiat, est, & non est sufficiens consecrationis materia. ib.
27. Vinum imbibitum in Offa, seu mica Panis; potest & non potest consecrationis materiam ministrare. 50
28. Immixtio Aquæ in Calice est, & non est de iure diuino. ibid.
29. Potest & non potest determinari, quanta debeat esse illa paruitas Aquæ vino admiscenda. ibid.
30. Guttæ quę intra Calicis latera separatè à vino quod in fundo adest, assolent detineri, debent, & non debent censeri consecratę. ib.
31. Potest, & non potest consecrari quęlibet minutissima particula Panis, & Vini, quę ob sui paruitatem sentiri nequeat. ibid.
C.12. *Circa Consecrationis formam* 51
Probl. 32. Verba consecrationis dicuntur, & non dicuntur recitatiuè tantum & materialiter. ib.
33. Verba prędecedentia formam consecrationis Panis ab illa particula, *Qui pridie quàm pateretur*, necessariò prærequiritur ad formæ valorem. ibid.
34. Si loco illius formæ: *Hoc est corpus meum*, diceres: *Hæc est caro mea*, valida esset, & valida non esset consecratio. 52
35. Verba illa consecrationis Calicis: *Noui, & æterni testamenti*, vsque ad, *Remissionem peccatorum*, sunt, & non sunt essentialia. ibid.
36. Christus in consecratione Panis vsus fuit, & non fuit vsus particula *Enim*. ibid.
37. Peccatum mortale est, & peccatum mortale non est, particulam *Enim*, cum consecratur Panis, vel Vinum, omittere. ibid.
38. Valet, & non valet consecratio his verbis facta: *Hic est Calix, nouum testamentum in meo sanguine* 53
Cap.13. *Circa suscipientes Eucharistiam* ibid.
Probl. 39. Infantes sunt, & non sunt suscipiendæ Eucharistiæ capaces. ibid.
40. Neophyti, Energumeni, & Neophyti mox post conuersionem, sunt, & non sunt Eucharistiæ recipiendæ capaces. ibid.
41. Pueri, qui sufficientem habent vsum rationis ad peccădum, & recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, possunt, ac debent: non possunt, nec debent, communicare. 54

F. SCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.

Cap. 14. *Circa dispositionem susceptorum Eucharistiam, quoad animam attinet.* 54

Prob. 42. Communicare cum peccato Veniali est, & non est Veniale peccatum. ibid.

P. 43. Ad Eucharistię effectū requiritur, & non requiritur actualis deuotio suscipientis. 55

P. 44. Sacerdos post consecrationem aut lethaliter peccat, aut lethalis non confessi recordatur, cuius contritionem non habuerit, nec modò potest habere: Hic potest, & non potest sine nouo peccato, non elicitâ contritione, communicare. ib.

P. 45. Qui prohibitus per censuram à receptione Sacramentorum, communicat cum peccati mortalis conscientia: committit, & non committit duo peccata contra duo illa præcepta, diuinum, & humanum, quæ debeant Confessario aperiri. 56

Prob. 46. Debere præmitti Confessionem ad Eucharistiam recipiendam, si communicaturus sit lethalis piaculi reus, fuit, & non fuit ante Concilium Tridentinum obligatio. ib.

Prob. 47. Præceptum præmittendi confessionem antè Communionem: est & non est diuinum naturale: est & non est positiuum Ecclesiasticum. 57

Prob. 48. Dubitat quis, an lethaliter deliquerit: vel an confessus fuerit lethale commissum: Tenetur, hic & non tenetur, id ante communionem confiteri. ib.

Prob. 49. Religiosus peccati lethalis reus, potest, & non potest (licet adsit sæcularis Confessarius) sine præuia confessione, eliciens contritionis actum communicare, si breui sperat Ordinis sui Sacerdotem. ib.

Prob. 50. Cum quis iustam habet causam, vt Confessario, quem vnicum habet, grauia crimina non confiteatur, communicaturus; debet, & non debet prius venialia fateri peccata. 58

Prob. 51. Necessitas communicandi sine præuia confessione est, & necessitas sufficiens non est, quando vel ex confessione, vel ex omissione Communionis sequetur scandalum. ib.

Prob. 52. Laicus accessit ad locum communionis, & ibi recordatur grauis piaculi non confessi: Hic potest, & non potest, sine præuia confessione communicare, quando communio fit secretè. ib.

Prob. 53. Quando populus non audiet Sacrum in die festo, nisi celebret Sacerdos lethalis reus criminis, confessione non præmissa: secluso periculo notæ, vel scandali, potest, & non potest, non præmissa confessione celebrare. 59

Prob. 54. Quando fidelis in Paschate potest communicare, non verò confiteri, quia adest Sacerdos, sed non approbatus: est, & non est sufficiens causa, vt sine præuia confessione communicet. ibid.

Prob. 55. Quando Parochus celebrare solet pro defuncto præsente, & non suppetit Confessarius: tunc potest, sine præuia confessione celebrare. 60

Prob. 56. Dum aliquis prius confessus, postea recordatur peccati mortalis obliti, quod iam confiteri non potest; debet & non debet ante communionem, nouam illius contritionem elicere. ibid.

Prob. 57. Qui in Missa recordatur, quod sit in mortali, debet, & non debet statim contritionis actum elicere. ib.

Prob. 58. Concilij clausula, qua Sacerdotes, qui sine præuia confessione communicarunt, monentur, quamprimum confiteri: est, & non est præceptum. 61

Prob. 59. Præceptum hoc, est, & non est de iure diuino. ib.

Prob. 60. Præceptum hoc à Tridentino latum, obligat, & non obligat etiam Laicos. ib.

Prob. 61. Sacerdos recordatur in Missa peccati mortalis, aut tunc illud committit ante sumptionem, & contritus communicat sine confessione præuia ob vitandam infamiam: Hic postea debet, & non debet, quamprimùm confiteri. 62

Prob. 61. Sacerdos quidam non ex necessitate, nec ob carentiam Confessarij, sed ex mera malitia in mortali sine præuia confessione celebrauit: Hic tenetur, & non tenetur quamprimùm post Missam confiteri. ib.

Prob. 63. Sacerdos, qui ob defectum Confessarij sine præuia confessione celebrauit, debet, & non debet statim finita Missa confiteri. ib.

Prob. 64 Qui peccauit mortaliter, & mox confessus est; tenetur, & non tenetur Communionem differre sub mortali. 63

65. Sacerdos, qui ex obligatione eleemosynæ acceptæ tenetur offerre Sacrum: potest, & non potest, deficiente Confessa

fessario, sine præuiâ confessione celebrare. ibid.

66. Distantia vnius leucæ inter Pœnitentem, & Confessarium est, & non est sufficiens, vt pœnitens dicatur, Confessarij copiam non habere, & consequenter valeat vrgente necessitate absque præuia Confessione communicare. 64

67. Præceptum quamprimum confitendi, si Sacerdos absque præuiâ Confessione contritione præmissâ celebrauit: comprehendit Sacerdotem in die Parasceues celebrantem. ibid.

68. Licet, & non licet Sacerdoti, ministrare peccatori occulto scienti, & petenti Hostiam non consecratam; ad Sacrilegium, vel graue aliud damnum ipsius suscipientis vitandum. ib.

Cap. 15. *Circa communicantium quoad corpus dispositionem.* 65

Probl. 69. Pollutio impedit, & non impedit, sub veniali saltem communionem. ibid.

70. Graue peccatum est, & graue peccatum non est, post minimum cibum, aut potum, Eucharistiam accipere. ibid.

71. Qui deglutiit aliquid non comestibile, scilicet ossiculum, frustulum metalli, papyrum, cretam, vngues, vel quid simile; potest, & non potest communicare. 66

72. Sumptio Tabachi vel in folio, vel in fumo, vel in puluere impedit, & non impedit communionem. ib.

73. Reliquiæ cibi præcedentis diei remanentes in dentibus, aut gingiuis, & traiectæ ex industriâ post mediam noctem; impediunt, & non impediunt communionem. 67

74. Quis noctu saccharum, aut quid simile in os mittit, vt paulatim liquefiat, & ex industria post mediam deglutit noctem: Hic violat, & non violat naturale ieiunium: Potest, & non potest communicare. ib.

75. Necesse est, & necesse non est, cibum esse digestum, vel dormisse post Cœnam, ad Eucharistiam recipiendam. ibid.

76. Dubium quis habet negatiuum circa ieiunium: potest, & non potest Eucharistiam recipere. 68

77. Dubium quis habet positiuum circa ieiunium: communicare potest, & communicare non potest. ib.

78. Pontifex nocte Natalis Domini dispensat, & non dispensat in ieiunio cum Cardinali, celebrante primam Missam post matutinum in sacello Pontificio. 69

79. Ad scandalum vitandum, potest quis & non potest non ieiunus communicare. ib.

80. Ad implendum communionis annuę præceptum; potest, & non potest non ieiunus communicare. ib.

81. Quis Eucharistiam æger per modum viatici non ieiunus accepit: vult rursum ex deuotione communicare: Certè debet, & non debet ieiunium præmittere. 70

82. Sacerdos non ieiunus, potest, & non potest ad communicandum moribundum, alioqui sine viatico decessurum, celebrare. ib.

83. Quando Sacerdos post consecrationem deficit, debet, & non debet alius ieiunus aut non ieiunus Sacrificium perficere. ib.

84. Reliquias sacrificij potest, & non potest Sacerdos non ieiunus absumere. 71

85. Si grandiusculæ sint particulę absumi possunt, & non possunt post ablutionem. ib.

86. Hę reliquiæ sumendę sunt, & sumende necessariò non sunt in continenti. 72

87. In Sacristia dum Sacerdos vestes retinet sacras, potest, & non potest, reliquias cuiusvis magnitudinis inuentas in Calice, vel in Patena absumere. ib.

88. Prefatę reliquię inuentę post ablutionem in patena, Calice, aut Corporali, possunt, & non possunt laicis, qui iam tunc communicarunt, cum ablutione ministrari. ibid.

Cap. 16. *Circa Eucharistiæ necessitatem.* ibid.

Pr. 89. Eucharistia est, & non est medium necessarium ad primam iustificationem. ibid.

90. Eucharistia est, & non est medium necessarium ad perseuerandũ in gratia. 73

Cap. 17. *Circa præceptum diuinum Communionis.* 74

Probl. 91. Extat, & non extat præceptum diuinum communicandi. ibid.

92. Hoc præceptum diuinum communicandi, obligat, & non obligat, non baptizatos, siue fideles sint, vt Catechumeni, siue sint infideles. ibid.

93. Præceptum diuinum communicandi, obligat, & non obligat sępius in vita. ibid.

94. Qui communicauit in Paschate, tenetur, & non tenetur precepto diuino in

E. SCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.

in mortis articulo recipere Eucharistiam sub mortali piaculo. 75
95. Qui communicauit paulo ante periculum mortis, tenetur, & non tenetur ad diuinum præceptum implendum, rursus in periculo communicare. ib.
96. Qui post sumptum viaticum mortaliter deliquit, tenetur, & non tenetur, ad præceptum diuinum implendum, iterum communicare. 76
97. Si in mortis articulo Laicus deglutire non potest Eucharistię particulam, ministranda est ei, & non est ei ministranda Sanguinis species. ib.
98. Pestis tempore, potest, & non potest Eucharistia moribundo ministrari instrumento aliquo medio, ne Sacerdos manu tãgat infirmum, & inficiatur. ib.
99. Die Veneris Sancti, licet, & non licet Laicalis Communio. 77
100. Communio quotidiana est, & non est, vniuersaliter omnibus existentibus in gratia vtilior: ideóque est, & non est consulenda, seu concedenda. ib.
Cap. 18 *Circa Eucharistiæ Ministrum.* 79
Prob. 101. Si Sacerdos Pastor adsit, & iniquè deneget Diacono facultatem ministrandi moribundo Eucharistiam: potest Diaconus, & non potest eam ministrare. ib.
102. Necessitate vrgente, potest, & non potest Sacerdos administrationem Eucharistię Clericis inferioribus, & etiam Laicis committere. ib.
103. Omnes Sacerdotes possunt, & non omnes Sacerdotes possunt Eucharistiam ministrare. 80
104. Deficiente Parocho, vel iniquè viaticum indigenti denegante, quiuis Sacerdos potest, & non potest illud ministrare. ib.
105. Possunt, & non possunt Regulares ministrare Eucharistiam in die Paschatis materialiter sumpto, & non sumpto materialiter. ib.
106. Etiam in Paschate possunt, & non possunt Regulares, ministrare fidelibus Eucharistiam, ad præceptum annuæ confessionis implendum. 81
107. Qui bullam habet Cruciatæ, potest, & non potest, Eucharistiam à quolibet Sacerdote accipere. ib.
108. Extrà casum necessitatis potest Sacerdos, vel Diaconus aliquando, & non potest propria manu Eucharistiam accipere. 82
109. Diacono præsente, potest, & non potest Sacerdos, seipsum communicare. ibid.
110. Clerici Diacono inferiores, & Laici possunt aliquando, & non possunt communicare se ipsos. 83
Cap 19. *Circa Communionis Ritum.* ibid.
Prob. 111. Præceptum diuinum aliquando fuit, & præceptum diuinum nunquam fuit indictum Laicis, sub vtraque specie communicandi. ib.
112. Sine Ecclesiæ dispensatione nunquam potest, & aliquando potest Laicus Sanguinis speciem absumere. ib.
113. Sacerdos potest, & non potest, cùm celebrat, diuidere hostiam consecratam ad Laicum communicandum. 84
114. Cum Sacerdos communicat more Laicorum debet, & non debet stolam gestare. ib.
Cap. 20. *Circa Eucharistiæ Effectus.* 83
Probl. 115. Eucharistia confert, & non confert habitualem gratiam, cum primum est in ore Sacramentum. ib.
116. Quis sacrilegè communicauit indignus in parte prima sumptionis, & durante sumptione, resipuit ità vt aliquam partem ritè dispositus acceperit. Hic recipit, & non recipit Sacramenti effectum. ib.
117. Quis dignè communicans post acceptam gratiam in primæ particulæ sumptione iuxta præsentem dispositionem, melius disponitur per intensiorem, aut perfectiorem actum, dum adhuc durat sumptio. Hic recipit, & non recipit maiorem gratiam ex opere operato. ibid.
118. Dum species Sacramentales in stomacho perseuerant, producunt, & non producunt adhuc vberiorem gratiæ effectum. 84
119. Cum dispositio recipientis Eucharistiam, melioratur, dum species Sacramentales in stomacho durant, augetur, & non augetur gratia ex opere operato. ibid.
120. Vtraque species simul confert, & non confert recipienti maiorem gratiam, quàm seorsim singulæ. ib.
121. Eucharistia confert per accidens aliquando, & non confert primam gratiam. ibid.
122. Vt augmentum gratiæ recipiat qui Eucharistiam sumit, requiritur, præter statum gratię, deuotionis affectus 85
123. Virtute Eucharistię præter vnionem animę cum Deo factam medio gratię augmento, fit etiam, & non fit vnio aliqua

qua inter carnem suscipientis, & inter carnem Christi. ibid.
124. Eucharistia in hac vita producit, & non producit in corpore suscipientis digne aliquam qualitatem. 86

LIBER XXI.

Eucharistia, Sacrificium.

SECTIO PRIMA.

De Eucharistia sacrificio, receptiores sine pugna sententiæ. p.87

CAP. 1. DE *Sacrificio propriè, & strictè sumpto in communi.* *ibid.*
C.2. *De novæ Legis Sacrificio.* *p.*88
C.3. *De offerentibus Missæ sacrificium.* *p.*90
C.4. *De Missæ Fructu.* *p.*91
C.5. *De celebrandi Tempore.* *p.*95
C.6. *De loco, quo celebrare liceat.* *p.*97
C.7. *De violata Ecclesia, vbi non licet Missam celebrare.* *p.*99
C.8. *De Altari, & eius ornatu.* *p.*100
C.9. *De Vasis, ac Vestibus sacris.* *p.*102
C.10. *De Ritibus Missæ.* *p.*104
C.11. *De Missæ Defectibus.* *p.*105
C.12. *De Obligatione faciendi sacrum pro aliis.* *p.*108
C.13. *De obligatione celebrandi ob stipendium acceptum.* *p.*109
C.14. *De Ministro Missæ necessario.* *p.*110

SECTIO SECVNDA.

De Missa Problemata. p.112

Cap.15. *Circà sacrificium in communi.* *ibid.*
*Probl.*1. Sacrificia ab hominibus instituta vera sunt, & non sunt vera. ibid.
2. Ad essentiam sacrificij requiritur, & non requiritur signum & minister authoritate publica constitutus. ibid.
3. In omni Sacrificio proprio danda est, & danda non est destructio aliqua rei oblatæ. p.113
4. Datur, & non datur naturale sacrificandi præceptum. ibid.
5. Christus Dominus in Cruce actiuè concurrit, & actiuè non concurrit ad suam mortem, vnde videtur obtulisse, & non obtulisse verum, ex destructione præfata, sacrificium. ibid.
C.16. *Circa novæ legis sacrificium.* p.114
*Prob.*6. Consecratio sola potest, & non potest essntialiter Missæ sacrificium constituere. ibid.
7. Sola sumptio specierum potest, & non potest essentialiter constituere Missæ sacrificium. p.115
8. Consecratio, & sumptio, simul institui possunt, & non possunt institui, vt essentialiter constituant Missæ Sacrificium. ibid.
9. Sacerdotis sumptio præcepta est, & præcepta non est iure diuino. ibid.
10. Requiritur, ad sacrificium hoc, & non requiritur sumptio Hostiæ tunc consecratæ. p.116
11. Vtriusque speciei sumptio est, & non est iure diuino præcepta. ibid.
12. Species Sacramentales sunt, & non sunt pars huius victimæ. ibid.
Cap.17. *Circa Offerentes Missæ Sacrificium.* 117
*Prob.*13. Christus offert, & non offert immediatè Missę Sacrificium nunc. ib.
14. Sufficit, & non sufficit habitualis Sacerdotis intentio, vt Missę fructus possit personę, pro quam offertur, applicari. ibid.
15. Deus attendit ad celebrantis intentionem habitam, non ad debitam : & attendit ad intentionem debitam, non ad habitam. ibid.
16. Sacerdos potest, & non potest intentionem suam ad futurum referre, seu anticipatè Missas offerre. p.118.
17. Celebrans nulli applicat Missæ fructum vel certè incapaci : Tunc fructus ille confertur, & non confertur celebranti : remanet, & non remanet in thesauro. p.119
Cap.18. *Circa Missæ Fructum.* *ibid.*
*Prob.*18. Missæ sacrificium habet, & non habet effectum aliquem ex opere operato. ib.
19. Remissio pœnæ temporalis vi Missæ semper certa lege confertur, & non semper certa confertur lege circa defunctos. ib.
20. Per Missam orationi coniunctam impetratur, & non impetratur immediatè remissio pœnæ pro peccatis eorum pro quibus oratur. p.120
21. Missa per se confert, & non confert pri

F. SCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
F. IV.

primam gratiam, & peccati lethalis remissionem iis, pro quibus dicitur. ib.
22. Est, & non est infallibilis impetratio auxiliorum specialium, quæ confertur eis, pro quibus Missæ sacrificium offertur. p.121
23. Auxilia, quæ per Missam conferuntur semper sunt & non semper sunt efficacia. p.122
24. Dum iusti actualiter in obiectis venialiter prauis complacent, Missæ sacrificium immediatè, & ex opere operato dimittit, & non dimittit eis peccata venialia. ibid.
25. Sacerdos quatenus Missam offert vt persona particularis, & cæteri Fideles coofferentes participant & non participant non ex ea aliquem satisfactionis fructum ex opere operato. ibid.
26. Sacerdos debet, & non debet omnibus Ecclesiæ membris non solùm impetrationem Missæ, sed etiam satisfactionem applicare. p.123
27. Missa potest, & non potest, pro Infidelibus offerri. ibid.
28. Missa potest, & non potest, pro Catechumenis offerri. p.124.
29. Expedit, & non expedit alicui, dum viuit, facere sibi celebrare Missam, & Officium defunctorum. ibid.
30. Quando effectus satisfactionis pro pœnâ debitæ ex Missa, per obicem peccati fuit impeditus: datur, & non datur, fictione recedente. ibid.
31. Effectus seu fructus Missæ crescit, & non crescit, ex meliori recipientis dispositione. p.125
32. Missæ fructus est, & non est infinitus extensiuè syncathegorematicè. ibid.
Cap. 19. *Circa celebrandæ Missæ tempus.* p.126
Probl. 33. Ex vi solius Ordinationis Sacerdes tenetur, & non tenetur, aliquando celebrare. ibid.
34. Sacerdos nunquam celebrans non venialiter, sed mortaliter delinquit: non mortaliter delinquit, sed solùm venialiter. ibid.
35. In festo, quando est aliud sacrum, quod possit audiri: debet, & non debet Sacerdos celebrare vt ipsemet præceptum Missam audiendi adimpleat. p. 127
36. Mortale est, & mortale non est, Missam quotidianam, seu Conuentualem in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis omitti. ibid.
37. Mortale est, & mortale non est, omitti in Ecclesiis Regularibus quotidianam Missam. ibid.
38. In Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, quando casus occurrit, debent, & non debent duæ Missę cantari, de festo scilicet, & de feria. ibid.
39. Debent, & non debent præfatis diebus in Ecclesiis Regularibus etiam duę Missæ cantari. p.128
40. Feria quinta maioris Hebdomadæ licet & non licet Sacerdoti cuilibet celebrare. ibid.
41. Requiritur, & non requiritur Prælati licentia, vt quis possit Feria quinta in Cœna Domini celebrare. ibid.
42. Sabbatho Sancto licet, & non licet vltra Missam solemnem, plures alias priuatas celebrare. ibid.
43. Festum incidit in Sabbathum S. Missæ priuatæ sunt & non sunt dicendæ. p.129
44. Si Sabbatho Sancto, dicendæ sint publicè aliæ Missæ priuatæ: hæ possunt, & non possunt, ante solemnem celebrari. ibid.
45. Parochus die Natalis Domini tenetur & non tenetur tres Missas celebrare. 130
46. Extra Natiuitatis diem potest, & non potest Sacerdos Parochus non solùm duas, sed & plures Missas celebrare. ibid.
47. Diebus profestis Parochus potest, & non potest, duas Missas in Ecclesiis, quas habet, diuersis celebrare. ibid.
48. Licet, & non licet, post sumptam ablutionem dicere secundam Missam ad moribundo Eucharistiam ministrandum. ibid.
49. Propter defunctum parochianus Missam dici petit, potest & non potest Sacerdos, vnam Missam de die, alteram pro defuncto illo celebrare. p.131
50. Quando Nuptiæ benedicendæ sunt, & Parochus iam fecit sacrum: potest, & non potest alterius Missæ celebrationi operam dare. ibid.
51. Templum exiguum in festo solemni semel non capit populi multitudinem; tunc potest, & non potest vnicus Sacerdos vnam, & alteram Missam celebrare. ibid.
52. In die festo post factam consecrationem, & ante sumptam ablutionem, superuenit peregrinorum copia, vel Antistes, vel Magnates, qui non habent alium Sacerdotem, à quo Missam audiant: Tunc, ablutione non sumpta, potest

test & non potest Sacerdos alteram Missam celebrare. p.132

53. Concurrunt eodem die duæ Missæ dicendæ vna de festo, altera de Vigilia, vel Rogationibus, vel defunctis, & non est nisi vnicus sacerdos: tunc ab eodem Sacerdote possunt, & non possunt duæ Missæ celebrari. ibid.

54. Expectandum est, & expectandum non est Auroræ initium ad Missam inchoandam. ibid.

55. Natalis Dominici die omnes tres Missæ possunt, & non possunt, noctu celebrari. p.133.

56. Potest, & non potest Missa ante Auroræ initium integrè sine licentia celebrari, ad communicandum infirmum, alioqui forsan sine viatico moriturum. ibid.

57. Licet, & non licet, post meridiem celebrare hora tertia. ibid.

Cap. 20. *Circa celebrationis Missæ locum.* p. 134.

Prob. 58. Licet, & non licet, in mari, vel flumine celebrare. ibid.

59. Mortale crimen est, & mortale crimen non est, extra *locum* sacrum sine necessitate celebrare. ibid.

60. Priuilegia Regularibus concessa, vt sine Episcopi consensu valeant cum altari viatico celebrare, sunt & non sunt per Tridentinum reuocata. 135

61. Incurrit, & non incurrit pœnam vllam, qui in Ecclesia violata celebrat. ibid.

62. Violatur, & non violatur Ecclesia, quando causa mortis culpabilis datur intra Templum sine sanguinis effusione, per contusionem, aut confractionem, aut veneni propinationem, & mors extra contingit. p.136

63. Effusio sanguinis vber è naribus est, & non est sufficiens ad Ecclesiæ violationem. ibid.

64. Violatur, & non violatur Ecclesia, si quis in ea percussus, extrà eam sanguinem profundit. ibid.

65. Pollitur, & non polluitur Ecclesia per copulam coniugalem ratione necessitatis in ipsâ habitam. 137

66. Licet, & non licet apud Templum coniugali copulę operam dare, si breui in tempore quo inibi recluduntur coniuges, verè detur incontinentię periculum. ibid.

67. Violat, & non violat Ecclesiam excommunicati non vitandi Sepultura. ibid.

68. Violatur, & non violatur Ecclesia, si per Episcopum excommunicatum non toleratum consecretur, aut benedicatur. ibid.

69. Quando fuit Infidelis in Ecclesiâ sepultus, debent, & non debent eius abradi parietes. p.138

70. Si totum Templum, vel maior eius pars per temporum interualla corruat, & instauretur, amittit, & non amittit consecrationem. ibid.

71. Locus sacer est & non est violatus per occultam causam ante eiusdem manifestationem. ibid.

72. Post Concilium Constantiense ad violationem publicam Ecclesiæ, requiritur & non requiritur Iudicis sententia declarans, sacrum locum esse violatum. p.139

73. Simplex Sacerdos ad reconciliandum Ecclesiam benedictam, indiget, & non indiget Episcopi facultate. ibid.

74. Episcopus potest, & non potest simplici Sacerdoti concedere facultatem reconciliandi Templum consecratum violatum. ibid.

75. Per Missæ celebrationem reconciliatur, & non reconciliatur Ecclesia violata. p.140

76. Heremitoria quædam, Hospitalia, oratoria, vel similia loca, quæ nec consecrata, nec benedicta sunt, erunt, & non erunt violationis periculo obnoxia. ibid.

Cap. 21. *Circa Altare, & eius Ornatum.* p.141.

77. Pyxis, in quâ recipienda est Eucharistia, debet, & non debet esse benedicta. ibid.

78. In Arâ consecratâ debent, & non debent Sanctorum reliquiæ reponi. ibid.

79. Quoties in ligno, quo clauditur Ara consecrata, fuerit paruus ille lucellus, quo reliquiæ conduntur; amoto ligno à lapide, tollitur, & non tollitur consecratio. ibid.

80. Quoties Altaris cornua, quæ assolent vngi, franguntur, perditur, & non perditur Altaris consecratio. p.142

81. Parua Palla, qua Calix cooperitur, est & non est de essentia ornamentorum Altaris. ibid.

82. Purificatorium, ab abstergendum Calicem, debet, & non debet esse benedictum. ibid.

83. Præter Corporale requiruntur, & non requiruntur tres mappæ in altari ad Missæ celebrationem. p.143

84. Mortale peccatum est, & mortale non est

E. SCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
Fol.

est peccatum, sine Mappis celebrare. ibid.
85. Mappæ altaris debent, & non debent esse benedictæ necessario. ib.
86. Corporale potest, & non potest ex Cannabe fieri. ib.
87. Corporalia, reliquæque Altaris mappæ possunt, & non possunt ex Gossipio (Hispanè, *Algodon*,) perfici. p.144
88. Peccat, & non peccat venialiter qui sine causa duas saltem candelas in Missæ celebratione non accendit. ibid.
89. Mortale est peccatum, & non est peccatum mortale sine cereo lumine celebrare; licèt enim & non licet lumen Olei adhiberi, vel in necessitate. ib.
90. Licet, & non licet in necessitate cum lumine sebaceo, vel ex adipe, vel simili ex materia celebrare. ib.
91. Mortale crimen est, & mortale non est, sine Cruce celebrare. g.145
92. Liber deest, & Sacerdos adeò est instructus, & sic de sua memoria confidit, vt moraliter non dubitet, se cuncta perfecte, recitaturum: sine Missali hic poterit, & non poterit celebrare sine lethali culpa. ib.

C.22. *Circa Vasa, ac Sacras Vestes.* *ib.*
Prob. 93. Bona sine Sacerdos celebrat in Calice, Patena non consecratis: eo ipso maneat, & non manent Vasa eiusmodi consecrata. ibid.
94. Si Calix & Patena deaurata sint, & per vsum deauratio tollatur: amittunt, & non amittunt consecrationem. p.146
95. Calix, & Patena argentea, vel stannea sine auro consecrantur, & inaurantur interius post consecrationem: Indigent, & non indigent noua consecratione. ibid.
96. Calix per Cuppæ separationem à pede amittit, & non amittit consecrationem. ibid.
97. Cingulum debet, & non debet necessariò esse benedictum. p.147
98. Cingulum ita rumpitur, vt neutra pars diuisa ad cingendum sufficiat. Porrò retinet, & non retinet benedictionem. ibid.
99. Dimittens aduertenter vnam, aut alteram sacram vestem, scilicet Manipulum, vel Cingulum: peccat, & non peccat lethaliter. ibid.
100. Licet, & non licet, ob metum mortis sine sacris Vestibus cunctis celebrare. p.148
101. Licet, & non licet operto capite celebrare. ibid.
102. Mortale peccatum est, & mortale peccatum non est, capite operto, Missæ celebrationi dare operam. ibid.
103. Licet, & non licet, tegere caput sacro Amictu celebrantem. 149
104. Vt quis coactus necessitate, possit cooperto capite celebrare, est & non est necessaria dispensatio. ib.

Cap.23. *Circa Missæ Ritus.* *ib.*
Prob. 105. Missalis Rubricæ, quæ præscribunt accidentales Missæ ritus, obligant, & non obligant sub mortali. ib.
106. Mortale peccatum est, & peccatum mortale non est, preces omnes omittere, quas Missale præscribit dicitandas, dum sacris vestibus Sacerdos induitur. ibid.
107. Veniale peccatum est, & nec veniale est peccatum, scienter omnes orationes omittere, quę in Missali dicendę, dum Sacerdos induitur, prescribuntur. p.150
108. Cantans Missam solemnem, tenetur, & non tenetur voce submissa legere, Introitum, Epistolam, Euangelium, & reliqua, quę alij cantitant ministrantes. ibid.
109. In omissione verborum Canonis Missę datur, & non datur materię leuitas. ibid.
110. Potest, & non potest per annum dici Missa Natiuitatis, Assumptionis, vel alterius Festi Deiparę. p.151
111. Mortale est, & mortale non est, in festis Duplicibus vel similibus diebus, in quibus Missæ votiuę non permittuntur aliam Missam dicere. ibid.
112. Quilibet Sacerdos potest, & non potest celebrare Missam de Sancto beatificato, cuius celebrationem Pontifex alicui Religioni, vel Prouinciæ concessit. ibid.
113. De sanctis Canonizatis, qui non habentur in Kalendario Breuiarij, vel Missalis, potest, & non potest Officium diuinum, aut Milsa celebrari. p.152
114. Sacerdos sub mortali tenetur, & non tenetur, saltem Matutinum Officium ante celebrationem Missæ recitare. ibid.
115. Veniale per se est, & per se Veniale non est peccatum, celebrare Missam ante recitatum Matutinum? p.153
C.24. *Circa Missæ Defectus.* *ibid.*
Prob. 116. Si Calix fuerit sine vino consecratus,

cratus, debet, & non debet simul noua Hostia consecrari. ib.
117. Sacerdos post consecrationem moritur, aut graui morbo corripitur: potest & non potest altera die sacrificium ab alio Sacerdote perfici. 154
118. Tenetur, & non tenetur Sacerdos sacrificium ab alio cœptum perficere. ib.
119. Secluso graui scandalo, debet, & non debet Sacerdos in mortali existens, sacrificium ab alio cœptum perficere, contritione præmissa. ib.
120. Solus adest Sacerdos excommunicatus, aut suspensus ab officio, aut irregularis, qui cœptum sacrificium perficere valeat: Hic nec debet, nec potest: hic potest & debet perficiendæ Missæ operam dare. p.155
121. Si celebrans ante Consecrationem deficiat, alter Sacerdos debet, & non debet Missam perficere Canone incepto. ib.
122. Si post consumptam Hostiam, relicto Sanguine, celebrans deficiat: alter debet, & non debet Missam perficere. ib.
123. Qui temerè Missam inchoatam relinquit incurrit, & non incurrit maiorem excommunicationem. p.156
124. Qui temerè Missam inchoatam relinquit, *incurrit*, & non incurrit suspensionem. ib.
125. Si incœpto Missæ Canone excommunicatus vitandus eidem velit assistere: relinquenda, & non relinquenda est à Sacerdote imperfecta protinus. ib.
126. Infidelibus irruentibus post consecrationem, Sacerdos debet, & non debet propter mortis periculum sacrificium imperfectum relinquere. p.157
127. Potest, & non potest licitè incœpta Missa repeti, si Princeps, aut Episcopus, aut supplicatio solemnis aduentet. ib.
C.25. *Circà obligationem faciendi sacrum pro aliis.* ib.
Prob. 128. Quando Beneficium simplex habet onus adiunctum dicendi, vel cantandi Missam in assignato Templo: Beneficiarius debet, & non debet applicare Missam pro intentione, vel obligatione talis Ecclesiæ: sed potest, & non potest alteri, accepto stipendio, applicare. ib.
129. Si omninò non constat de voluntate petentis Missam circa eius fructus applicationem: debet, & non debet præsumi voluisse sibi soli applicari. p.158
130. Beneficia Cusata inducunt, & non inducunt obligationem dicendi pro aliis Missam. ibid.
131. Quando Capellaniæ fundator præscripsit, vt Capellanus tot Missas celebret: debet, & non debet necessariò eas per semetipsum celebrare. 159
132. Capellanus, qui sine iusta causa mutauit locum designatum à fundatore ad celebrandam Missam, tenetur, & non tenetur ad restitutionem. ibid.
133. Capellanus, qui tenetur celebrare quotidie potest, & non potest singulis hebdomadis vnam & alteram Missam omittere. ibid.
Cap. 26. *Circa Missæ stipendium.* p.160
Prob. 134. Sacerdos diues potest, & non potest stipendia pro Missis accipere. ib.
135. Episcopus potest, & non potest, ita taxare Missarum stipendium, vt nec maius dari, nec minus accipi possit. ib.
136. Æqualitas stipendij iusti sumenda est, & sumenda non est ex congrua Sacerdotis sustentatione. p.161
137. Possunt, & non possunt accipi pro vnâ Missâ plura iusta stipendia. ib.
138. Sacerdos pauper potest, & non potest pro vna Missa plura iusta stipendia recipere. p.162
139. Sacerdos potest, & non potest vnius Missæ duplex stipendium iustum accipere, quoties applicat vni fructum medium, & alij suum fructum specialissimum ibid.
140. Sacerdos potest, & non potest vni satisfactionem Missę alteri impetrationem applicare, vt vnica Missa duplici promissioni vel stipendio satisfaciat. ib.
141. Quando dantur pro Missæ celebratione stipendia minora iusto, potest, & non potest Sacerdos, pro vna Missa plura accipere. 163
142. Sacerdos pro Missa diei festi potest, & non potest duplum stipendium accipere. ib.
143. Religiosi suorum priuilegiorum vi possunt, & non possunt, pro vnica Missa pluribus stipendiis satisfacere, vel maius stipendium exigere: quia Papa potest, & non potest huiusmodi impendere priuilegium. 164.
144. Qui pinguiora recepit pro Missis stipendia, potest, & non potest aliis dare tenuiora. ibid.
145. Sacerdos, cui interdum offertur mânuale stipendium maius solito pro Missis, quas ipse celebrare posset, si velit tamen aliquas aliis Sacerdotibus commendare: debet, & non debet illis integrum stipendium exhibere sub lethali peccato. 165
146. Decretum Concil. Trident. circa Missarum reductionem loquitur, & non loquitur de Missis in fundatione Ecclesiæ, Capellæ, Beneficij, seu Capellaniæ positis ibid.
147. Tridentini decretum circa Missarum redu

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.

reductionem extenditur, & non extenditur ad Missas dotationum post Concilium relictas. ibid.
148. Possunt, & non possunt Episcopi sine Synodo Missas, de quibus Concilium loquitur, reducere. p. 166
149. Secluso priuilegio, aliquandò Sacerdos sæcularis, vel Superior Regularis potest, & non potest Missas ad minorem reducere numerum. ibid.
Cap. 7. *Circa necessarium Missæ Ministrum.* p. 167
150. Sufficit, & non sufficit vnus Missæ Minister. ibid.
151. Præceptum adhibendi saltem vnum Ministrum ad Missam celebrandam habetur, & non habetur ex Iure. ibid.
152. Licet, & non licet, aliquando sine Ministro celebrare. ibid.
153. Diebus Dominicis, ac Festis si Sacerdos non possit audire Missam, nec habeat Ministrum, licet ei, & non licet sine Ministro celebrare. p. 168
154. Cum adest vir, qui ministrare queat, sed nesciat respondere, aut mutus sit: viro ministrante vrceolos, v.g. & librum mutante, fœmina poterit, & non poterit respondere. ibid.

LIBER XXII.

Extrema-Vnctio.

SECTIO PRIMA.

De Sacramento Extremæ-Vnctionis receptiores sine lite sententiæ. pag. 169

Cap. 1. *De Nomine, Institutione, ac Naturâ Extremæ-Vnctionis.* ibid.
C. 2. *De Materiâ Extremæ-Vnctionis.* ibid.
C. 3. *De Sacramenti Extremæ-Vnctionis Formâ.* p. 170
C. 4. *De huius Sacramenti Ministro.* p. 171
C. 5. *De suscipiente Extremam-Vnctionem.* p. 172
C. 6. *De Extremæ-Vnctionis Effectibus, & Ritu.* p. 173

SECTIO SECVNDA.

De Extrema-Vnctione Problemata. p. 173

C. 7. *Circa Extremæ-Vnctionis institutionem, & necessitatem.* ibid.
Prob. 1. Sacramentum Extremæ-Vnctionis fuit, & non fuit immediatè à Christo Domino institutum. ibid.
2. Vnctio illa, qua vtebantur Apostoli *Marc. 6.* ad ægrorum sanitatem, fuit, & non fuit verum Extremæ-Vnctionis Sacramentum. p. 174
3. Constat certò, & certò non constat de tempore, quo hoc Sacramentum fuerit institutum. ibid.
4. Est, & non est præceptum recipiendi hoc Sacramentum. p. 175
5. Peccatum est, & peccatum non est, hoc Sacramentum recipere nolle. ibid.
6. Infirmus tenetur, & non tenetur, prius suscipere Viaticum, quam Extremam-Vnctionem. ibid.
7. Cum vitæ periculo, v.g. tempore pestis, Parochus tenetur, & non tenetur hoc Sacramentum infectis ministrare. 176
Cap. 5. *Circa Materiam, & Formam Extremæ-Vnctionis.* ibid.
8. Necessarium est, & necessarium non est, vt oleum sit ab Episcopo benedictum Sacrament. ex necessitate. ibid.
9. Ex Pontificis commissione potest, & non potest simplex Sacerdos hoc oleum benedicere. 177
10. Oleo infirmorum deficiente, posset, & non posset Parochus, Sacramentum hoc cum Chrismate ministrare. ibid.
11. Minor pars olei non benedicti cum benedicto admixto, præbet, & non præbet sufficientem pro Extrema-Vnctione ministranda, materiam, licèt sæpè admixtio iteretur. ibid.
12. Est, & non est de necessitate gravis præcepti, quod oleum sit eo anno benedictum. p. 178
13. Vna sacri olei gutta sufficit, & non sufficit, ad ministrandum hoc Sacramentum. ib.
14. Est, & non est de Sacramenti necessitate, vt Vnctiones in Crucis formam fiant. ib.
15. Est, & non est de necessitate præcepti, quod iniunctio ex forma Crucis perficiatur. p. 179
16. De necessiate præcepti est, & non est de necessitate præcepti, quod inunctio hæc fiat immediata Sacerdotis manu. ibid.
17. Verba illa: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, sunt, & non sunt de Sacramenti, aut præcepti necessitate ad huius Sacramenti Formam. ibid.
18. Si quis omitteret illam particulam Formæ: *Et suam piissimam misericordiam*, conficeret, & non conficeret validè Sacramentum. 180

19. Sacramentum validè conficit, & non conficit validè Sacramentum, qui verba illa omiserit: *Per visum, per auditum*, &c. ib.
20. De necessitate huius Sacramenti est, & non est, vt eius forma modo deprecatiuo proferatur. ibid.
21. Forma, qua ad Vnctionis Sacramentum nunc Ecclesia vtitur, est, & non est de Sacramenti necessitate. 181
Cap. 9. *Circa Extremæ-Vnctionis subiectum.* ibid.
22. Infantes sunt, & non sunt huius Sacramenti capaces. ibid.
23. Potest, & non potest conferri hoc Sacramentum pueris, de quorum rationis vsu dubitatur. 182
24. Pueris, qui annos discretionis attigerint, etiam ob ætatis defectum Eucharistiæ recipiendæ incapacibus: est, & non est hoc Sacramentum ministrandum. ib.
25. Infirmus qui sufficienti vsu rationis præditus nunquam deliquit actualiter, est, & non est huius capax Sacramenti. ib.
26. Adultus mox post Baptismum acceptum lethali morbo corripitur: potest, & non potest, ei hoc Sacramentum ministrari. 183
27. Dei paræ *fuit*, & non fuit Extremę-vnctionis Sacramentum ministratum. ib.
28. Necesse est, & necesse non est, hominem pollere actuali vsu rationis, quando hoc est Sacramentum susceperturus. 184
29. Amentes à Natiuitate, ac perpetuò furiosi sunt, & non sunt huius capaces Sacramenti. ib.
30. Qui capitali supplicio sunt addicendi, sunt, & non sunt hoc Sacramento muniendi. ib.
31. Necessarium est, & non est necessarium, vt Sacramentum susceperturus, in eo infirmitatis existat statu, vt grauiter ad mortem laborare videatur, ad validitatem Sacramenti. 185
32. Fœminæ in partu deficienti ministrandum est & ministrandum nō est Extremæ- Vnctionis Sacramentum. ib.
33. Dari potest, & dari non potest Extrema-Vnctio lethaliter vulneratis, morsu Viperarum læsis, &c. ib.
34 Ægritudine quis repentina affectus iam sine Confessione præuiâ, quia sensibus destitutus est, vitam agit: Huic potest, & non potest hoc ministrari Sacramentum. 186
35. De necessitate huius Sacramenti est & non est, quod septem exponantur vnctiones. ibid.
36. Necessariæ sunt, & necessariæ non sunt ad Sacramenti valorem quinque sensuum inunctiones. ibid.
37. Cœci à natiuitate, aut manibus mutilati, debent, & non debent in organo oculorum, & in loco propinquiori manibus abscissis mungi. 187
Cap. 10. *Circa Sacramenti Extremæ-Vnctionis Ministrum.* ibid.
38. Potest, & non potest quilibet Sacerdos etiam Regularis absente Parocho, & absque eius licentia hoc Sacramentum ministrare. ibid.
39. Parochus proprius præsens est, sed non vult iniquus hoc Sacramentum egenti ægroto administrare, nec licentiam exhibere: Potest tunc, & non potest quilibet Sacerdos sæcularis, vel Religiosus, adhuc Parocho repugnante, id munus exercere. 188
40. Æger in mortis periculo constitutus non potest aliud Sacramentum recipere, Parochus autem tunc temporis est excommunicatus denunciatus: Potest tunc, & non potest Vnctionem ministrare. ibid.
41. Hoc Sacramentum licitè & validè potest. Et licitè & validè non potest à pluribus Ministris confiteri. ibid.
42. Peccat, & non peccat mortaliter Parochus, qui vt Vnctionem conferat, expectat, vt æger, vel vsu rationis careat, vel non posse naturaliter viuere. 189
43. Episcopus hoc Sacramentum ministrans, debet, & non debet vti Chrismate, non Oleo. ibid.
Cap. 11. *Circa Sacramenti Extremæ-Vnctionis Effectus.* 190
Prob. 44. Est, & non est proprius huius Sacramenti effectus venialium peccatorum remissio. ibid.
45. Est, & non est proprius, & primarius huius Sacramenti effectus, tollere peccatorum reliquias. 191
46. Datur, & non datur per primam vnctionem & formam per se totus gratiæ effectus. ibid.
47. Datur, & non datur totalis gratiæ effectus per omnes vnctiones. 192
48. Datur, & non datur effectus vsque ad vltimam Vnctionem ex Ministri intentione. 193
49. Datur, & non datur effectus huius Sacramenti sine omnibus Vnctionibus, si ægrotus vnam tantum, morte oppressus, accipiat, cum Minister non intendit aliter quam communi modo conferre Sacramentum. ibid.
50. Datur, & non datur gratiæ effectus sine omnibus vnctionibus, morte præoccupante reliquias in prima, aut secunda, si minister intendat perficere in vna aut altera Sacramentum. p. 194
51. Hoc

F. ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
F. IV.

51. Hoc Sacramentum tribuit, & non tribuit corporis sanitatem, vbi saluti animæ, expedierit. ibid.
Cap. 12. *Circa Sacramenti Extremæ-Vnctionis ritus.* p. 195
52. In diuturna ægritudine potest infirmus, & non potest bis hoc Sacramentum recipere. ibid.
53. Sacerdos potest, & non potest sine ministro, qui respondeat, Vnctionem gerere nisi in necessitate. 196
54. Potest, & non potest fœmina, si vir non adsit qui respondeat, conferenti Vnctionem ministrare, seu respondere. ibid.
55. Peccat, & non peccat, qui sine lumine hoc Sacramentum adducit ad ęgros, aut ministretur reis. ibid.
56. Mortale est, & mortale non est, prætermittere siue causa vrgenti septem Psalmos pœnitentiales, quos post Vnctionem recitandos præscribit Ecclesia. 197
57. Delinquit, & non delinquit mortaliter, qui Vnctionem administrat, haud indutus vestibus ab Ecclesia præscriptis. ibid.
58. Sufficit, & non sufficit recipienti vnctionem attritio vt talis cognita. ibid.
59. Parochus sacrum Extremæ-Vnctionis oleum domi custodiens, vt commodius ex ea ad ægrotos noctu referat, delinquit mortaliter, & mortaliter non delinquit. 198
60. Licet, & non licet Parocho sacrum infirmorum oleum laicis exhibere, vt ipsi ægrotos vngant, sicque illi resumant sanitatem. ibid.

LIBER XXIII.

Ordo.

SECTIO PRIMA.

De Sacramento Ordinis Receptiores sme lite sententiæ. p. 199

CAP. 1. *De Essentia, Institutione, ac Numero Sacramenti Ordinis.* ibid.
C. 2. *De Materia ac Forma huius Sacramenti, de singulorúmque Ordinis Officiis.* 200
C. 3. *De Ordinis Ministro.* 202
C. 4. *de Sacramenti Ordinis Subiecto.* 204
C. 5. *De Ordinis Effectibus.* 207
C. 6. *De tempore, quo sint Ordines conferendi.* ibid.

SECTIO SECVNDA.

De Ordinis Sacramento Problemata. p. 208

C. 7. *Circa naturam, quidditatem, ac numerum Ordinum.* ibid.
Prob. 1. Prima Tonsura est, & non est verus Ordo Ecclesiasticus. ib.
2. Quatuor minores Ordines sunt, & non sunt vera Ecclesiæ Sacramenta. 209
3. Diaconatus est, & non est verum nouæ Legis Sacrameutum. ib.
4. Subdiaconatus est, & non est verum nouæ Legis Sacramentum. 210
5. Episcopatus est, & non est Ordo Ecclesiasticus. ib.
6. Ordinatio Episcopi est, & non est nouę Legis Sacramentum. ib.
7. In Episcopi Ordinatione infunditur, & non infunditur nouus Character à Sacerdotali Charactere distinctus. p. 211
8. Qui Sacerdotio non fungitur, potest & non potest in Episcopum consecrari. ib.
9. Cardinalatus est, & non est verus Ecclesiæ Ordo. 212
C. 8. *Circa omnium Ordinum in particulari Institutionem.* ib.
Prob. 10. Prima Tonsura constat, & non constat propria materia, & forma. ib.
11. Valida est, & valida non est Tonsurę collatio, si nec Episcopus abscindens comam, nec tonsurandus illa verba proferrent: *Dominus pars, &c.* ib.
12. Fuerunt, & non fuerunt omnes septem Ordines sigillatim, & in particulari à Christo Domino instituti. 213
13. Clerici minorum Ordinum peccant, & non pecant mortaliter, in mortali sua munia exercendo. ib.
15. Diaconus, & Subdiaconus delinquunt, & non delinquunt venialiter ministrantes solemniter in mortali. 214
16. Ostiarius, Acolytus, aut alius Minister inferior indutus Dalmatica, & Manipulo Epistolam in Missa solemni cantat: Hic incurrit, & non incurrit irregularitatem. ibid.
17. Peccat, & non peccat mortaliter Diaconus prædicans in mortali occulto. 215
18. Peccant, & non peccant mortaliter Episcopus, aut Sacerdos conficientes sacramẽtalia, dum in mortali existunt. ibid.
19. Episcopus consecrans, Chrisma, vel Oleum infirmorum, dùm in mortali versatur, peccat, & non peccat lethaliter. ibid.
20. Peccat, & non peccat mortaliter Episcopus minores Ordines conferens in mortali. ibid.

Cap.9. *Circa omnium Ordinum in particulari Materiam & Formam.* 216
*Prob.*21. Est,& non est materia Episcopatus sola impositio manuum trium Episcoporum supra caput illius, qui est consecrandus. ibid.
22. Ad Episcopi ordinationem requiruntur, & non requiruntur tres Episcopi ex præcepto diuino,& Sacramenti necessitate. ib.
23. Est,& non est materia proxima totalis Ordinis Presbyteratus traditio Calicis cum vino & Patenæ cum Hostiâ. 217
24. Impositio manuum Episcopi super caput Ordinandi est,& non est Ordinis Presbyteratus essentialis partialis materia. 218
25. Est, & non est vtraque materia Calicis cum vino,& Patenæ cum pane de necessitate Presbyteratus, & non solùm necessitate præcepti, sed & Sacramenti necessitate. ibid.
26. Materia proxima totalis Diaconatus est, & non est sola libri Euangeliorum traditio. 219
27. Materia proxima totalis in ordinatione Subdiaconi est, & non est libri Epistolarum traditio. ibid.
28. Materia proxima adæquata Acolytatus est,& non est sola traditio Candelabri cum cereo extincto. 220
29. Est,& non est valida Lectoris, vel Exorcistæ Ordinatio, si fiat per traditionem libri Euangeliorum, in quo Prophetiæ aut Exorcismi non contineantur. ib.
30. Proxima Ostiariatus adæquata materia est,& non est Clauium traditio. 221
31. Ad valorem singularum ordinationum requiritur,& non requiritur ex parte ordinandi contactus physicus rei, cuius traditione ordinatur. ibid.
32. Est, & non est Sacramentum nullum, si contactus simul non sit cum verborum prolatione. ibid.
33. Sacerdos in ordinatione tetigit Calicem & Patenam,sed non Hostiam: Est & non est sub conditione Ordo ille repetendus. 222
C. 10. *Circa Ordinis Ministrum tam Ordinarium,quàm à Pontifice Delegatum.* p.223
*Prob.*34. Episcopus hæreticus, excommunicatus,vel degradatus potest, & non potest validè Ordines conferre. ibid.
35. Episcopus ordinatus per saltum,verb.gr. Ordines minores non accipiens, potest, & non potest, validè alijs hosce Ordines conferre. ibid.
36. Antè Ordinationes inquit Episcopus: *Non intendo Ordinare excommunicatum,irregularem, &c.* Si quis excommunicatus, aut irregularis, &c. ad Ordines accedat, manet,& non manet Ordinatus. ib.
37. Cardinales Presbyteri possunt, & non possunt, suis familiaribus primam Tonsuram, aut Ordines minores conferre ex priuilegio vel consuetudine. 224
38. Parochi, Ministri, Priores, Guardiani, Præpositi, Rectores, &c. possunt, & non possunt suis subditis primam Tonsuram ministrare. ibid.
39. Omnes mitrati Abbates possunt, & non possunt suis subditis secularibus minores Ordines ministrare post Tridentinum. 225
40. Abbates, qui suis subditis Regularibus minores Ordines valent conferre: possunt, & non possunt eos suis Nouitiis ministrare. ibid.
41. Possunt, & non possunt Abbates hi, Regulares alterius Ordinis minoribus Ordinibus initiare. p.226
42. Abbates mitrati hi possunt,& non possunt Clericos Sæculares Ordinibus minoribus initiare,etsi habeant Dimissorias. ib.
43. Potest,& non potest ex Pontificis priuilegio quilibet Ordinatus aliis eundem Ordinem conferre, quo ipse est initiatus. ib.
44. Ex delegatione Pontificis simplex Sacerdos potest,& non potest Ordines minores, Subdiaconatum, & Diaconatum conferre. 227
45. Ex delegatione Pontificis potest, & non potest simplex Sacerdos Presbyteratus Ordinem impertire. ibid.
46. Potest, & non potest Episcopus facultatem Ordinandi, aut saltem primam Tonsuram impertiendi Parocho, aut simplici Sacerdoti concedere. 228
C.11. *Circa Sacramenti Ordinis subiectum.* ib.
*Prob.*47. Ex Pontificis dispensatione fœminæ possunt,& non possunt prima Tonsura, & minoribus Ordinibus initiari. ib.
48. Hermaphroditus, in quo prævalet sexus virilis, potest & non potest sine Pontificis dispensatione Ordinibus initiari. 229
49. Fœmina, prorumpente ipsa natura, transiit in virum: Hęc potest,& non potest ad Ordines licitè admitti. ib.
50. Infantes ante rationis vsum sunt, & non sunt Minorum,ac Maiorum Ordinum capaces. 230
51. Episcopatus potest, & non potest validè infanti antè vsum rationis conferre. ib.
52. Peccaret, & non peccaret lethaliter Episcopus, qui puerum ante rationis vsum ad Minores Ordines, aut ad primam Tonsuram assumeret. ib.
C.12. *Circa Ordinandorum Ætatem.* 231
*Prob.*53. Sufficit & non sufficit ætas septennij ad minores Ordines suscipiendos. ib.
54. Religiosi Mendicantes modo retinent, & non

E. COBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
F. IV.

non retinent priuilegium, quo valeant ante ætatem à Tridentino præscriptam maioribus Ordinibus initiari. ib.
55. Ad Ordinum legitimam susceptionem sufficit, & non sufficit annum præscriptum esse inchoatum per exiguum temporis spatium. 232
56. Complet quis requisitam à Concilio ætatem Sabbatho post meridiem: Hic potest, & non potest eadem die manè sacris Ordinibus initiari. ib.
57. Qui ante legitimam ætatem initiatus Sacerdotio, suspensus manet: incurrit, & non incurrit, præfatam suspensionem non solùm ab executione Sacerdotij, sed etiam ab aliorum Ordinum anteà susceptorum executione. 233
58. Quis bona fide ob aliorum testimonium, vel cum ignorantiâ vincibili non affectata Ordinem sacrum ante legitimam suscepit ætatem: Hic incurrit, & non incurrit suspensionem, & celebrando irregularitatem. ibid.
59. Bona fide quis ante ætatem legitimam iniit Sacerdotium; postmodum verò aduenientè malâ fide, ante vigesimum quintum annum celebrare. Hic incurrit & non incurrit irregularitatem: peccat, & non peccat lethaliter. p.234
60. Malâ fide quis ordinatur ante ætatem legitimam, & incurrit suspensionem: Hic quidem ætate completâ potest, & non potest sine dispensatione susceptum Ordinem exercere. ibid.
61. Potest, & non potest Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ absoluere à suspensione incursa per receptionem Ordinis ante legitimam ætatem. ibid.
62. Ante ætatem legitimam Petrus suscipit Sacerdotium, Ioannes Diaconatum, Antonius Subdiaconatum, & ideò suspensionem incurrunt: Petrus celebrans cum Episcopo ad Ordinem suscipiendum, Ioannes Euangelium canens, & Antonius Epistolam, incurrunt, & non incurrunt etiam Irregularitatem. p.235
63. In supputanda Ordinandorum ætate dies bissextilis est, & non est enumerandus. ibid.
C.13. *Circa Ordinandorum scientiam.* 236
64. Defectus scientiæ ad Ordines requisitæ facit, & non facit ordinandum irregularem esse, itaut nec ordinari possit, nec in recepto Ordine ministrare. ib.
65. Episcopus potest, Et non potest licitè admittere ad Ordines eum, qui linguam Latinam non benè callet, sed est bona indole præditus, vnde speratur, vt postmodum necessaria ediscat ibid.
66. Regularis potest, & non potest cumminori scientiâ, quàm secularis, Ordinibus initiari. ibid.
67. Regulares Ordinibus initiandi ab Episcopis, non à Prælatis: à Prælatis suis, non ab Episcopis debent examinari. 237
68. Quis ad Presbyteratum est admittendus, debet, & non debet tanta scientia pollere, quanta est ad Confessiones audiendas necessaria. ibid.
Cap. 14. *Circà Ordinandorum Intentionem.* p.238.
Prob. 69. Est, & non est peccatum mortale, quem prima initiari Tonsura, & minoribus Ordinibus, sine intentione ad alios Ordines ascendendi. ibid.
70. Peccat, & non peccat lethaliter qui primam Tonsuram, & Ordines minores suscipit solùm animo euadendi sæculare iudicium. ibid.
71. Peccatum est, & peccatum non est minoribus Ordinibus initiatos Matrimonium inire. p.239
Cap. 15. *Circa ordinandorum ad proprium Episcopum subiectione.* ibid.
72. Episcopus impertiens primam Tonsuram alterius subdito incurrit, & non incurrit pœnam suspensionis latæ in Cap. *Eo qui.* ibid.
73. Potest, & non potest Episcopus extra propriam Diœcesim suis subditis Ordines impendere, Consensu proprij Episcopi non petito. p.240
74. Potest quis, & non potest Ordinibus initiari ab Episcopo, in cuius Diœcesi fortuitò est natus. ibid.
75. Patris origo sub aliquo Episcopo, est, & non est sufficiens, vt eius filius alibi natus ab eo possit Ordines suscipere. ib.
76. Aui origo sufficit, & non sufficit, vt Nepos ab Episcopo loci illius possit Ordinibus initiari. 241
77. Petens quis dispensationem ad Ordines suscipiendum narrat se oriundum esse ex Vrbe Burgensi, cum tamen sit Vallisoleto ortus, sed pater eius ortus erat Burgis: In hoc casu literæ Apostolicæ censentur, & non censentur esse subreptitiæ. ibid.
78. Potest, & non potest quis Ordines suscipere ab Episcopo, in cuius Diœcesi Beneficium simplex, non residētiale obtinet. 242
80. Potest quis, & non potest ad titulum Beneficij valdè tenuis Ordinibus initiari. ib.
81. Qui obtinet duos, vel tria Beneficia sub diuersis Diœcesibus, potest, & non potest à quolibet illarum Antistite ad Ordines admitti. ib.
82. Antonius non habet sub Diœcesi Vallisoletana Beneficium, sed Episcopus Vallisole

soletanus optans illum ad Ordines promouere, ei beneficium confert: Potest Antonius, & non potest, ad huius Beneficij titulum Ordines suscipere. 243

83. Satisfacit, & non satisfacit Episcopus Oneri triennali familiari conferendi *statim* Beneficium, conferendo illud cùm primum vacauerit. ibid.

84. Potest, & non potest Episcopus ad titulum patrimonij, vel Pensionis suum triennalem familiarem Ordinibus initiare pro suæ Ecclesiæ vtilitate vel necessitate. ib.

85. Licet, & non licet Episcopo suis subditis conferre primam Tonsuram sine Episcopi Diœcesani licentia in priuato Oratorio. 244

86. Episcopus Ordines conferens sine Dimissoriis alieno, est, & non est per annum non solùm ab Ordinum collatione, quos malè contulit, suspensus; sed ab omnium Ordinum collatione. ibid.

87. Licet, & non licet Episcopo Ordinibus initiare subditum alterius cum ratihabitionis spe. 245

Cap. 16. *Circa qualitatem, & quantitatem Beneficij aut patrimonij ad Ordines requisita.* ibid.

88. Potest *quis*, & non potest ad Sacros Ordines admitti sine sufficienti Beneficio aut patrimonio, cum sola fideiussione alimentorum. ibid.

89. Incurrit, Et non incurrit suspensionem, qui ad sacros Ordines promouetur, cum Beneficio aut patrimonio ficto. p. 246.

90. Ordine sacro initiatur quis titulo patrimonij sub hac conditione accepto, vt post ordinationem illud largitori restituat: Hic quidem incurrit, & non incurrit, suspensionem: tenetur, & non tenetur restituere. ibid.

91. Verè quis fratri, vel propinquo donauit sufficiens patrimonium, ad cuius titulum Subdiaconatum, & Diaconatum ritè recepit: mox renunciato vltroneè patrimonio ipsi fratri aut propinquo Presbyteratum sine patrimonio alio suscepit: Hic quidem incurrit, & non incurrit suspensionem. 247

92. Potest, & non potest, ad sacros Ordines admitti filius, qui ex bonis paternis pingue patrimonium expectat, hoc tamen à patre ei in titulum assignatum nondum est. ibid.

93. Potest, & non potest quis Ordinibus sacris initiari titulo patrimonij, quod consistit in censu redimibili. ibid.

94. Acquisita aliunde congrua sustentatione, potest, & non potest Clericus sine Episcopi licentia alienare, aut renunciare patrimonium, ad cuius titulum fuit sacris initiatus. 248

95. Bona à patre assignata filio pro Sacris Ordinibus suscipiendis, succedunt, & non succedunt legitimæ loco: Et in diuisione bonorum cum aliis fratribus sunt, & non sunt annumeranda. ibid.

96. Potest quis, & non potest ad sacros Ordines promoueri titulo Beneficij certi de futuro, vel Coadiutoriæ perpetuæ cum futura successione. 249

97. Impetrat quis Beneficium, sed à Iudice sæculari eius ei possessio prohibetur. Tunc licet, & non licet Clerico ad huiusmodi Beneficij titulum sacro Ordini initiari. ibid.

98. Potest quis, & non potest sacris initiari Ordinibus ad titulum Præstimonij, aut Pensionis perpetuæ. 250

99. In sacra Theologia, vel in Iure Canonico graduatus potest, & non potest ad titulum literaturæ absque Beneficio, aut patrimonio ad sacros Ordines admitti. 251

C. 17. *Circa Literas Dimissoriales.* *ibid.*

Pr. 100. Legatus à latere potest, & non potest literas dimissoriales impertire, ad Ordines suscipiendos. ibid.

101. Præsente Episcopo potest, & non potest Vicarius generalis Dimissorias dedere. ib.

102. Prælati Regulares possunt, & non possunt suis subditis Regularibus literas dimissoriales impertire. 252

103. Prælati Regulares possunt, & non possunt suis Nouitiis literas dimissorias impertire, ad Ordines suscipiendos. p. 253.

104. Omnes exempti Abbates habent, & non habent potestatem concedendi suis subditis sæcularibus dimissorias, ad Ordines suscipiendum. ibid.

105. Cum Regularis Ordinibus initiandus affert quidem literas dimissorias Prælati Religionis, sed casu non gestat publica instrumenta præcedentium Ordinum susceptionem attestantia: potest, & non potest Episcopus ei Ordinem, ad quem suscipiendum mittitur, denegare. ib.

106. Literæ dimissoriæ expirant, & non expirant concedentis obitu, aut ab Officio cessatione. p. 254

C. 18. *Circa Tempora Ordinationum.* *ibid.*

Prob. 107. Minores Ordines possunt, & non possunt, quacunque die etiam feriata conferri. ib.

108. Dies festiui, in quibus minores Ordines conferri possunt, debent, & non debent necessariò esse festiui de præcepto. p. 255

109. Potest, & non potest Episcopus diebus Dominicis, vel festis minores Ordines pluribus quã duobus, vel tribus impertire. ib.

F. SCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
F. IV.

Index Capitum, & Problematum

111. Licet,& non licet Episcopo post prandium minores Ordines impertire. p.256

112. Potest, & non potest Episcopus maiores Ordines exhibere mane diei Dominicę post generalem in Sabbatho factam ordinationem. ibid.

113. Episcopus in missa Sabbathi ablutionem sumpsit, poterit ex causa & non poterit in sequente Dominica minores Ordines conferre. ibid.

114. Vt qui die Sabbathi sacerdotium suscepit,die Dominica immediata possit suscipere Episcopatum, necessarium est, & necessarium non est sabbathi Ieiunium continuari. p.257

115. Licet, & non licet Episcopo eâdem die primam Tonsuram & omnes minores Ordines eidem impertire. ibid.

116. In Hispania,& Germaniâ est consuetudo initiandi eundem eâdem die iusta ex causâ tam minoribus Ordinibus quàm Subdiaconatu : Hæc consuetudo est, & non est laudabilis,ac retinenda. 258

117. Qui duos Sacros Ordines in vna die recipit, incurrit, & non incurrit ipso facto suspensionem. ibid.

Cap. 19. *Circa Ordinum Interstitia seruanda.* ibid.

118. In Ordinum minorum receptione sunt, & non sunt Interstitia requisita. p.259

119. Qui ordinibus initiatur,Interstitiis non seruatis,incurrit,& non incurrit suspensionem. ibid.

120. Capitulum, Sede vacante, vel eius Vicarius potest, & non potest cum suis subditis in interstitiis dispensare. ibid.

121. Prælati Regulares,nempè Generales, vel Prouinciales possunt, & non possunt in interstitiis cum subditis dispensare ex iure. p.260

122. Regulares omnes possunt, & non possunt ex priuilegio vbique extra tempora à Iure statuta Ordinibus initiari. ibid.

129. Regulares possunt,& non possunt quibusuis Ordinibus initiari in diebus, quibus festum de Sancto Semiduplici celebratur. p.261

124. Regulares vi suorum priuilegiorum possunt, & non possunt Sacris initiari quacumque die, inquit Ecclesia officium duplex celebrare etiam, si ex præcepto festiuo non sit. ibid.

Cap.20. *Circa sacrorum Ministrorum Obligationes.* p.262

125. Obligatio, quam Subdiaconi contrahunt ad continentiam seruandam, est, & non est ex meta Ecclesiæ constitutione. ibid.

126. Initiatur quis Subdiaconatu cùm aliquo substantiali defectu; vel ex parte materiæ, vel formæ,vel intentionis:&c. Hic obligatus manet, & non manet obligatus ad seruandam continentiam. ibid.

127. Quis per vim, vel metum iniustum cadentem in constantem virum Ordines Sacros suscipit : Hic quidem tenetur, & non tenetur continentiæ lege. 163

128. Tenetur & non tenetur continentiæ lege,qui post vsum rationis,aut pubertatem, Sacris fuit initiatus. ibid.

129. Clerici, qui Tonsuram gestare tenentur, peccant, & non peccant lethaliter, eam non gestando. p.264

R. P.

R. P. ANTONII

DE ESCOBAR

ET MENDOZA,

VALLISOLETANI,

Societatis IESV,

VNIVERSÆ THEOLOGIÆ MORALIS RECEPTIORES ABSQVE LITE

sententiæ, necnon problematicæ Disceptationes.

LIBER XIX.

IVBILÆVM.

QVi volumine primo pluries de Iubilæo Problemata exposui, cùm de Bulla Cruciatæ Sermonem gessi: quique non pauca circa eandem materiam cùm de Indulgentiis scriberem, prælibaui: leui calamo hanc tractationem præstringere operæ pretium duxi, nè rememorare cogar, quæ iam semel fuerint indicata.

SECTIO PRIMA.

De Iubilæo receptiores sine pugna sententiæ.

CAPVT I.

De natura, ac origine Iubilæi.

1 Iubilæi nomen & origo.

NOMEN *Iubilæum* Hebræis significauit quinquagesimum remissionis annum. *Num. vltim. Leuit.* 25. & 27. Illo enim anno, exules in patriam, ac in pristinam libertatem recurrebant, prædia diuendita ad antiquos possessores reuertebantur, relaxabantur delicta, serui donabantur libertate. *Leuit.* 15. Hinc vox, *Iubilæi*, seu *Iobilæi* ad tempus gratiæ, significandum transtulit Isaias *cap.* 6. Cæterùm deriuata est, ad significandam remissionem, quæ primum anno centesimo, postmodum quinquagesimo, tandem vigesimo quinto concessa est Romæ inuisentibus Apostolorum Petri, & Pauli limina:

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
Fol. IV.

& ex hac significatione cunctis aliis plenariis remissionibus *Iubilæi* vox accommodatur.

2 *Antiquissimus eius vsus.* A tempore Apostolorum Petri, & Pauli vsus Iubilæi incepit, adeò antiquus eius vsus reputatur. Henriq. *de Indulg. c. 15. n. 6.* Nauar. *notab. 26. num. 1.*

3 *Incertum est, quinam Pontifex primum scriptis Iubilæum expedierit.* Incertum autem est, quinam fuerit primus Pontifex, qui in scriptis Iubilæum concesserit. Quia Bonifacius VIII. qui anno 1294. floruit, Iubilæum centesimum renouauit, vt colligitur *ex Extrauag. Antiquorum, de pœnitentia, & remissione*, vt tradit Nauar. *notab. 7. n. 4.* Caiet. *tract. 15. cap. 1.* Henriq. *lib. 7. cap. 4. lit. H.* Idcóque ante Bonifacium iam concessum fuerat. Imò & scriptis mandatum. Quia Alexander III. qui anno 1162. fere centum viginti annos ante Bonifacium floruit, Bullam expediuit, in qua Compostellanæ Ecclesiæ Iubilæum, instar Romani, concedit, refértque, Calixtum secundum, Eugenium, & Anastasium Pontifices idem concessisse. Testis oculatus affirmo.

4 *Differentia inter Iubilæũ & indulgentiam.* Porrò inter Iubilæum, & Indulgentiam eam differentiam assigno, quòd Iubilæum vltra plenariam Indulgentiam, aliquas continet facultates, tùm absoluendi à reseruatis, tùm dispensandi vota, relaxandique iuramenta, & similia. Suar. *d. 50. sect. 4. numer. 2.* Nauar. *notab. 8. & 10.* Cordu. *quæst. 11.*

5 *Cauèt procedendum in publicatione Indulgentiarum.* Hinc monuerim, publicantes Indulgentias cauèt procedere debere, ne sub Iubilæi nomine Indulgentiam plenariam euulgent. Ansam enim fortassè fidelibus exhiberent credendi verum Iubilæum cum facultate absoluendi à reseruatis esse concessum: Suar. *d. 50. sect. 4. num. 8.*

CAPVT II.

De Iubilæo Romano.

6 *Qualiter Romanũ Iubileũ sit concessum.* BONIFACIVS VIII. centesimo quoque anno Romanum Iubilæum obtineri posse concessit in Extrau. *Antiquorum, de pœnit. & remiss.* At Clemens VI. in Extrau. *Vnigenitus, eodem titulo*, ad quinquagenarium reduxit. Quam formam Vrbanus VI. Martinus V. & Nicolaus V. approbarunt. Postmodum Paulus II. quem imitatus est Sixtus IV. in Extrau. *Quemadmodum, de pœnit. & remiss.* annum vigesimum quintum reduxit, sicque reliqui Pontifices confirmauerunt præcipuè Gregorius Decimustertius *in sua Const. quæ incipit Dominus, ac Redemptor noster.* Congruentias, verò eiusmodi reductionum in præfatis Extrauagantibus annotabis. Lege Nauarrum *notab. 32. & seq.* ad verbum referentem & expendentem Gregor. Constitutionem.

7 *Huiusce Iubilæi fauores.* Porrò Iubilæi huiusce hi fauores recensentur: Omnium peccatorum plenissima Indulgentia, absoluendi à reseruatis, commutandi vota, ac componendi super malè ablatis incertis illicitoue contractu acquisitis facultas. Nam licèt expressè facultas huiusmodi in præfatis Bullis non habeatur expressè: colligitur tamen satis ex suspensione, quæ habetur in Extrau. *Quemadmodum*, vbi suspenduntur facultates commutandi vota, aut super eis dispensandi: necnon super iniquè ablatis componendi, aut ea quomodolibet remittendi: itémque deputandi confessores cum potestate absoluendi à reseruatis. Quæ quidem non suspenderentur, nisi per Iubilæum essent concessæ, & illius consecutioni obstarent. Idque vsus Romanæ confirmat Ecclesiæ. Communis sic.

8 *Opus quod iniungitur, & aliis Iubilæi huiusce fauoret.* Opus verò quod iniungitur vti necessaria ad consequendum Iubilæum conditio, est visitatio Basilicæ Apostolorum per dies triginta, siue continuos siue interpolatos, si Romani, aut incolæ fuerint; si autem forenses, seu peregrini per quindecim. Cauetur tamen in hisce Bullis (& est fauoris specialis,) non impediri ab huius Iubilæi consecutione qui post iter inceptum impeditus fuerit Romam adire, vel in ea existens Ecclesiam Apostolorum inuisere. Demùm, ne fideles à tanta gratia consequenda detineantur: omnes aliæ Indulgentiæ, & facultates, quæ consequutionem huius Iubilæi retardare possunt, suspenduntur. Cæterùm circa fauores hoc in Iubilæo concessos nihil adnotarim; nam ex Lib. præcedenti constat, quemadmodum Indulgentia plenissima omnium peccatorum contineat remissionem. At qualiter potestas commutandi vota, aut super eis dispensandi, componendi malè ablata, absoluendi à reseruatis, intelligatur, ex Romanæ Curiæ vsu petendum.

9 *De iniuncto opere ex Gregorij præscripto.* Opus itaque iniunctum vberius expendo, Romani seu incolæ Basilicas Apostolorum Petri & Pauli, & Sancti Ioannis Lateranensis, & Sanctæ MARIÆ Maioris Ecclesias semel in die per triginta dies continuos, vel interpolatos deuotè, & reuerenter visitant, ac pro ipsorum, totiúsque populi Christiani salute pias ad Deum preces profundunt. Præcum formam Pontifex non describit, ideóque cuiusvis voluntati, ac deuotioni remittitur. At forenses ac peregrini quindecim visitationibus solummodò allegantur. Sic Gregorius Decimustertius in sua Bulla expressit. Vnde constat, amplius ab eo requisitum,, quàm à Bonifacio Octauo, Clemente Septimo, ac Sixto Quarto fuerat. Ab illis enim solummodo visitatio Basilicæ Apostolorum præscripta erat: ab hoc autem visitatio Ecclesiarum Sanctæ MARIÆ, ac Sancti Ioannis adiicitur: & insuper vt in singulis piæ preces ad Dominum profundantur ad minus semel in die.

10 *Debent quotidie Ecclesias illa visitari.* Nam satisfacit huic obligationi, qui vnam ex præfatis Ecclesiis aliquo die inuisendam omittit. Si die sequenti eam bis inuisat? Minimè; quia expressa Bullæ conditio est quotidiana illa Ecclesiarum visitatio. Nauar. *notab. 32. n. 41.*

11 *Quinam nomine Romanorum intelligendi?* Quinam *Romanorum* nomine intelliguntur? Non quidem qui domicilium propriè Romæ obtinent; sed illi qui ad longum tempus, nempè per annum, Romæ commorantur, esto animum non habeant, inibi perpetuò manendi, imò potius voluntatem recedendi gerant. Nauar. *notab. 32. n. 46.*

12 *Quinam Forensium appellatione?* Quinam verò *Forensium* appellatione designantur? Forenses seu peregrini, qui licèt à Româ originarij sint, ibi tamen ad breue tempus habitant, sunt vocitandi. Quia exigua illa apud Vrbem commoratio non est sufficiens, vt quis Romanus dici possit, prudentis arbitrio.

Roma

13 Romani, igitur verè pœnitentes & confessi per triginta continuos dies, siue interpolatos visitantes præfatas quatuor Ecclesias semel in die: & aduenæ seu peregrini per quindecim, plenissimam consequuntur indulgentiam. Quid si iterum, & iterum hoc opus iniunctum repetatur? Toties sanè eandem indulgentiam illi consequentur. Nauar. *notab.* 32. *num.* 46. Et ex Bullis euidenter constat.

Romam sit triginta continuos dies visitandum ad lucrandum Iubilæi confectionem?

14 Verùm non quælibet Indulgentiæ, sed solùm plenariæ, (etiam ad instar Iubilæi concessæ à sede Apostolicâ, vel illius authoritate) suspenduntur. Constat ex Extrauag. *Quemadmodum*, & ex Bulla Gregorij Decimitertij quæ incipit, *Quoniam sancti Iubilæi*, quam ad verbum refert Nauar. *notab.* 33. Igitur omnes indulgentiæ plenariæ præter eas quæ Romæ obtinentur, suspenduntur; omnes, inquam, Indulgentiæ plenariæ in fauorem viuorum concessæ. Quia hæ obstare possunt Iubilæi concessioni. Secus verò plenariæ Indulgentiæ, quæ per modum suffragij possunt vita functis applicari. Quia harum consecutio Iubilæi consecutionem minimè retardat. Laym. *lib.* 5. *tract.* 7. *cap. vlt. in principio.*

Indulgentiæ plenariæ suspenduntur tempore Iubilæi viuentibus.

15 Attamen ab hac generali exceptione Compostellanum Iubilæum excipitur ex Breui quodam Sixti V. dato Romæ die 15. Aprilis anno 1589. qui in Ecclesia Compostellana habetur.

Iubilæum plenarium Compostellæ.

16 Suspenduntur præterea omnes facultates & indulta quæcunque, causa quærendæ indulgentiæ plenariæ concessa: qualia reputantur illa tantùm, *quorum fit mentio in Extrauag. Quemadmodum.* Scilicet facultas eligendi Confessarium cum potestate absoluendi à reseruatis, Censuris, & aliis pœnis, commutandi vota, vel in eis dispensandi, remittendi, seu componendi malè ablata. Quia hæc frequenter concedi assolent gratia Iubilæi consequendi, & moraliter necessaria sunt ad illius commodam consecutionem. Castro Pal. *tom.* 4. *tractat.* 24. *p.* 12. §. 1. *numero* 9.

Suspenduntur omnes facultates, & indulta quæcunque, causa quærendæ indulgentiæ plenariæ concessa.

17 Vndè facultates eligendi Confessarium absque illa facultate absoluendi à reseruatis non suspenduntur. Neque item quæ cum illa qualitate habentur, modo non sint à Pontifice, vel eius authoritate concessæ: sed concessæ sint Episcopis, aliisque Prælatis authoritate Ordinaria vtentibus. Nec suspenduntur facultates remittendi, vel componendi incerta, si malè ablata non sint. Nec aliæ facultates, & indulta edendi oua ac lacticinia tempore Quadragesimæ, celebrandi in Altari portatili extra Ecclesiam, vel tempore interdicti, & similia. Nauar. *notab.* 28. *per totum.*

Quænam aliæ facultates nō suspendantur?

CAPVT III.

De Compostellano Iubilæo.

18 ANno millesimo, centesimo, septuagesimo nono, septimo Kalendas Iulij Alexander Tertius Pontifex maximus Bullam expediit, quæ incipit, *Regis æterni*, in qua primùm refert, Calixtum Secundum suum prædecessorem concessisse omnibus Christi fidelib. & singulis sexus vtriusque verè pœnitentibus & confessis Ecclesiam S. Iacobi in Compostella inuisentibus, in anno, quo festum Apostoli in Dominica acciderit, à Circuncisionis vigilia ac per integrum illum annum vsque ad diem eiusdem Circuncisionis & per totum diem in fine illius anni, in diebus, quibus magis eis placuerit, visitare: Vt omnes, & singulas peccatorum indulgentias, & remissiones etiam plenarias, quas visitantes Ecclesias & Basilicas Vrbis & extra Vrbem Romæ anno Iubilæi consequebantur, cum facultate deputandi Confessores, qui ad dictam Ecclesiam pro consequendâ indulgentiâ eiusmodi confluentes etiam in casibus Apostolicæ sedi reseruatis absoluerent: ac etiam eisdem Christi fidelibus in eiusdem S. Iacobi, & Translatione corporis sui ac dedicationis eiusdem Ecclesiæ festiuitatibus, Ecclesiam præfatam à primis Vesperis vsque ad secundas, & per totum diem inclusiuè deuotè visitantibus annuatim, vt plenariam indulgentiam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, consequerentur perpetuis futuris temporibus duraturam concessisse.

Concessionis Compostellanæ Iubilæi forma.

19 Ipse adiicit Alexander. *Nos igitur ad hoc prædecessorum nostrorum S. mem. eiusdem Calixti Papæ, ac Eugenij & Anastasij vestigiis inhærentes, ad gloriam omnipotentis Dei, totiusque Religionis Christianæ augmentum, qui ipsius gloriosum Apostolum ad eius Ecclesiam Compostellanam huiusmodi deuotionis causa de diuersis mundi partibus, dimissis parentibus, amicis, liberis, patriâ, ac aliis temporalibus bonis, per mare terrámque continuè confluunt, in numero copioso: quique animarum salutem supremis desideramus affectibus, & dignis volumus honoribus frequentari: & vt ipsi Christi fideles in eadem se recognoscant Ecclesia Christi muneribus refectos, de Omnipotentis Dei misericordiâ, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, eius authoritate confisi, omnes, & singulas prædictas Indulgentias, & Iubilæum ipsum eodem modo, quo Romana Ecclesia habet, etiam se latetur Compostellana Ecclesia pro singulari Beati Iacobi deuotione tenere, anno videlicet, quo, vt præferetur, festum dicti Apostoli Iacobi in Dominica venerit, & per totum annum integrum, vt præmittitur; necnon in diebus illis, scilicet S. Iacobi, & translatione corporis sui, & dedicationis eiusdem Ecclesiæ plenariam indulgentiam annuatim consequantur, visitantes prædictam Ecclesiam, vt præfertur. Authoritate Apostolica, & ex certa scientia approbamus, roboramus, & communimus, ac perpetuæ firmitatis robur tenere in perpetuum decernimus: & insuper illas de nouo eisdem modo & forma, in omnibus, & per omnia, vt supra concessum fuit, concedimus, & indulgemus, & perpetuis volumus futuris temporibus duraturas: non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis.*

Alexandri concessio exprimitur.

20 Ex tenore Iubilæi colligo primò commorantes Compostellæ posse sicuti aduenas Iubilæum lucrari. Quia generaliter dicitur: *Omnibus, & singulis vtriusque sexus fidelibus.* Et quia hoc Iubilæum concessum est ad Romani similitudinem quod quidem non solùm exteri, sed & incolæ lucrantur. Absonum enim rationi esset, vt incolæ spirituali fructu priuarentur, quo exteri fruuntur.

Commorantes Compostellæ lucrari Iubilæum possunt.

F. ESCOBAR Theol. Mor. Tom. III. IV. Fol.

21 *Sufficit incolas semel Ecclesiam inuisere.*

Colligo secundò, cùm festum D. Iacobi incidit in Dominicam, & Iubilæum toto anno durat, incolas non teneri per dies triginta Ecclesiam inuisere, sed semel solummodo. Quia neque Calixtus, neque Alexander illam trigesimam, seu quindecimam visitationem postularunt: sed solam visitationem, quæ necessariò de vna vice debet intelligi.

22 *Qui non visitant Ecclesiã Apostoli, non lucrantur Iubilæum.*

Patet tertiò, peregrinos morte in itinere pertuentos, & Religiosos perpetuam clausuram obseruantes non posse Iubilæum lucrari. Quia non exequuntur opus iniunctum, nempè Basilicæ D. Iacobi visitationem. Scio, Iubilæum Romanum præfatis impeditis concedi: At id fuit fauor specialis à Clemente Quarto & ab aliis successoribus expressus, cuius Alexander III. non meminit.

23 *Non suspendit, sicut Romanus, gratias, & facultates.*

Elicio quartò, Iubilæum Compostellanum non suspendere, sicut Romanum, gratias, & facultates. Quia hæc suspensio non fuit annexa Romano Iubilæo tempore, quo Compostellanus concessus fuit: neque Compostellanus Romano est similis nisi in indulgentiis, ac facultatibus, non in restrictionibus.

24 *Pluries in anno potest obtineri.*

Constat quintò, hoc Iubilæum eodem anno pluries obtineri posse. Quia particula, *In diebus quibus ei placuerit* satis indicat. Cùm enim non dixerit Alexander, *In die* sed *in diebus*, tacitè innuit, pluribus diebus obtineri Indulgentiam posse.

25 *Potestas absoluendi à reseruatis extenditur ad reseruata Episcopis, ac Religionum Prælatis.*

Liquet sextò, potestatem absoluendi à reseruatis extendi ad reseruata Episcopis, ac Religionum Prælatis, nisi noua concessione fuerit limitata. Quia Alexander concedit facultatem eligendi Confessarium qui absoluat à casibus etiam Apostolicæ sedi reseruatis. Ergo à fortiori à reseruatis aliis Prælatis poterit quis absolui.

CAPVT IV.

De duarum hebdomadarum Iubilæo.

26 *Modus concessionis huiusce duarum hebdomadarum Iubilæi.*

ASSOLET Pontifex cùm Ecclesia aliqua graui persecutione vrgetur concedere iis qui processionibus ab Ordinario indictis assistunt, vel Ecclesias, aut Ecclesiam ab ipso designatam inuiserint ibique preces pro fidei exaltatione, extirpatione hæresum, Principúmque Christicolarum pace deuotè profuderint, sacrámque Eucharistiam aliqua die ex duabus assignatis hebdomadis susceperint, eleemosynámque pro cuiusque deuotione erogauerint, necnon ieiunauerint feriâ quartâ, sextâ, & Sabbatho vnius ex duabus hebdomadis, indulgentiam plenariam, sicuti in anno sancto Romani Iubilæi. At si aliquis ob infirmam valetudinem, professionem, aliamvè causam non potuerit præfata exequi: conceditur Confessario facultas, omnia, ac singula in opus pium, provt sibi visum fuerit, commutandi. Cui quidem Confessario ab Ordinario approbato delegatur potestas absoluendi ab omnibus Censuris, & pœnis à iure vel ab homine in foro conscientiæ, & à queiscúmque criminibus quantumvis grauibus, etiam in Bulla Cœnæ expressis. Necnon quælibet vota excepto voto Castitatis & Religionis, commutandi.

27 *Quæ necessaria sint ad illius lucrationem. Ecclesia inuisenda.*

Vt lucrari valeas hoc Iubilæum, necessarium tibi processioni interesse, vel Ecclesiam, seu Ecclesias designatas inuisere, & preces deuotè pro augmento fidei, hæresum extirpatione, Christicolarúmque Principum concordiâ profundere.

28 *Gerenda eleemosyna.*

Eleemosyna gerenda est, non qualem exigit tuus status (etsi id præstantius sit) sed qualem dictauerit deuotio. Sa *vers. Indulgentia, numero* 4.

29 *Ieiunio danda opera.*

Feriâ quartâ, sextâ, ac Sabbatho ieiunio debes operam dare licèt adolescens, vel sis, vel senectute gravis. Quia hoc non est præceptum, sed consilium pro concessione Indulgentiæ requisitum. Laym. *tract. 7. cap. 8. dub. 8.*

30 *Sufficit ieiunium vnius, aut communio alias debita.*

Sufficit ieiunium aliàs debitum. Quia id obtinuit consuetudo, cum sæpè videamus, hoc Iubilæum in Quatuor temporum hebdomada, & in Quadragesima publicari. Idem dixerim de Communione Paschali. Henriq. *lib. 7. cap. 10. num. 5.* Comitol. *lib. 1. quæst. moral. quæst. 38.* Laym. *lib. 5. tract. 7. cap. 8. dub. 6. num. 13.*

31 *Sacra recipienda synaxis.*

Teneris sacram Synaxim recipere primâ ex tribus quindecim dierum Dominicâ, vel alio die sequentis hebdomadæ. Non est autem necessarium, Communionem reliquis iniunctis præmittere, sed potes præmittere, vel postponere pro libito. Mihi placet, consultius esse præmittere, vt ex fructu per Communionem acquisito reliqua opera digniora existant. Scio tamen, aliis placere magis, Communionem postponendam, vt reliqua opera indicta ad sacram Communionem disponant, qua suscepta securius Indulgentia obtineatur.

32 *Sufficit, vltimum opus in gratia fieri. Consultius, præmitti Confessionem.*

Sufficit, vltimum iniunctum opus in gratia fieri. Attamen consultius curabis, vt liber à peccato lethali omnia iniuncta exequaris opera. Vndè si mortali te oneratum sentias, Confessionem præmitte, quam non solùm post Iubilæum indictum, sed antè illius indictionem vno vel altero die gerere potes iuxta receptam consuetudinem; neque teneris postmodum Confessionem repetere, si in mortale non incidas. Laym. *tract. 7. c. 8. dub. 1. n. 6.*

33 *Potest fieri commutatio voti, reseruãdo designationem naturæ subrogatæ in aliud tempus.*

Poteris Iubilæi tempore commutare vota in eam materiam, quam ipse, vel alius vir doctus postmodum iudicauerit expedire. Quia eo casu commutatio intrà tempus Iubilæi essentialiter perficitur: cùm materia commutationis saltem in genere subrogetur; tametsi in particulari, & expressè non determinetur. Viuald. *part. 3. cap. 14. num. 40.* Graff. Saïr. & alij, quos sequitur Sanch. *lib. 4. de voto. cap. 54. num. 31. & 32.*

34 *Si tempore Iubilæi vota manifestẽtur, & commutatio differatur ex causa, postmodum fieri potest.*

Si manifestata sunt vota Iubilæi tempore, dilatáque est commutatio, ob causam nempè vt Confessarius maturius consideret, &c. postmodum fieri potest. Quia ea petitione, & votorum manifestatione causa est inchoata, & iurisdictio obtenta, quam poterit Confessarius commodiori tempore exercere: Suar. *tom. 2. de Religione tractatu de voto. lib. 6. capite 16.*

35 *Facta voti cõmutatione, votum extinctum est, licèt postea à Iubilæi non lucreris.*

Facta commutatione, votum extinctum est, nec reuiuiscit. Licèt postmodum Iubilæum non lucreris. Quia potuit confessarius votum commutare ea conditione, vt commutatio vim obtineat, peractis his operibus, quæ in Iubilæo præscripsi.

scribuntur, & non aliter: at ex vi priuilegij non cogitur hoc modo commutationē facere, imò nec expedit; vndè si absolutè commutationem gessit, votum extinctum est, nec reuiuiscit. Sanch. lib.8.de Matr.disp.15.n.22. Suar.tom.2.de Relig. tract.de voto,l.6.c.16.n.9. Henriq.l.7.de Indulg. c.11.n.4.

35 *Transacto Iubilæi tempore, nequeunt vota commutari, nec ea commutanda, qui Iubilæum non est consecutus.*

At ei, qui Iubilæum non fuit consecutus, transacto Iubilei tempore, nequeunt vota commutari, aut absolutio à reseruatis concedi. Quia non lucranti Iubilæum priuilegium commutationis, & absolutionis non conceditur. Suar. *illo c.16.n.15.* Sanch.*lib.8.de Matr.d.15.n.23.& c.54.n.51.*

36 *Non est alligata domicilio lucratio Iubilæi.*

In quolibet loco, vbi Iubilæum fuerit publicatum, licèt locus domicilij non sit, poterit quis Templum inuisere, reliquàque opera iniuncta exequi, & Iubilæum lucrabitur. Quia Pontifex loco domicilij concessionem non adstringit. Imò si in loco domicilij publicatum Iubilæum fuerit, inibique, vel processioni interfueris, vel designatum Templum inuiseris: licèt reliqua opera alibi præstes, Iubilæum assequere. Quia in formâ concessionis non cauetur, omnia opera præstanda esse in loco, vbi Iubilæum fuerit publicatum. Bonac. *d.6.q.1.p.4.* Laym. *l.5. tr.7. d.8.dub.5.*

37 *In generali Iubilæi ad omnia vota commutanda non ipsum commutari votū Castitatis, & Religionis.*

Ille, cui conceditur generalis facultas ad omnia vota commutanda, non potest vi huius indulti commutare vota Castitatis, & Religionis. Quia ob specialem, & antiquissimam reseruationem, ac materiæ grauitatem non includuntur præfata vota in generali concessione. Suar.*lib.6. de voto.c.25.* Sanch.*lib.4.sum.c.15.n.15.*

38 *Triduo ad commutandū omnia reseruata, commutari possunt.*

At ille, cui Pontifex concederet facultatem commutandi, vel dispensandi vota reseruata potest etiam commutare, vel dispensare quinque illa vota Castitatis, Religionis, Peregrinationis Romanæ, Ierosolymitanæ, ac Compostellanæ. Quia ea satis exprimuntur, explicata reseruatione: cùm ratione illius tantùm speciali expressione indigeant. Suar. *lib.6.c.25.n.5.* Sanch.*lib.4. sum.c.40.n.16.*

39 *Possūt commutari vota voti Castitatis in oppositum Religionem.*

Confessarius virtute Iubilæi potest commutare votum vouendi Castitatem, & Religionem. Quia tale votum non est reseruatum, cùm non sit votum Castitatis seu Religionis, sed illud promittendi: Diana *1.p.tr.11.resol.76.* Trul.*in Bulla lib.1.§.7.c.3.dub.15.n.24.* Suar.*lib.6. de voto, c.21.n.7.*

40 *Commutari potest votum non fornicandi in votum non committendi peccatum mollitiei, &c.*

Necnon commutari potest votum non fornicandi, non committendi pecatum mollitiei, &c. Quia non est perfectæ Castitatis votum. Less.*lib.2.c.40.n.105.* Candid.*disq.25.a.8.dub.9.* Bossi.*de Iubil.sect.2.casu 20.n.2.*

41 *Votū Castitatis, vel Religionis pro tempore limitatum commutari potest in votum Religionis perpetuum.*

Potest commutari votum Castitatis, aut Religionis emissum pro tempore limitato. Quia votum, quod in Iubilæis excipitur est votum Castitatis & Religionis simpliciter, de cuius essentia est, quod sit perpetuum. Sanch.*lib.8.de Matrim. d.9.n.6.* Suar. *lib.6.de voto, c.22.n.9.* Laym.*lib.4. tract.4.c.8.n.8.*

42 *Votū Castitatis coniugalis in votum Castitatis simpliciter non commutatur.*

Commutabile est virtute Iubilæi votum Castitatis coniugalis. Quia hoc votum non est totius Castitatis, sed partis, cùm sic vouens valeat Matrimonium inire. Sanch.*lib.8. de Matr.d.9.n.4.* Henriq. *lib.7.c.30. n.6.* Bossi. *sect.2.casu 20. num.1.*

43 *Et votū non petendi debitum, etiam ex coniugis consensu.*

Item commutari potest votum, quo alter coniux cum alterius licentia promisit, se debitum non petiturum. Quia non est votum perfectæ castitatis. Sanch. *de Matrim. d.9. num.8.* Bossi. *sect.2.casu 20.n.1.*

44 *Non autē votum seruandæ Castitatis cētum annis.*

Non est commutabile votum seruandæ castitatis centum annis. Quia tale votum censetur perpetuum, cùm vita hominum amplius duratura non præsumatur. Sanch. *sum.l.4.c.40.n.49.*

45 *Nec votū Virginitatis seruādæ, nisi intenderit vouens solùm primum actū includere.*

Nec votum virginitatis seruandæ nisi expressè intenderit vouens non obligare se ad Castitatem, sed ad solam corporis integritatem seruandam abstinendo à primo luxuriei actu, per quem virginitas deperditur. Quia quando hæc expressa intentio non reperitur, est votum absolutum Castitatis vi Iubilæi incommutabile: Fagund. *lib.2. Decal.c.43.n.1.* Bossi. *de Iubil.sect.2.casu 20. n.5.& 6.* citans Rodrig. Leonem, & alios.

46 *Est commutabile votū sumendi habitum Beatarum.*

Commutari potest votum assumendi habitus fœminarum, quas Beatas vocitant. Quia hic status non est Religionis, Vnde etiam Episcopus potest in eo dispensare: Sanch. *lib.8.de Matrim. d.9.n.15.* Rodrig. *tom.2.sum.c.96. n.5.* Henriq. *lib.7.c.30.n.6.*

47 *Non autē votum ineundi Religionem ad probandum, an tibi placeat.*

Non potest commutari votum ineundi Religionem ad probandum, num tibi placeat. Quia id verè, ac propriè est Religionis votum, cùm votum ingrediendi Religionem ex dispositione Iuris humani hanc tacitam conditionem includat, si bona fide Religionem vouens ingrediens illam, intra annum probationis deprehenderit, eam sibi congruere: Candid. *disq.25.art.14.dub.15.*

48 *Commutari potest votum Paupertatis, vel Obedientiæ in Religione non approbata.*

Commutari possunt vota Paupertatis, & Obedientiæ in sæculo, vel in Religione non approbata, emissa. Quia non sunt vota Religionis, nec statui Religioso annexa, cùm facta sint extra statum Religiosum vetum, & approbatum, & ideò potest etiam Episcopus in eis dispensare: Less. *de iust.c.40.n.123.* Henriq. *lib.7.c.30.n.6. lit.F.* Sanch. *l.4.sum.c.40.n.72.*

49 *Commutabilia sunt vota, quorum Iubilæi tempore non meminerit pœnitens.*

Potest Confessarius tempore Iubilæi commutare omnia vota, quorum numerum pœnitens non meminit. Vnde si postmodum pœnitens recordetur alicuius voti particularis, alia commutatione minimè indigebit. Quia absolutè in ultum dat copiam ad huiusmodi votorum commutationem: Sanctarel. & alij, quos citat, ac sequitur Bossi. *de Iubil.sect.2.casu 43.*

50 *Vota reseruata quotiescumque possunt commutari toties, quoties, durante Iubileo, emittuntur.*

Vota reseruata, quorum commutatio per Iubilæum conceditur, possunt commutari, durante ipso, toties, quoties fuerint emissa. Quia Iubilæum non limitat hanc commutandi facultatem: Trul. *in Bull. lib.1.§.7.c.3. dub.9.n.7.* Bossi. *sect.1.casu 15.n.2.* Filliuc. *tract.8.n.238.*

51 *Votū perseuerandi in Religione.*

Potest commutari votum perseuerandi in Religione. Quia votum perseuerandi est virtute diuersum à voto Religionis. Diana *1.p.tract.1. resol.79.* Trul. *lib.1.in Bul.§.7.c.3. dub.16.n.8.* Fagund. *lib.2.c.43.n.9.*

52 *Ad commutanda vota, sufficit pro causa opera præscript. implere.*

Ad commutanda vota vi Iubilæi causa requiritur: sed causam dixerim operæ præscripta implere: Diana *1.p.tract.11.resol.39.* Henriq. *lib.7. c.30.n.5.* Trul. *lib.2.Decal.c.2.dub.35.n.8.& 12.*

F. de COBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
Fol. IV.

SECTIO SECVNDA.

De Iubilæo, Problemata.

CAPVT V.

Circa Iubilæum Romanum.

PROBL. I.

Per reuocationem in Iubilæo Romano expressam suspenduntur, & non suspenduntur Indulgentiæ ac facultates Bullæ Cruciatæ.

53 *Suspenduntur.* AN ex præfata reuocatione in Bulla Iubilæi Romani expressa suspendantur Indulgentiæ plenariæ, & facultates commutandi vota & componendi incerta malè ablata, absoluendíque à reseruatis in Bulla Cruciatæ concessæ, quæsieris? suspenduntur quidem. Quia esto, concessa hæc in remunerationem, vel ob causam onerosam, pretióque aliquo interueniente, regulariter tolli non possint: rectè tamen auferuntur, causâ iustâ interueniente, etiam non reddito pretio. Sed in præsenti non tollit Pontifex Indulgentias, & facultates prædictas, sed suspendit: quod longè minus est. Ergò potest id præstare, hâc causâ iustissimâ intercedente, scilicet vt Romanum Iubilæum maiori cum auiditate, deuotione, fideliúmque concursu possit obtineri. Quod autem de facto id præstiterit Pontifex, indicant illa verba: *Omnia indulta quouismodo, quibusvè causis, & quomodolibet concessa.* Quæ comprehendere videntur concessa per contractum, & in remunerationem. Sic Nauar. *notab.* 28. *n.* 7. & alij.

54 *Non suspenduntur.* Minimè suspenduntur. Quia ad eorum suspensionem non videtur sufficere clausula illa generalis, sed necessariò exprimi deberet modus concessionis per contractum, vel in remunerationem. Ita Castr. Pal. *tr. de legib. d.* 4. *pun. vlt.* §. 2. *n.* 3.

55 *Idem existimo.* Semper credidi, indulta concessa à Pontificibus, in remunerationem, vel ob causam onerosam, pretióque aliquo interueniente: tolli non posse regulariter. At si ex plenitudine potestatis ob aliquam grauissimam causam aliquando tolluntur: necessarium esse, expressam fieri huiusmodi indultorum deberi mentionem. Vndè mei Ferdinandi à Castro sententiæ libenter adhæreo.

PROBL. II.

Per reuocationem Iubilæi Romani suspenduntur, & non suspenduntur facultates absoluendi, ac dispensandi Religiosis concessæ.

56 VErtitur in quæstionem, nùm facultas absoluendi à reseruatis & commutandi vota Religiosis concessa virtute Romani Iubilæi suspensa sit? suspenditur planè. Quia huiusmodi facultas vel est personis particularibus concessa, vel communitati Religiosorum. At reuocatio illa est omnium facultatum à Sede Apostolica concessarum tum singularibus personis, tum communitatibus, ac piis locis. Sic Nauar. *de Indulgent. not.* 28. *Suspenduntur.*

Non suspenduntur huiusmodi facultates. Quia 57
hæc facultas licèt singulis Religiosis concedatur tamen conceditur in fauorem totius Religionis, & in maximum Ecclesiæ bonum. Non igitur censeri debet ex generali illa clausula reuocata. Ita Sanchez *lib.* 4. *de voto, cap.* 54. Henriquez *lib.* 7. *c.* 28. *n.* 7. & probabile reputat Nauarrus citatus. *Non suspenduntur.*

Existimo, eam facultatem Religiosis concessam 58
haud censeri reuocatam per clausulam generalem nisi illius expressa mentio fiat. *Consentio.*

PROBL. III.

Indulgentiæ, & facultates sic per Iubilæum Romanum suspenduntur, vt indigeant, & non indigeant postmodum nouâ concessione, vt vim habeant, Iubilæo transacto.

INdulgentiæ plenariæ, ac facultates anno Iubilæi suspensæ indigent nouâ confirmatione, vt transacto anno Iubilæi prosint. Quia, vt constat ex Bulla Gregorij XIII. suspensio fit ad beneplacitum Pontificis: ergo quousque ipse Pontifex moriatur, vel voluntatem mutet, suspensio perseuerat. Sic Nauar. *notab.* 18. *à n.* 27. *& notab.* 33. *in fine.* Zerola *v. Annus sanctus,* §. *Ad tertium.* Rodrig. *in Bull.* §. 10. *dub.* 6. 59 *Indigent noua confirmatione.*

Indulgentiæ plenariæ, ac facultates anno Iubilæi suspensæ, non indigẽt nouâ confirmatione, anno transacto: sed solo durante Iubilæi anno suspenduntur. Quia sic fert praxis, vsusque receptus publicandi indulgentias finito anno absque vlla Pontificis renouatione: quod tamen non gererent viri docti, ac Religiosi, si crederent, suspensionem perseuerare. Ita Laym. *lib.* 5. *tract.* 7. *c.* 8. *n.* 2. Palaus *tom.* 4. *tract.* 24. *d. vnica, pun.* 12. *n.* 12. 60 *Non indigent.*

His hæreo. Nam si spectem Bullam vltimam suspensionis, quam Vrbanus VIII. anno 1625. edidit, rem video indubitatam, cum expresse dixerit: *Durante anno.* At si euoluam Bullam Gregorij, & Extrauagantem, *Quemadmodum*, satis probabiliter id coniectarim ex eo, quod Sixtus IV. qui fuit auctor huius suspensionis in Extrauagante, *Etsi Dominici*, edita ab ipso quinque annis post suspensionem factam, supponit plurimos, tum singulares personas, tum communitates habere facultates absoluendi à reseruatis, illisque vti, & Indulgentias plenarias quærendi: siquidem eas facultates restringit: quod fieri non posset, si 61 *Hoc mihi certum.*

si omnes Indulgentiæ ac facultates à Sixto, sedéque Apostolica concessæ, suspensæ perpetuò fuissent. Denique Gregorius XIII. præcipiens, ne aliæ Indulgentiæ publicentur, aut in vsum demandentur, addidit aduerbium, *Interim*, quod manifestè indicat, prohibitionem solo anno Iubilæi durare, illo transacto finiri, possèque Indulgentias, sicut ante annum Iubilæi, publicari.

PROBL. IV.

Tenetur, & non tenetur Vxor obedire Marito Romam aduenti, & sibi præcipienti, vt comes sit peregrinationis.

62 Tenetur. TEnetur quidem. Quia causa iusta lucrationis Iubilæi cum obedientia coniugis eam videtur adstringere. *cap. vnaquaque 13. quæst. 2.* dicitur: *Vnaquaque mulier sequatur virum suum, siue in vita, siue in morte.*

63 Non tenetur. Minimè tenetur. Quia grauissimum onus est adstringi mulierem ad hoc iter mille difficultatibus, ac periculis specialiter fœminæ exundans. Non debet autem vxor obedire cum tanto incommodo coniugi imperanti. Sic Sanch. *lib. 1. de Matr. d. 41. n. 8.* in casu simili.

64 Cum distinctione respondendum reor, si longum futurum sit peregrinationis iter, & consequenter aliquibus non leuibus laboribus, ac difficultatibus expositum, non tenebitur vxor virum suum comitari: secus si breue, & non adeò difficile. Imò licet breuis sit peregrinatio, si adhuc est difficillima vxori, ob infirmitatem, ob prædones, &c. non tenetur ei præcipienti obedire: *lege Sotum in 4. dist. 35. quæst. vnic. art. 1. ad 2.* Rogas, quantum debeat domicilium vxoris à Roma distare, vt dicatur longa esse peregrinatio? Arbitro prudentis relinquo. At non dubitarim, quadraginta, imò triginta leucas debili fœmineo sexui longam constituere peregrinationem.

Cum distinctione respondeo.

PROBL. V.

Expedit, & non expedit, vt Regularis Prælatus concedat suis Monachis licentiam pergendi in Vrbem anno Iubilæi.

65 Expedit. CVm nullo modo concedatur Religiosis licentia petendi Romam Iubilæi anno à Pontifice, necessariò debent illam à suis Prælatis adipisci. Quæsierim, an expediat, quod præfata facultas concedatur? Expedit quidem. Tum propter indulgentiam maximam, quam Religiosus lucrabitur. Tum quia *Actus peregrinandi* (loquor cum Glossa citanda) *compatitur secum omnia illa, quæ sunt essentialia Religioni: & ideò cum vtrumque Religio & peregrinatio maius bonum sint, quam alterum tantùm, scilicet obseruantia Religionis tantùm, &c.* Sic Glossa *in Extrauag. Antiquorum, de pœn. & remiss.*

66 Non expedit. Non expedit, vt hæc licentia concedatur. Quia hæc peregrinatio potius in spirituale detrimentum, quàm in emolumentum Religiosorum erit. Ideò D. Hieron. in Epist. *Summæ stultitiæ est, renunciare sæculo, dimittere patriam, & Monachum profiteri, & inter maiores populos viuere peregrè.* Nec Indulgentiæ plures etiam plenariæ Regularibus deerunt, cum concessæ Religionibus non suspendantur, & has intra claustra existentes lucrari poterunt. Ita Quintanad. *tom. 1. Apend. tract. 8.*

67 Idem affirmo. Idem affirmo. At si vnus vel alter Religiosus ætate maturus, & virtute conspicuus hanc licentiam magna ex deuotione peteret, præsertim cùm non longè distaret Monasterium ab Vrbe, ei concedendam existimarim: nisi alij ex hoc ansam arriperent ad petendum, vel aliud singulare appareret incommodum, quod superiorum prudentiæ relinquo.

PROBL. VI.

Hoc Iubilæum incipit, & non incipit à peruigilio Natiuitatis Domini inclusiuè.

68 Incipit à die Natiuitatis, non à peruigilio. SIc Vrbanus VIII. *Cùm nuper sancti Iubilei celebrationem à vigilia Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi anni proximi venturi inchoandam, & vsque ad finem eiusdem anni duraturam, vniuerso populo Christiano indixerimus.* Ambigis, num in ipsomet peruigilio Natiuitatis hoc Iubilæum valeat obtineri? Obtineri non potest. Quia dictiones illæ *A* vel *Ab* regulariter excludunt, & denotant terminum, *à quo*, vtpotè suapte natura exclusiuæ, ac separatiuæ, vt docent. Tiraquel. Gratian. Sigismund. & alij, quos cum decisionibus etiam Rotæ citat August. Barbosa *dict. 1. num. 1.*

69 A peruigilio Natiuitatis incipit. Potest Iubilæum hoc ipso Natiuitatis peruigilio obtineri. Quia hæ etiam dictiones: *Si materia subiecta postulauerit, vel natura contractus, aut mens disponentium, aut fauor, seu odium persuadeant, vel vt euitetur absurdum, vel correctio, stabunt inclusiuè.* Sic loquitur Barbosa, *num. 2.* & docent Tuschus *tom. 2. lit. D, conclus. 238. n. 7.* & alij Iurisprudentes. Quod locum habet præcipuè in re fauorabili. Quintanadue. *tom. 1. Apend. tract. 8.* & alij.

70 Hoc mihi certum. Circa hoc mihi dubium non est, cum fauor sit non exiguus huius Iubilæi concessio. Vnde *A vigilia Natiuitatis* intelligo inclusiuè: sicut cùm dicitur in aliis Iubilæis: *A primis Vesperis*, tempus vesperarum etiam includitur.

PROBL. VII.

Potest, & non potest obtineri hoc Iubilæum tota peruigilij Natiuitatis die.

71 Potest tota die obtineri. AN iuxta formulam hanc: *A vigilia Natiuitatis* incipiat Anni Sancti Iubilæum ab integro Vigiliæ die, an à primis Vesperis? Incipit ab integro die. Quia id asserit communis loquendi vsus, iuxta quam sub vigiliæ Natiuitatis nomine immediatus integer dies ante Natiuitatem comprehenditur, tam quòad ieiunium, quam quòad officium Ecclesiasticum, quod à Matutinis incipit, & in Missæ celebratione, reliquisque horis vsque ad Nonam occupatur, vti asserit Raban. *lib. 2. de instit. cler.* Et quia fauorabilius erit, vt à dimidia nocte illius diei incipiat, quàm quod à vesperis Natiuitatis, seu à vespertina illius diei hora. Hoc probabile aliquibus doctis viris satis videtur.

72 *Non potest obtineri tota die.*

Non incipit ab integro peruigilij die, sed à Vesperis, quæ in eo decantantur. Quia in hac Vesperarum hora, porta Basilicæ D. Petri solemniter aperitur: & à tempore apertionis Iubilæum incipere, nulli est dubium, vt asserit Nauar. *notab.* 24. *n.* 2. & Zerol. V. *Annus Sanctus.*

73 *Hoc mihi probabilius.*

Huic hæreo sententiæ, pro qua militant omnes ferè huiusmodi Iubilæorum formulæ. Paulus II. *Omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, qui anno Domini* 1455. *incipiendo à primis Vesperis Vigiliæ Natiuitatis Domini* 1454. Idem exprimunt Alexander VI. pro Iubilæo anni 1500. Clemens VII. pro anno 1525. & Gregor. XIII. 1575. At si ambigas, cur incipiat ab hoc potius Natiuitatis festo die 24. Decembris, quàm à festo Circumcisionis, quod dies est totius anni primus? Respondeo, antiquum esse morem Romanæ Ecclesiæ, à die Natiuitatis Domini 25. Decembris annum computare, & hunc eo die inchoari, vt secũdum supputationem 70. Interpretum ex Eusebij Chronico probat Baronius in Martyrol. 25. Decembris. Itaque à Vesperis Vigiliæ Natiuitatis instituitur Anni Sancti Iubilæum, & in sequentis anni eadem Vigilia in primis Natiuitatis Vesperis terminatur. Ea tamen differentia, quod Vesperæ initio anni dicuntur post apertionem portæ: vnde iam ab earum initio ceptus est Iubilæus: at in fine dicuntur, ante quàm porta claudatur. Vnde perdurat annus vsque ad Vesperarum finem. Lege Filliuc. *tract.* 8. *de satisfac. c.* 10. *n.* 250. & Nauarr. *notab.* 32. & 24.

PROBL. VIII.

Romæ suspenduntur, & non suspenduntur omnes aliæ Indulgentiæ, durante Anni Sancti Iubilæo.

74 *Suspenduntur.*

Svspenduntur quidem. Quia generalis indulgentiarum suspensionis clausula Vrbem minimè excludit. In Bulla Vrbani VIII. §. 2. dicitur: *Vbiuis locorum, & gentium aliæ Indulgentiæ, quàm prædicti Iubilæi non publicentur, aut in vsum mandentur.* Dictio, *Vbique locorum & gentium*, cum idem sit, ac *Vbicumque, vbique*, seu *Quolibet in loco*, est vniuersalis, & omnia loca comprehendit. Vt in cap. *Ad honorem, de vsu pally* norant Tuschus *tom.* 2. *lit. D, concl.* 3. *quæst.* 1. Vulpel. *dict. vbi, fol.* 126. Ergo Romam non excludit, ergo in ea indulgentiæ suspenduntur ad maiorem huius Iubilæi celebritatem.

75 *Non Suspenduntur.*

Minimè suspenduntur. Quia cum legis mens, & finis attendendi potius sint, quàm verba ex lege *scire, ff. de legibus, l. Non aliter de legatis:* finis autem, & mens huius suspensionis sint, quod omnes extra Vrbem degentes omnibus indulgentiis priuati, Romam confluant, haud credendum, Pontificem Indulgentias obtinendas in Vrbe Romana hoc Anno suspendere: præsertim cùm magis fideles alliciantur Romam accedere pro his insuper consequendis simul cum Iubilæo. Ita Nauar. *notab.* 33. *num.* 4. Filliuc. *tract.* 8. *cap.* 20. *num.* 251.

76 *Consentio huic.*

Consentiens addiderim Pontifices quosdam hasce indulgentias non cessare, expressisse, Gregorium XIII. sic: *Indulgentijs Basilicarum, & aliarum Ecclesiarum Vrbis nihilominus in suo robore duraturis.* At dictio *Vbiuis gentium* accommodanda est quæcunque loci extra Romam, in qua solemnior fiet celebratio Iubilæi, si non solùm ipsum, sed aliæ omnes Indulgentiæ ab incolis, & exteris obtineantur. Cæterùm existimo, non solùm obtineri has Indulgentias, quæ sunt concessæ in omnibus Ecclesiis, Basilicis, Oratoriis, & aliis locis piis intra Romæ muros contentis; sed quæ in suburbiis, vicis, pagis, prædiis, & aliis locis Romæ subiacentibus, & quæ sub Vrbis appellatione comprehenduntur. Idem denique de facultatibus absoluendi asserendum puto.

PROBL. IX.

Indulgentiæ non plenariæ, & ab Ecclesiasticis Prælatis concessæ, seu concedendæ suspenduntur, & non suspenduntur, hoc Anno.

77 *Suspenduntur.*

Svspenduntur quidem. Quia Vrbanus VIII. ex aliorum Pontificum mente generatim loquitur. Statuit itaque suspendi *Omnes, & singulas Indulgentias etiam perpetuas.* Sic nonnulli viri docti. Ideò Anton. Quintanad. *dub.* 13. solùm probabilem contrariam sententiam appellat.

78 *Non suspenduntur.*

Non suspenduntur. Quia idem Vrbanus ait; *Multorum Romanorum Pontificum prædecessorum exemplo adductum*, hanc facere suspensionem. At prædecessores, præcipuè Sixtus IV. & Gregor. XIII. indulgentias plenarias solummodo suspenderunt. *Suspendimus* (ait Sixtus) *omnes & singulas plenarias indulgentias, etiam ad instar Iubilæi. Suspendimus* (inquit Gregorius) *omnes, & quascunque indulgentias plenarias, etiam ad instar Iubilæi.* Expressius Clemens VIII. in Iubilæo anni 1600. ait: *Omnes & singulas indulgentias plenarias, etiam perpetuas, & peccatorum remissiones, &c. Suspendimus.* Ita Zerola *praxi* 5. *Annus Sanctus* §. 30. Filliuc. *tractat.* 8. *cap.* 10. *num.* 251.

79 *Idem puto asserendum.*

Idem putarim asserendum, credens verba adeò vniuersaliter loquentia minimè obstare. Quia hæc quamuis generalia, restringuntur ad habilia, vt ex lege *vt gradatim, ff. de muner. & honor. lib.* 1. *C. de sacros. Eccles.* docent Menoch. *de adipisc. possess. remed.* 4. *num.* 755. Surdus *dec.* 112. *num.* 2. Franc. Molin. *de ritu nupt. lib.* 3. *quæst.* 85. *num.* 61. Habiles autem aut propriæ indulgentiæ, de quibus in præsenti, sunt solùm plenariæ, vtpoteque ab aliis Pontificibus suspensæ: & quæ, si non suspenderentur, profectionem ad Vrbem præpedirent.

PROBL. X.

Suspenduntur, & non suspenduntur Sancti Anni Iubilæo Indulgentiæ, quæ viuis conceduntur cum facultate, vt eas pro defunctis valeant applicare.

80 *Hoc anno hæ Indulgentiæ suspenduntur.*

Certum mihi, per hoc Iubilæum non suspendi indulgentias villas pro solis defunctis directè, & absolutè concessas. Quia Vrbanus VIII. ait: *Basilicas, & Ecclesias prædictas quo maximo fieri poterit concursu, durante eodem Iubilæo, visitent, & frequentent:* Ergo cum hanc visitationem

nem exequendi, omninò incapaces sint purgatorij animæ, in illis cessat finis, seu ratio legis, ac proinde ipsa lex. Difficultas igitur est de iis, quæ viuis conceduntur cum facultate, vt eas valeant pro defunctis applicare: cuiusmodi sunt Indulgentiæ concessæ granis, imaginibus, coronis, crucibus, numismatibus benedictis à Clemente VIII. ad instantiam Patrum Societatis nostræ Peruanorum: & à Paulo V. ad instantiam Patrum Societatis in sua Congregatione generali 5. & à Gregorio XV. ad instantiam Procuratorum Canonizationis SS. Ignatij, Xauerij, Nerij, Isidori, & Theresiæ, & similes, in quarum summario hæc verba habentur: *Las sobre dichas Indulgencias se pueden tambien aplicar por las animas de los fieles defunctos, por modo de sufragio.* Itaque Indulgentiæ concessæ viuis cum facultate, vt pro defunctis possint applicari, hoc Anno suspenduntur. Quia huiusmodi Indulgentiæ conceduntur directè & immediatè viuentibus, qui quidem possunt cuncta præscripta gerere, scilicet Ecclesias inuisere, &c. Ergo suspensione in illa includuntur indulgentiæ eiusmodi viuis concessæ. Hoc probabile viri docti putant.

81 *Hic anno ha indulgentia non suspendantur.* Indulgentiæ hæ non suspenduntur quoad vita functos. Quia eodem modo concluduntur à Pontifice, & applicantur à fidelibus hæ indulgentiæ, siue illis competant cum hac facultate eas applicandi pro defunctis, siuè si pro defunctis tantùm sint concessæ. Ratio est, quia de omnibus his indulgentiis *per modum suffragij* (id est, auxilij, & adiutorij Ecclesiastici applicati) solùm defuncto concessis, vel de applicandis illi licet viuo concessis, æquè verificatur, quod D. Thomas ait 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. *Non directè, & principaliter; sed tantùm secundariò, & indirectè defunctis conceduntur.* Ergo quoad hanc suspensionem eadem est vtriusque Indulgentiæ ratio, non in quantum viuis concessa, sed in quantum pro defunctis applicanda. Ita Coninch *disp.* 12. *dub.* 10. Suar. *disput.* 24. *sect.* 3. *num.* 12.

82 *Idem affero.* Hoc mihi certum, quia applicatio *per modum suffragij*, quam concedunt Pontifices in relatis indultis, idem est ac concessio pro defunctis; quia (vt ex Suario notat Eminentissimus Lugo *d.* 27. *de pœnit. sect.* 7. *num.* 66.) *Nunquam conceditur indulgentia per modum suffragij pro viuis, quia viuus est subditus, & capax absolutionis, cuius defunctus non est capax.*

PROBL. XI.

Per hoc Iubilæum suspenduntur, & non suspenduntur facultates, quam habent Regulares ex vi suorum priuilegiorum, ad absoluendum seculares à casibus sedi Apostolicæ reseruatis.

83 *Suspenduntur facultates huiusmodi.* SVspenduntur facultates huiusmodi. Quia absolutè id suspensionis clausula præscribit. *Omnes & singulas indulgentias: ac etiam commutandi vota, aut super his, ac male ablatis incertis, aut per vsurariam prauitatem, vel aliunde illicitum modum extortis, dispensandi Confessores cum potestate absoluendi à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis suspendimus.* Et Gregor. XIII. *Suspendimus omnes, & quascunque indulgentias plenarias etiam ad instar Iubilæi, & earum causâ facultates, concessiones, & indulta quæcumque.* Et quia Clemens VIII. & Vrbanus VIII. in suspensionibus Bullæ non addunt verba illa: *Indulgentiarum causa*, ex quibus ansam arripiunt oppositæ sententiæ assertores, vt existiment, solummodò eas facultates suspendi, quæ indulgentiæ Romanæ possent obstaculum adiicere. Sic viri non infimæ notæ in manuscriptis. Et Rodrig. *Bull.* §. 2. *dub.* 6.

Huiusmodi facultates minimè suspenduntur. 84
Quia in hac suspensione intentio Pontificis solùm fit, suspendere facultates absoluendi *indulgentiarum causâ* solummodo concessas: quia aliæ non retardarent fideles à Romana peregrinatione, aut profectione, eiusque Ecclesiarum frequentatione pro Iubilæo obtinendo. At facultates, quæ Regularibus ad absoluendum competunt, non fiunt concessæ intuitu indulgentiarum, sed ob alias causas: ne scilicet Religiosi constringerentur, vel Romanum Pontificem, vel Episcopos pro hac facultate consequenda adire, eorúmque palatia frequentare: & ne fidelibus difficilis esset hæc absolutio. Ita Nauar. *notab.* 33. Enriq. *lib.* 5. *cap.* 28. *num.* 7. Villalob. *tract.* 27. *claus.* 12. Filliuc. *tract.* 8. *cap.* 10. Sanch. *lib.* 4. *summ. cap.* 54. *num.* 26. Lugo *d.* 20. *sect.* 8. *de pœn. n.* 145. *Non suspenduntur hæ facultates.*

Etiamsi in suspensionibus Bullæ non adderentur verba illa. *Indulgentiarum causa*, sicut non sunt addita in Bullis Clementis VIII. & Vrbani VIII. (in Bullis Sixti & Gregorij proculdubio adiiciuntur) adhuc eandem explicationem admitteret suspensio, eandémque mentem his, & aliis Pontificibus fuisse credo. In cuius elucidationem do sapientissimi nostri Lugo sententiam *d.* 20. *de pœn. sect.* 8. *num.* 145. Magis [ait] dubitari poterat, attenta Bulla Clementis VIII. Anno Sancto 1600. in qua illa verba: (*Indulgentiarum causa*) omissa fuerant. Sed idem Pontifex interrogatus dixit, eandem fuisse intentionem suam, & ad tollendum dubium, addita fuit iterum eadem Bulla, additis eisdem verbis. Denique anno 2625. in Bulla SS. D. N. Vrbani VIII. omissa fuerunt eadem verba fortè, quia ex Bulla Clementis VIII. transcripta fuit illa clausula. Quare cùm iterum de hoc dubitaretur: ego dixi, non fuisse reuocatam Regularium facultatem: Primò, quia Vrbanus ibi dicit, se sequi exemplum prædecessorum in illa reuocatione: cùm ergo Prædecessores non reuocassent omnes facultates, sed concessas causâ indulgentiarum, de his solis intelligendum est. Secundò, quia postea imponit præceptum, nec excommunicationem, nisi contra publicantes alias, Indulgentias: ergo de illis solis agebat. Denique postea idem sanctissimus interrogatus hoc ipsum respondit, & dixit, hanc fuisse suam intentionem. Quare de hoc non fuit amplius dubitatum. Hactenus Cardinalis. 85 *Hoc sentio, & exorta.*

CAPVT

CAPVT VI.

Circa Iubilæum Compostellanum.

PROBL. XII.

Potestas absoluendi à reseruatis per hoc Iubilæum concessa extenditur, & non extenditur ad contenta in Bullâ Cœnæ.

86 *Non extenditur.* NOn extenditur. Quia huiusmodi casus habent specialem grauitatem, ac reseruationem, ob quam non comprehendũtur sub generali concessione alicui facta absoluendi à reseruatis Sedi Apostolicæ: sed requiritur specialis, & expressa horum casuum mentio. Sic Suar. *de cens. dist.7. sect.5. num.11.* Rodrig. *in addit.ad Bull.§.9. num.64.* Et confirmari efficaciter potest ex Extrau. *Ersi Dominici,1. & 2. de pœnit. & remis.* vbi expresè dicitur, in generali concessione casuum reseruatorum non intelligi casus Bullæ Cœnæ.

87 *Extenditur.* Extenditur quidem. Quia casus Bullæ Cœnæ multos post annos à concessione Iubilæi Compostellani fuêre reseruati. Nam primus, qui in Bibliotheca Vaticana reperitur hosce casus reseruasse, fuit Gregor. XI. qui floruit circa annum 1370. At Iubilæum Compostellanum concessum fuit, ab Alexandro III. & à Calixto & Anastasio eius antecessoribus. Quod cùm ità celeberrimum fuerit, non est præsumendum, Pontificem restrinxisse. Quod maximè verisimile apparet, cùm omnis lex, statutum, & dispositio semper futuros casus, & non præteritos respiciat, nisi præteritorum specialem & expressam faciat mentionem ex textu *in leg. leges, & constitutiones Cod. de legibus.* ibi: *Leges, & constitutiones futuris certum est dare formam negotijs, non ad facta præterita reuocari, nisi nominatim, & de præterito tempore, & adhuc pendentibus negotijs causa sit.* Ergo constitutio & lex disponens, ne sub generali concessione casuum reseruatorum comprehendantur casus Bullæ Cœnæ intelligi non debet de concessione facta in Iubilæo Compostellano, quæ prior fuit, cum illius expressam non gesserit mentionem. Ita Castro Pal. *tom.4.tr.24. d.vnic.p.12.n.9.*

88 *Conjectio.* Lubenter huic hæreo sententiæ, haud præsumens hanc fieri reseruationem illis, qui tanto labore Basilicam D. Iacobi ex remotissimis orbis partibus inuisendam accurrunt. Non tamen hinc inferas, posse virtute huius Iubilæi crimen hæresis abscũi; crimen enim hæresis ita est execrabile, vt nunquam fuerit sub generali reseruatorum casuum concessione contentum, vti asserit Nauar. *cap.27.num.275.* Suar. *de cens. d.7.sect.5.num.12.*

PROBL. XIII.

Præter potestatem absoluendi à reseruatis concedit, & non concedit Iubilæum Compostellanum commutandi vota facultatem.

NOn concedit. Quia esto in Romano Iubilæo post Extrauagantem *Antiquorum*, & *Quemadmodum* hæc facultas concessa censeatur: tempore autem, quo Compostellanum concessum fuit, non constat, concessam fuisse. Quinimò ex Bulla Alexandri Tertij colligitur, eo tempore nullam potestatem commutandi vota concessam esse Romano Iubilæo: siquidem affirmans, se concedere Compostellanæ Ecclesiæ omnes, & singulas indulgentias, & Iubilæum ipsius eodem modo & formâ, quo Romana Ecclesia habet, solùm meminit potestatis absoluendi à reseruatis, sub qua dispensatio, & commutatio votorum minimè continetur. Ergo signum est, hanc potestatẽ in Romano Iubilæo tunc non viguisse, sicuti nec vigebat facultas componendi, seu remittendi incerta malè ablata. Quod verò postmodum hæ facultates Romano Iubilæo additæ fuerint, non probat, Compostellano addi. Quia Compostellanum concessum est ad instar Romani tunc existentis, sed non futuri. Sic Castro Pal. *tom.4. tract.24. dist. vnic. part.10. §.2. num.11.* 89 *Non concedit.*

Concedit planè. Quia est instar Romani, in quo conceditur potestas, vota omnia commutandi, excepto voto Ierosolymitano, Castitatis, & Religionis, teste Glossa magna in Extrauag. *Antiquorum* propè finem *de pœnit. & remis.* Præterea Iubilæum sua ex natura continet potestatem commutandi vota, sicut & absoluendi à reseruatis; & ratione harum potestatum distinguitur ab Indulgentia, vti asserit Graffis *lib.5.c.15. num.29.* 90 *Concedit quidem.*

Satis probabilem hanc sententiam putarim, sed probabiliorem primam esse crediderim. 91 *Prima hæreo sententia.*

CAPVT VII.

Circa duarum hebdomadarum Iubilæum.

PROBL. XIV.

Potes, & non potes, bis hoc Iubilæum obtinere.

NOn tantùm semel, sed bis posteris hoc Iubilæum obtinere, si opera iniuncta bis præstes, vnâ & alterâ hebdomadâ. Quia beneficium Principis latè est interpretandum, quantum verba patiuntur. At verba, quibus hoc Iubilæum conceditur, hanc admittit interpretationem, siquidem conceditur Indulgentia omnibus illis, qui præfata opera in vnâ è duabus hebdomadis gesserit. Ergo si hebdomadâ secundâ ea opera repetas, ea præstas in vna è duabus hebdomadis. Igitur consequeris indulgen 92 *Potest, bis obtinere.*

dulgentiam. Sic Henriq. *lib.6. de pœnit. cap.16.num.3.* & *lib.7.de indulg.cap.11.num.1.* Rodrig. *tom.2.sum.c.184.n.14.*

93 *Non potest.* Non potes hoc Iubilæum bis lucrari. Quia indulgentia pro limitato, breuique tempore concessa, etiamsi indefinitè concedatur, non potest sæpius obtineri; nam ea determinatio temporis indicat Pontificis voluntatem, eam semel tantum concedendi. Ità Suar. *de pœnit. tom.4. dist.57 sect.1. num.7.* Laym. *tract.7. cap.8. n.8.* Bonac. *d.5.q.7.p.5.§.2. num.17.* Sanch. *lib.4.de voto c.54.num.30.*

94 *Hoc videtur probabilius.* Hoc probabilius credo, ex formâ concessionis colligens hanc fuisse Pontificis mentem. Non enim inquit Pontifex: obtinebat indulgentiam, qui in vnâ, & alterâ hebdomadâ opera iniuncta præstiterit; neque absolutè, ac indefinitè dixit: Obtineat indulgentiam in illis duabus hebdomadis; sed expressè ait: *Obtineat indulgentiam, qui primâ hebdomadâ post publicationem, vel in sequenti post illam.* Quæ disiunctiua manifestè indicat, in vnâ tantùm hebdomadâ obtineri posse. Et paulò inferiùs addit: *Hac vice tantum.* Igitur non pluries Pontifex, sed semel tantùm indulgentiam concedere intendit.

PROBL. XV.

Obtento Iubilæo in primâ hebdomadâ, à casibus reseruatis, si fortè incideris, potes, & non potes in secundâ absolui.

95 *Ratio dubit.* NOn potes absolui: Quia potestas absoluendi à reseruatis conceditur ratione Indulgentiæ consequendæ, qui finis comparatione tui cessat, cùm iam Indulgentiam obtinueris. Sic Suar. *tom.4. d.57. sect.1. num.7.* Laym. *tract.7. cap.8. numero 8.* Bonac. *d.5. quæst.7. part.5. §.2. numero 17.* Sanch. *libr.4. de voto cap.64. num.28.*

96 *Aliàs potes.* Potes quidem absolui. Quia huius facultatis concessio independens est ab Indulgentiæ concessione, & si occasione illius facta fuerit. Nam esto indulgentiæ concessio nulla sit ob defectum causæ: concessio tamen facultatum valida est. Non ergò ex eo, quod Indulgentiam quærere nequeas iterum, inferendum est, prædictis facultatibus te vti non posse. Ita Reginald. *libr.8. n.63.* Graff. *de Indulg. cap.5.n.32.* Rodrig. *tom.2. sum.c.184.n.14.* Henriq. *lib.7.c.11.*

97 *Non hic cap.* Cum his opinor, motus, non ex eo, quod Indulgentia iterum quæri non possit, si supponamus verè acquisitam esse; sed ex eo quod hæc facultas etsi occasione Indulgentiæ concedatur, pro toto eo tempore, quo Iubilæum à populo Christiano obtineri potest, videtur concedi. Neque expedit, hanc facultatem adstringi ad singularem cuiusque modum procedendi in Indulgentiæ consecutione. Aliàs neque intra eandem hebdomadam post finita opera iuncta absolui posses ab aliquo casu reseruato, si fortè in illum incideris: quod ipse Thomas Sanch. non concedit: & sicut ipse affirmat, spatium totius hebdomadæ reputandum est tempus pro confessione Iubilæi in ordine ad absolutionem à reseruatis, tametsi breuiori tempore obtentum sit.

PROBL. XVI.

Obtentâ absolutione à reseruatis teneris, & non teneris sub graui culpâ Iubilæum quærere.

98 *Tenetur Iubilæum quærere.* QVi obtinet à peccatis reseruatis absolutionem ex Iubilæi facultate, sub graui piaculo tenetur obtinendo Iubilæo operam dare: Quia hoc beneficium ei videtur dari sub eo pacto, & obligatione, vt Iubilæum consequatur: aliàs vt quid propositum consequendi Iubilæum requisitum esset? Sic Suar. *tom.4.d.31.sect.4. num.5.* & *tom.2.de Relig.lib.6.c.16.n.11.*

99 *Non tenetur.* Non tenetur sub piaculo graui Iubilæum quærere, qui proposito lucrandi præmisso absolutus est à reseruatis: Quia optimè concedi potest ea absolutio habenti propositum lucrandi Iubilæum: tametsi pactum, & obligationem de illius consecutione non faciat. Iubilæum autem huiusmodi obligationem non indicit. Ergo imponenda non est. Ita Sanch. *lib.1. de Matrim. dist.43.cap.9.* & *lib.8.d.15.n.24.* & *lib.4. de voto cap.54.num.54.*

100 *Hoc probabilius.* Mihi magis hæc sententia arridet, quia nullum firmum adstruendæ huiusce obligationis fundamentum inuenio.

PROBL. XVII.

Omnia opera pro consecutione huius Iubilæi præscripta debent, & non debent eâdem hebdomadâ præstari.

101 *Debent in eadem hebdomadâ geri.* OMnia opera, in eadem sunt hebdomadâ exerenda. Quia liberalis donatio non subsistit, nisi impleatur conditio, sub qua fit; leg. *si cum filius, §. Tertio decem.* leg. *Et generaliter. ff. de donat.* At Pontifex videtur concedere Iubilæum sub ea conditione, vt omnia opera præscripta in eâdem gerantur hebdomadâ; inquit enim, *Qui processioni interfuerint, vel Ecclesias designatas visitauerint, & feriâ quartâ, sextâ, & Sabbatho alterius ex duabus hebdomadis ieiunauerint, paritérque sua peccata confessi & à Sanctissimâ Communione refecti fuerint, eleemosynámque tribuerint, &c.* In quibus verbis Pontifex expressè postulat, omnia ieiunia in alterâ ex duabus hebdomadibus geri. Ergo contra Pontificis intentionem, ac conditionem requisitam procederet, qui ea ieiunia in vtrâque hebdomadâ præstaret; sicut si ea præstaret feriâ secundâ, tertiâ, & quintâ. At reliqua opera prædictis ieiuniis iniungi debent, vt satis indicat aduerbium illud, *Pariter.* Ergo omnia in eâdem hebdomadâ sunt exequenda. Sic Henriq. *lib.7.c.11.num.2.* Sanctarel. *de Iubil. c.7.dub.1.* & alij.

102 *Non debent necessariò in eadem geri hebdomadâ.* Non sunt necessariò gerenda omnia præscripta opera, ad Iubilæi consecutionem, eâdem in hebdomadâ; sed poterit quis partim in vnâ, partim in alterâ præstare. Quia loquens Pontifex de modo, quo Romani obtinere hunc Iubilæum debent, qui norma est cæteris locis extra Vrbem: nullatenus adstringit, vt in eâdem hebdomadâ hæc opera omnia præstentur: quinimò permittit, vt ieiunia fiant in eâdem hebdomadâ, in quâ inuisuntur Ecclesiæ, vel in sequenti. Item permittit, Communionem, quæ est opus ex iniunctis

præci

F. SCOBAR Theol. Mor. Tom. III. IV. Fol.

præcipuum, insequentem Dominicam, vel in aliquam diem ex duabus hebdomadis differri, vti constat ex Bullâ. Deinde qui in qualibet ex duabus hebdomadis opera iniuncta gerit, verum est, in vna ex duabus hebdomadis exequi, tametsi non omnia in eâdem exequatur. Ita Bonac. *de indulg.d.6.q.1.p.5.num.34.* Layman. *lib.5.tr.7.c.8.dub.4.*

103 *Hanc sententiam putoveriorem.* Primam sententiam, vt securiorem consulo, secundam verò reputo veriorem. Quia cùm hæc interpretatio sit fauorabilis, nec Dei cultum diminuat, & consecutionem Iubilæi possit iuuare, præsumo, Pontificis intentionem illi esse conformem.

PROBL. XVIII.

Ad obtinendum Iubilæum tenetur, & non tenetur confiteri, qui peccati lethalis conscientiam non habet.

104 *Tenetur.* TEnetur quidem: Quia licèt lucraturus Iubilęum piaculi grauis conscientia non saucietur. Sacramentum tamen pœnitentiæ opus Deo gratissimum, quod quidem aptius disponit animũ ad Indulgentiam recipiendam. Et quia Pontifex apertè hoc opus pœnitentiæ, seu confessionis in Bulla præscribit. Sic Sanch. *de Matr. lib.8. d.15.num.19.* Diana *1.part.tract.11.resolut.107.* Homob. *de casib.reseru.c.5. observ.5.* Rodrig. *in summ.cap.184.num.12.* Granad. *contr.12.tract.5. d.4.num.6.*

105 *Non tenetur.* Non est necessaria Sacramentalis Confessio, ad lucrandum Iubilæum, si quis peccata lethalia non habeat: Quia Ecclesia non assolet præcipere Confessionem nisi de mortalibus; & ideò Confessio absolutè accepta sumenda est pro confessione de lethali piaculo. Ità Filliuc. *tract.8. cap.6.num.145.* Henriq. *lib.7.cap.12.n.2.* Lugo *d.27. num.100.* Trul. *in Bul. libr.1.§.1. dub.15. num.9.*

106 *Consentio.* Consentiens, existimo, Pontificem præscribentem in Iubilæis Confessionem, suppositiuè loqui, nempè si lucraturus indiget Confessione.

PROBL. XIX.

Intrà tempus à Iubilæo præscriptum confiteris, sed ante hebdomadæ finem, in quo debet obtineri Indulgentia, incidis in lethale: Teneris, & non teneris, iterum confiteri.

107 *Confiteri iterum teneris.* COnfiteri iterum teneris: Quia ex vi formæ Iubilæi requiritur confessio omnium mortalium, quæ usque ad tempus Indulgentiæ commissa sunt: nam talis Confessio refertur ad Indulgentiam, & ideò comprehendit totum tempus vsque ad præfixum terminum, & consequenter omnia etiam peccata intra illud tempus commissa; non ergo sufficit prior Confessio, quia non fuit de omnibus peccatis modo explicato. Sic Suar. *tom.4.d.55 sect.3. num.7.* Filliuc. *tract.8. cap.6.num.187.* Boss. *sect.4.casu19.§.2. num.22.*

108 Haud teneris, iterum confiteri, sed sufficit, tunc elicere contritionis actum ad lucrandam Indulgentiam. Quia in Iubilæo solùm exigitur vnica Confessio. Ita Granad. *contr.12.tr.5.d.4.num.2.* Præpos. *in 3.p.q.14.de indulg.dub.10.n.84.* Nugn. *in addit.q.23.a.3.dub.4.* Lugo *d.27.n.101.* *Haud teneris confiteri iterum.*

Consentiens existimo, contritionem sufficere; quia per Confessionem semel factam impleta est conditio in formâ Iubilæi præscriptâ. 109 *Cum hu sentio.*

PROBL. XX.

Facit quis intra hebdomadam Confessionem Sacrilegam. Sufficit, & non sufficit, ante hebdomadæ finem Contritionem elicere ad Indulgentiam lucrandam.

SVfficit quidem elicere Contritionem: Quia per Confessionem licèt sacrilegè factam iam impleta est forma præscriptionis, & non est necessarium, vt quis sit in statu gratiæ toto tempore, quo singula opera gerit; sed sufficit, vt in vltimo instanti, in quo vltimum opus perficitur, sit in gratia. Sic Henriq. *lib.7. cap.9.num.5.* Diana *part.3.tract.4.resol.148.* Faust. *de Iubil.lib.4. quæst.46.* 110 *Sufficit Contritionem elicere.*

Non sufficit, elicere Contritionem, sed noua Confessio est necessaria: Quia in concessione Indulgentiæ expressè est postulata Confessio, & re vera sacrilegus ille confessus non est, eò quòd fuit nulla Confessio. Ita Suar. *d.52.sect.3.n.6.* Lugo *d.27.n.103.* Sanctarel. Zanard. apud Dian. citatum. 111 *Non sufficit.*

Profecto quoties ad Iubilæum lucrandum præscribitur actualis Confessio, necessaria est Confessio valida, ex qua verum Sacramentum perficiatur; quia nomine Confessionis totum Sacramentum significatur. Non autem est idem de Confessione informi, si alioquin valida sit; nam cùm illa sit vera Confessio, sufficit ad hunc effectum, dummodo postea, eo nimirum tempore, quo effectus Iubilæi obtinendus est, homo iam sit gratiæ restitutus vel per contritionem, vel per aliud Sacramentum. 112 *Idem opinor.*

PROBL. XXI.

Ad lucrandum Iubilæum, sufficit, & non sufficit Dominicâ sequenti post transactam hebdomadam confiteri.

NOn sufficit: Quia fertur, Clementem VIII. de hoc interrogatum respondisse, non satisfacere, & vigore sui Iubilæi non posse pœnitentem absolui à reseruatis die Dominico. Vnde expirabit quoad hanc facultatem mediâ nocte Sabbathi. Concessit tamen pœnitentiariis S. Petri, vt absoluerent etiam die Dominico. Itaque de rigore textûs Confessio debet fieri antè diem Dominicum; dicitur enim: *Intra hoc tempus, prima scilicet, vel secunda hebdomadæ confiteantur; & Dominicâ primâ, vel secundâ sumant Eucharistiam.* Sic Filliuc. *tract.at.8. cap.10. num.272.* Portel. v. *Indulgentia 2. num.6.* Alphons. de Leon. & alij, quos refert Diana *part.2. tract.15. resol.28.* 113 *Non sufficit.*

Sufficit planè, Confessionem geri Dominicâ sequenti pôst hebdomadam exactam. Quia indultum 114 *Sufficit.*

dultum est, posse eâdem die Dominicâ communicare: ergo & confiteri. Nam Confessio communionem comitatur. Ità Henriq. *lib.7.cap.10.n.8.* Reginal. *lib.3.cap.vlt.num.173.* Rodrig. §. 2. *dub.5.* Bonac. *d.6.quæst.2.part.5.num.34.* Sà *v. Indulgentia,n.13.* Nauar. *notab.19.n.19.*

115 *Contra hos sentio.* Hanc sententiam probabiliorem puto, dum manifestè de Clementis præfata responsione non constiterit.

PROBL. XXII.

Ad obtinendum Iubilæum, sufficit, & non sufficit, confiteri ipsa die Dominica, qua solet promulgari.

116 *Non sufficit.* NOn sufficit. Quia ad nullam ex duabus assignatis hebdomadis dies ille pertinet. Sic Ioannem de Salas respondisse, asserit Cardinalis de Lugo *d.27.n.107.*

117 *Sufficit.* Sufficit quidem. Quia id praxis testatur. Si quidem ipsâ die Dominicâ, quâ Iubilæum promulgatur, virtute illius Confessarij absque vllo scrupulo à reseruatis absoluunt. Ita Filliuc. *tract.8.cap.10.num.272.* & Lugo citatus. Nauar. *de orat.num.132.*

118 *His haerer.* Cum his opinor meî Magistri Ioannis de Salas venîâ. Nam præmissâ die illo Confessione reliqua præscripta opera vtilius expendentur.

PROBL. XXIII.

Tempore Iubilæi quis per aliquam impotentiam Physicam, seu moralem confiteri non potest, sed opera reliqua præscripta gerens communione contritus se reficit: Hic lucratur, & non lucratur Iubilæum.

119 *Lucratur Iubilæum.* LVcratur quidem. Quia ex pia Pontificis mente præsumi debet tali in casu contritionem sufficere. Sic Laym. *lib.5.tract.7.cap.6.n.7.* Reginald. *lib.7.c.vlt.num.172.* Henriq. *lib.7.c.10. num.6.lit.N,* Nauar. *notab.18.n.14.*

120 *Non lucratur.* Non lucratur. Quia non implet quæ in Iubilæo præscribuntur. Nec recurrendum ad præsumptam Pontificis voluntatem, in claris enim coniecturis non indigemus. Ita Suar. *tom.4.d. 52.sect.3.num.6.* Filliuc. *tom.1.tract.8.c.6.n.146.* Alphonsus Leo *de Iubil.p.1.n.69.* Franciscus Leo *in Thesaur.p.1.c.7.n.26.*

121 *Quo his opinor.* Ego quidem libenter hærerem sententiæ primæ, ratus in casu Iubilæi Confessionem non præcipi tanquam actum, ob quem Iubilæum conceditur, sed vti securiorem dispositionem ad Indulgentiam lucrandam: & dum Confessio Sacramentalis est impossibilis, omninò esse præsumendum de pia Pontificis voluntate, & recurrendum ad contritionis actum. Ast cum eruditissimo amico meo Antonino Diana *part.5.tr.12. resol.29.* existimo, hunc non esse casum, vt quis lethali piaculo infectus valeat absque præuia Confessione se Eucharistiâ reficere, nisi immineat scandali periculum. Vnde probabiliorem secundam iudico esse sententiam.

PROBL. XXIV.

Religiosi Iubilæi tempore; possunt, & non possunt eligere Confessarium non approbatum ab Episcopo, sed à Regulari Prælato.

122 *Non possunt eligere.* NOn possunt eligere Confessarium approbatum à solo Regulari Prælato. Quia hæc est conditio in Iubilæo expressa, aptè quidem. Nam Pontifex potuit animaduertere, Confessarios strictiori calculo examinari, ac approbari consuescere ab Ordinariis locorum, quàm à Regulari superiore: ideóque eis potius voluit hoc Pontificium munus adiicere. Sic Fagund. *præc.2. lib.7.cap.2.num.12.* Henriq. *lib.6.c.6.n.4. lit.K,* Suar. *tom.4.d.28.sect.6. num.11.* Faust. *de Iubil. lib.4.quæst.88.*

123 *Possunt eligere.* Possunt Confessarium eligere à solo Regulari Præposito approbatum. Quia quando Bulla Iubilæi dicit: *Sacerdos sit ab Ordinario approbatus*, verba illa *Ab Ordinario* intelligenda sunt secundùm expositionem accommodam, itavt nomine Ordinarij intelligatur Episcopus, si de approbatione Confessarij pro sæcularium confessionibus audiendis agatur; si verò agatur de Confessario pro audiendis Regularium confessionibus, Prælatus ipsorum sit intelligendus. Ita Zerola, Sorbus, Coriol. Sanctarel. quos citat, ac sequitur Alphonsus de Leon *de Iubil.par.2.m.232.* & id satis esse probabile, ac tutum docet Boss. *de Iubil.sect.3.casu 3.num.10.* Imò posse etiam nouitios huic menti accommodari, asserit Ioan. de la Cruz *de statu Religion. libr.1. capite 6. concluf.2.*

124 *Distinguendum eor.* Ego quidem negatiuam sequor sententiam, quando in Bullâ Iubilæi dicitur, confitendum esse cum Confessario approbato *ab Ordinario loci*; affirmatiuam verò, quando in Bulla tantum dicitur, approbatum *ab Ordinario* esse eligendum. Tunc enim aptè accommoda illa expositio procedit.

PROBL. XXV.

Iubilæi tempore possunt, & non possunt Religiosi sine sui Superioris licentiâ, ad Confessarios approbatos extra suum Ordinem accurrere.

125 *Non possunt.* NOn possunt, nisi in Bullâ Iubilæi clausula derogatoria suorum priuilegiorum contineatur. Quia aliàs viget priuilegium Religioni indultum, quo prohibentur Religiosi extra Ordinem Sacerdotem in Confessarium eligere ad reseruata. Sic Filliuc. Polachus, Molphes. quos citat Bossius *de Iubil. sect. 3. casu 4. numero 17.*

126 *Possunt.* Possunt planè, etsi in Iubilæo non contineatur clausula derogatoria priuilegiorum: dummodo in Bulla adsit generalis facultas eligendi Confessarium specificè comprehendens etiam Religiosos. Quia eo ipso, quod nulla fit priuilegiorum mentio innuitur ea velle Pontificem hoc in casu suspendere. Ità Boss. citatus. Diana *p.5.tr.12.resol.38.* & alij.

ESCOBAR Theol. Mor. Tom. III. IV. Fol.

127 *Ab his sum.* Cum his opinor, addens, non posse Superiorem Regularem Iubilæi tempore suis subiectis prohibere, ne Sacerdoti seculari vel Regulari alterius Ordinis approbatis confiteantur, vt aptè Alphonsus de Leon de Iubil. *p.2. num.209.* annotauit.

PROBL. XXVI.

Partem operum præscriptorum quis adimplet in primâ hebdomadâ, & partem in secundâ: Hic lucratur, & non lucratur Iubilæum.

128 *Lucratur.* LVcratur planè. Quia opera præscripta impleri, & non constat debere omnia illa intra vnam, ac eandem hebdomadam fieri debere. Sic Molphes. *in summ. tract.71. cap.16. num.49. & 50.* Nald. *v. Indulgentia, num.14.* Laym. *lib.5. tract.7.cap.8.num.10.* Præpos. *in 3.p.q.14.dub.10. num.87.*

129 *Non lucratur.* Minimè lucratur. Quia expresè ideſt contra ipsa Bullæ Iubilæi verba, quæ præscribit opera cuncta intra eandem hebdomadam perfici. Ita Lugo *d.27.de pœnit.num.105.* Henriq. *lib.7. c.13.n.2.* Nauar. *Notab.34.* Philip. de Cruz. *in Thesaur.tr.1.de Iubil.§.18.num.3.* Vgol. *de potest. Episc.c.41.§.4.n.5.*

130 *Hanc mentem sequor.* Primam sententiam satis reor esse probabilem, sed ex Bullæ tenore secundam iudico magis Pontificis menti conformari. Amplius itaque probabile putarim non posse diuidi opera inter vnam & alteram hebdomadam. Hoc enim est contra fidelium praxim, contra Doctorum mentem, imò contra ipsius Bullæ præscriptum.

PROBL. XXVII.

Quis Burgis lucratus est hoc Iubilæum, & postmodum venit Vallisoletum, vbi idem Iubilæum celebratur: Potest hic, & non potest secundò illud lucrari, & à reseruatis absolui.

131 *Potest lucrari.* POtest secundò Vallisoleti lucrari. Quia, vt vidimus, multi asserunt, posse te duabus hebdomadis Iubilæum obtinere, ob rationem inibi allatam. Ergò Burgis & Vallisoleti poterit quis Iubilæum obtinere. Sic Alfons. de Leon *de Iubil.part.2.quæst.17. num.196.* Cui necessariò fauere debent Doctores asserentes, vnâ, & alterâ hebdomadâ posse te Iubilæum lucrari. Reginaldus scilicet *tom.1.lib.8.c.5.sect.2. n.64.* Henriq. *lib.6.c.16.n.3.* & alij.

132 *Lucrari non potest.* Non potest secundò Vallisoleti Iubilæum obtinere. Quia est idem Iubilæum. Ita Filliucius *tom.1.tract.8.cap.10.num.278.* asserens Clementem VIII. rogatum de hoc respondisse, semel tantùm posse sumi Iubilæum tamen Anno Sancto, quàm in aliis. Et idem respondisse Sacram Cardinalium Congregationem idem Doctor affirmat *n.261.* Quod antè multi Auctores docuerunt, vt Sanch. *in sum.tom.1.lib.4.c.54.n.30.* Suar. *de Relig.tom.2.lib.6.cap.16.num.17.* Benzon. *de Iubil.lib.5.cap.15.dub.3.*

133 *Eiusdem sum mentis.* Eiusdem sum mentis, addens tamen: si dum Burgis ades, Iubilæum lucrari neglexisti, elapsis autem duabus hebdomadis Vallisoletum pergas, vbi Iubilæum inchoatur, aut durat: consequi illud poteris, si cuncta opera in Bullâ præscripta exequare. Imò si tempore, quo publicatum est Iubilæum ex aliquâ inuincibili ignorantiâ fugit à te illius notitia: poteris illo tempore transacto intrà vnam & alteram hebdomadam à die notitiæ illud obtinere.

PROBL. XXVIII.

Ad lucrandum hoc Iubilæum, sufficit, & non sufficit, quòd fiat Sabbatho commutatio operum, quæ diebus præcedentibus geri debuissent.

134 *Non sufficit.* NOn sufficit. Quia hæc commutatio ieiuniorum (v.gr.) debet fieri feriâ quartâ, non autem aliis diebus sequentibus, ne dicatur commutari præteritum, quod amplius fieri non potest. Sic Louar. *tract.de Iubil.p.1.c.21.n.35.* Rodrig. *in sum.tom.1.c.225.* licèt in oppositam inferius partem inclinet.

135 *Sufficit.* Sufficit planè. Quia in Bullâ Iubilæi non restringitur quòad hoc commutandi facultas. Ità Henriq. *lib.7.c.10.n.6.& 8.* Leo *de Iubil.part.2. n.153.* Filliuc. *tom.1.tr.8.n.271.* Diana *p.5.tr.12. resol.25.* Lugo *d.27.n.130.*

136 *Cum his opinor.* Cum his opinor credens non obstare, quod sit elapsum tempus, cui addicta erant ieiunia, aut alia præscripta opera; quia datur regulariter Confessario facultas differendi singula, & omnia opera: quæ facultas non expirauit.

PROBL. XXIX.

Ex malitiâ præscripta opera in Iubilæo omisisti: vltimâ die poteris, & non poteris illud lucrari, si opera, quæ geri debuissent, in alia à Confessario commutentur.

137 *Lucrari non poteris.* LVcrari non poteris. Quia quando dicitur in Bullâ, præscripta opera posse in alia mutari, intelligendũ est respectu illius qui iusto detinetur impedimento; non respectu illius, qui carens impedimẽto iusto, opera præscripta præstare neglexit. Nam qui voluntariè negligit conditiones requisitas implere, moraliter loquendo, non potest dici impedimento detineri: neque Pontifex per talem particulam censetur velle, per Confessarium ei posse succurri. Addo, in Bulla communiter exprimi aliqua, quæ sunt necessaria impedimenta, vt carcer, clausura, & similia: ergo postmodum sub clausulâ generali similia iusta impedimenta debent intelligi. Sic Præpos. *in 3.part.quæst.14.de Indulg.dub.10.num.88.* Vega *tom.2.cap.7. casu 48.* Philip. de la Cruz *in Thes. tr.1.de Iubil.§.19.n.2.*

138 *Poteris lucrari.* Poteris lucrari. Quia facultas commutandi Iubilæi opera ex generali clausulâ se extendit ad præterita opera non solùm ob legitimam causam ægritudinis, impotentiæ, &c. omissa; sed etiam ad opera omissa ex malitiâ. Nam quamuis ex sua malitiâ præscripta opera non peregerit tempore constituto: tamen quando ad

ad pœnitentiam accedit, verè dicitur impotens. Ità Filliuc. *tom.1.tractat.8. cap.10. num.268.& 273.* Polach. *de Iubil.sect.42. numero 65.& 66.* Alphonſ.Leon *de Iubil. parte 2. num.186.* Sanctarel. *de Iubil.cap.7. dub.1.* Diana *part.5.tr.12. reſol.26.*

139 *Eadem ſum materia.* Idem planè iudicarim. Nam licèt voluntariè omittens non dicatur impeditus *cap. final. de elect. & cap.commiſſa, eodem in 6.* tamen hîc quamuis ſit impedimentum in causâ, tamen tunc iam non eſt voluntarium. Quare ſi quis pereret commutationem operum, vel dilationem conſecutionis Iubilæi ob id ſolùm, quod non vult eo tempore lucrari, cùm tamen commodè poſſet: non eſt capax illius diſpenſationis; quia impeditus verè non diceretur. Verùm ſi iam omiſiſſet opus tempori additum, nec eſſet tempus illud agendi,& pœniteret: non diceretur impedimentum amplius voluntarium, ſed neceſſarium ex ſuppoſitione.

PROBL. XXX.

Cuncta præſcripta opera pro Iubilæo lucrando geſsiſti, ſed die vltimâ in quâ Euchariſtiam debebas accipere, per incuriam, ſeu obliuionem naturalem ieiunium violaſti: Potes, & non potes Iubilæum lucrari, mutatâ à Confeſſario in aliud opus pium communione.

140 *Non potes.* NOn potes. Quia iuxta formulam nouam non poteſt Confeſſarius Communionem in alia pia opera commutare. Sic Cardin. de Lugo *de pœnitent. d.20. num.132.* & expreſſius adhuc *d.27. n.119.*

141 *Potes.* Potes certè. Quia nec in Bullâ modernâ id abſolutè, aut ſimpliciter negatur. Ergo ſicut olim, ſic etiam nunc Communio, imò & Confeſſio poterit commutari. Ità Henriq. *lib. 8. capite 10. numero 8.* Sanctarell. & Graff. quos citat, ac ſequitur Diana *parte 3. tractat. 4. reſolut.152.*

142 *Poterit iuxta nouam Iubilæi formam.* Poterit quidem in eo caſu pœnitens Iubilæum lucrari, & à reſeruatis abſolui, ſi formulam antiquam Iubilæi attendamus. Nam iuxtà illam, poteſt Confeſſarius Communionem, & (ſi neceſſum fuerit) Confeſſionem ſicut ieiunia, & alia opera, in alia pia opera commutare. At quidem dubito ablatam eſſe in noua formula Confeſſario huiuſmodi poteſtatem. Certè id clarè expreſſum in nouâ formulâ non lego. Vnde abſolutè aſſero, etiam nunc poſſe huiuſmodi homini Communio commutari. Do P. Henriquez teſtimonium. Vltimo etiam die commutari poſſet Confeſſio, Communio verò infirmis poſſet commutari, quibus deferri commodè non poteſt Euchariſtia: & pueris, qui per ætatem ad illam non admittuntur: aut ei, qui ex obliuione, & incuria bibit die deſignato communionis.

PROBL. XXXI.

Confeſſarius, qui ex facultate Iubilæi eligitur ad commutanda opera præſcripta debet, & non debet neceſſariò eſſe ille ſolus, qui ad Confeſsionem ad Iubilæi lucrationem eligitur.

143 *Debet eſſe Confeſſarius idem electus ad Confeſſionem.* DEbet neceſſariò ille ipſemet Confeſſarius opera (ſi commutanda ſint) mutare, qui ad Confeſſionem ad lucrationem Iubilæi gerendam, eligitur. Quia ex præſcriptione formulæ Iubilæi huiuſmodi commutatio debet neceſſariò fieri in actuali illa Confeſſione. Sic Sayr. *in Claui lib.5. cap.60. num.10.* Vega *tom.2. ſumm. cap. 129.caſu 34.* Rodrig. *in Bul.§.9. n.113.* Beia *in reſponſ.2.p.caſu 9.*

144 *Non debet eſſe idem Confeſſarius.* Non debet neceſſariò præſcripta opera commutare ille ipſe Confeſſarius, qui ad Confeſſionem pro Iubilæi lucratione eligitur: ſed quilibet alius approbatus ad id muneris poteſt eligi. Quia probabilius eſt, commutationem huiuſmodi poſſe geri extra ſacramentalem Confeſſionem. Ergo ſufficiens erit, ad præfatam commutationem gerendam quilibet Confeſſarius ex approbatis ab Ordinario. Ità Sanch. *lib.4.ſum. c.54.n.17.* Diana *p.5.tr.12.reſ.50.* Louar. *de Iubil. p.1.c.25.n.37.* Henriq. *lib.7.c.10.n.8.*

145 *Conſentio.* Conſentiens aſſero, iis qui præſcripta omnia in Iubilæo implere nequiuerint, commutari poſſe in alia ab Epiſcopo, vel Parocho, aut a Confeſſario quolibet virtute Iubilæi electo; quamuis poſtmodum pœnitens ei non confiteatur, ſed alteri Sacerdoti, aut multis ſucceſſiuè, dum durat Iubilæum.

CAPVT VIII.

Circa Votorum commutationem.

PROBL. XXXII.

Confeſſarius poteſt, & non poteſt virtute Iubilæi Vota extrà Confeſsionem commutare.

146 *Non poteſt.* NOn poteſt. Quia in Bullâ dicitur, vt Votorum commutatio fiat, *in foro pœnitentiæ, vel auditâ Confeſſione.* Sic Monte *in exam.Conf.part.3.c.9. ſect.2.§.17.n.4.* Rodrig. *in Bull. §.9. num.113. reg.9.* Suar. *tom.2. de Relig.lib.9.cap.16.num.3.* caſu, quo in Bullâ ſit illa particula: *In foro pœnitentiæ, &c.*

147 *Poteſt.* Poteſt planè, etiam quando in Bullâ præfatâ adeſt particula prædicta. Quia votorum commutatio haud indiget Confeſſione. Ità Henriq. *lib.7.c.10.n.8.* Tambut. *de Iure Abbat.tom.2.d.19. q.2.n.5.* Sanch. *in ſel.d.14.n.2.* Laym. *lib.4.tr.6.c. 10.n.21.* Boſſ. *de Iubil.ſect.2.caſu 28.n.3.*

148 *Præſidem ſum mentis.* Certè priuilegium hoc fauorabile eſt, & latè interpretandum. Extra Confeſſionem itaque poteſt fieri Votorum commutatio, eſto quod in Bullâ apponatur particula, *Confeſſionibus auditis*, vel *In foro pœnitentiæ.* Quia cùm diſtent valdè

E. SCOBAR Theol. Mor. Tom. III. IV. Fol. 11.

valdè inter se absoluere à peccatis, ac commutare vota, neque hoc indigeat confessione, haud censendus est Pontifex velle totum priuilegium limitare per illum ablatiuum: sed singula singulis sunt referenda. Vnde existimo, particulam illam referri ad absolutionem à peccatis, quæ immediatè sequitur. Quippe ea est regula, vt clausula posita in vna dispositionis parte, siue ponatur in principio, siue in medio, siue in fine, censeatur, ad omnia in ea clausulâ contenta referri; *cap. secundo requiris, de appellat.* At id intelligendum est, quando omnium eadem est ratio, quod in casu nostro non contingit.

PROBL. XXXIII.

Iubilæi tempore voto astringeris, quod non curas tunc tibi commutari: Potes, & non potes, Iubilæo exacto, impetrare huiusce voti commutationem.

149 *Non potes.* Minimè potes. Quia Votum commutari non potest nisi ex priuilegio Iubilæi illius, cui, renunciauit, qui noluit tempore, quo vigebat, voti commutationem postulare. Sic Suar. *tom.2. de Relig.lib.6.cap.16. num.14.& 15.* Regius *in summ. casu 11.* Bonacin. *tract. de legib. d.4.quæst.2.part.7.§.3. num.14.* Filliucius citatus à Leandro, sed iniustè, quia Doctor hic *illo tract. 26.cap.10. num.302.* agit de voto oblito, quod asserit non posse post Iubilæum commutari, quia ad commutationem, ait, requiritur talis voti qualitatis cognitio.

150 *Potes.* Potes planè. Quia pœnitens qui Iubilæum est consecutus ius acquisiuit, vt postmodum posset præfati voti commutationem efflagitare. Ità Sanch. *lib.8. de Matrim.d.15. num.17.* Henriq. *lib.7.cap.11.n.4.* Less. *lib.2. c.40.dub.16. n.109.* Fagund. *lib.2. Decal.c.50.n.17.*

151 *Idem asserо.* Profectò quamuis opera in Iubilæo præscripta ad eius assecutionem alligentur tempori designato in eo, ita vt, tempore transacto, fieri nequeant: At hisce operibus actis, qui Iubilæum lucratus est, priuilegium acquirit, vt postmodum à peccatis reseruatis oblitis absoluatur, & in quibusdam ei dispensetur, & vt commutentur ei vota vsque ad Iubilæi tempus emissa.

PROBL. XXXIV.

Iubilæi tempore exacto, poteris, & non poteris obtinere commutationem votorum Pontifici reseruatorum, quorum tunc immemor commutationem non efflagitasti.

152 *Non poteris.* Non poteris. Quia absolutio virtute Iubilæi facta non cadebat super absolutione votorum oblitorum. Et quia vota reseruata maiori sunt difficultati circa commutationem obnoxia. Vnde non videtur sufficere generalis illa votorum commutatio, quam quis à Confessario tempore Iubilæi petierit. Sic Laym. *lib.5 tract.7.c.8.* Filliuc. *tract.8. num.279.* Sanch. *lib.8. de Matr.d. 32.n.4.* Polach. *de Iubil. sect.42.n.69.*

153 Poteris quidem. Quia si tempore Iubilæi à Confessario petiisti, & obtinuisti generalem commutationem votorum Pontifici reseruatorum concessam in Iubilæo: clarè constat censeri sublatam esse reseruationem voti obliti, & transacto Iubilæo posse à quolibet Confessario commutari. Ità Sanch. *lib.8. de Matr.d.15. num.16.& 17.* Henriq. *lib.7.c.11.n.4.* Diana *p.5.tr.12.resol.40.* Sanctarel. *de Iubil.c.8.dub.3.* *Potes.*

Hoc mihi certum. Imò addiderim, tempore Iubilæi elapso, posse ab alio Confessario commutari vota Pontifici reseruata oblita, etiam si intra tempus à Iubilæo præscriptum nulla facta fuerit à Confessario dispensatio generalis votorum, aut nulla vota pœnitenti fuerint dispensata, seu commutata, vel ea sola in specie, quæ ab eodem pœnitente fuerunt Confessario detecta. Quia si pœnitens lucratus fuit Iubilæum, ius acquisiuit, vt commutatio illa postmodum fieret. Et sicut à peccatis reseruatis Pontifici potest postmodum absolui, ita voti Pontifici reseruati obliti commutationem obtinere. 154 *Hoc mihi certum.*

PROBL. XXXV.

Confessarius potens commutare virtute Iubilæi vota: potest, & non potest iuramenta emissa commutare.

Non potest Confessarius iuramentum commutare ex virtute Iubilæi ad commutationem votorum sibi tradita. Quia iuramenti vinculum est specie distinctum à voto: ergo priuilegium concessum ad commutanda vota, non debet extendi ad commutanda iuramenta. Sic Valent. *tom.3.d.6. quæst.6. part.4.* Bonac. *in decem præcept.d.4.quæst.2.part.7.num.32.* Azor. *lib.11. c.10.q.2.* Faust. *Thesaur.lib.4.q.41.n.1.* 155 *Commutare non potest iuramenta.*

Potest quidem commutare iuramenta circa eandem materiam emissa. Quia licèt vinculum iuramenti sit distinctum specie à voto: omninò tamen æquiparantur: cùm tota obligatio, & materia vinculi vtriusque ad solum Deum ordinetur. Ità Filliuc. *tract.26.num.254.* Trull. *in Bul. lib.1.§.7.cap.3.dub.2.num.3.* Fagund. *lib.2. Decal.cap.51. num.13.* Suar. *tom.2. de Relig. lib.6. c.14.n.6.* Sanch. *in sum.lib.4.c.53.n.8.* 156 *Potest iuramenta commutare.*

Existimo, communi fidelium existimatione huiusmodi iuramenta tanquam vota reputari, vnde facultas circà vota commutanda ad iuramenta extenditur. 157 *Idem asserо.*

PROBL. XXXVI.

Vt votum à te emissum non ludendi (v.gr.) serues, iuramentum emittis, quo confirmare valeas votum emissum: Confessarius virtute Iubilæi potest, & non potest huiusmodi iuramentum commutare.

Non potest. Quia quando conceditur priuilegium ad dispensandum in votis, solet in nonnullis concedi etiam, ad dispensandum in iuramentis. Signum ergò est, necessarium esse tale priuilegium expressum in Bullâ. Et quia cùm conceditur priuilegium gratis, non est laxè interpretandum, sed stricte. Si ergo conceditur facultas ad commutandum votum, non 158 *Non potest.*

non est extendenda ad iuramenti vinculum iuxta regulam textûs *in cap. Porrò, de priuileg.* Sic Henriq. *libr.7. cap.30. num. 5.* Less. *libr. 2. cap.40. dub.11. num.94.* Valent. *tom.3. d.6. q.6. part.4.* Azor. *libr.11. cap.10. q.2.*

159 *Potest.* Potest equidem. Quia si Confessarius (vti vidimus *Problem. proximo*) potest commutare iuramenta simul concurrentia cum voto, siue in eâdem materiâ emissâ, aut in aliâ: cur commutare non poterit iuramenta confirmando voto alicui emissa? Parum enim refert ad obligationis vim in ordine ad Deum, siue vno modo, siuè altero iuramentum fiat. Ita Suar. *tom.2. de Relig. lib.6. cap.14. n.19.* Basil. Ponti. *lib.8. de Matr. c.11. n.5.* Trull. *lib.2. Decal. c.2. dub.41.* Filliuc. *tom.2. tr.26. c.9. n.256.*

160 *Eadem sum sententia.* Ego existimo delegatam potestatem commutandi in votis virtute Iubilæi extendi tùm ad iuramenta absolutè facta, tum ad vota iuramento confirmata, seu iurata, licèt iuramentum & votum eiusdem materiæ concomitanter se habeant. Quia si solum esset votum, dispensabile esset seu commutabile: si solum esset iuramentum, etiam esset commutabile, vt ostendi. Ex eo autem quod sint concomitantia illa duo vincula, vnum non mutat suam naturam ex alterius consortio. Vt si quis teneatur irregularitatis vinculo ex homicidio casuali & voluntario. Hæc coniunctio non tollit, quominus non possit in casuali dispensare Episcopus iuxta Tridentini formam.

PROBL. XXXVII.

Facultas commutandi vota virtute Iubilæi, extenditur, & non extenditur, ad commutanda iuramenta adiecta contractui, in quo est turpitudo, aut iniustitia.

161 *Non extenditur.* FAcit quis homini iuramentum soluendi vsuras verbi gratia, requiris, an Confessarius habens facultatem ad votorum commutationem virtute Iubilæi, possit eâ vti ad commutationem huiusmodi iuramenti? Facultas dispensandi in votis, aut illa commutandi, non extenditur ad commutationem iuramenti, per quod nullum ius parti, cui iuramentum præstatur, acquiritur, quale est iuramentum adiectum contractui, in quo est turpitudo, vel iniustitia in creditore, ver. gratia, iuramentum soluendi vsuras. Quia tale iuramentum nullam cum voto similitudinem, vel iuris æquiparationem obtinet. Sic Layman. *lib.4. tract.3. cap.11. num.8.* Sanch. *lib.1. de Matrim. d.32. n.17.* Suar. *tom.2. de Relig. lib.6. cap.14. num.13.* Diana *1. p. tr.11. resol.41.*

162 *Extenditur.* Extenditur facultas præfata ad commutandum huiusmodi iuramentum. Quia per id nullum ius homini, cui factum est, acquiritur; sed soli Deo: ergo rationem voti inducit non aliter, quàm si Soli Deo iuramentum fieret. At potestas ob Iubilæum data ad commutanda vota, se extendit ad commutanda iramenta æquæ rationem voti præseferunt, ergo. Ita Trull. *in Bul. libr.1. §.7. cap.3. dub.2. numero 7.* Bossius *de Iubil. sect.2. casu 6. numero 4.* Rodrig. *tom.1. sum. cap.44. num.4.* Arag. *2.2. quæst.88. art.12. §. si quis autem.*

Certum mihi, facultatem delegatam circa votorum commutationem extendi ad iuramenta cum iniuriâ, seu iniustitiâ extorta, seu emissa. Quia cùm per talia iuramenta nullum ius acquiratur homini, cui præstantur: sed tota obligatio acquiritur Deo, qui in testem inuocatur, ac proinde solus Deus sit creditor: iuramenta videntur verè induere rationem voti, votisque æquiparari. Et licèt iuramenta eiusmodi non sint facta Deo, sed homini, quoad obligationem tamen censentur iuramenta Deo facta cum intuitu solius honoris Dei obligent. Igitur cui conceditur facultas relaxandi, aut commutandi vota, quibus promissio soli Deo acquiritur, censetur etiam concedi facultatem, commutandi huiusmodi iuramenta, per quæ soli Deo obligatio acquiritur. 163 *Hoc teneo, & expono.*

PROBL. XXXVIII.

In generali facultate ad vota commutanda, comprehenduntur, & non comprehenduntur Vota reseruata peregrinationis Ierosolymitanæ, Romanæ, ac Compostellanæ.

CErtum est, ex generali concessione ad omnia Vota commutanda, non comprehendi Vota Religionis, & Castitatis. Quia ob specialem, & antiquissimam reseruationem, materiæque grauitatem, in generali facultate illa minimè comprehenduntur, vt *sect.1.* vidimus. De votis verò Peregrinationis huius triplicis ambigitur. Comprehenduntur sanè. Quia votorum istorum reseruatio non est ita antiqua, nec tanti momenti, sicut votum Religionis, ac Castitatis: ergo debent in generali illa concessione comprehendi. Sic Malder. *2.2. tract.10. cap.5. dub.10.* Sanch. *libr.8. de Matrim. d.9. num.2.* quorum sententiam ait esse probabilem Diana *p.5. tr.12. resol.58.* 164 *Comprehenduntur.*

Non comprehenduntur. Quia hæc tria vota sine expressâ vllâ differentiâ sunt Pontifici reseruata sicut alia duo. Si ergo hæc non comprehenduntur in generali concessione commutandi vota, nec illa comprehendentur. Ita Suar. *tom.2. de Relig. cap.25. num.4.* Sanch. *in sum. lib.4. c.40. num.16.* Laym. *lib.4. tr.4. c.8. num.7.* Trull. *ub. Decal. c.2. dub.41. n.6.* Diana citatus. 165 *Non comprehenduntur.*

Existimo hanc sententiam illâ esse probabiliorem. Ast prima certa esset etiam quoad vota Religionis, & Castitatis, si Pontifex absolutè concederet generalem facultatem commutandi vota reseruata, vel in votis reseruatis dispensandi; quia satis exprimerentur, explicatâ reseruatione. Vel si Pontifex in facultate dispensandi in omnibus votis, excipiret votum Religionis, & Castitatis, vt stylus fert in Iubilæis omnibus; quia in tali casu vota illa triplicis peregrinationis concessa intelligerentur: exceptio namque in casibus non exceptis regulam obfirmat. 166 *Hanc sententiam dico probabiliorem.*

PROBL. XXXIX.

Confessario Iubilæi virtute impenditur facultas commutandi vota, exceptis votis Religionis, & Castitatis: Potest hic, & non potest commutare iuramenta ingrediendi Religionem, & Castitatem obseruandi.

167 *Commutare potest.* POtest commutare, dummodò præfata iuramenta non sint in fauorem, & vtilitatem proximi emissa. Quia iuramenta non videntur pari gradu in grauitate cum votis incedere. Sic Nauar. *lib.2.consil. de iureiurando consil.1.n.4. & 5.* Tabie. *verb. Iurare, quæst.20. num. 21.* Petr. de Ledesm. *tom.1.tract.11.de voto. c.4.dub.2.post 5. concl.*

168 *Commutare non potest.* Nullatenus potest. Quia vel est iuramentum Deo factum, & sic includit votum: ergo si est Pontifici reseruatum votum Religionis & Castitatis, etiam erit reseruatum iuramentum factum de secunda Religione, & de seruanda Castitate: Vel est iuramentum Religionis, & Castitatis absolutum, & nullam promissionem Deo factam includens: sed solam obligationem iuramenti continens (vt cum quis comminatorie vbi ipsi iurat, se Religionem ingressurum, & sic etiam votis æquiparatur, Religionis, & Castitatis. Ita Tolet. *lib.4.cap.13. num.4.* Azor. *lib.11.cap.10. quæst.3.* Trul. *in Bull.l.1.§.7.cap.3.dub.5.num.4.* Laym. *lib.4.tract.3.cap.11.num.4.* Sanch. *lib.8. de Matrim.d.13.n.4.*

169 *Eiusdem sum mentis.* Eiusdem mentis sum, ratus præfata iuramenta respicere aliquam promissionem Deo factam, vnde induunt rationem votorum, & sic pari gressu cum illis incedunt. Attamen concedit Sanchez præfata iuramenta non esse reseruata Pontifici, sed tantùm Episcopis: vnde videtur asserere, posse à Confessario Iubilæi virtute commutari, sicuti omnia vota, quæ Episcopus authoritate ordinariâ commutare potest. Quod non facilè admiserim.

PROBL. XL.

Ceui metu ab extrinseco incusso Religionis, aut Castitatis votum emisisti: Potest, & non potest Confessarius Iubilæi virtute huiusmodi vota commutare.

170 *Commutare non potest.* COmmutare non potest huiusmodi vota. Quia inuoluntarium, quod in huiusmodi votis reperitur: est saltem modo secundùm quid, quod non sufficit, ad tollendam reseruationem. Ex. gr. in votis emissis ob periculum mortis incendij, aut naufragij inuoluntarium secundùm quid reseruationem non tollit. Sic Suar. *tom.2. de Relig. lib.6.de voto, cap.26.n.4. & 5.* Sylvest. *verb. votum, 4.quæst.4.num.4.* Lauor. *de Inbil.p.2. cap.27.n.187.*

171 *Potest Commutare.* Potest huiusmodi vota, commutare. Quia non est præsumendum, Pontificem velle, illam ab extrinseco illatam fauore iniuriam, & vota per huiusmodi leuem metum emissa reseruare. Ità Laym. Bonac. Leo. quos refert, ac sequitur Diana *part.1.tract.11.resol.73. & part.5.tract.12. resol.61.* Henriq. *lib.11.c.15.num.8.* Lessi. *lib.2. cap.40.dub.13.n.106.* Sanch. *in sum. lib.4.c.40. num.30.*

172 *Consentio.* Consentio monens, nos hic loqui de metu ab extrinseco incusso, non ab intrinseco qualis est inspiratio diuina ex inferni horrore, &c. Metum ab extrinseco vocito vim leuem parentis comminantis, infirmitas, naufragium. Vota ergo ob huiusmodi metum ab extrinseco incussum emissa, possunt virtute Iubilæi commutari. Quia vota huiusmodi debent esse facili dispensationi obnoxia tum ob consensûs imperfectionem, aliquo quidem modo extorti: tum etiam in odium (si homo fuit) iniustè extorquentis.

PROBL. XLI.

Emisisti votum in vtilitatem Tertij, & acceptatum iam fuit ab eo, in cuius commodum fuit expressum: Tale votum est, & non est Iubilæi indulto commutabile.

173 *Est commutabile.* EMittit quis votum exhibendi Calicem v.gr. alicui Ecclesiæ, aut alicui puellæ dotem, aut pauperi cuidam eleemosynam: existimo, antè acceptationem non acquiri ius ab iis, in quorum fauorem fuit emissum, vnde commutabile est. Quid si tale votum fuit iam acceptatum? Est etiam ex causa rationabili commutationi agnatum. Quia cùm votum per se fiat Deo, & crediror obligationis ex voto procedentis sit Deus solus: acceptatio ex parte hominis parum facit ad naturam obligationis ex voto procedentis. Secùs autem in iuramento erit, quod ex naturâ petit, vt homini præstetur. Sic Trul. *in Bul. lib.1.§.7.cap.3.dub.8.num.2.* Caietan. *2.2.q.88. art.12.* Nauarra *de restit.lib.2.cap.1.dub.3.n.14.* Fagund. apud Trullench. citatum probabile, putat.

174 *Non est commutabile.* Haud est dispensabile, aut commutabile absque consensu illius, qui votum acceptauit. Quia per acceptationem iam Ecclesia, aut puella illa, seu pauper ius acquisiuit: ergo his inuitis, non potest remitti. Ita Fagund. *lib.2. in decal. c.49. num.11.* Suar. *lib.6.de voto, c.15.* Henriq. *lib.7. cap.30.* Trullench. hanc sententiam probabiliorem esse putat.

175 *Idem asserо.* His hæreo ob mei Thomæ Sanchez authoritatem, qui *lib.8. de Matr. d.10. n.23.* affirmat, nullum ex multis, quos legit, Doctoribus de hoc puncto dubitare. At primam sententiam satis reor esse probabilem.

PROBL. XLII.

Sectatur quis Iubilæi tempore opinionem probabilem circa illius consecutionem: Lucratur quidem, & non lucratur Indulgentiam.

176 *Non lucratur Indulgentiã.* LIcet absolutus maneat à reseruatis, non tamen lucratur Indulgentiam. Quia in materiâ Indulgentiarum non iuuat probabilis opinio, si oppositum sit verum. Non enim præstat quis opus

opus præscriptum ad Indulgentiæ acquisitionem. Vnde si aliquis v.gr. in primâ hebdomadâ ieiunauit, Ecclesias adiit, eleemosynam largitum est, & in secundâ confessum est, & Eucharistias sumpsit: sufficit secundùm aliquos graues Doctores ad lucrandum Iubilæum; sed hæc opinio licèt sit probabilis, tamen si esset falsa remaneret quidem talis à reseruatis confessis absolutus, quia opinio probabilis confert iurisdictionem, non tamen Iubilæi lucraretur indulgentiam. Sic Bonac. *d.6.quæst.1. part.5. n.27.* Barth. à sancto Fausto *tract.de Inbil. lib.4. quæst.64.* Diana *5.p. tract.12.resol.32.*

177 Qui opinione probabili vsus est ad Iubilæi lucrationem, non solùm manet à reseruatis absolutus, sed indulgentiam Iubilæi lucratur. Quia si opinio probabilis sufficit, vt censeatur Pontifex tribuere Confessario iurisdictionem, vt à reseruatis pœnitentem absoluat: cur eadem probabilis opinio non erit etiam sufficiens, vt credatur, Pontificem de facto indulgentiam Iubilæi concedere illi, qui iuxta eandem opinionem opera Iubilæi exequitur. Ita Leander *tom. 1. tract. 5. d.14. qu.164.* asserens virorum doctorum consentientia placita.

178 Præhunc opinioni subscribo, hoc de sedis Apostolicæ benignitate minimè addubitans. Certè vix esset vllus, qui indulgentiam obtineret, si primæ sententiæ vera esset assertio, cùm circa materiam, & opera Iubilæi adsint hinc inde variæ Doctorum, quas lucraturi Iubilæa, sequuntur opiniones.

PROBL. XLIII.

Tibi aliquod votum Iubilæi indulto commutatur: at postmodùm voluntate mutatâ Iubilæum non lucraris: Votum commutatum reuiuiscit, & non reuiuiscit.

179 REuiuiscit commutati voti obligatio, si non geras à Iubilæo præscripta. Quia gratiæ omnes Iubilæi conceduntur sub huiusmodi conditione. Sic Ioan. De la Cruz *1.p. sum. præc.2. art.2. dub.12. concl.2.* Nugnus *in addit. ad 3. part. quæst.9. art.2. sub.4.* Raphaël. de la Torre *2.2.q.88. art.12.d.vlt.n.5.*

180 Minimè reuiuiscit. Quia Pontifex nullâ conditione appositâ in Iubilæo, absolutè concedit facultatem absoluendi à reseruatis, & commutandi vota. Ergò cùm semel legitimè facta fuerit voti illius commutatio ac proinde votum extinctum est: haud postea non obtento Iubilæo, reuiuisceret. Ità Sanch. *lib.4.sum.cap.54. num.53.* Suar. *lib.6.de voto, cap.16. num.10.* Bonac. *d.4. de legib. q.1. p.7. §.3. n.18.*

181 Profectò posset Confessarius non commutare votum, donec, computa essent omnia in Iubilæo præscripta: posset item anteà commutare illud sub conditione, vt non obtineat vim huiusmodi commutatio, donec illa implerentur. At si absolutè commutauit votum ei, qui tunc habebat lucrandi Iubilæi intentionem, licèt postmodum non lucretur ratam manere voti commutationem, nec reuiuisci reor.

PROBL. XLIV.

Peccat, & non peccat lethaliter, qui postquam bona fide votorum commutationem obtinuit, postmodum voluntariè præscripta in Iubilæo opera omisit.

182 PEccat quidem. Quia accepturus voti commutationem virtute Iubilæi tacitè promittit præscriptorum operum impletionem, & confessarius id præsupponens commutationi huiusmodi dedit operam: Ergo lethalis, est tam grauis omissio materiæ. Sic Suar. *lib.6.de voto.cap.16. num.11.* Filliuc. *tom.2. tract. 26. n. 301.* Vasq. *de pœnit. q.91. art.3. dub.6.n.7.* Rodrig. *in sum. tom.2.c.188.* *Peccat lethaliter.*

183 Non peccat lethaliter. Quia pœnitens nihil promisit, nec obligationem aliquam (vt supponitur) illi Confessarius imposuit. Ità Bonacin. *d.5.q.7.p.7.§.3.n.18.* Henriq. *lib.6. cap.16.n.6.* Leo *de Iubil.part.2. num.9.* Bossi. *de Iubil.sect.1. casu 33.n.4.* *Non peccat lethaliter.*

284 Hoc mihi probabilius supponenti, Confessarium talem expressè obligationem non imposuisse: existimantique, à Iubilæo huiusmodi non apponi obligationem, nec de tali Pontificis intentione constare: nec ex naturâ rei videri includi pactum. Satis ergo est, proposito cum fit commutatio habere implendi præscripta: sicut sufficit ad absolutionem à reseruatis obtinendam. Ad hoc Caput transfer cuncta, quæ volumine primo circa votorum commutationem virtute Bullæ Cruciatæ exposui Problemata. *Hoc mihi probabilius.*

CAPVT IX.

Circa Iubilæum Communionis generalis singulis Mensibus in Societate IESV, ac in aliis Religionibus lucrari solitum.

185 HIvs Iubilæi exordium à societatis nostræ sollicitudine habuit exordium, illique prima illius concessio facta est à Paulo V. anno 1616. Aprilis 30. die, vt constat ex Bullâ hoc anno & die expedita ad septennium valitura. Hoc exemplo sollicitatæ aliæ Religiones eodem zelo salutis animarum succensæ, similia Iubilæa impetrauerunt. Ab Vrbano Octauo confirmatum est nostrum Iubilæum anno 1634. ad quindecimum valiturum. Bullæ huiusce clausulam expono: *Omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus & confessis, qui aliquam societatis IESV, vel quamcúnque aliam sæcularem Ecclesiam vbicúmque existentem vna ex Dominicis cuiuslibet mensis, qua Communio Generalis sollicitudine dilectorum filiorum Clericorum Regularium dictæ societatis: & quò ad Ecclesias sæculares de licentiâ Ordinariorum locorum, illarúmque Rectorum consensu agetur: deuotè visitauerint, & iis Dominicis in prædictis Ecclesiis sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ibique pro Christianorum* *Exordium, & tenor huius Iubilæi.*

Principum concordiâ hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint: plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, quam animabus fidelium defunctorum applicare possint, misericorditer in Domino concedimus.

PROBL. XLV.

Dies Dominicus (verbi gratia) Februarij est vltima huius Mensis dies: vel Dominica dies est prima dies Martij: Dominica talis vltimi diei Februarij potest & non potest pro Communione generali Martij assignari; & talis primæ diei Martij Dominica pro Communione generali Februarij.

186 *Quælibet è diebus Dominicis potest assignari ad hoc Iubilæum mensibus singulis.*

Ecclesiastica ac moralis computatio ad hoc Iubilæum facienda est ita, quod in quolibet Mense quælibet ex quatuor, vel quinque Dominicis, quas afferre assolet, assignari possit, etiam si Dominica Iubilæi vnius Mensis v. gr. Februarij non distet triginta diebus, nec viginti, nec duodecim à Dominicâ alterius, scilicet, Martij. Imò etiam si vnicus solus dies interfit inter vnum & alium Mensem. Quia Sabbathum fuit vltimus dies Februarij, & Dominica sequens prima dies Martij: vel è contra, etiam si quinquaginta plus dies intercedant, quia in Februario prima Dominica, & in Martio vltima fuit assignata. Ratio est, quia Pontifex solùm statuit, quod *vna ex Dominicis cuiuslibet Mensis* hoc Iubilæum possint fideles lucrari.

187 *Potest.*

Quæsierim itaque, num si dies Dominicus Februarij sit vltima huius Mensis dies, hæc pro Martij Mense possint assignari ad Iubilæum: vel si sit Dominicus dies prima die Martij, hæc assignari possit pro Iubilæo Februarij? Potest quidem; Quia parua est vnius diei distantia in triginta diebus Mensis vniuscuiusque, vel in sexaginta vtriusque, & ita pro paruitate materiæ est reputanda: & in moralibus paruum reputatur pro nihilo; ac etiam iam finitum Februarium vltimâ eius die, & inceptum Martium poteris adiudicare, sicque in hac die Iubilæum Martij lucrari poteris, præsertim cùm in Iure annus inceptus pro completo reputetur: *l. qua atate ff. de test.* vt iuxta DD. patet in annis qui pro sacris Ordinibus à Trident. *sess.* 23. *cap.* 12. exposcuntur. Sic nonnulli Moderni, qui nondum typis sua scripta dedêre.

188 *Non potest.*

Minimè potest. Quia expressè Pontifex statuit lucrandum esse. *Vnaex Dominicis cuiuslibet Mensis.* Dominica autem Martij etiam si prima illius sit dies, nec Mathematicè, nec morali, aut Ecclesiastico modo, est Dominica Februarij: è contra. Ita Anton. Quintanadue. *Apend. tract. 1. dub. 1. num. 7.* & alij.

189 *Hoc mihi certum.*

Existimo primam sententiam parem, aut nihil probabilitatis habere. Quia distantia vnius diei licèt parua sit respectu triginta, aut sexaginta dierum, est talis conditionis, vt omnino Menses distinguat. Hinc contractus, & Officia, vota, vel obligationes, quæ pro vno anno aut Mense præfiguntur, certum est, non transire ad primum diem, imò nec horam, aut quadrantem alterius anni, aut mensis sequentis; nec è contra: etiamsi tam exigua distantia, quanta est vnius quadrantis inter vnum, & alium intercedat.

PROBL. XLVI.

Vbi sunt plures vnâ in Vrbe Societatis domûs, poteris, & non poteris in omnibus hoc Iubilæum lucrari.

EX formâ Iubilæi à Paulo V. concessi anno 1617 sinè vllâ controuersiâ existimo in omnibus Societatis qualibet in Vrbe existentibus posse Iubilæum obtineri. Ast ex nouâ formâ Vrbani Octaui difficultas insurgit: ait enim concedi Iubilæum iis, qui *aliquam Ecclesiam* Societatis visitauerint, & in ea communicauerint. Ergo non poteris visitationem, & Eucharistiæ susceptionem gerere in omnibus sed in vna specialiter assignata. Quia si in omnibus posses lucrari, non iam vna Communio generalis quolibet Mense fieret, vt in Bullâ dicitur; sed plures in eodem Mense & loco. Et quia cùm omnes vnius Vrbis, vel Oppidi possint ad vnicam Ecclesiam conuenire, haud est credibile, omnes illius loci Ecclesias Pontificem voluisse pro Iubilæo assignare. Docti ideò viri hanc sententiam satis esse probabilem iudicarunt. 190 *Non poteris.*

Poteris in omnibus Ecclesiis Societatis in Vrbe existentibus Iubilæum lucrari. Quià illud concessum est Ecclesiæ, aut Ecclesiis Societatis; at quælibet illarum, quæ in hac Vrbe Vallisoletana v. gr. adest, ita absolutè est, & dicitur Societatis Ecclesia, ac si illa sola Vallisoleto existeret, nec rationem Ecclesiæ Societatis alteri tollit. Si concessum est hoc Iubilæum fidelibus orantibus & communicantibus in aliqua Societatis Ecclesia, cur in quacúmque orauerint, & Eucharistiam acceperint, siue sit hæc, siue illa, illud non consequentur? Ita viri ex nostris Doctrinâ conspicui, inter quos Antonium Quintanaduenas merito recensco *Apend. tract. 1. dub. 4. n. 2.* 191 *Poteris omnino.*

Hoc mihi certum. Quia non est maior ratio, cur in hâc, quàm in illâ domo locum habeat Iubilæum, cùm omnes sint eiusdem Societatis, & in omnibus sacramentum Confessionis, & Eucharistiæ administretur, Communióque generalis geri valeat. Addiderim, alia Iubilæa nostræ Societatis, v. gr. S. P. nostri Ignatij, Francisci Xauier, ac similium in omnibus Ecclesiis nostris eiusdem Ciuitatis posse fideles lucrari, sicut & similia Iubilæa aliorum Ordinum in omnibus sui Ordinis Ecclesiis, & cùm aliter conceditur à Pontifice, exprimi assolet. Statuit Pontifex frui Iubilæo hoc, qui inuiserit aliquam Societatis domum. *Alguna Iglesia, o alguna de las Iglesias de la Compania*: Ergò quâlibet visitatâ, dum sit Societatis siue domus Professæ, siue Collegij, siue domus probationis (omnes enim æqualiter sunt Societatis Ecclesiæ) Iubilæum proderit visitanti, & in ea communicanti. 192 *Est mihi hæc euidens sententia.*

PROBL.

PROBL. XLVII.

Potest, & non potest hoc obtineri Iubilæum in Ecclesiis Seminariorum Societatis.

193 Non potest. NOn potest. Quia huiusmodi Seminaria scilicet Hibernorum, Anglorum, & alia sæcularium non sunt propriè Societatis domus, nec Superiores nostri hisce domib. præpositi sunt absolutè Societatis Rectores: ideóque non habet ius suffragij in Congregationibus Prouincialibus, ad quas admitti debent omnes legitimi Collegiorum ac Domorum Societatis Rectores, vt constat ex formulâ à Congregatione quartâ approbatâ. Hanc partem viri docti nonnihil probabilitatis habere existimant.

194 Potest planè. Potest quidem obtineri in huiusmodi dominus Iubilæum. Quia hæ sunt verè Societatis Ecclesiæ, ergo illis hoc Iubilæum est concessum. Antecedens liquet, quia vel sunt Ecclesiæ Regulares, vel sæculares, nequit enim dari medium: non sæculares, cùm Ordinarij potestati non subiaceant, nec ab illis visitentur, aut regantur; Ergo Regulares sunt; sed non alterius Religionis, nisi Societatis; Ergo. Certè illæ Ecclesiæ dicuntur Regulares, quæ Regularium iurisdictioni subiacent ab illisque gubernantur; sed hæ subiacent iurisdictioni, ac regimini Superiorum Societatis, nempe Prouinciali, & Rectori: Ergo Regulares sunt; *absurdum* enim esset, vt statuit lex *cum principalis, ff. de reg. iuris*, Caput esse Regulare, & Ecclesiam seu corpus sæculare esse. Ità Quintanad. *Apendic. tractat. 1. dub. 5. numer. 1.* & alij.

195 Hoc certum existimo. Hoc certum existimo, ratus, horum Seminariorum Regularia esse absolutè. Quod autem Rectores illorum ad Congregationem Prouincialem non admittantur, minimè obstat, nam hoc pertinet ad specialem dispositionem iuris huius Religionis, quæ quibus visum fuit ius suffragij concessit, attentâ præsertim fundationis perpetuitate. Hac vel simili ratione ad congregationem non admittuntur Residentiarum Superiores, seu Collegiorum non perfectorum. At nemo ambiget, hæc esse propriè domos Societatis, & in eorum Ecclesiis Iubilæum hoc vim habere.

PROBL. XLVIII.

In Sacellis, Capellis, aut Oratoriis Societatis villarum, seu prædiorum: potest, & non potest hoc Iubilæum generalis Communionis obtineri.

196 Certum existimo, in Sacellis domorum Societatis posse hoc Iubilæum obtineri. SVppono vt ferè certum, in Sacellis, Oratoriis & Capellis domorum aut Collegiorum Societatis posse fieri Orationem, & Communionem ad hoc Iubilæum lucrandum. Quia domi-ne Ecclesiæ Monasterium, seu Religiosa domus comprehenditur, & intelligitur in fauorabilibus, non in odiosis. Tusch. *ver. Ecclesia, Concl. 9. n. 4.* Alexand. *cons. 145. n. 13. l. 7.* Sa *ver. Ecclesia n. 1.* Rodrig. *tom. 2. quæstion. Regul. quæst. 38. art. 2.* Ergo Iubilæa concessa Ecclesiis Societatis toti domo conceduntur, & in illâ vbicúmque celebretur poterunt obtineri, præcipuè cum in his Oratoriis possit Eucharistia non solùm nostris, sed etiam secularibus sine Ordinarij licentiâ ministrari, vt patet ex nostris priuilegiis *ver. Eucharistia §. 2. & 3.* Ergo potest in illis fieri Oratio & communio necessaria huic Iubilæo Obtinendo. Maior est difficultas, nùm in Sacellis, Capellis, aut Oratoriis nostrorum prædiorum possit hoc Iubilæum acquiri.

197 Obtineri non potest in prædiorum Oratorio. Certè non potest. Quia necessarium est, vt fiat Communio generalis in Ecclesiâ eâdem, in quâ Iubilæum est lucrandum; Ergo cùm illa non possit fieri in Oratoriis prædiorum tum ob exiguam eorum capacitatem, tunc propter difficultatem illuc conueniendi, non poterit in illis obtineri. Et quia videtur esse contra mentem Pontificis, vt tanta solemnitas ad tantillæ Capellæ trahatur angustias. Sic docti nonnulli.

198 Potest in prædiorum Oratorio obtineri. Potest quidem. Quia *prædium*, seu *grangia* (inquit Tuschus *lit. G. concl. 48. num. 1.*) *est membrum suppositum Monasterio, in quo extat Oratorium ad celebrandum.* Ergo si in toto Monasterio, seu domo Societatis potes Iubilæum lucrari, poteris etiam in prædiis, quæ sunt pars Monasterij. Certè omnia suburbia, prædia, villæ, vici, hotti, viridaria, grangiæ, & alia loca subiacentia alicui Ciuitati comprehenduntur in fauorabilibus sub Ciuitatis illius nomine, illiúsque priuilegiis potiuntur tam in sæcularibus, quàm in Ecclesiasticis: Ergo hæc prædia cùm ad domum Societatis pertineant, fruentur hoc spirituali Iubilæi priuilegio, quo in Ciuitate fruuntur Societatis domus, quibus subiacent. Viri doctissimi ex nostris satis hanc mentem probabilem esse putant.

199 Hoc satis probabile existimo. Suppositis Pontificum indultis, ex quibus constat, concessum esse Religiosis, in suis prædiis Oratoria erigere in quibus Eucharistia ministretur affirmatim non carere probabilitate secundam sententiam. Quia altaria nostrorum prædiorum sunt Pontificis auctoritate erecta: ac sub Ecclesiæ nomine comprehenduntur non minus quâ fundata Episcopi auctoritate: Ergo cùm sit hoc Iubilæum Ecclesiis Societatis concessum, etiam Capellis prædiorum censendum est fuisse concessum. Nec obstat primæ sententiæ ratio, cùm non sit necessarium, vt omnium Communio in eâdem Ecclesiâ fiat, sed quòd vnusquisque Ecclesiam visitet, in qua communicat. Profecto generalis Communio in eâdem fit Ecclesiâ cum fit aliquâ in Ecclesiâ, seu Oratorio prædiorum; quia hoc cum Ecclesia principali Societatis in Vrbe existentis vnam moraliter componit Ecclesiam. Nec distantia loci obest, cùm sub nomine Ciuitatis veniant prædia, aut territoria; etiam si longè per sex, aut octo, aut plures leucas à Ciuitate distent.

PROBL.

F. L. COBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
Fol. IV.

PROBL. XLIX.

Ad Iubilæi Communionis generalis lucrationem; est, & non est necessarium Confessionem præmitti, cùm quis lethali crimine grauatur.

200 *Necessarium est, præmitti Confessionem.*

SI non grauaris lethali crimine, haud est necessarium confiteri, ad huius Iubilæi lucrationem. Quia Confessio requiritur à Pontifice ad acquirendum gratiæ statum, in quo existit qui conscius non est lethalis piaculi. Si autem crimine lethali graueris necessaria est Confessio ad hoc Iubilæum impetrandum, nec Contritio sufficit. Quia in Bullâ præscribitur: *Christi fidelibus verè pœnitentibus; & confessis.* Sic in simili clausulâ alio rum Iubilæorum Angelus, Nauar. Peyrin. Cordu. Caeian. Sotus, quos citat Cruz *cap.8. dub.6. num.7.*

201 *Non est necessarium.*

Non est necessaria: sed sufficit Contritio. Quia Confessio non requiritur tunc vt conditio, sicut poscereturſi diceretur: *Præmissâ, aut factâ Confessione:* Sed vt quis tollat obicem peccati ad lucrandum Iubilæum, quod tollitur per Contritionem. Ità Sylvest. Rosel. Turrecremat. & alij, quos affert Henriq. *lib.7. c.2.* Gerson, Ioan. Andr. & Felin. quos citat Suar. *tom.4. de pœnit. d.52. s.3. n.12. & 13.*

202 *Eiusdem sum mentis.*

Eiusdem sum quòad Communionis generalis Iubilæum mentis. Quià si copulatiuè hæc verba, *Pœnitentibus* aut contritis, *& confessis* intelligerentur, semper cum Confessione esset necessaria Contritio perfecta, quod non est dicendum: sed si detur imperfecta Contritio, quæ est Attritio, cum hæc non sufficiat ad statum gratiæ sine Confessione, Confessio requireturſensus ergo est distributiuus, vel disiunctiuus, id est, tàm verè pœnitentibus, seu contritis, quàm confessis. Addiderim tamen ex Suario citato, Consulendum semper, vt quoties forma indulgentiæ, aut Iubilæi huiusmodi fuerit, actualis Confessio præmittatur. Si fieri possit, vt omne dubium possit auferri. Cæterùm rarò continget, posse quem licitè Eucharistiam, sola Contritione præmissâ, suscipere.

PROBL. L.

Requiritur, & non requiritur, vt ad huius Iubilæi lucrationem Communio de manibus Sacerdotis Societatis IESV suscipiatur.

203 *Necesse est. suscipi à Sacerdote Societatis*

SVscipi necessarium est è manibus Sacerdotis Societatis nostræ. Quià præscribitur in Bulla hâc, vt geratur generalis Communio *Sollicitudine Clericorum Regularium dictæ Societatis.* In Bullâ verò Pauli V. dicebatur: *Tempore Communionis generalis per Clericos Regulares Societatis IESV faciendæ.* Ergo per ipsos Communio ministranda. Alicui hæc sententia probabilis obiicitur.

204 *Necessarium non est.*

Non est necessarium suscipi Communionem è manibus Sacerdotis Iesuitæ. Quia in præfatis verbis Bullæ non exigitur, quòd immediatè per se ipsos Communio ministretur: sed quòd eorum curâ, studio, ac diligentiâ id fiat. Has enim significationes importat verbum *Sollicitudo.* Ad Cor.2. c.11. vbi est: *Instantia mea quotidiana, Sollicitudo omnium Ecclesiarum,* Alia versio fert: *Incumbens mihi quotidiana cura omnium Ecclesiarum.* Et cap.8. *Abundatis in omni sollicitudine,* alij, *omni diligentiâ,* & infrà. *Sed per aliorum sollicitudinem,* alij, *per aliorum studium.* Ita doctissimi nostræ Societatis viri Granado, Ruiz, Matthæus Rodriguez & alij apud Quintanad. *Apend.tract.1.dub.13.n.6.*

Satis esse existimo Eucharistiam suscipi à quocúmque Sacerdote sæculari, vel Regulari cuiusvis Ordinis in Ecclesiâ, vbi Communio generalis celebratur: nec enim ideò non fit Communio Clericorum Societatis sollicitudine. 205 *Hoc probabilius.*

PROBL. LI.

Ad commonendum populum de Communionis generalis Iubilæo, tempore Interdicti, possunt, & non possunt Campanæ pulsari.

SAbbatho antecedenti assollent in nostra Societate, & summo mane Dominicæ diei pulsari Campanæ solemniter, ad Iubilæi Communionis notitiam. Certè Interdicti tempore pulsari non poterunt. Quia ex cap. *Alma mater,* tempore Interdicti ad nullum diuinum Officium fas est pulsari: sed administratio Eucharistiæ solemniter facta à Sacerdote vel vestibus sactis in sacrificio, vel extrà Sacrificium Superpelliceo, & Stolâ induto, est officium diuinum: Ergo ad illam vtpote talem extenditur prohibitio illa, quod nequeat pulsatus campanis celebrari. Maior constat ex illo Capite. Minor probatur ex communi Doctorum, qui vt ait Filliuc. *tom.1. tract.18. cap.3. num.78.* docent, *sub nomine diuinorum Officiorum omnia illa prohiberi, quæ substantialiter diuina sunt, & non exercentur nisi ab Ecclesiæ Ministris ad id deputatis.* Talis absque dubio hæc administratio est: ergo. Sic ex Rodrig. mente *tom.2. quæst. Regul. q.109.* 206 *Non possunt pulsari.*

Interdicti tempore poterunt campanæ pulsari. Quià licitum est pulsari campanas Interdicti tempore ad conuocandum populum ad aliquas actiones, seu munia etiam Ecclesiastica, aut sacra. Bonac. *d.5. de Interd. part.4. num.7.* Henriq. *lib.13. cap.46. num.1.* & alij. Ergo si ad indicandum populo aliquam rem, quæ non sit Officium diuinum possunt pulsari campanæ, pulsare licebit etiam ad monendum populo, Societatem nostram habere hoc indultum concessum à Pontifice, vt omnes, qui in nostrâ Ecclesiâ communicauerint, indulgentiam plenariam lucrentur: & ad notificandum solemnitatem Dominicæ sequentis, in qua solemniter manifestabitur Eucharistia: & ad excitandam memoriam fidelium, vt ad Confessionem, quæ tempore Interdicti prohibita non est, se præparent. Et quia manifestatio solemnis Eucharistiæ & illius adoratio extra Sacrificium etiam ad campanæ sonitum licent tempore Interdicti. Ita Henriq. *l.13. cap.45. n.2.* Bonac. *d.5. p.3. §.2. n.1.* Rodrig. *tom.2. q.109.* Ludou. de Torres *l.6. d.48. dub.2.* 207 *Pulsari possunt.*

Hoc

208 Hoc mihi non modò probabilius, sed ferè cer-
Hic fieri videtur tum censeo, nec obstare existimo; quod populus
arcana. intelligat ex campanarum pulsatione excitari animos fidelium ad recipiendam Eucharistiam pro Iubilæo luctando: cùm enim dentur aliæ causæ, quæ omninò adæquatæ, ac sufficientes sint ad huiusmodi pulsationem licitè tempore Interdicti præstandam pro omni populo, licitè hæc fieri potest, quia ex causâ aliquâ de nouo superueniente, licitum est, ab omni dispositione recedere, iuxtà *l. de atate, §. ex causa, ff. de interrogat. act. C. non debet, de consanguin. & affinit. C. suggestum, de decimis.* & Decium *consil.* 335. *vol.* 2. Fateor quidem administrationem Eucharistiæ solemniter factam, vt assolet in hoc Iubilæo, sub diuinorum Officiorum appellatione comprehendi, attamen asseruerim non prohiberi in hac solemnitate campanarum pulsationem. Quia ipso cap. *Alma mater* hæc solemnitas videtur excludi. *Adicimus præterea, quod singulis diebus in Ecclesiis & Monasteriis Missæ celebrentur, & alia dicantur diuina officia, sicut prius, submissâ tamen voce, ianuis clausis, ac interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis.* Vbi sub diuinorum Officiorum appellatione, ad quæ campanæ pulsatio prohibetur, intelligi solùm Horas Canonicas, & non alias preces seu actiones, etiam si pro diuino Officio alias reputentur, mihi probabile videtur ex ipso Capitis contextu, cùm ibi solùm agatur de Officio diuino, in cuius assistentiâ distributiones quotidianas Canonici, & Clerici lucrantur. Vnde immediatè adiicitur: *Et tam Canonici, quàm Clerici Ecclesiarum, in quibus distributiones quotidianæ illis, qui Horis Canonicis intersunt, Canonicis tribuuntur, si ad Officia non venerint supradicta, distributiones eâdem amittant, sicut Interdicto perderent non extante, si diuinis officiis non adessent.* Canonicis autem, & Clericis solùm pro Horis Canonicis, regulariter loquendo, distributiones hæ competunt, non verò pro administratione Eucharistiæ, ad quam nunquam campanæ sonitu aduocantur. Vnde hæc clausula subsequens antecedentem declarat, vt moris esse in vtróque Iure, docet Tusch. *tom.* 1. *lit. C. v. clausula. fol.* 464.

CAPVT X.

Circa Iubilæum Quadraginta Horarum.

209 Iubilæi tempus. MYSTERIIS scaturire Quadragenarium numerum ex Scripturâ constat, quæ quidem D. Isidorus *de Eccles. officio, lib.* 1. *c.* 37. recensuit Pontifices ergò diuina huiusce numeri mysteria colentes ad Christi Domini gloriam, populique Christiani vtilitatem Quadraginta horarum Iubilæa instituerunt. Do Bullæ Vrbani VIII. cl. Musulam. *Omnibus Christi fidelibus vtriusque sexus verè pœnitentibus, & confessis, ac sacrâ Communione refectis, qui Orationi Quadraginta horarum de licentia Ordinarij constituendæ in Ecclesiâ Presbyterorum Societatis IESV Hispalensis, per aliquot temporis spatium deuotè interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordiâ, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint: plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.* Similis est omnium circa hoc Iubilæum Pontificarum Bullarum clausula.

PROBL. LII.

Necessarium est, & non est, orationem esse continuam per has Quadraginta horas, ita vt in Ecclesiâ, vbi hoc Iubilæum obtinetur, semper aliqui, vel aliquis orationi insistat.

ESt necessarium. Quia idem Vrbanus Octauus in Bullâ, quam indulsit anno 1641. Augusti 31. Sic ait: *Qui orationi Quadraginta horarum continuatarum, non autem interpolatarum, de licentiâ Ordinarij &c.* Ergo Orationis continuatio omnibus Quadraginta horis exigitur: nec enim aliter verum erit in tali Ecclesiâ Orationem Quadraginta horarum *continuatarum* haberi. Sic aliquis modernus in manuscriptis doctus quidem, sed scrupulosus verborum trutinator. 210 *Est necessarium.*

Continuatio hæc Orationis non exigitur à Pontifice ad hoc Iubilæum obtinendum. Quia vox illa *continuatarum* Quadraginta horarum non supra Orationem, sed supra tempus appellat. Sensus enim est, hoc Iubilæum concedi, aut durare per Quadraginta horas continuatas. In Bulla Iubilæi anni 1624. Sic: *Monialibus similiter verè pœnitentibus: quæ tempore orationis prædictæ in suorum Monasteriorum Ecclesiis orauerint, plenariam, &c.* An in præfatis Monialium Ecclesiis continua per Quadraginta horas oratio requiritur? Minimè, sed tempus solùm Quadraginta horarum assignatur, in cuius aliqua particula vnaquæque Monialium orare valeat. Ita Quintanad. *Apend. tract. 2. dub. 2. n. 6.* 211 *Non est necessarium.*

Certè si hæc cõtinuatio sine vlla interruptione tanquam conditio aut diligentia requireretur, nullus sciret, an diligentias necessarias perstitisset ad hoc Iubilæum præstandum: nec in ipsius potestate esset, eas exequi: si quidem ignorat, num continuat sit oratio, nec eam continuare facerè posset: & quod vnius Iubilæum lucraretur, à plurimorum voluntate, ac diligentiâ penderet. 212 *Idem asseruo.*

PROBL. LIII.

Septennium huius indulti incipit, & non incipit à die ex quo ad notitiam peruenit eorum, in quorum gratiam concessum fuit.

CErtum est, antè notitiam huius Iubilæi factam iis, in quorum gratiam conceditur, septennij tempus non incipere. Quia *ignoranti non currit tempus*, vt ex *l. Quandiu c. qui admitti ad bon. posses.* docet Flamin. *de resignat. l.* 11. *q.* 4. *n.* 38. & Cald. Pereir. *de renouat. emphyt. q.* 7. *n.* 13. Quæsierim tamen, num septennium huius Iubilæi necessariò computandum sit ex quo ad notitiam 213 *Antè notitiã Iubilæi factã non incipit septenniũ huius Iubilæi.*

notitiam venit eorum, in quorum gratiam est concessum; vel pro ipsorum arbitrio differri valeat post duos aut tres annos, post quos per septennium integrum duret?

214 *Necessariò cõputandum est septennium à die factæ notitiæ.*

Necessariò computandum est à die factæ notitiæ. Quia horum Iubilæorum indulta maximè assimilantur Pontificiis Epistolis, quæ quidem vim habent legis postquam publicantur eo modo, quo publicari solent. Certè hanc esse Pontificis mentem, in Bullâ Cruciatæ exprimitur, cuius septennium à die publicationis inchoatur. Sic viri docti in manuscriptis, quod probabile esse existimo.

215 *Non est necessariò ab eo die computãdum.*

Non est necessariò computandum septennium à die factæ notitiæ, sed pro eorum, quorum gratiâ indultum fuit expressum, arbitrio differri poterit. Quia Pontificis intentio esse videtur, vt fideles per septem annos huius Iubilæi gratiâ in hac Ecclesiâ vel illa fruantur, nec determinat hos potius, vel illos annos futuros mediatè, vel immediatè sequentes concessionem, vel pubicationem: cùm non dicat, *Præsentibus ad septennium subsequens valituris*: Sed tantùm: *Præsentibus ad septennium valituris*. Hanc sententiam esse satis probabilem asserit Quintanad. *Apend. tr. 2. dub. 3. n. 3.*

216 *Subscribo.*

Et subscribam, sic explicans clausulam, *Præsentibus ad septennium valituris*. Huius Iubilæi concessio per septem annos est duratura: siue concedo, vt septem annis hanc plenariam indulgentiam septies fideles lucrari possint. Si verò in Iubilæi indultis exprimerentur, quod anni inciperent à die editionis literarum Apostolicarum, vel à die publicationis ipsarum in singulis locis, vt exprimitur in Cruciatâ: haud dubium quin ab eo die inciperet septennium; intentio enim Pontificis indulgentiam concedentis tunc pateret. Hæc probabiliter asseruerim. Consulo tamen, vt quam primum Iubilæi indultum ad eos, in quorum gratiam, siue ad quorum instantiam conceditur, perueniat, publicari, & obtineri faciat, ita vt primus annus incipiat, si fieri possit, à primo anno; in quo Apostol. literæ sunt receptæ.

PROBL. LIV.

Valet, & non valet hoc Iubilæum: si pro eodem tempore in eâdem Ecclesiâ aliud quodcúmque iam concessum extet.

217 *Non valet.*

REgula quinquagesima septima Cancellariæ statuit, duas Indulgentias esse incompatibiles in eodem loco, si nulla facta fuit mentio prioris in posterioris impetratione. Igitur si pro eodem tempore in eadem Ecclesiâ aliud quodcúmque iam concessum existat, hoc Iubilæum non valebit. Quia id apertè clausula Bullæ exponit: *Volumus autem, vt si aliàs Christi fidelibus in dictâ Ecclesiâ, præmissa peragenti aliquam aliam indulgentiam perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, præsentes nullæ sint.* Certè particula, *Aliquam aliam indulgentiam* videtur omnes alias indulgentias similes vel dissimiles ab illâ Ecclesiâ eo die videntur excludi. Hoc viris doctis sed scrupulosis probabile sic visum est, vt non audeant, ad oppositam mentem inclinare.

Certè hoc Iubilæum valet, licèt pro eodem tempore in eâdem Ecclesiâ aliud exter iam concessum, dummodo quòad aliquas, vel aliquam circunstantiam sit dissimile. Quia constat, ex consuetudine optimâ legum, ac priuilegiorum interprete, ita hanc clausulam esse intelligendam. Vnde si vnum Iubilæum conceditur visitantibus D. Ignatij altare, aliud inuisentibus D. Antonij Capellam, vel Ecclesiam in communi. Vel si vnum conceditur à primis Vesperis vsque ad solis occasum, aliud per Quadraginta horas, &c. Regula Cancellariæ & clausula Bullæ non habet locum, atque adeò, si vnica tantùm ex his circunstantiis ac similibus vnum Iubilæum ab aliis differat, licèt in aliis conueniat, vtrúmque perseuerat, ac pro diuerso habetur. Sic viri, quos consului admodum doctrinâ conspicui. 218 *Valet plane.*

Hoc teneo, ratus, illa verba, *Aliquam aliam indulgentiam* sic esse exponenda: Aliquam aliam indulgentiam cum eisdem circunstantiis, seu omninò similibus quò ad locum, tempus, personas diligentias, &c. Verùm cum hæc gratia, fauor sit Principis, latè est intelligenda: & latè explicandam esse indulgentiarum concessionem, Suarius *d. 52. numer. 2.* & Henriq. *lib. 7. cap. 30.* affirmant. 219 *Eiusdem sententiæ.*

PROBL. LV.

Licet, & non licet, aliquid dare, vel accipere pro huiusce Iubilæi expeditione.

NOn licet. Quia apertè circa id Pontifex in Bullâ suam mentem exponit. *Volumus autem, quod si pro præsentatione, admissione, vel publicatione præsentium aliquid vel minimum detur, vel sponte oblatum recipiatur, præsentes, nullæ sint reipsa.* Ergo vel sponte oblata minimè possunt acceptari. 220 *Non licet.*

Licèt planè. Quia ex aliis decretis Pontificum constat solummodo prohiberi quamcúmque exactionem, solutionem lucrum, quæstũ, quæ quouismodo emptionem, aut venditionem redoleant in Iubilæorum, ac indulgentiarum concessione, aut expeditione. Ita prohibetur in Iure *c. de simoniâ*, aliquid dari ab eo, qui ordinatur. Et in *cap. sicut Episcopum 1. q. 2.* præscribitur Episcopis, ac ministris eius, ne aliquid petant, & in *cap. 1. §. penult. de censib. in 6.* Prælato Diœcesim suam visitanti indicitur: *Caueat, nè ipse, aut quisque suorum aliquod munus quodcúmque sit, & qualitercúmque offeratur, præsumat accipere.* In his, ac similibus casibus non quælibet datio, vel acceptio, vt simoniaca prohibetur, sed ea tantùm, quæ fiat intuitu Religionis, vel iustitiæ in tali materiâ: & quæ aliquo modo spectat ad commutationes voluntarias sacratum rerum, vt tales sunt cum earum iniuriâ, ac vilipendio. 221 *Licet omninò.*

Primam sententiam parum probabilem, imò omninò improbabilem esse iudico, experimento sciens pluribus titulis solere aliquid dari, & accipi pro præsentatione, admissione, aut publicatione horum Iubilæorum. Potest quidem dari, & accipi munus aliquod titulo gratitudinis, quia scilicet me gratum cupio Notario, ableuiatori, referendario, vel cuivis alteri Officiali exhibere. Potest titulo laboris in ea impensi, quia dignus mercede suâ, qui aliquid in huiusmodi expeditione 222 *Hoc teneo, & confirmo.*

tione laboris impendit. Potest ratione sustentationis; ex officio enim præsentandi, ac publicandi hasce indulgentias Officialis alitur. Et salarium aliunde assignatum non habet. Potest dari aliquid titulo redimendæ vexationis; scio enim, officialem hunc minimè literas expediturum, imò eas indulgentias impediturum, ni ei donum, aut pecunias exhibeam. Haud mihi persuadebo, Pontificis mentem esse, quòd res ita magni momenti, nempe Iubilæi lucratio pendeat tum ex re ita exigua, vt est largitio, & acceptio munusculi liberaliter dati, & iustè ex iusto labore accepti: tum ex impiâ Officialis voluntate nolentis indulgentiarum indultum præsentare, vel publicare, nisi ipsius labori satisfiat.

Circa Iubilæa pro Christi, Deiparæ, & sanctorum Festis concessa.

PROBL. LVI.

Festiuitatis celebritas à proprio die extrahitur, & in alium transfertur: Potest, & non potest in eum diem Iubilæum pro ea Festiuitate concessum simul transferri.

123 Iubil transfert.

POTEST Iubilæum transferri, cùm Festum transfertur iustam ob causam v.g. si incidat in Aduentus aut Quadragesimæ Dominicam. Quia Iubilæum concessum fuit à Pontifice in Diui illius honorem natalitio eius die, id est, ad vitalis illius mortis celebrandam instantiam. At dies, in quem transfertur Officium & Missa, est veluti Diui illius natalitium. Adde Pontifices huiusmodi concessisse Iubilæa, vt numerus fidelium ad honorem Diui augeatur, Iubilæi obtinendi spirituali illectamento, quod quidem augmentum non translato Iubilæo, frustrabitur: ergo credendum est Pontificem noluisse Ecclesiam Diui tanto honore ex populi frequentiâ, fideléque tam præditiue plenariæ indulgentiæ priuare thesauro. Hæc aliquali probabilitate sententia fulcitur.

124 Transferri nũ debet.

Non potest Iubilæum transferri, cùm officium & Missa in alteram diem transit. Quia Iubilæum conceditur lucrandum in die præfixo pro gloriosissimo horum Diuorum transitu, & ità huic affixum est Iubilæum, & in alium haud potest diem transferri, nisi aliter indulto exprimatur. Vnde frequenter ipsam diem in qua ad æternam patriam euolarunt exprimit Pontifex in concessionis Iubilæi indulto. Ita Azor. *tom. 2. l. 1. c. 28.* Fagund. *præc. 1. l. 1. c. 2. n. 10.*

125 Non asseru.

His hærens Doctoribus addiderim, etsi non exprimat Pontifex transitus diem, sed solùm dicat, *In Festiuitatibus*, vel *in diebus Festis*, vel *In Festo* horum, vel illorum Sanctorum sub horum nominibus minimè alium diem à die proprio, Festiuitatis, seu transitûs illorum esse intelligendum. Hæc enim iuxta Ecclesiæ ritus propriè, & simpliciter ipsorum Festum dicitur. Sic Raban. Maurus *de institut. Clericor. lib. 2. c. 43.* Quòd autem non possimus de Pontificis voluntate præsumere validum mihi est argumentum Bulla Vrbani VIII. quâ indulget, vt Iubilæum pro Festo D. Francisci Xauerij possit cum eius Officio, & Missâ transferri, cum occurrit primâ Aduentûs Dominicâ, & in diem sequentem Lunæ transit. Vnde constat haud posse transferri Iubilæa, nisi ex speciali Pontificis indulto.

PROBL. LVII.

Notarij Regij, seu pro sæculari foro deputati subscriptio sufficit, & non sufficit, vt Iubilæorum huiusmodi transumptis fides adhibeatur.

226 Non est sufficiens.

AIt Pontifex: *Volumus autem, quod præsentium trãsumptis etiam impressis, & manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ.* Quæsierim, num Notarij Regij vel pro sæculari foro deputati subscriptio sufficiat ad hoc, vt omnes transumptis horum Iubilæorum seu Bullarum præfatam clausulam continentium fidem adhibeant? Non est sufficiens. Quia Regij Notarij ad longè diuersam iurisdictionem, & Tribunal spectant, & in Ecclesiasticis causis, sæcularis fori Iudices, Ministri, vel Officiales minimè sese valent ingerere. Sic docti viri in manuscriptis fuêre opinati non omninò improbabiliter.

227 Sufficiens est.

Regij Notarij subscriptio sufficit omninò. Quia in generali Pontifex loquitur, statuens cuiuslibet Notarij manu scriptum transumptum exarari posse: haud exprimens, quod Notarius futurus esse debeat Ecclesiastici fori: Ergo generaliter Statutum est accipiendum. *Nam generaliter loquens generaliter est accipienda*; iuxtà *l. pretio, ff. de public. in rem act. l. in fraudem, § vlt. de testam. milit. l. prima §. generaliter ff. de leg. præst.* ex Surdo, Angelo, Riccio, Ioan. Narbo. teste Simone Barbosa *principiis Iur. lit. L, n. 29.* Et hanc generalitatem docet dictio, *Alicuius*, quæ sigillatim omnes Personas absque vllâ distinctione comprehendit. August. Barb. *de dict. dict. 14.*

228 Hoc ferè certum est mihi.

Hoc mihi ferè certum. Sed adhùc ex sententiâ Baldi *in margar. decret. littera N*, verbo *Notarius*, confirmo. *Quæro.* (inquit) *an Notarius, Imperiali auctoritate possit exercere officium in terris Ecclesiæ, vel in causis spiritualibus: vel Notarius Papæ in terris Imperij in temporalibus. Et crederem, quia sic. Quia hoc est officium, non iurisdictio.* Ergo etsi aliquis Notarius sit fori sæcularis in Ecclesiasticis, & spiritualibus, qualia sunt Iubilæorum indulta suum valebit munus exercere. Imò me iudice, non est merè Ecclesiastica, ac spiritualis actio, circà quam hic Notarius officium exercet, hæc indulta subscribendo: cùm solùm sit testificatio quædam ad fidem humanam inducendam de literarum Apostolicarum veritate. His tamen non obstantibus, semper consulerim, vt hæc Iubilæorum & Apostolicarum litterarum indulta Ecclesiastici Notarij manu subscribantur.

F. ESCOBAR Theol. Mor. Tom. III. IV. Fol. IV.

CAPVT XII.

Circà Iubilæa ac indulgentias Regularibus, eorúmque Ecclesiis concessas.

229 *Innumeræ ferè sunt Religiosis expressa indulgentiæ.*

INNVMERÆ ferè sunt indulgentiæ plenariæ, & non plenariæ Religiosis omnibus, eorúmque Ecclesiis, Festis, benefactoribus, famulis, ac cognatis à Pontificibus concessæ. Lege Mendicantium compendium *ver. Indulgentia à folio* 273. *ad* 311. & Hieronym. Rodriguez *qq. Reg. resol.* 77. Sed cum ad præfatum numerum hæ accreuissent, ac de omnium illarum testimoniis non ita dilucidè constaret. SS. D. N. Paulus V. anno 1606. per suam Bullam in formâ Breuis reuocauit omnes, & singulas indulgentias per Antecessores suos concessas omnibus Regularibus cuiuscúmque instituti, & sexûs, illásque annullauit, & loco earum alias de nouo concessit, priores non mediocriter limitando. Tenor huius reformationis, & nouæ concessionis habetur in constitutionibus Prædicatorum *cap.* 30. *fol.* 379. Lege nostrum Quintanadueñ. *Apend. tract.* 4. *dub.* 1. *num.* 2. Nonnullas difficultates enodabo.

PROBL. LVIII.

Religiosi facti Episcopi fruuntur, & non fruuntur suæ Religionis indulgentiis.

230 *Fruuntur.*

FRuuntur planè. Quia ipsi non solùm Religiosi sunt ad tria vota substantialia quatenus Episcopali dignitati non obstant obligati; sed etiam debent obseruantias regulares ad mortale, vel veniale obligantes amplecti, dummodò Pontificio muneri non opponantur: licèt pœnis, pro eorum transgressione positis non subiaceant. Sic ex D. Thoma Antoni. Syluest. Tabie. Turrecrem. Emanuel. Fuluio, & aliis Sanchez *tom.* 2. *sum. lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 18. Igitur si Religionis oneribus subiacent, debent & priuilegiis, ac gratiis potiri.

231 *Non fruuntur.*

Minimè fruuntur. Quia id prohibet Motus proprius Sixti IV. quem affert Eman. *tom.* 2. *qq. reg. q.* 80. *art.* 3. *Sixtus IV. statuit, vt si aliqui fratres Minores, aut Prædicatores obtinuerint habilitationem ad habenda beneficia Ecclesiastica, & quod interim, vel postquam eam habuerint, valeant residere in domibus dicti Ordinis, & ibidem camerat, ac vocem activam & passiuam in Capitulis generalibus, & priuilegiis eorum Fratrum, & Ordinum gaudere; quod illi tales postquam aliquod beneficium, pacificè adepti fuerint, aut pro Capellanis in aliquibus Ecclesiis deseruire cœperint, concessionibus prædictis nequeant gaudere, aut aliis consimilibus Ordinem concernentibus nisi de Prælatorum consensu.* Et addit Emanuel: *Idem statuit de promotis ad Cathedrales, ac alias Dignitates Ecclesiasticas.* Itáque Episcopus Religiosus suæ Religionis priuilegiis non gaudet, siquidem regulæ obseruantiis, iugóque Monasticæ disciplinæ non subiicet. Ità Mendos. *de priuil. adinstar Gloss.* 3. *n.* 11. & Sanch. citatus *n.* 33.

Ego autem non ita generaliter tenendum existimo, vt prima fert sententia: nec tam strictè, vt secunda nititur. In primis assero solùm prohiberi in Sixti decreto, quod Minores, & Prædicatores ad dignitates Ecclesiasticas promotos priuilegiis sui Ordinis non fruantur. Vnde minimè ad aliorum Ordinum Regulares debet extendi; quia pœnalis lex, qualis est hæc prohibitio extendi non debet ad alios casus, vel personas præter assignatas, etiamsi inter hasce, & alias similitudo rationis inueniatur. Deindè putarim, Minoribus, ac Prædicatoribus factis Episcopis concedi posse à Prælatis suæ Religionis, vt præfatis priuilegiis & indultis valeant: quod innuit Sixtus, dum ait: *Gaudere non posse priuilegiis, nisi de Prælatorum consensu.* Igitur indulgentias omnes Regularibus in generali concessas, si hæc non petant lucrantes viuentes, intra claustra, huiusmodi Episcopos etiam Minorum & Prædicatorum (de aliis enim non dubito) frui existimo; quia non est credibile, eos illis velle priuare Religionum Prælatos. Nec æquum est, vt qui Pontifici obediendo perfectiorem init statum, tot spiritualibus diuitiis ab ipso Pontifice priuetur. Itáque me auctore, sufficit, vt lucrentur indulgentias, Prælatos Religionum apertè non contradicere; dum enim non contradicunt, supponuntur annuere. 232 *Quid sentiam, expono.*

PROBL. LIX.

Apostatæ, ac Fugitiui à Religione fruuntur, & non fruuntur Iubilæis, & indulgentiis in Defunctorum gratiam expensis.

SCio, Apostatas eo ipso, quod Religionem deserant cum animo ad eam non reuertendi, nec ad alium Ordinem transeundi, priuari Iubilæorum, ac indulgentiarum priuilegiis: cùm velut separatum ab Ordine membrum à Pontifice reputentur. Assero sine cunctatione, Fugitiuos, eos scilicet, qui è Monasterio recedunt absque Superiorum licentiâ, etiam indultis esse priuatos: cùm video, hos, eorúmque receptores, & retentores non secùs ac apostatas, eorúmque receptores, & auxiliatores esse excommunicatos ab Innocentio, Clemente, & Sixto IV. 233 *Nonnulla suppono.*

Ad quæstionem autem voco, nùm hi Apostatæ ac Fugitiui fruantur Iubilæis, & indulgentiis in defunctorum auxilium expensis? Non fruuntur. Quia illa pro defunctis applicatio supponit applicantis ad fruendum hoc indulto aptitudinem. Ergo si aptus non est ad fruendum priuilegio, quomodo poterit id animabus Purgatorij applicare nemo enim dat, quod non habet. Collegi ex Sanch. *l.* 6. *sum. c.* 8. *n.* 34. ac Hieron. Rodrig. *qq. Regul. res.* 11. *n.* 29. 234 *Non fruuntur Iubilæis pro defunctis.*

Fruuntur quidem. Quia huiusmodi Iubilæa, & indulgentiæ pro animabus Purgatorij applicandæ potiùs illius quàm Apostatis, ac Fugitiuis, per eorum tamen diligentias conceduntur. Nec congruum est, vt defunctorum animæ puniantur hac pœnâ, scilicet indulgentiarum, ac suffragiorum carentia, ex Apostatarum, ac Fugitiuorum delicto, contra illud Ezech. 18. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* Quod refertur in cap. *Iam itáque* 1. *q.* 4. Quam mentem Quintanad. *Apend. tr.* 4. *dub.* 7. innuit esse probabilem. 235 *Fruuntur.*

Equidem

236 Equidem existimo, Apostatam, & fugitiuum ab eo tempore, quo resipuerit, & intentionem habuerit ad Religionem remeandi, posse, si in gratiâ sit saltem per contritionis Actum, lucrari omnes Religionis indulgentias viuis concessas: & etiam si in peccato mortali sit, dum hunc animum redeundi habeat, posse lucrari omnes, quas pro Animabus Purgatorij possunt reliqui suæ Religionis alumni. Si autem redeundi non habeat animum omnino eum tanquam membrum putridum ab spe lucrandi pro defunctis Iubilæa excluserim.

Apostata mè.

PROBL. LX.

Inter Regulares diuersi Ordinis eorúmque Ecclesias datur, & non datur tam arcta circa Iubilæa communicatio, vt si vna Religio fruatur quinque, verbi gratia, Iubilæis pro quinque Sanctorum Solemniis, totidem aliæ Religiones Mendicantes ad similem Diuorum numerum potiri existimentur.

237 SVppono *ex tom. vltim.* de triplici Statu, quem Deo auspice edam in lucem, dari communicationem priuilegiorum inter Religiones Mendicantes, quod constat ex pluribus Bullis & *indultis* Sixti Quarti, Innocentij Octaui, Alexandri Sexti, Iulij Secundi, Leonis Decimi, Clementis Septimi, Eugenij Quarti, Gregorij Noni, Pij Secundi, & Quinti quæ videri possunt in compendio Mendicantium *V. Communicatio*, apud Eman. *tom.* 1. *q.* 55. Porro ex Bullâ Leonis Decimi difficultas insurgit, an Iubilæa omnia, quæ à Pontifice conceduntur visitantibus Ecclesiam alicuius Ordinis in aliquo die, visitantes diuersæ Religionis Ecclesiam in die alterius Diui illius Religionis possint obtinere?

Quidam supponit.

238 Profectò cum in Festis D. Francisci, Antonij, Ludouici, Bonauenturæ, Bernardini, Didaci, ac Claræ v. gr. aliquam Ecclesiam Ordinis Minorum inuisentes Iubilæum assequuntur: eademmet indulgentia videtur concedi visitantibus Ecclesiam Prædicatorum in festiuitatibus S.S. Dominici, Petri Martyris, Thomæ de Aquino, Catherinæ Senensis, & Hyacinthi. Quia sic in Bullâ Leonis Decimi præscribitur anno 1519. expensa. Ita Rodrig. vtérque Emanuel. sequitur Hieronymus *qq. regul. resol.* 116. *n.* 52. fatus: *Vnde Indulgentia plenaria concessa à Sixto V. visitantibus Ecclesias Fratrum Minorum in Festis suorum Sanctorum: eadem censetur concessa pro Ecclesiis, Prædicatorum in Festis suorum Sanctorum, & è contrà.*

Communicatio tollatur.

239 Minimè concessa est Indulgentia visitantibus Ecclesiam Prædicatorum in Festo suorum Diuorum, quæ concessa fuit visitantibus Ecclesiam Minorum in suorum Sanctorum Solemniis. Quia illa Bullæ expositio à praxi omnino abhorret, & eam impugnat consuetudo, secundùm quam priuilegia esse interpretanda communis fert Doctorum sententia: Siquidem ea declarat, quando lex obligat, vel non obligat. Miranda sic *tom.* 2. *quæstion.* 44. *artic.* 4. cum D. Thoma 2. 2. *q.* 97. *art.* 3. & *q.* 186. *art.* 9.

Non datur publica communicatio.

Admiserim, posse Religiosos Mendicantes in die, verbi gratia, D. Francisci suâ in Ecclesiâ Iubilæum illius Diui lucrari, nec esse necessariam Ecclesiæ D. Francisci visitationem. Sed primæ sententiæ doctrinam nullatenus admittendam esse reor. Quia vnquam cogitauit, quod vi Iubilæi concessi die D. Hyacinthi in Ordine Prædicatorum, lucrentur idem Iubilæum fideles inuisentes Ecclesiam Minorum in die D. Bonauenturæ; & D. Xauier in Societate nostriâ; & sancti Nicolai de Tolentino in D. Augustini Ordine; & sic in aliis. Quonammodo aptanda est ista commutatio, si pro Sanctis Confessoribus concessa quinque Iubilæa sint vni Ordini, & septem Confessores celebrentur in alio. Cur duo ex his priuandi sint Iubilæis illis? & cur potius hic, quàm ille Diuus Iubilæo carebit? Audebis tunc proprio arbitrio hos Sanctos, ac hos dies potius, quàm illos pro Iubilæum lucratione eligere? Præterea cum hæc omnia Iubilæa ad tempus concedantur, debent eo ipso, quod tempus Iubilæi pro D. Francisco concessum finiatur, finiri omnium Patriarcharum Iubilæa, ni aliunde ea concessa habeantur. Ergo Auctorum venia futilem esse prioris sententiæ probabilitatem existimo.

240 *Primam sententiam taxat.*

PROBL. LXI.

Regulares possunt, & non possunt sine Cruciatæ Bullâ lucrari Iubilæa pro suis Ecclesiis, concessa.

241 SVnt Iubilæa, & indulgentiæ concessæ pro Monasteriis, & Ecclesiis Regularium, seu quas in illis lucrantur omnes fideles. Horum Ecclesias in die suorum Fundatorum, aut Titularium, in Festiuitatibus Christi, Deiparæ, & aliorum Sanctorum visitantes. Quæ quidem Iubilæa lucrari Religiosi non possunt sine Cruciatæ Bullâ. Quia in ea præcauetur, ne Religiosi possint lucrari nisi eas indulgentias, *quæ Ordinum Mendicantium Superioribus, quo ad eorum Fratres concessa sunt.* At non sunt concessa Iubilæa, quæ in eorum Ecclesiis fideles lucrantur: Ergò hæc non valent sine Cruciatâ obtinere, sic aliquis scrupulosus Bullæ trutinator.

Lucrari non possunt.

242 Possunt etiam in Hispaniæ Regnis Religiosi sine Bullâ Cruciatæ huiusmodi Iubilæa lucrari. Quia licèt in Bulla suspensio hæc de Monasteriis dicatur, intelligendum est de indulgentiis concessis sæcularibus eorum Ecclesiam visitantibus, non de ipsis Religiosis. Ludouici de la Cruz *d.* 1. *cap.* 9. *dub.* 1. *n.* 9. verba expono. *Multi Salmanticenses doctissimi per Ioannem à Cruce Epit. lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 12. *concl.* 5. *relati, asseruêre quòd quando Bulla post suspensionem omnium indulgentiarum, gratiarum, & facultatum excipit concessa Superioribus Mendicantium, quoad suos Religiosos, exceptio ista intelligitur respectu indulgentiarum dumtaxat: & videtur deduci ex contextu, dum dicitur, quoad suos subditos. Id enim de indulgentiis potius verificari debet, nempè de indulgentiâ plenariâ concessa visitantibus Ecclesias nostri Ordinis in præcipuis eiusdem Festiuitatibus, quæ quoad sæculares suspenduntur, non verò quoad Religiosos.* Consonat Miranda *Manu. q.* 45. *art.* 7.

Possunt lucrari.

243 *His hæret.* Longè ego probabiliorem hanc sententiam existimo, iustéque ab hisce Doctoribus Bullæ clausulam ita fauorabiliter explicari.

PROBL. LXII.

Religiosi in Hispaniæ Regnis valent, & non valent lucrari Iubilæa & indulgentias vniuersis Christi fidelibus in generali concessas, sine Cruciatâ.

244 *Non possunt sine Cruciatâ.* NOn valent Religiosi sine Cruciatâ lucrari omnia Iubilæa, & Indulgentias concessas omnibus fidelibus, v.gr. in Granis, Imaginibus, & quæ conceduntur recitantibus Psalterium, Circulum Virginæum, Horas Canonicas, Officium Beatæ MARIÆ, & alias preces: Communicantibus, celebrantibus, ieiunantibus, vel alia pia opera certis diebus exercentibus: & his similia. Quia videtur Bulla omnia hæc præcauere, dum ait: *Vt suspendere possit* (Commissarius) *dicto biennio durante omnes similes aut dissimiles indulgentias, aut facultates ab eodem sanctissimo Domino Nostro (Pio Quinto) & sede Apostolica, vel eius auctoritate quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, & in fauorem fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, vniuersitatibus, Hospitalibus, piis locis, Confraternitatibus, & singulis personis in dictis Regnis concessas, &c.* Et quia sequeretur, nullam indulgentiam, suspendi per Bullam quò ad Regulares, omnésque sine illa posse eos obtinere perinde ac si Bullam accepissent; & vt lucrantur omnes, qui eam accipiunt. Sic viri docti, quorum opinio ratione satis probabili niti nonnullus à me consultus iudicauit.

245 *Sine Cruciatâ possunt.* Valent Religiosi sine Bullâ præfatas lucrari indulgentias, & Iubilæa. Quia huiusmodi indulgentiæ non conceduntur singularibus personis, sed toti populo Christiano; nec Monasteriis, Ecclesiis, Hospitalibus, Confraternitatibus, aut aliis piis locis quibuscúmque: sed cunctis fidelibus Christianis: & consequenter non sunt de numero gratiarum, quæ in Bullâ conceduntur. Et quia cùm Bulla loquatur cum fidelibus in Hispaniarum Regno existentibus, provt in illo existentibus, non provt fideles sunt: (nam aliter omnes aliorum Regnorum incolas comprehenderet) nequit suspendere indulgentias, quæ illis vt fidelibus vt sic, competunt. Ità Ludouicus de la Cruz *d. 1. cap. 9. dub. 1. num. 13.* Quintanad. *Apend. tr. 4. dub. 12. n. 2.*

246 *Hæc est mea sententia, quâ illæsâ.* Idem asserendum mihi censeo. Nam concessum vniuersis non suspenditur suspensione particularium; sed suspensio, quæ fit à Commissario est concessionum particularium: vt patet hisce verbis: *Suspendemos quales quiera gracias è Indulgencias concedidas à todas, y qualesquier Iglesias, y Monasterios, y Hospitales, Cofradias, y lugares pios, y personas particulares.* Ergo non suspenduntur indulgentiæ concessæ vniuersis fidelibus in generali, vt sunt indulgentiæ Granorum, Imaginum, &c. Fauet huic sententiæ responsum, quòd Ludouicus de la Cruz citatus *numero* 14. refert missum fuisse à Cardinali Pacheco Burgensem Archiepiscopum asserentem, non esse ex mente Pontificis reuocare, vel suspendere per Bullam dictas Indulgentias. Nec ex his sequitur, Regulares ad nullas indulgentias lucrandas Bullâ indigere. Nam si aliquibus Religiosis, aut particularibus personis in Hispaniâ existentibus aliquæ à Pontifice indulgentiæ concedantur, illis sine Bullâ non fruentur. Nec Iubilæa, & indulgentias concessas fæcularibus, & fæcularium Hospitalibus, Ecclesiis, Confraternitatibus, Altaribus, ac piis locis Hispaniæ poterunt Regulares sine Cruciatâ adipisci. Nec Iubilæa concessa pro solemnitatibus Ecclesiarum fæcularium. Nec indulgentias singulares sumentibus ipsam Bullam concessas.

PROBL. LXIII.

Omnes vtriúsque sexûs Regulares, possunt, & non possunt in suis Ecclesiis lucrari omnia Iubilæa, & indulgentias concessas pro omnibus Christiani Orbis Ecclesiis, locis, & stationibus.

247 *Possunt.* POssunt quidem. Quia Sixtus Quartus *Fratribus Minoribus obseruantiæ, & Monialibus Sanctæ Claræ, atque Tertiariis vtriúsque Sexûs, & seruitoribus Fratrum, & seruitialibus Monialium in Ecclesiâ exteriori, vel vbi quæstando extiterint, indulgentiam Sanctæ Mariæ de Angelis, atque quascúmque alias indulgentias generales tàm plenarias, quàm non plenarias almæ Vrbis, dicendo quinque Pater noster cum totidem Aue Maria in suis Ecclesiis, ac si visitarent loca personaliter, vbi sunt istæ indulgentiæ diebus suis*, concessit. Sic Hieronymus Rodriguez *resolut. 77. numero 47.* Emanuel. *tom. 1. quæstion. quæst. 58. art. 3.* Qui quidem *tom. 2. quæst. 87. art. 7.* Similia alia indulta Leonis Decimi affert quòad indulgentias stationum Vrbis Hierosolymæ, & D. Iacobi: concessámque esse ab Vrbano Octauo huiusmodi indulgentiarum lucrationem citatus Hieron. Rodriguez testatur.

248 *Non possunt.* Minimè possunt. Quia Paulus Quintus per suam Bullam anni 1606. reuocauit omnes, & singulas indulgentias per antecessores suos concessas quibuslibet Regularibus ac Monialibus, cuiusvis Ordinis: Ergo iam non possunt, hi præfatas indulgentias pro aliis locis concessas, propriam Ecclesiam visitando lucrari.

249 *Primæ sententiæ adhæreo.* Primæ sententiæ adhæreo, rationem secundæ infirmans. Quia in præfatis indultis non conceduntur Regularibus indulgentiæ, sed facultatem ad lucrandum iam concessas fæcularibus, seu omnibus Christiani Orbis fidelibus: nè scilicet Regularibus necessarium sit, ad Ecclesias, & pia loca accedere, ac ea visitare, quibus sunt concessæ; sed satis sit, vt loco harum Ecclesiarum propriam inuisant. In Bullâ autem Paulus Quintus solùm indulgentias Religiosis directè, ac principaliter concessas reuo

reuocat ; non autem indulgentias sæcularibus concessas : nec priuilegia , & indulta Religiosis concessa siue circà indulgentias , siue circa alia.

PROBL. LXIX.

Iubilæum Sanctæ MARIÆ, de Angelis, seu de Portiuncula possunt , & non possunt fideles lucrari in Ecclesiis Monialium D. Francisci Regulam profitentium licèt sub Ordinariorum non Regularium regimine viuant.

250 Non possunt obtinere.

NOn possunt fideles in huiusmodi Ecclesiis hoc Iubilæũ obtinere. Quia expressè plura Pontificũ indulta asserunt, se concedere, & communicare facultates, indulgentias, & alia priuilegia Fratrum Minorum, & aliorum Ordinum Monialibus Tertiariis seu Tertij Ordinis nuncupatis de Pœnitentiâ, quæ sub eorundem Fratrum obedientiâ, ac regimine viuunt. Sic Sixtus Quartus in Bulla aurea anni 1477. & in alia anni 1478. Bonifacius Octauus vt refertur *in Monument. Ordinis fol.* 32. Gregorius Decimustertius in ea, quæ incipit, *Ex benigna.* anno 1515. qui non solùm omnia priuilegia Fratrum ; sed hanc in particulari indulgentiam de Portiuncula lucrandam concedit Monialibus Tertij Ordinis, quæ sub Fratrum regimine viuunt ; Ergo si non sub hoc, sed sub Ordinariorum obedientia viuant, hoc priuilegio, & aliis minimè perfruentur. Sic Hieronym. Rodrig. *quæst. regul. q.* 137. *num.* 10. Ludou. de Miranda *in Reg. Tertiarior. c.* 11. & alij.

251 Viuere possint.

Fideles possunt Iubilæum hoc lucrari in Ecclesiis Monialium , quæ Regulam D. Francisci profitentur , licèt non sint sub Fratrum, sed sub Ordinariorum obedientiâ. Quia Sixtus IV. ad omnes Ecclesias Ordinis Seraphici Patris sine vlla exceptione hoc Iubilæum extendit: ergo & extendit ad Ecclesias harum Monialium, cum hæ & hárum Monasteria nominentur, & sint D. Francisci. Illum enim in Ecclesiasticis ritibus, & disciplina Religiosa , vt Patriarcham recognoscunt : & idcircò Franciscanæ Moniales appellantur , sicut Augustinianæ, ac Benedictinæ , quæ Regulam D. Augustini, & Benedicti sequuntur , licèt non degant sub Eremitarum, & Monachorum huius instituti obedientia : Ità Emanuel *tom.* 1. *qq. regul. q.* 58. *a.* 3. Monument. Ordinis *fol. mihi* 68. *concess.* 123. & *fol.* 96. *concess.* 333.

252 Hæc dicta, & confirmata.

Admiserim verum esse, quòd Pontifices in Bullis relatis pro primâ sententiâ , concesserunt priuilegia, facultates, & indulta Fratrum Minorum, Prædicatorum, & aliorum Ordinum Monialibus sub obedientiâ eorum degentibus. Sed assero, eosdem Pontifices, & alios in Bullis aliis sine hac limitatione, aut conditione absolutè concessisse hanc communicationem omnibus Monasteriis eiusdem Regulæ : quidquid sit, nùm degant, vel non sub Fratrum regimine; Testor Clement. VII. in Bullâ incipiente , *Dum fructus vberes* anno 1525. factum: *Ipsósque Fratres & Moniales* (Ordinis Minorum S. Claræ ac Tertij de Pœnitentiâ nuncupato.) *Sorores, personas, Monasteria, domos, Ecclesias, & alia loca eiusmodi, omnibus , & singulis priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, concessionibus, indultis, indulgentiis, peccatorum remissionibus, & gratiis, quibuscumque Congregationibus dictorum Ordinum, aliorúmque Ordinum Mendicantium quomodolibet concessis , & concedendis : necnon etiam , quibuscúmque facultatibus, & gratiis suæ professioni non contrariis Regulari obseruantiæ, aliis Ordinibus quibuscúmque non Mendicantibus quomodolibet concessis , & concedendis vti, frui, atque gaudere debere in omnibus, & per omnia, ac si generaliter concessa fuissent.* Affertur ab Emanuele *fol.* 317. & *fol.* 50. alia affertur Bonifacij Octaui quæ incipit , *In sinu Sedis.* Cùm ergo hæc & similia indulta extent, & à nullo Pontificum sint in speciali reuocata : non debent reuocata censeri; quia necessaria erat specifica priuilegiorum horum reuocatio de verbo ad verbum , vt ex Doctoribus docet Bonac. *de priuil. d.* 1. *q.* 3. *punc.* 8. § 323.

CAPVT XIII.

Circa Iubilæum Missionum Societatis IESV.

253 De Iubilæo Missionũ nonnullis præmitto.

HOc Iubilæum conceditur omnibus Societatis Sacerdotibus non solùm solemniter professis trium, vel quatuor votorum ; Sed etiam spiritualibus Coadiutoribus, qui gradum certum & specialem in Societate obtinent, & ad spiritualia in proximorum salutem exercitia destinantur. sic Bulla Pauli Tertij, quæ incipit , *Exponi nobis* & Iulij Tertij quæ incipit. *Exposcit debitum.* & Gregorij Decimitertij, *Ascendente Domino.* Imò conceditur etiam omnibus aliis , qui post biennium vota Castitatis, Paupertatis , & Obedientiæ emisêre : cum hi iuxta Apostolica indulta veri Religiosi sint. Conceditur similiter Sacerdotibus Nouitiis Societatis (etiam si tria vota , quæ deuotionis gratia ad primum probationis annum emittere assolent non emiserint) si mittantur , vt mitti possunt : apti enim sunt ad omnia Missionum ministeria exercendum. Quia in fauorabilibus Nouitij sub Religiosorum nomine veniunt. *cap. Religio , §. quamvis :* illíque omnia Iubilæa , & indulgentiæ aliis Regiosis professis concessæ conceduntur. Imò Coadiutores temporales Missionum mitti possunt ad ministeria. Quia Pontifex Societatis IESV Religiosos mittendos esse , illíque Iubilæum concedi decernit. Ait enim : *Omnibus, & singulis d. Religionis Religiosis mittendis* : non specificando Sacerdotes aut sacris, aut minoribus initiatos. Porrò Coadiutores possunt aliis Sacerdotibus ex Societate associati, quibus Pœnitentiæ, & Eucharistiæ administratio, ac prædicationis munus incumbat. Hi autem exercere possunt plura alia ministeria Missionum propria, quæ sunt, quæ *in Regula* 11. & 12. Missionum assignantur. *Exercitiorum spiritualium traditio, dissidentium reconciliatio, Christianæ doctrinæ ad pueros, ac alios rudes plublica declaratio. Corporalibus etiam pietatis operibus , quantum spiritualia , permittent , & vires patientur incumbere poterunt*

F. Escobar Theol. Mor. Tom. III. IV.

runt, vt infirmos præcipuè in Xenodochiis iuuando, & pauperes, ac in custodiis detentos, sublenando. Igitur hi potetunt immitti.

PROBL. LXV.

Qui à nullo Superiore mittuntur, possunt, & non possunt Iubilæo, Missionum vti, & eius indultis potiri.

254 *Non possunt.* QVis Societat. IESV alumnus in aliquo oppido, vbi Societ. domus non est, ad longum aut breue tempus diuersatur; negotiorũ, aut ægritudinis, aliáve causa. Potestne tunc Iubilæũ Missionum fidelibus publicare sine Superioris licẽtia, indultúsque ipse Iubilæi potiri? Non potest. Quia non omnibus Societatis Religiosis hoc Iubilæũ generaliter, aut specialiter conceditur. Sed solùm mittendis: Bulla sic: *Omnibus, & singulis dictæ Religionis mittendis.* At in prædicto casu socius non mittitur; ergo nec Iubilæum exponere, nec eius frui valet indultis. Hoc ex vi clausulæ satis probabile videtur.

255 *Possunt planè.* Potest quidem Iubilæum exponere, & eius indultis potiri. Quia iustè potest de Superioris voluntate præsumere. Tunc autem Missio absque Superioris licentiâ fieri non dicetur, iuxta doctrinam Nauarræ, Vualdi, Sa, Armil. Valens. Medi. Ange. quos citat Sancã. *l. 7. sum. c. 19. n. 4.* Quod intellexerim etiamsi Superior adiri facultásque absque periculo in mora valeat exposci. Ita cum Doctor. Sanchez citatus *n. 5.*

256 *Hoc mihi certum.* Ex constitutione Societatis hoc mihi certum In declarationibus *Constitutionis 7. c. 2. §. 1.* Sic: *Particularibus autem securius est, si cum Superiorum suorum obedientia, quàm si pro arbitratu suo (etiam si id possint) & non ab iis missi proficiscerentur.* Idem asserо, si à Superiorib. missi, alia ab assignatis loca peragrent ob rationabilem causam, v. g. quia in oppido assignato comperiunt, paulò ante Missionem factam fuisse, aut illius incolas ita negotiis, litibus, seditionibus, aut occupationibus distractos, seu Parochos ita contradicentes, vt nullus, vel exiguus fructus ex nostris ministeriis speretur. Tunc non est dubium, quin Missionum Iubilæum in aliis locis præter assignata promulgari, & obtineri valeat ex præsumpta Pontificis, ac Superiorum facultate. In Regula 12. Missionum dicitur: *Si in locis designatis diutius residendum erit, excursiones aliquas facere, si eas cum fructu fore iudicabunt non erit inconueniens.* Igitur quilibet Societatis quocúmque diuertat præsumptam fert Superioris mittentis ad nostra ministeria voluntatem.

PROBL. LXVI.

Possunt, & non possunt fieri Missiones intrà Ciuitates, & Oppida vbi domos aut Collegia Societas habet.

257 *Non potest publicari hoc Iubilæum in locis, vbi Societas Collegium habet.* QVinque ab hinc annis in hac Vallisoletana Vrbe, vbi tria Collegia Societas habet, facta fuit Missio non sine ingenti omnium plausu frequentia, & fructu. Sed aliquem hæsitantem vidi nùm propriè hæc fuerit Missio, pro qua hoc Iubilæum conceditur. Igitur hoc Iubilæum in Oppidis, vbi adest Societatis Collegium obtineri non potest. Quia *Mitti* in vnum locum, est, ex vno in alium proficisci. Hinc *Cap. 3. p. 7. Constitut.* in quo de Missionibus agitur, inscribitur, *De libera ad hanc, vel illam partem profectione. c. 2. §. 1.* dicitur: *Præpositus Generalis in huiusmodi Missionibus, curet, in suis ad hanc potius, quam ad illam partem mittendis.* Et in declaratione ibi: *Mittere quocúmque eis videbitur inter fideles, etiam in Indos, & inter infideles.* Et quia Pontifex ait, Iubilæum concedere iis, ad quos Religiosi Societatis *accesserint*, *Accedere* autem ad alium, est ex aliquo loco distanti ad illum peruenire. Et quia Missionum ministeria necessaria non sunt in locis, vbi Societas domos habet, cùm sine Missionibus ea à nostris in eis exerceantur, & vtilius in alij locis fient. Ergo pro illis non est Iubilæum concessum satis probabilitatis hæc sententia doctorum iudicio, quos exaudiui, exponit.

258 *Publicari potest.* Potest hoc Iubilæum publicari, & obtineri in Oppidis, vbi Societas Collegium habet. Quia vt verba *Missio*, & Mittere verificentur, sufficit, quod aliquid, vel aliquis mittatur de domo in domum, aut de persona in personam. Sic Dauid 2. *Reg.* 11. 4. cum de solario domus Regiæ Bersabem lauantem se ex aduerso vidisset, *Missis nunciis ad eam, tulit eam.* Ergo etiam si operarij Societatis sint intrà eandem Ciuitatem conuenienter in præsenti *mitti* dicuntur de domo Societatis ad Parochiam, & de vna ad aliam. Et licèt primario, & per se Societatis Missiones iuxta illius institutum sint ad loca, vbi Societas non residet, non tamen instituto repugnat, vt fiant in locis, vbi commoratur. Hinc in Declarationib. Constitutionum, qui eandem authoritatẽ ac vim habent ac ipsæ vt constat ex *p. 6. c. 1.* D. Pater Ignatius *p. 7. c. 2.* de Missionibus agens ait: *Vbi magis debemus, vt in locis, in quibus domus, vel Collegia Societatis, vel aliqui ex ea, qui student & beneficentia procul iuuantur (si paria essent cætera, quæ ad spiritualem profectum attinent) magis conueniret, aliquos nostros Operarios versari (scilicet in Missionibus) & huiusmodi loca tandem ob causam iuxtà ordinem perfectæ charitatis aliis præferre.* Vnde R. P. N. Generalis Mutius Vitellescus, qui nostrum apprimè caluit institutum conscius Missionum huiusmodi, quæ in Prouinciâ Beticâ gestæ fuerant annis Superioribus in Vrbibus Hispalensi, Cordubensi, Granatensi, vbi Societas domos, & Collegia habet, magnoperè eas laudauit, ad earúmque prosecutionem nos suis ardenter excitauit Epistolis.

259 *Hanc sententiam veram admodum esse censeo.* Minimè dubitaui, nùm deberem huic sententiæ adhærescere, sciens, *Mitti*, aut *Accedere* haud necessariò distantiam Oppidorum eius qui mittitur, aut accedit: & illius, ad quem fit missio, aut accessus importare. Sed intra eandem Vrbem, & Domum vnus dicitur ad alium mitti, & accedere. Certè experimento ostenditur, ingentem fructum in his Missionibus percipi: cùm ministeria, quæ in illis exercentur, feruentiora sint iis, quæ in Templis nostris exponuntur: & quid peculiarius præ se ferant, dum quotidie doctrinæ Christianæ edocendæ crebris concionibus, & conciunculis detur opera in quibus validis rationibus, & exemplis diuinæ Misericordiæ, ac Iustitiæ peccatores ad Pœnitentiam alliciuntur.

LIBER

LIBER XX.

EVCHARISTIA SACRAMENTVM.

EVCHARISTIA & Sacramentum est, & Sacrificium. Hæc Tractatio Eucharistiam, quatenus Sacramentum est, expenet. Circa cuius doctrinam multipliciter aberrarunt Hæretici, multiplexque Theologia obuersatur, Scholastica, Positiua, Moralis, Controuersa. Cùm verò mei sit instituti, Moralem suscipere explicandam, reliquas decisiones, vel suppono, vel omitto, vel præstringo.

SECTIO PRIMA.

De Eucharistiâ Sacramento, receptiores sine lite Sententiæ.

CAPVT I.

De Eucharistiâ secundùm se.

1 Quid significet Eucharistia nomen.

EVCHARISTIA Græcè significat idem quod Latinè *Gratiarum actio*, vel, *Bona gratia*: tamen Ecclesiæ vsu accommodatum iam est hoc vocabulum, ad significandum vnum illud Sacramentum ex septem, quod ad spiritualem vitam nutriendam est institutum. Cùm autem hoc Sacramentum multa contineat, variis aliis nominibus insignitur. Dicitur à significatione *Mysterium*, *Viaticum*, *Consummatio Sacramentorum*. A re contentâ, *Corpus, & Sanguis Domini*, *Sacramentum Corporis ac Sanguinis Christi*, *Caro Domini IESV*. A materiâ, *Panis vitæ*, *Panis vitus*, *Panis Dei*, *Panis de Cœlo descendens*, *Cibus verus*, *spiritualis Esca*, *Communium Dominicum*, *Cœna Domini*. Ab effectu, *Mortis antidotum*, *Pharmacum immortalitatis*, *Fons bonorum omnium*. Ab vsu *Pax Christi*, *Synaxis*, quia Christi fideles per Eucharistiam vniuntur. D. Thom. 3. *part. quæst.* 77. *art.* 4. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 50. Filliuc. *tractat.* 4. *cap.* 1. Reginald. *lib.* 29. *num.* 1. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 1.

2 Eucharistia proprium est Sacramenti definitio.

De fide est, Eucharistiam esse verum, ac proprium nouæ legis Sacramentum, cui conuenit Sacramenti definitio. Quia est sensibile signum ad nostram sanctificationem institutum; gratia enim Ioan. 6. promittitur: exhibitio autem promissionis Matth. 6. Fuit verò conueniens Euangelicæ legi perfectissimæ, vt tam Augusto Sacramento donaretur: nam Christus Dominus est verus animarum cibus, ac propterea maximè decuit, vt quemadmodum cibus reficit corpus mediâ quadam reali vnione cum ipso viuente: ita Christus modo quodam ineffabili præsens adesset, vt per modum cibi, ac potus nobis realiter coniunctus, nos spiritualiter reficeret, & in se quodammodo transformaret. Concil. Florent. *instr. Armen.* Trident. *sess.* 7. *c.* 1.

3 In vltimâ Cœnâ instituta.

In vltimâ Cœnâ illius noctis in qua traditus fuit in mortem Christus hoc Sacramentum instituit *Matth.* 26. in finem, qui à Tridentino *sess.* 13. *cap.* 2. dilucidè traditur.

4 Die 14. Lunæ Martij.

Institutum est hoc Sacramentum die 14. Lunæ Martij ad illius diei vesperam, & principium diei 15. Quia institutum fuit primo die Azimorum, quo Christus Dominus agnum Paschalem cum suis Discipulis comedit, vt manifestè ex *Matth.* 26. colligitur. *Primo die Azimorum accesserunt discipuli ad IESVM dicentes: Vbi vis paremus tibi, comedere Pascha?* Suar. *d.* 81. *sect.* 1. Vasq. *d.* 172. Coninch *quæstion.* 74. *art.* 4. *dub.* 1.

5 A Christo instituta.

Christus Dominus Eucharistiam instituit post Cœnam legalem, post pedum lotionem, vt signaret, ad hoc Sacramentum excipiendum summam opus esse præmitti puritatem. D. Thom. Euthym. Lyra. Bernard. Damasc. apud Suar. *tom.* 3. *in* 3. *p. q.* 73. *d.* 41. *sect.* 4.

6 Eucharistiæ definitio.

Profecto *Eucharistia est Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini ad spiritualem animarum refectionem admirabiliter institutum.* Ex qua definitione constat, Sacramentum hoc fuisse à Christo Domino institutum, vt definitur ab Innoc. III. *cap. Firmiter de sum. Trinit. & fide cathol.* & ab Eugen. IV. *in decreto fidei.*

7 Cõstat ex speciebus panis & vini: & Corpore, ac Sanguine Christi.

Deindè constat, ad illius intrinsecam constitutionem tum species panis & vini, tum Corpus & Sanguinem Christi pertinere. Species quatenus Corpus & Sanguinem Christi continent;

Corpus & Sanguinem Christi vt sub speciebus panis & vini continetur. Quia sub hac ratione sumentem reficiunt : neque enim solæ species, neque Corpus Christi nisi sub speciebus contentum animæ cibus sunt. Nec species à Christo separatæ adorari possunt latriæ Adoratione. Neque Christus seclusis speciebus est nobis sensibile signum. Denique transsubstantiatione (quæ est conuersio vnius substantiæ in aliam substantiam sub eisdem accidentibus) hoc Sacramentum, teste Trident. *sess.*13. *cap.*3. conficitur. At si destructâ panis & vini, loco illius substantia Corporis ac Sanguinis Christi non succederet, transsubstantiatio non esset. Ergo hoc Sacramentum essentialiter speciebus panis & vini Corpus ac Sanguinem Christi continentibus constat. Coninch *quæst.*73.*art.*1.*dub.vnic.n.*20. Vasq.*d.*167.*c.*3.& 5.Laym.*lib.*5.*tr.*4.*c.*1.*concl.*2. Suar. *d.*42.*sect.*2.

8 *Verba Consecrationis non sũt forma intrinseca Eucharistiæ : sed extrinseca.*

Verba consecrationis non sunt forma intrinseca huiusmodi Sacramenti : sed forma extrinseca, & causa illius efficiens : ipsaque consecratio actio est, quâ ipsum Sacramentum conficitur. Quia verba & consecratio transeunt, Sacramentum verò perseuerat. Sumptio verò specierum Sacramentum non est, sed Sacramenti applicationem. Quia sumptio non sanctificat, sed cibum sanctificantem applicat. Bonac. *d.*4. *quæst.*1.*punct.*1.*num.*6. Vasq. *d.*167.*c.*3.*num.*26. Laym.*lib.*5.*tr.*4.*c.*1.*concl.*3.

9 *Est omnium Sacramentorum perfectissimũ Eucharistia.*

Eucharistia est omnium Sacramentorum perfectissimum. Quia continet realiter Christum Dominum, qui in aliis Sacramentis non continetur. Et quia alia Sacramenta solùm habent vim fideles sanctificandi, cùm actu sumuntur at in Eucharistia ipse sanctitatis Auctor antè vsum adest, ideóque solummodo huic Sacramento latriæ debetur adoratio. Trid. *sess.*7.*can.*3. & *sess.*13.*cap.*3.

10 *Sub diuersis speciebus Corpus & Sanguis Christi vtrum constituit Sacramentum.*

Corpus & Sanguis Christi sub speciebus panis & vini vnum integrum ac perfectum Sacramentum, non plura, constituunt. Quia si Corpus Christi contentum sub speciebus panis perfectè & adæquatè esset distinctum Sacramentum à Sacramento Sanguinis sub vini speciebus contenti, non septem, sed octo essent Sacramenta. Vnde verò hæc sumatur vnitas, cùm signa sint physicè omninò distincta, aptè D.Thomas *quæst.* 73.*art.*2. expressit, illam desumens non tam ex re significata, quàm ex significatione. Quia cum Sacramentum in genere signi formaliter constituatur, necessario Eucharistia vt vnum Sacramentum sit, & non plura, vnicum signum completum, & perfectum esse debet : & non plura.

CAPVT II.

De Eucharistiæ Materiâ.

11 *Panis, & Vinum Eucharistiæ materia remota.*

REMOTA Eucharistiæ Materia est Panis & Vinum. Colligitur ex *Matth.* 26. *Mar.*14. *Luc.*22. *Corim.*11. Definitur in Trid. *sess.*13. *cap.* 1. Florent. *in decreto fidei post vlt.sess.* §.*Tertium est.* & Lateran. *cap.Firmiter, de sum. Trinit. & fide Cathol.* Congruentiæ huius institutionis ex dignitate tanti Sacramenti, & eius effectibus desumi debent. Nam & conuiuium nobis paratum ad vitam innuit, & fidelium vnionem à sacerrimo epulo repræsentat.

12 *Panis debet esse triticeus.*

Panis debet esse triticeus. Quia hic solus est, qui absolutè & simpliciter panis appellatur : alij cum addito. Vnde Panis ex mylo, castaneis, maiz, leguminibusque confectus, haud est Eucharistiæ materia; quia non est panis vsualis. Sic omnes.

13 *Aquâ naturali confecta.*

Aquâ naturali debet Panis hic confici. Quia hic est Panis vsualis. Vnde confectus ex melle, lacte, oleo, aquâ rosaceâ vel similis haud est aptus consecrationi. Quia non est Panis vsualis ; sed placenta. Coninch *ad quæst.*73. *D.Thom. art.*3. *num.*48. Vasq. *d.*170.*cap.*4.*n.*25.Bonac.*d.*4.*q.*2. *punct.*1.*num.*3.

14 *Igne coctus.*

Massa antequàm igne torreatur non est Sacramenti huius materia. Quia licèt non differat specie à pane cocto, tamen à panis vsualis ratione differt, qui quidem fuit à Christo Domino pro materia institutus. D.Thom. *quæst.*73. *art.*3. Bonac. *d.*4.*quæst.*2. *punct.*1. *num.*3. Laym. *lib.*5.*tr.*4.*c.*2.*concl.*3.

15 *Non obest, aliqua grana diuersa misceri.*

Quid si granis triticeis alia diuersa misceantur, vel aquæ naturali extraneus liquor ? Si extranea materia natiuam superet, mixtum est consecrationi ineptum; si propria materia extraneam vincat, aptum erit huiusmodi mixtum consecrationi validæ. Quia absolutè panis est vsualis : graue tamen piaculum consecrans patrabit aduersus debitam huic Sacramento puritatem. Laym. *lib.*5.*tract.*4.*c.*2.Bonac.*d.*4.*q.*2.*punct.*1.*n.*4.Vasq. *d.*170.*c.*4.*n.*26.

16 *Peccatum graue est, in Pane, aut Vino, qui incipit corrumpi, consecrare.*

Peccatum graue erit, consecrare in Pane, qui iam incipit transmutari, & corrumpi : & in Vino, quod incipit acescere. Quia & est contra debitam huic Sacramento puritatem, & contrà illius institutionem. Henriq. *libr.*8. *cap.*9. Bonacin *d.*4.*quæst.*2.*punct.*1.*num.*5.ex D.Thom. *quæst.*74. *art.*7.*ad* 3.

17 *Valide in fermentato consecrari potest.*

Esse azimum, vel fermentatum panem non est de necessitate Sacramenti. Definiit expressè Florent. *in decreto de Armen.* §.3. Quia vterque panis est vsualis. Conuenientior autem azimus, quia in certa ferè sententia Christus Dominus consecrauit in azimo ; siquidem post vsum agni Paschalis, in quo non licebat pane vti fermentato, Eucharistiam instituit. D.Thom. *q.*74. *art.*4.

18 *De necessitate præcepti debet in azimo consecrare.*

De necessitate præcepti Ecclesiæ Latinæ Sacerdos in Ecclesiâ Latinâ tenetur in azimo consecrare : Græcus verò in Ecclesiâ Græcâ in fermentato. Florent. *præfato decreto* §.2. vt D.Thom. *quæst.*74.*art.*4. annotauit.

19 *Latinus in Ecclesiâ Græcâ potest in fermentato.*

Sacerdos Latinus iter agens per Ecclesiam Græcam, & Græcus per Latinam suæ Ecclesiæ consuetudinem potest retinere : consultius tamen illius, qua transit ritus obseruabit Ecclesiæ. Bonac. *d.*4.*quæst.*2.*punct.*1. *n.*9. Coninch *qu.*74. *art.*4.*dub.*2.

20 *Materia Caricis est Vinum de vite.*

Materia Sacramenti Sanguinis est Vinum de vite, & nullum aliud. *Luc.*22. Definitur in Florent. *decreto fidei.* §.4. Vnde liquores ex pomis malo granatis haud possunt consecrationi deseruire. Quia absolutè vinum non sunt.

21 *Expressum è botris.*

Vinum debet ex vuis esse expressum. Quia dum mustum intra botrum est, per se potari non potest, neque est aptum, vt aqua misceatur. Coninch *q.*74.*n.*123.Laym.*lib.*5.*tract.*4.*c.*2.*concl.*4. Suar.*d.*45.*sect.*1.Bonac.*d.*4.*q.*2 *punct.*2.*n.*9.

Liquor

22 Liquor expreſſus ex vuis maturis, qui *Mustum* vocitatur, materia eſt conſecrationis. Quia abſolutè eſt vinum. At abſque vrgenti causâ graue peccatum eſſet eâ indecenti vti materiâ. Vaſq. *d.*175.*c.*1.*num.*7. Bonac. *d.*4.*q.*2.*punct.*2. *n.*3. Laym. *lib.*5.*tr.*4.*c.*2.*aſſert.*5.

Mustum non eſt conſecrationis materia.

23 Acetum non eſt conſecrationis materia, eſto ex vino fiat. Quia in aliam naturam à vino eſt tranſmutatum. Pius V. *Rubr. de defect. in Miſſ. 8 occur.* præcipit Sacerdoti reperienti tempore conſumptionis, conſecraſſe in aceto, vt vinum apponat, & de nouo conſecret. Et Gregor. XIII. impetrauit deleri Gloſſam *in c.*2.*de conſecr. diſt.*2. aſſerentem acetum eſſe conſecrationis materiam. De quo ſermo recurret.

Acetum materia non eſt.

24 Sapa, Hiſpanicè *Arrope* haud eſt conſecrationis materia. Quia in aliam materiam à vino creditur defeciſſe. Idem aſſero de vino cocto, Hiſpanè *Aqua ardiente*. Lota Hiſpanè *Aqua pie*, liquor, qui ex vuis iam expreſſis, mixta aquæ, conficitur, à materiâ conſecrationis excluditur. Quia non eſt vinum, ſed aqua temperata. Erit tamen materia, ſi in minima quantitate mixtio contingat: ſed graue piaculum, in ea conſecrare. Vaſq. *d.*175.*c.*1. *n.*8. Suar. *d.*45. *ſect.*1. Bonac. *d.*4.*q.*2.*punct.*2.*n.*7.

Sapa, nec lota.

25 Debet Vinum Aquâ miſceri antè conſecrationem, ex perpetuâ traditione Eccleſiæ. Quia Chriſtum Dominum ſic feciſſe creditur. Et quia ex eius latere Aqua ſimul cum ſanguine effluxerit. Et quia vnio populi fidelis cum ſuo Capite Chriſto figuratur. Bellarm. *libr.*4. *de Euchariſt. capite* 10. *&* 11. Suar. *d.*45. *ſect.*2. Lege Trident. *ſeſſ.*22.*cap.*7.

Debet Vinum aquâ ante conſecrationem miſceri.

26 Porrò hæc Aquæ mixtio ſit non ex neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti. Florent. *in liter. vnion.* Quia Concilium affirmans materiam huius Sacramenti eſſe Panem triticeum & Vinum de vite, nullam admiſcendæ Aquæ gerit mentionem. At ſi vinum neceſſariò deberet eſſe, ſicut debet eſſe oleum mixtum balſamo pro materiâ Confirmationis, Concilium aſſignans huiuſce Sacramenti materiam, exprimeret eſſe vinum aquâ immixtum, ſicut expreſſit in Oleo pro materiâ Confirmationis.

Non ex neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti.

27 Aqua vino miſcenda debet eſſe in minori quantitate. Quia alias mixtum æquè aqua eſſet, & vinum. cap. *Perniciosus, de celebr. Miſſar.* Concil. Florent. *in decr. ſidei*, §.3. dicit, modiciſſimam aquam eſſe miſcendam: ideóque Romanæ Eccleſiæ conſuetudo ſeruanda, quæ octies, vel decies plus vini apponit: tametſi non ſit in hac parte ſcrupulosè agendum.

Aqua vino miſcenda debet eſſe in minori quantitate.

28 Mixtio hæc neceſſariò gerenda tempore ſacrificij ab ipſo Sacerdote, aut à Diacono vel Subdiacono in Miſſis ſolemnioribus. Quia ſacrificanti præcipitur hæc mixtio, vt ceremonia quædam ſacra ad ſacrificium pertinens, tum ob vnitatem Chriſti, tum ob ſignificationes, quas habet. Vaſq. *d.*177.*cap.*2.*n.*18. Bonac. *d.*4.*q.*2.*punct.*4. *num.*4, *&* 5.

Mixtio hæc tempore ſacrificij à ſacerdote.

29 Tenetur Sacerdos non ſolùm tempore ſacrificij, ſed antè oblationem hanc mixtionem facere: aliàs grauiter contra conſuetudinem Eccleſiæ delinquet. At ſi ex obliuione aut negligentiâ mixtionem omiſerit, & id aduertat antè conſecrationem, debet eam facere neceſſariò. Quia adhuc vrget præceptum miſcendi aquam vino. Porrò ſi facta iam conſecratione, Sacerdos aduertat, haud eſt iam aqua miſcenda. Quia Sanguini Chriſti nihil extraneum debet admiſceri. Suar. *d.*45. *ſect.*3. Coninch *q.*74. *art.*8. *num.*142. Bonac. *d.*4.*q.*2.*punct.*4.*n.*5.

Tenetur antè oblationem.

Miniſter ad conſecrationem debet ſaltem virtualem Intentionem habere. Quia Intentio miniſtri Sacramẽto eſt neceſſaria. Quæ quidem Intentio debet eſſe circà materiam determinatam, quæ pronomine *Hoc*, vel *Hic* ſignari poſſit. Quia materia & forma Sacramenti ſecundum Miniſtri intentionem operantur. Si igitur intentio determinata non eſt, non poſſunt effectum determinatum ſortiri. 30

Miniſter debet ſaltẽ virtualem habere conſecrandi intentionem.

Deinde requiritur ad conſecrationem, vt materia conſecranda ſit Sacerdoti præſens, vt eam pronomine *Hoc*, vel *Hic* poſſit demonſtrare, ac ſenſu percipere. Quia aliàs morali, ac humano modo ei præſens non erit. Cui præſentiæ non obeſt, quod in aliquo vaſe, aut linteo contineatur. Quia ratione continentis contentum ei præſens eſt. Haud ſic, ſi retro parietem, vel linteum panis & vinum eſſet appoſitum. Quia tunc nullo ſenſu eam materiam poterit demonſtrare. Idem eſt, ſi panis ſub mappâ vel in tabernaculo exiſtat. Quia non exiſtit ibi tanquam in continenti, quod ſenſu percipi poſſit. Laym. *libr.*5. *tract.*4.*cap.*2.*aſſer.*7. Suar. *d.*43. *ſect.*5. Coninch *quæſt.*74.*art.*2.*dub.*2.*num.*22. *&* 23. Vaſq. *d.*171. *cap.*4. 31

Debet eſſe præſens conſecrationis materiæ.

Præterea ea quantitas requiritur, quæ humano ſenſu percipi valeat, & pronomine *Hoc*, vel *Hic* ab homine demonſtrari. Quia Sacramenta non Deo & Angelis, ſed hominibus ſunt gratiæ ſanctificantis ſigna. Requiritur ergo quantitas Sacerdoti conſecranti demonſtrabilis. Quia Chriſtus Dominus conſeruari non poteſt niſi ſub ſpecie, quæ humanis ſenſibus poſſit percipi, alias non erit ſignum ſenſibile. Ergo idem ipſum, quod requiritur, vt Chriſtus ſub ſpeciebus ponatur, requiſitum eſt, vt conſeruetur. Quapropter aſſero, nullam quantitatem ita minimam eſſe, quæ ab homine ſenſum perfectiſſimum habente percipi non poſſit, ac proinde quæ ab eo non valeat conſecrari. Quod ſi aliqua ſit, quæ per ſe ſumpta à nullo homine extra miraculum percipi poſſit; nec conſecrari poterit, nec ſub ea Chriſtus exiſtere. Coninch *quæſt.*74. *artic.*2. *dub.*2. *numero* 28. Suar, *d.*43. *ſect.*8. Vaſquez *d.*171, *cap.*2. 32

Requiritur ea quantitas, quæ poſſit pronomine Hoc, vel Hic demonſtrari.

Aſſolent formulæ pro communicandis ad altare deferri: an tunc virtualis Sacerdotis intentio ſufficiet? ſi Sacerdote inſcio in alteri deponantur, nullatenus conſecrabuntur. Quia nullam intentionem etiam virtualem habuit illas conſecrandi. Secus verò eſſet, ſi ipſe Sacerdos vel alius ex eius beneplacito eas formulas conſecrandas antè offertorium apponeret. Nam eo ipſo voluntatem habet eas conſecrandi: ex qua voluntate conſecrantur, tametſi tempore conſecrationis earum obliuiſcatur. Quod intellexerim, dummodo ſint ſuper altare ſacrificij, hoc eſt, ſuper aram: nam ſi iuxtà exiſtant, & illarum oblitus fuerit Sacerdos, haud erunt conſecratæ. Quia non eſt præſumendus Sacerdos, indebitè, & illicitè conſecrationem facere voluiſſe. Suar. *d.*43. *ſect.*6. 33

De intentione, ad formulas conſecrandas, neceſſaria.

Quid agendum, cùm dubium occurrit, num materia aliqua ſit conſecrata? Si dubium prudens obortatur ex eo, quod ambigatur, an fuerit ſatis præſens 34

Quid gerendũ, circa varia dubia occurrentia.

præsens materia, vel num fuerit intentio circà illam? Si nulla alia materia pro sacrificio est constituta, debet Sacerdos rursum consecrationis verba proferre super illam materiam sub conditione, ne sacrificium imperfectum relinquat. Ast si alia materia pro sacrificio est constituta, nec dubium circà illam obuersetur, sed circa materiam communicaturis appositam: debet Sacerdos alia die sacrificans, vel alius de ea re monitus verba consecrationis super illam materiam sub conditione proferre. Quid si dubium obortatur ex incapacitate materiæ, quia præsumitur vinum esse acetum, vel panis corruptus? Si nulla alia materia certa sit in eo sacrificio consecrata, Sacerdos errorem agnoscens, debet certam consecrare materiam, & simul cum ea dubiam absumere. At si alia materia certa apposita fuit, alius Sacerdos vel ipse altero die eam dubiam materiam simul cum ea, quam in sacrificio consecrat, debet absumere. Quia talis decet materiam sub dubio consecratam reuerentia. Castro Pal. *tom.4.tr.21.punct.6.n.8.*

CAPVT III.

De Formâ hoc ineffabile Sacramentum conficiente.

35 *Formæ consecrationis Panis.*

TOta verba, *Hoc est enim Corpus meum*, sunt consecrationis Panis forma. Quia illis perfectè Corporis Christi præsentia significatur. Reliqua tam antecedentia, quàm subsequentia non sunt de necessitate Sacramenti, sed præcepti. Imò particula *enim* cùm non ad significandam Christi præsentiam, sed ad coniungendum sermonem, per Ecclesiam apposita fuerit, haud est necessaria consecrationi. Attamen illius omissio ex negligentia erit veniale, ex proposito lethale piaculum. Bonac. *d.4.quæst.3.punct.1.n.10.* Suar. *d.59.sect.1.* Coninch *quæst.78.artic.2. dub.2.num.57.*

36 *Quænam transpositio, mutatio, diminutio, vel additio annullet Sacramenti formam.*

Quænam transpositio, mutatio, diminutio, vel additio Sacramenti formam annullet? Quælibet est graue peccatum regulariter, sed Sacramenti formam non annullat, si non impediat illius significationem. At si significationem impediat, vltra peccatum irritum reddit Sacramentum. Ex. gr. *Illud est Corpus meum*, cassam reddit consecrationem, quia pronomen *Illud* modum à Christo significandi vsurpatum immutat. Et *Hic est Corpus meum*, sumpto *Hic* aduerbialiter; quia non significat conuersionem, quæ ex substantiâ panis in Corpus Christi per huiusmodi formam consecrationis fit. Et *Hoc est Corpus Christi*, quia non in persona Christi & Christum repræsentans Sacramentum conficeres, sed relatiuè te haberes. quod institutioni obstat. Et *Consecro Corpus Christi*, quia forma huius Sacramenti non in fieri, sed in facto esse præsentiam Christi significat. Laym. *lib.5. tract.4. cap.3.* Henriq. *lib.8. cap.16.* Suar. *d.59. sect.2.* Bonac. *d.4.q.3.punct.1.*

37 *Forma consecrationis Vini.*

Consecrationis Vini forma sunt tantùm illa verba: *Hic est enim calix Sanguinis mei.* Reliqua verò *Noui, & æterni testamenti mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, ex receptiori sententiâ ad essentiam formæ non pertinent, sicut nec particula *enim*. De quo *sect.2.* fermo recurret.

38 *Pro quo supponat pronomen Hoc, vel Hic.*

Porro pronomen *Hoc*, vel *Hic* cum profertur, supponit non determinatè & in particulari pro pane, & illius accidentibus, vel pro Christo: sed supponit confusè & in communi pro contento sub accidentibus panis, & vini, quæ indeterminatio, adueniente prædicato, tollitur. Quo circà cum dicis *Hoc* vel *Hic*, nihil determinatum, ac singulare signas: sed signas quid commune, & indeterminatum, quod sub accidentibus panis, vel vini continetur: determinatur autem, prædicato aduenient, vt pro corpore Christi supponat. Suar. *d.58. sect.7.* Bonacin. *d.4. quæst.3.punct.4.à numero 1.* Henriq. *lib.8.cap.19. num.1.*

39 *Quidnam consecrationis verba operentur?*

Quidnam consecrationis verba operentur? Finitâ prolatione verborum, perit substantia panis, & vini: & Corpus, ac Sanguis Christi sub illorum accidentibus constituitur, non tanquam verum subiectum, cui accidentia inhæreant, sed vices subiecti gerens, ea accidentia altiori, & efficaciori modo sustentando. Ob quam causam Concilia & Patres actionem, qua hæc omnia fiunt, *Transsubstantiationem* appellant, hoc est, conuersionem vnius substantiæ in aliam substantiam sub eodem termino. Quia consecrationis verba eam vim habent ex diuinâ promissione, vt eo ipso quo proferuntur, Corpus Christi constituant sub accidentibus panis & vini: ipsasque substantias panis & vini destruant, pereunte actione, qua conseruantur. Neque ad hanc transsubstantiationem opus est, vt Corpus Christi denuo producatur, seu reproducatur; sed sufficit ad ipsum corpus Christi constituendum sub accidentibus panis terminari. Ex quâ terminatione adiunctâ diuinâ promissione, nascitur substantiæ panis ac vini destructio. Suar. *d.61.tota.* Laym. *lib.5.tract.4.cap.3.* Vasq. *d.181.& seq.* Coninch *q.75.art.4.*

40 *Christi existentia in Eucharistia.*

Licèt totus Christus sub qualibet specie panis, & vini facta consecratione constituatur; ex significatione tamen verborum sub accidentibus panis solum corpus Christi constituitur: & sub accidentibus vini solus sanguis. Quia verbis consecrationis hoc præcisè significatur. At quia corpus Christi est Sanguini, animæ, ac Diuinitati vnitum, constituto corpore consequenter & concomitanter constituitur in sacramento Sanguis, anima, Diuinitas, ac denique totus Christus: & idem est de Sanguine. Verum Christus sub speciebus existit vti anima rationalis in corpore, totus in toto, & totus in qualibet parte. Quia licèt in se ipso extensus sit, & partes extra partes habeat: nullam tamen quoad locum extensionem admittit. Vnde neque diuisa hostia, ipse diuiditur: nec minus ex eo accipit sub minima parte communicans, quàm si sub magna communicaret. Præterea assistit ibi qualis assistit ibi qualis assistit in Cœlo, omni scientiâ, gratiâ, aliisque donis exornatus, quæ Christo glorioso competunt. Quia sic decet eius maiestatem. Incertum autem est, an operationes materialium potentiarum exerceat. Quia hæ ex natura rei potentiam quoad locum extensam requirunt. At ex diuina virtute verosimile mihi est, operationes visûs, & auditus exercere.

Etenim

Etenim Christum non solùm intellectu cognoscere, sed etiam sensu corporeo videre adorantes, & illius preces audire, fouet pietatem, excitat reuerentiam. Sic denique Christus ex suo verbo, ac promissione accidentibus panis & vini annectitur, vt ad illorum motionem ipse moueatur, illis verò destructis ipsius realis præsentia pereat. Doctores communiter.

CAPVT IV.

De Eucharistiæ Adoratione, ipsius ad salutem necessitate, Obligationéque eam sumendi ex diuino præcepto.

41 *Adoratione Latræ Eucharistia adoranda.*

FIDE certum est, adorati debere Eucharistiam interius & exterius adoratione Latriæ. Quia continet Christum Dominum eiusdem excellentiæ & dignitatis ac adest in Cœlo. Trident. *sess.* 13. *c.* 1, *& can.* 6.

42 *Debet absolutè adorari.*

Debet absolutè adorari, cùm non est probabilis dubitandi ratio, an sit consecrata hostia, nec ne vel ob defectum Ministri, vel debitæ materiæ. Quia aliàs deuotio in Sacramentum minuitur, variisque scrupulis animus distrahitur. Esto aliquando *accideret*, hostiam consecratam non esse: at rarò *id* communem adorationis modum impedire debet. Suar. *d.* 65. *sect.* 2.

43 *Simulans celebrationem, quid faciat debeat.*

Vnde infero, Sacerdotem simulantem celebrationem, cùm tamen non celebret, grauissimè delicturum. Quia proponit adorandam materiam nullâ dignam adoratione. Quoties sacrificium offers, vel communicas, debes hoc Sacramentum adorare. Quia tibi adorandum proponitur. Similiter quando à Sacerdote eleuatur in Missa, aut ad infirmum defertur, vel aliquo modo tibi præsens occurrit. Quod si aliquando hanc adorationem ob negligentiam sine scandalo omittas, haud grauiter delinques ob materiæ leuitatem. Suar. *d.* 65. *sect.* 1.

44 *Sacrilegium est Eucharistiam irreuerenter tractare.*

Sacrilegium est, irreuerenter hoc ineffabile Sacramentum tractare: cùm scilicet corporalibus, vasis, vestibusque immundis vteris in illius confectione: aut si incautè custodias, vt ad corruptionem deueniat, vel ab hostibus irreuerenter tractetur. Cap. *Sanè, de celebr. Missar.* Nulla tamen est ipso iure pœna imposita, sed imponenda.

45 *Necessaria est ad salutem necessitate præcepti.*

Necessariam esse Eucharistiam ad salutem necessitate præcepti non solùm Ecclesiastici (de quo alibi) sed & diuini, certum est. At *sect.* 2. discutiam, nùm sit necessaria necessitate medij, seu remedij, seu finis. Illud enim necessarium est necessitate medij, quod per se & positiuè medium est ad salutem animæ comparandam, quodque dicitur necessarium necessitate finis, quia sine eo finis vitæ æternæ obtineri non potest. At necessarium necessitate præcepti præcisè non est medium positiuum ad salutem obtinendam: sed est medium negatiuum; quia negat, & impedit, ne salus obtenta violatione præcepti amittatur.

46 *Præceptum diuinum de sumendâ Eucharistiâ pro aliquo tempore obligat, nempe in mortis articulo.*

Porrò præceptum diuinum de sumendâ Eucharistiâ cùm affirmatiuum sit, necessariò debet aliquo tempore obligare. Quod autem sit, non conuenit inter Doctores, de quo *sect.* 2. Supponens verò ex veriori sententia præcepto diuino omnes fideles adstringi ad communionem percipiendam in mortis periculo, crediderim, cuidenter inferri, communicantem extra periculum mortis, non solùm posse, sed teneri Eucharistiam in periculo mortis constitutum suscipere. Quia communio facta ante periculum mortis non præcipitur, ergo ea satisfieri non potest communioni præceptæ. Impossibile enim est, te præcepto satisfacere, nisi opus præceptum exequare. Suar. *d.* 69. *sect.* 3. Henriq. *lib.* 8. *c.* 4. Vasq. *d.* 214. *c.* 3. *à num.* 13.

47 *Obligat extra mortis articulum.*

Imò extra mortis articulum communiter Doctores asserunt interdum in vitâ præceptum diuinum communicandi obligare. Quia cùm proprius effectus Eucharistiæ sit, animam suscipientis enutrire, & aduersùs insidias diaboli roborare, vt in acceptâ gratiâ fidelis perseuerer: satis contemptor propriæ salutis esset, qui in suscipiendo hoc salutifero pharmaco negligens existeret. Ob hanc causam per tres, vel quatuor annos communionem omittentem præcepti diuini reum esse crediderim. Suar. *d.* 69. *sect.* 3. Bonac. *d.* 4. *qu.* 7. *punct.* 1. *à num.* 8. Addentes id esse, etiam seclusâ aliquâ Ecclesiæ determinatione, cui minimè assentio, vt proprio Problemate indicabo.

CAPVT V.

De Ministro Eucharistiæ, ad consecrandum, & ministrandum.

48 *Soli Sacerdotes sunt ministri quoad consecrationem.*

QVOAD illius consecrationem soli Sacerdotes sunt Ministri. Quia nullus alius à Sacerdotibus hanc accepit à Christo potestatem. Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. & 4.

49 *Qualiter plures Sacerdotes consecrationis vnius Hostiæ possunt esse ministri.*

Fert vsus Romanæ Ecclesiæ, vt cùm Episcopus consecratur, hic simul cum consecrante verba consecrationis proferat: & cùm Episcopus ordinat, Sacerdotes nouiter ordinati esto plures sint, cum ipso Episcopo ordinante proferunt consecrationis verba. Certe si simul proferunt, & finiunt consecrationis formam cum debitâ consecrandi intentione, consecrant omnes. Quia nulla est ratio, ob quam vni potius, quàm alteri consecratio tribuatur. At quia vix est moraliter possibile, plures concurrentes ad vnius hostiæ consecrationem simul verba finire: quonam modo hoc licitum esse possit, siquidem plures ex illis periculo morali exponuntur proferendi formam super materiam iam ab alio consecratam, & consequenter indebitam. Crediderim, omnes sic ad consecrationem vnius hostiæ concurrentes intentionem habere consecrandi, & simul cum Episcopo verba finiant, secus si ante vel post. Suar. *d.* 81. *sect.* 4. Coninch *quæst.* 82. *art.* 2. *num.* 13.

50 *Depositus, ac degradatus consecrare validè potest.*

Sacerdos excommunicatus, depositus, aut degradatus non ideò amittit validè consecrandi potestatem. Quia eorum potestas, quæ in Charactere fundatur, est indelebilis. D. Thom. *quæst.* 82. *art.* 5. 6. & 7. quem omnes Theologi sequuntur.

Quò

51 *Quò ad dispensationem Eucharistiæ solus est ex officio Sacerdos.*

Quò ad dispensationem Eucharistiæ ex officio, solus est Sacerdos Minister. Quia nemini alteri à Sacerdotibus dictum est à Christo : *Hoc facite in meam commemorationem*, id est, consecrate, sumite, & aliis distribuite. Trid. *sess.* 13. *c.* 8. D. Thom. *q.* 82. *art.* 3.

52 *Ex delegatione Diaconus imò Laïcus poterunt Eucharistiam ministrare.*

Ex delegatione verò non solùm diaconis, sed & Laïcis potest Eucharistiæ dispensatio committi. Quia iure diuino concessio huius facultatis minimè interdicitur. Porrò iuxta antiquam Ecclesiæ consuetudinem vrgente necessitate solebant Laïci, Eucharistiam in domum deferre, manibus attingere, & ore excipere propter tyrannorum persecutionem. Si Eucharistia in terram esset proiecta deberet Laïcus, si Sacerdos non adesset, eleuare, imò & sumere, si vlterioris irreuerentiæ periculum adesset. Quia quod pro reuerentia Sacramenti est institutum, non debet in illius iniuriam cedere. Laym. *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 2. Suar. *d.* 72. *sect.* 2. Coninch *qu.* 82. *art.* 3. *n.* 19. Vasq. *d.* 219. *c.* 1. *n.* 18.

53 *Diaconus vrgente necessitate ex delegatione nunc potest.*

Diacono, vigente necessitate, & Episcopus & Sacerdos potest hanc committere potestatem, vt Clem. Rom. *lib.* 8. *constit. Apostolic. cap.* 28. Concil. Nicen. 1. *can.* 14 & Carthagin. 4. *can.* 38. affirmant. Ex quorum textibus constat, absque necessitate extremâ Eucharistiæ dispensationem Diaconis concedi solitam. His tamen temporibus vbi Sacerdotum copia est, rarò potest extra mortis periculum huiusmodi facultas committi. Layman. *lib.* 5. *tractat.* 4. *cap.* 7. *numero* 2. Suar. *d.* 72. *sect.* 1. Henriq. *lib.* 8. *cap.* 52. *num.* 2.

54 *Alij à Diacono extra extremam necessitatem, minimè.*

At aliis à Diacono extrà necessitatem extremam non est à iure concessa facultas Eucharistiam ministrandi, nec concedi potest ab vllo Prælato præter Pontificem. Constat ex Ecclesiæ praxi, quæ nusquam aliis, quam Diaconis. Concil. Carthag. 4. *can.* 38. cap. *Peruenit, de consecr. dist.* 2. dicens, horrendum, ac detestabile esse, quod Sacerdotes absque necessitate extremæ per Laïcum & fœminam Eucharistiam ægris immitterent.

55 *In extremâ necessitate poterit Laicus?*

Verùm in extrema necessitate, cùm scilicet æger in proximo est moriendi periculo, nec est Sacerdos, neque Diaconus, qui possit, & velit Eucharistiam ministrare, poterit Laïcus, seclusa scandalo. Quia nec iure diuino laicis interdicta est Eucharistiæ ministratio, nec iure Ecclesiastico in necessitate extremâ. Valent. *tom.* 4. *d.* 6. *quæst.* 10. *punct.* 1. Laym. *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 7. Filliuc. *tract.* 4. *cap.* 9. *quæst.* 5. *num.* 258. & 285. Aſt hanc doctrinam proprio Problem. ad examen adducam.

56 *Quando possit Sacerdos sibimetipsi Eucharistiam ministrare.*

Sacerdos infirmus, qui celebrare commodè non potest, potest, cessante scandalo, è sacratio hostiam consecratam sumere, cùm non adsit alius, qui ministret. Quia non in alienam personam, sed in propriam iurisdictionem à Christo datam exercet. Neque in hoc Sacramento opus est ministrum à suscipiente distingui, vt patet in die Parasceues in quo Sacerdos se ipsum communicat, tametsi non consecret. Bonac. *d.* 4. *quæst.* 5. *punct.* 2. *numero* 13. Sa V. *Eucharistia, num.* 14. Suar. *d.* 72. *sect.* 3. Coninch *q.* 84. *art.* 3. *num.* 25.

57 *Potest celebrans particulam hostiæ ad communicandum infirmo vel sano reseruare.*

Sacerdos celebrans potest particulam hostiæ ad communicandum infirmo vel sano reseruare. Quia neque id Sacrificij perfectionem immutat, nec iure aliquo prohibitum inuenitur. Henriq. *lib.* 8. *cap.* 46. *numero* 2. Bonac. *d.* 4. *quæstion.* 5. *punct.* 1. *num.* 14. Zambr. *de Euchar. c.* 3. *dub.* 6. *num.* 7. *eulam hostiæ cuilibet exhibere.*

58 *Debet minister Eucharistia habere iurisdictionem ordinariam, aut delegatam.*

Minister Eucharistiæ debet habere iurisdictionem vel Ordinariam, vel Delegatam in personam, cui Sacramentum administrat. (Ordinariam vocito, quæ ex officio prouenit; Delegatam, quæ à iurisdictione ordinariâ promanat.) Quia non decet alienas oues contra voluntatem proprij pastoris pascere. Suar. *d.* 72. *sect.* 2. Henriq. *lib.* 8. *cap.* 55. Vasq. *d.* 219. *cap.* 2. apprimè ex Concilio Carthag. 1. *cap.* 7. Mileuit. *can.* 18. ostendunt.

59 *Sufficit facultas præsumpta.*

Sufficit facultas præsumpta ad huius Sacramenti administrationem v.gr. si ex aliquâ causâ probabiliter iudicem, proprio Sacerdoti non fore ingratum, quod ejus ouibus Eucharistiam ministrem. Quia cùm hæc iurisdictio requisita non sit pro validâ, sed pro licitâ huius Sacramenti administratione, opus non est, delegationem facultatis præcedere : sed ex eo quòd rationabiliter spero delegandam, si peterem; sufficit, iure ipso disponente, vt delegata censeatur. Suarez *d.* 72. *sect.* 2. Azor. *lib.* 10. *c.* 23. *q.* 2. Nauar. *cap.* 21. *n.* 52. Vasq *d.* 219. *c.* 3.

60 *Nullâ præter peccatum pœnâ iure ipso afficitur, qui sine licentiâ Eucharistiam ministrat.*

Nullâ tamen pœnâ ipso iure afficitur Sacerdos, qui absque vllâ facultate Eucharistiam ministrat, nisi Religiosus sit, huic enim excommunicatio Pontifici reseruata ipso facto infligitur. Clem. *Religiosi, de priuil.* si absque speciali Parochi licentiâ eius subditis Clericis, vel Laïcis Extremæ-Vnctionis, vel Eucharistiæ ministrare præsumpserit. At si Parochus concedat suis subditis, vt à quocunque Sacerdote omnia & singula Sacramenta possint recipere : Religiosus Eucharistiam ministrans, dicetur ex licentiâ expressâ ministrare. Vasq. *d.* 219. Itaque Sacerdos, qui Religiosus non sit, præter peccatum mortale nullam pœnam ipso iure incurret.

61 *Non requiritur Ordinarij approbatio.*

Approbatio Ordinarij ad Eucharistiæ administrationem non requiritur. Quia licèt ad Sacramentum pœnitentiæ Concilium Trid. *sess.* 23. *cap.* 15. *de reform.* Sacerdotis approbationem postulet, & Eucharistia pœnitentiam consequatur: tamen lex grauans Sacerdotes non debet extendi ex vno casu in alium, maximè cùm eadem ratio non vigeat. Nam Sacramentum Pœnitentiæ difficilè administratur, vt par est, ob varios casus ibi occurrentes : quæ difficultas in Eucharistiæ administratione non reperitur. Coninch *quæst.* 82. *art.* 3. Vasq. *d.* 219. *cap.* 5. *num.* 57. Suar. *d.* 71. *sect.* 3.

62 *Priuilegia Religiosis cessa circa Eucharistiæ administrationem.*

Expendo priuilegia Religiosis concessa, quibus ab incurrendâ excommunicatione latâ *in Clement. Religiosi, de priuileg.* excusantur. Nicolaus V. concessit Minoribus, vt excepto Resurrectionis die, omnibus Christi fidelibus Eucharistiam valeant quolibet tempore ministrare. Sic habetur *in libro Monumenta Ordin. conces.* 149. Sixtus IV. & Leo X. idem eis concessit, sicut habetur in eodem libro *conces.* 160. Quod priuilegium non solùm Religiosis Mendicantibus, sed & non-Mendicantibus esse concessum. Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 41. *quæst.* 7. affirmat. Porrò Paulus III. in Bullâ Societatis IESV concessâ anno 1545. quæ incipit, *Cùm inter cunctas*, conceditur omnibus societatis Sacerdotibus facultas, post

post Missas, seu ante Missarum celebrationem, aut aliàs, Christi fidelibus Eucharistiæ, & alia Ecclesiastica Sacramenta *Sine alicuius præiudicio* ministrandi: diœcesanorum locorum, rectorum Parochialium, aut aliarum Ecclesiarum, aut quorumlibet aliorum minimè requisita licentia. Et idem Pontifex aliâ in Bullâ anno 1549. id ipsum clariùs expressit. *Omnibus* (ait) *Christi fidelibus quocunque anni tempore, præter quàm in festo Paschatis, Resurrectionis Dominicæ, & mortis articulo, nisi necessitas vrgeret, Parochialium Ecclesiarum Rectorum licentiâ minimè requisitâ, ministrare liberè ac licitè valeant.* Ex quibus priuilegiis manifestè constat Religiosos Societatis IESV, reliquósque Mendicantes, imò & non Mendicantes, qui in priuilegiis Mendicantium communicant, Eucharistiam ministrare posse toto anni tempore, excepto Resurrectionis die, mortis articulo, (addo ex tenore Bullarum,) & prohibitione Prælati interueniente.

63 *Tenetur Sacerdos tempore mortis articulo Eucharistiæ ministrare.*

Verùm omnes Sacerdotes tenentur in articulo mortis Eucharistiam obeunti ministrare, Parocho deficiente. Quia quilibet siue Regularis siue sæcularis sit, ex charitate tenetur proximo extremè indigenti hoc salutari, ac fortè necessario salutis remedio subuenire. Omnes Doctores.

64 *Tenetur ex iustitia tenetur.*

Parochus autem non solùm ex charitate, sed etiam ex iustitiâ, hac adstringitur obligatione. Cui vt satisfaciat, non solùm vocatus ministrare Eucharistiam morienti debet; sed etiam accuratè vestigare, nùm sua in Parochia sint aliqui ægroti periculo mortis obnoxij, quibus sit Eucharistia ministranda. Collegi ex *c.1. de celebr. Missar.* Laym. *lib.5.tr.4.c.5.n.6.*

65 *Ab hac obligatione non eximitur Parochus ob vitæ periculum.*

Ab hac obligatione non eximitur Parochus ob vitæ periculum, v.gr. pestis tempore, nisi alij Sacerdotes adsint, mediis quibus eiusmodi ministrio prouideatur. At reliqui Sacerdotes, qui officio, aut professione saluti proximorum incumbere non tenentur, à ministrandâ Eucharistiâ cum mortis periculo excusantur. Quia hoc Sacramentum non est morituro simpliciter ad salutem necessarium, cùm possit æger contritione salutem inire. Castro Palao *tom.4. tractat.21.punct.20.num.2.* & *tract.6.de Charit.d.1. punct.9.*

66 *Tenetur Parochus suis ouibus ministrare Eucharistiam quoties rationabiliter petierint.*

Tenetur Parochus ex iustitia Eucharistiam suis ouibus ministrare, non solùm cùm ex præcepto hæ communicare tenentur, sed quoties, spectatâ eorum conditione, & reuerentiâ Sacramento debitâ, rationabiliter petierint. Quia iure petunt, quod sibi valdè est vtile. Fagund. *de Euch. lib.3.cap.3.* Nauar. *cap. Placuit, de pœnit. dist.6.num.162.* Suar. *d.72.sect.3.* Bonac. *d.4.q.5. punct.1.num.15.* Huic tamen obligationi possunt Parochi per alium Sacerdotem idoneum satisfacere. Cùm autem totfere in omnibus locis adsint Religiosi, qui ex deuotione Eucharistiam ministrent, ratiò Parochus poterit per se ministrare Eucharistiam obligari. Citatus Suarius Bonac. & Fagund.

67 *Tenetur ministrare eam morti proximis.*

Tenetur Parochus vbique terrarum & in Hispaniâ & Lusitaniâ post Pij V. constitutionem, Eucharistiam ministrare morte plectendis. Quia hi magis afflicti, grauiori peccatorum pondere pressi tanto magis indigent præsidio. Nec vlla contraria consuetudine potest excusari. Henriquez *lib.8.cap.5.n.4.* Suar. *d.69.sect.3.* Laym. *lib.5.tract.4.c.6.quæst.4.* Tolet. *lib.2.c.18.* Sa V. *Euchar.n.2.*

68 *Denegandæ est publico peccatori in loco, vbi publicum est peccatum.*

Si quis peccato publico iure vel facto infectus, petat Eucharistiam in loco, quo publicum est: ei est deneganda: esto petat coram iis, qui delictum ignorant. Quia absolutè petit, quod sibi indebitum est, cùm breui tempore delictum, vel iis, qui ignorant, sit reserandum. Suar. *d.67. sect.2.* Vasq. *d.209.* Laym. *lib.5.tract.4.c.6.q.3.*

69 *Debet minister emendato.*

Si probabiliter possis præsumere, peccatorem emendatum esse, vt ferè semper teneris præsumere, cùm tibi contrarium non constat; obligatus es, ei Eucharistiam ministrare. Quia ex ea concessione neque scandalum etiam latè sumptum potest obuenire, cùm suscipiens Eucharistiam bene eo loci audiat, neque vllam Sacramento irreuerentiam irrogas, cùm prudenter credas ritè dispositò concedere. Fagund. *de Euch. lib.3.cap.10. n.7.* Vasq. *d.209.c.2.*

70 *Potest non emendato occulto publicè petenti peccatori concedi.*

Concedi potest Eucharistia Peccatori occulto non emendato, publicè petenti. Quia præsumi non debet Christum velle Eucharistiæ ministrationem in graue suscipientis cedere detrimentum: cederet autem si ei publicè petenti Eucharistia denegaretur, siquidem secretum illius reseraretur crimen. cap. *Si tantum* cap. *Placuit 6. q.2.* & cap. *Si Sacerdos, de officio ordinar.*

71 *Minimè verò si occultè petat.*

Haud potest concedi Eucharistia peccatori occulto non emendato, occultè petenti. Quia Sacerdos ex officio tenetur vitare quamlibet Sacramenti irreuerentiam, & prauam illius susceptionem, si id agere possit absque graui damno proprio, vel alterius. At peccatori secretò postulanti nulla irrogatur iniuria: cùm soli deneganti indispositus esse dignoscitur. Quod si qui Sacerdoti ministrat esset indispositionis ignarus, non ideò Eucharistia ministranda esset indigno. Quia scandalum, quod ex tali administratione scientibus proueniret præponderat infamiæ, quæ sequi potest apud ignarum. Neque infamatio apud vnum, vel alterum tanti ponderis esse videtur, vt valeat administrationem peccatori factam cohonestare. Henriq. *lib.8.cap.59.n.1.*

72 *Leuis suspicio de crimine non impedit communionem concedere, nec grauis quidem: sola suspicio vehemens impedit.*

Num iis, qui criminis suspicione laborant, concedi possit, & debeat Eucharistia, si petant? Porrò leuis suspicio Communionem concedere non impedit. Quia ob leuia indicia delicti nemini sunt bona debita deneganda. Grauis suspicio quæ ex grauibus indiciis nascitur, alicui videri posset, impedire, ne communio concedatur, ob periculum, quod indignus Sacramentum assumat. Verùm hoc periculum ministranti haud potest imputari, cùm non possit abnegare Eucharistiam ex indispositione suscipientis probabiliter tantùm cognita. Itaque sola suspicio vehemens & violenta impedit à communione concedenda. Quia moralem delicti certitudinem constituit: impedit, inquam, à communione publicè & secretò concedenda, si suspicio publica sit: à communione verò secretò concedenda impedit secreta suspicio. Suarius *d.67. sect.6.* Laym. *lib.5.tract.4.c.6.quæst.3.* Fagund. *de Euchar. lib.3.cap.10.n.29.*

CAPVT VI.

De Eucharistiæ susceptoribus.

73 *Tripliciter potest recipi Eucharistia.*

POTEST sumi Eucharistia tripliciter: Sacramentaliter tantùm, quando solùm Sacramentum, & non eius effectus suscipitur, quod euenit indisposito. Spiritualiter tantùm, vt cùm iustus desiderio suscipiendi flagrat. Vtróque modo Sacramentaliter, & spiritualiter, cùm iustus communicans, Sacramenti recipit effectus. Trid. *sess.* 13. *c.* 8. & *sess.* 22. *c.* 6. D. Thom. *q.* 80. *art.* 1.

74 *Solus homo potest his modis Eucharistiam suscipere.*

Solus homo modis præfatis hoc potest Sacramentum suscipere. Quia irrationalia animantia esto aliquando comedant, tamen non possunt eius donari fructibus. Nec Angeli vel spiritualiter suscipere possunt, cùm capaces non sint augmenti gratiæ. Et quia pro solis hominibus in hac vita degentibus est institutum.

75 *Homo non baptizatus non potest Sacramentaliter recipere.*

Homo sacrâ aquâ non dilutus potest spiritualiter quidem, sed non sacramentaliter recipere; Potest spiritualiter. Quia ante Baptismum potest quis Deo esse gratus, & Eucharistiæ suscipiendæ post Baptismum affectu flagrare gratiæ planè incremento. Non verò sacramentaliter. Quia nullus est capax vllius Sacramenti recipiendi, nisi per sacram vndam Ecclesiam fuerit ingressus.

76 *Baptizatus peccator solùm sacramentaliter suscipit.*

Baptizatus peccator solùm sacramentaliter Eucharistiam suscipit. Quia dum degit in crimine haud potest nec spiritualis, nec sacramentalis communionis effectum, nempe augmentum gratiæ recipere, sed horribile absumit in iudicium. Baptizatus verò iustus sacramentaliter & spiritualiter recipere potest. Quia ad augmentum gratiæ proprium Eucharistiæ effectum sola gratia habitualis in suscipiente requiritur. Doctores communiter.

77 *Infantes & perpetuo amentes baptizati, si eis concedatur, augmentum gratiæ recipiunt.*

Vnde infantes baptizati, & perpetuò amentes, si illis Eucharistia concedatur, gratiæ augmentum percipiunt. Quia antiqua fuit consuetudo concedendi paruulis Eucharistiam, quæ non concederetur, nisi illis prodesset. Coninch *q.* 80. *a.* 9. Laym. *lib.* 5. *tr.* 4. *c.* 5. *q.* 1. Vasq. *d.* 112. *c.* 2.

Concedine debet Eucharistia infantibus, ac perpetuò amentibus saltem in mortis articulo? Minimè. Quia cùm hoc Sacramentum illis necessarium esse non possit, & ex alia parte frequenter adsit irreuerentiæ periculum, iustè eos Ecclesia à tanti Sacramenti participatione excludit. Henriq. *lib.* 8. *cap.* 42. Laym. *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 4. *q.* 1. & 3. Suar. *d.* 62. *sect.* 4.

78 *Non tamen debet eis dari.*

79 *Danda amenti qui aliquando vsum habuit, in mortis periculo.*

Potestne, aut debet concedi amentibus, qui aliquando rationis vsum habuêre? Extra mortis articulum, nec potest, nec debet. Quia extra mortis articulum nulla est Ecclesiæ consuetudo concedendi huiusmodi amentibus Eucharistiam. Tanti enim Sacramenti reuerentia postulat, vt extra casum extremæ necessitatis concedatur ei, qui ad illius susceptionem actuali deuotione se disponere nequit. At in extremo periculo potest, & debet eis concedi. Quia giusmodi amentibus Eucharistia necessaria ad salutem esse potest, scilicet, si peccato mortali grauati in dementiam attriti incidissent. Vasq. *d.* 212. Coninch *q.* 80. *a.* 9. *n.* 72. Suar. *d.* 62. *sect.* 4. Henriq *lib.* 8. *c.* 42.

80 *Quando dentia non valent hunc cœlestem cibum diiudicare, inter absolutè amentes sunt computandi.* *beat dari semisatu.*

Si illum satis à communi distingunt, & reuerenter quasi sibi necessarium expostulant, concedi illis debet non solùm in mortis articulo, sed etiam Paschatis tempore. Quia credendum est, hoc præcepto adstringi, cum supponam eius habere notitiam spiritualis cibi, ac peccandi pollere libertate. Extra hæc tempora haud debet eis Eucharistia concedi ob Sacramenti reuerentiam. Henr. *l.* 8. *c.* 42. Bonac. *d.* 4. *q.* 6. *punct.* 1. *n.* 7. Posseu. *de commun. c.* 8. *n.* 32. Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 4. *q.* 3.

81 *Quando Surdis, & Mutis.*

Potestne, ac debet Mutis & Surdis à natiuitate ministrari? Si ex signis, ac nutibus conster, discretionem habere, qua sufficienter cœlestem cibum à profano distinguant, non solùm in mortis articulo, sed etiam Paschatis tempore eis est Eucharistia concedenda. Quia est eis valde necessaria tùm ad augmentum gratiæ, tùm ac piacula futurâ præcauenda. Laym. *lib.* 5. *tract.* 4. *c.* 4. *q.* 4. relato Abbate *ad cap. Cum apud, n.* 6. *de sponsal.* At si prudens Confessarius aduertat, Mutum & Surdum perfectâ discretione pollere, vti sæpè contingit: aliis solemnibus festiuitatibus ei poterit Eucharistiam ministrare. Quia nulla apparet ratio, cur sit ei deneganda, cùm se ad illam suscipiendam per actualem deuotionem disponere queat. Castro Pal. *tom.* 4. *tract.* 21. *punct.* 11. *num.* 9.

82 *Quid si Surdi ac Muti ibi simul cœcitate laborent?*

Quid si supradictis impedimentis duobus cœcitas adderetur? Crederem vix inueniri vnum, aut alterum, queis etiam mortis articulo possit Eucharistia ministrari. Quia incapaces existunt tanti cibi dignitatem agnoscere. Vnde Sanch. *lib.* 1. *de Matr. d.* 8. *à n.* 12. & Gutier. *de Matr. cap.* 8. *à num.* 5. aliis relatis, docent, Mutum & Surdum contrahere matrimonium posse, secùs si simul cœcus existat.

83 *Quando concedenda Energumeni?*

Num Energumeno, siue obsesso à Dæmone possit, aut debeat Eucharistia ministrari? Si constet à Dæmone obsideri quod aliquo crimine inficiatur, qualiter contigit illi, quem refert Paulus, traditum esse Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret 1. *Cor.* 5. ob defectum dispositionis in suscipiente, haud est ei Eucharistia ministranda. Secus si credatur torqueri, vel in pœnam alicuius piaculi perpetrati, quod remissum sit quoad culpam: vel ad sui meritum, ac probationem, vt frequenter contingere, credendum. Attamen aduertendum est, an priuetur vsu rationis, an sui compos existat. Si vsu rationis priuetur, iudicium ferendum est de eo æquè ac de perpetuò amentibus. Ast si sui compos sit, concedenda ei Eucharistia, secluso irreuerentiæ periculo, non solùm in mortis articulo, verùm etiam in Paschate, imò & aliis temporibus iuxta prudens Confessarij iudicium. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. Laym. *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 4. *q.* 5. Suar. *d.* 69. *sect.* 2. Vasq. *d.* 112. *c.* 4.

84 *Quando Pueris vsum rationis habentibus*

Num Pueris vsum rationis habentibus statim possit, & debeat Eucharistia exhiberi? Si distinguere possint hunc cibum à profano, concedi debet eis in mortis articulo. Quia non solùm vtilis, sed fortè necessaria eis ad salutem erit. Suar. *d.* 70. *sect.* 1. Laym. *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 4. *quæst.* 2. Henriq. *l.* 8. *c.* 42. Ast extra mortis periculum perfectior vsus rationis requiritur ad Eucharistiam suscipiendam ei, qui sufficiens iudicatur ad peccandum, & absolutionem obtinendam. Quia & pœnitentia est simpliciter necessaria, quæ non

est

est Eucharistia: & Eucharistia nobilior est, perfectiorem rationis vsum in suscipiente expostulans. Suar. & Laym. citati, & Nauar. *c.21.n.57.* Credidem tamen, eum vsum rationis, qui sufficiens est ad peccandum, & absolutionem à peccatis obtinendam, sufficere, vt Eucharistia possit impendi. Quia licèt Pœnitentia sit magis necessaria quàm Eucharistia, & hæc sit nobilior pœnitentiâ: longè tamen difficilior est dispositio ad pœnitentiæ fructum obtinendum, quàm ad obtinendum Eucharistiæ fructum: cùm ad pœnitentiam confessio peccatorum dolosa requiratur cum proposito non delinquendi de cætero; ad Eucharistiæ verò fructum sola voluntas suscipiendi existentis in gratiâ sufficiat. Non tamen ideò asseruerim pueros huiusmodi statim nec diuino nec humano præcepto obligari, nec Parochos teneri illis Sacramentum concedere; sed vnum vel alterum annum expectari posse, vt eorum discretio exactius dignoscatur. Suar. *d.70. sect.1.* Laym. *lib.5. tr.4. c.4.q.2.* Vasq. *d.214. c.4. a n.46.*

85 *Quandonam igitur censebuntur Pueri discretionem sufficientem habere, vt Eucharistiam suscipere teneantur? Prudentis Confessarij iudicio relinquendum: nonnulli enim Pueri ita sunt perspicacis ingenij, vt ante annum decimum sufficientem discretionem habere censeantur. Regulariter autem nemo ante annum decimum obligari censeo. Imò, ferente vsu, viri ante annum 14. fœminæ ante 12. non obligantur.* Nauar. *cap.21. num.57.* Cordub. *in sum. casu 60.*

CAPVT VII.

De Dispositione suscepturi Eucharistiam internâ.

86 *Ante communè de bonis certitudinem moralem habere, ea de re quæ in proximo exifa.*

ANTEQVAM ad Eucharistiam suscipiendam quis accedat, debet se iustum ac gratum Deo reputare. Quia cùm instituta sit ad nutriendam spiritualem animi nostri vitam, illam per se supponit. Trid. *sess.13.c.7. & can.11.* Sufficit autem moralis certitudo, te nullo grauari peccato non confesso. Quia certitudo moralis quamlibet humanam actionem à temeritate excusat. Coninch. *q.80. art.8.*

87 *Actuale peccatum veniale non impedit præcipuum Eucharistiæ effectum quod est augmentum gratiæ: alios verò secundarios ex parte impedire non dubito. Impedit enim remissionem ipsius, quæ per Sacramentum ex opere operato fieri deberet: impedit deuotionem, & charitatis feruorem: impedit specialem suauitatem, quam assolet deuote communicantes experiri: & plura auxilia gratiæ ad præcauenda crimina. Notanter dixi, Actuale peccatum, habituale enim, etiam si formaliter quis detestatus non fuerit, si tamen illius complacentiam non habeat, communione, quæ est quædam detestatio virtualis peccati, ex opere operato remittitur.* D. Thom. *q.79. art.8.*

88 *Peccatis mortalibus conscius tenetur ea præmittere debita Confessione.*

Qui peccato mortali grauatur, & Eucharistiam recipere velit, non solùm contritione, sed Sacramentali confessione se debet præparare. Quia Ecclesiæ consuetudine sic illud Pauli intelligendum: *Probet autem se ipsum homo.* Trid. *sess.13.c.7.* Quare Caiet. *ad 1. Cor.11.* minimè audiendus, dum asserit, nullum esse præceptum neque diuinum, neque Ecclesiasticum, præmittendi Confessionem, si peccator contritus sit.

Profectò ab executione huius præcepti excusaris, si Confessarij copia non adsit, & necessitas communicandi vrgeat. Trid. *sess.13.c.7.* Quandónam copia Confessoris absit? Quando ita à te distat, vt nequeas illum absque graui incommodo adire. Quando præsenti confiteri non potes absq; prudenti periculo, vel violationis sigilli, vel prouocationis ad malum, vel alterius grauis nocumenti. Quando nullus adsit, qui iurisdictionem habeat, aut cui iurisdictionem ex priuilegio concedere possis. Vasq. *d.207. c.2. n.9.* Conin. *q.80. a.4. dub.2. n.19.21. & 23.* Bonac. *d.4. q.6. pun.1. n.28.*

89 *Excusaris, si non sit Confessarij copia, & adsit communicandi necessitas. Quandonam copia Confessoris absit*

Quandónam verò necessitas adsit communicandi? Quando prudenti alicuius grauis notæ timore afficeris. Quando viaticum est obituro ministrandum, & nulla esset hostia consecrata. Quãdo Sacerdos inchoatâ Missâ, alicuius peccati mortalis non confessi recordatur, nec tenetur, ab altari recedere, nec Confessario ad altare accedenti fateri. Quia licèt infamia Sacerdoti non sequatur, quæ vix excusari potest: Sacrificium inceptum non licet irrumpere. Nauar. *c.21. n.49.* Vict. Sotus, Bonau. quos refert, ac sequitur Suar. *d.66. sect.4.* Vnde si assistens ad linteum cum aliis communicaturus, recorderis aliquod mortale te non fuisse confessum, nec ab eo loco discedere absque graui notâ possis, contritione elicita licèt Eucharistiam absumere. Sed de hoc *sect.2.* vberiorem sermonem problematicè instituam. Quãdo obligatur quis dicere sacrum vel ex Officio Parochi, si non adsit alius Sacerdos, qui Parochi possit gerere vices. Quia ob peccatum Sacerdotis priuare non debet populus iure fruendi sacrificij fructu. Item potest oriri obligatio dicendi Sacrum, vel communicandi in Paschate, cui obligationi si non celebres, aut communices, haud potes satisfacere: tunc, non præmissa confessione, poteris sacrum dicere, aut communicare. Quia satis vrgens est necessitas, quæ tibi à lege imponitur. Et quia videtur tibi graue damnum irrogari, si à communione illa publica, solemni, & communi aliis fidelibus & Ecclesiæ præcepto necessaria ob Confessoris arcearis inopiam. Sotus *in 4. dist.12. q.1. art.4.* Viuald. *de Euchar. n.123.* Palud. *in 4. dist.9. q.4. concl.10.* Coninch *q.80. art.4. dub.2. n.17.*

90 *Quandonam vrgeat communicandi necessitas?*

Attamen in omnibus præfatis casibus, quibus à præmittenda confessione excusaris, necessarium est conteri de peccato commisso. Quia licèt hoc Sacramentum aliquando attrito primam gratiam conferat, id fit, si bona fide putans quis se esse in gratia, accederet: secus esset, si peccati conscius communicare auderet.

91 *Debes te contritum reputare.*

Ne autem Sacerdos sibi fingeret celebrandi necessitatem, confessione non præmissa, Trident. statuit *sess.13.c.7.* Sacerdotem conscium peccati mortalis, qui ob necessitatem vrgentem, non præmissa confessione celebrauit, obligatum esse, vt quamprimum potest, confiteri. Quod præceptum solùm obligat Sacerdotem peccati mortalis conscium celebrantem necessitate vrgente, confessione non præmissa, siue contritus, siue non contritus celebret. Non verò Sacerdotem, qui sui peccati inuincibiliter oblitus, haud præmissa confessione, sacrum ageret. Neque eum, qui extrà necessitatem ex malitia celebrasset, vel more laicorum necessitate vrgente communicaret, Confessione non præmissa. Quia hoc præceptum cum rigorosum sit, licèt conueniens maximè, non debet vltrà proprietatem verborum extendi. Vasq. *d.208. c.3. à n.16.* Coninch *q.80. art.4. dub.2.* Suar. *d.66. sect.6. & 7.* Plura *sect.2.*

92 *Sacerdos non præmissa confessione celebrans, tenetur quamprimum possit, confiteri.*

CAPVT VIII.

De externa susceputi Eucharistiam dispositione.

93 *Immunditia corporis communionem non impedit.*

IMMVNDITIA corporis communionem per se & necessariò non impedit. Quia spiritualis cibus solam animi puritatem requirit. Si facilè autem ab ea te potes impuritate expedire, saltem delinques leuiter, si corporeæ nõ das operam putitati. At si in tua potestate non sit, ab ea te immũditia expedire, quia lepra infectus, quia morbo affectus habituali, quia menstrũ pateris, non ideò à sacra debes communione abstinere.

94 *Quandonam Pollutio impediat, quando non?*

Attamen Pollutio potest communionem impedire. Nam si voluntaria fuit, impedit quousque pœnitentiam agas. Et idem dixerim de fornicatione, & quolibet lethali piaculo. Consultius quidem est, in aliam diem differre communionem, nisi aliqua specialis causa communicandi accurrat. Quia carnis voluptas non leuiter mentem obturat, ac impedit deuotionem. Vasq. *q.*80.*a.*7. Laym. *l.*5.*tr.*4.*c.*6.*q.*5. Suar. *d.*68. *sect.*2. At verò si Pollutio ex abundantia seminis, vel ex aliâ causâ naturali accidit, non impedit ea die communionem. Quia sæpè operâ dæmonis excitatur, vt à tanto conuiuio pollutum auertat. Verùm si ex pollutione inculpabili ista commotio carnis insurgat, quę animo ingerat perturbationem, satius erit ea die à communione abstinere, nisi aliqua causa specialis communicandi vrgeat. D. Th. 3.*p.* *q.*80.*a.*7. Coninch *ibi n.*82. Suar. *d.*68. *sect.*2.

95 *Quid de copula coniugali dicendum.*

Si copula coniugalis ob voluptatẽ potius, quàm ob gignendos filios, aut carnis tentamina sedanda habita est cum communicandi intentione: simpliciter communionem non impedit, quia peccatum mortale non est: impedit tamen ex quadam decentiâ. Quia indecens est inire sacerrimum conuiuium, qui carnis indulsit voluptati quo tempore dare operam cordis compunctioni deberet. Porrò si ex fine legitimo, & ea moderatione, qua par est, copula coniugalis geritur: haud impedit communionem. Quia est actus virtutis. Tamen si ex illa prauus affectus, animique vagatio resultet, diligenter sedanda, ne fructum sacri epuli impediant. Haud dubium expediens esse coniugibus nocte communioni proximâ à debiti petitione abstinere in reuerentiam Sacramenti, vt praui affectus præscindatur occasio. At à debiti seriò petiti redditione non est abstinendum. Quia contra iustitiam delinqueret coniux. Si frequenter communicas, nempe singulis Dominicis diebus, simplici petitioni ne obsistas. Si mensibus solùm singulis, poteris petentem commonere, rogaréq; vt à petitione desistat ob Sacramenti reuerentiam. Quod si ipse ægrè ferat, annue, & quâ maiori reuerentiâ quiueris, ad sacram te præpara communionem. Sanch. *lib.*9. *de Matr. d.*2. Suar. *d.*68. *sect.*2. Laym. *lib.*5. *tr.*4.*c.*6.*q.*5.

96 *Solum ieiunium ex parte corporis requiritur.*

Nulla alia dispositio ex parte corporis est per se requisita ad Eucharistiæ sumptionem præter carentiam cibi, & potus. Quia consuetudine Ecclesiæ stabilitum, Sacramentum hoc à ieiunis necessariò esse suscipiẽdum, siue Sacerdos celebret, siue Sacerdos aut laicus communicet. Sic explicant Concilium Carthag. Afric. Brachar. ac Tolet. Suar. *d.*68. *sect.*3. Vasq. *q.*80. *d.*212. Valent. *tom.*4. *d.*6. *q.*8. *pun.*3. Rationem huius inuiolabilis consuetudinis Concilium Matisconens. 2. *can.*6. assignauit, ne scilicet terrenus cibus cœlesti, & spirituali præponeretur.

97 *Ieiunium, inquam, naturale.*

Ieiunium hoc debet esse perfectum naturale minimi cibi, ac potus minimam vitalem sumptionem excludens. Vnde perexigua quantitas præcepti grauitatem non minuit. Quia non ex leuitate cibi grauitas præcepti desumatur, sed ex eo quòd communio fiat violato naturali ieiunio, quod minimâ quantitate æquè ac magna lædit. *cap. ex parte, de celebr. Missa.* Vasq. *d.*211.*c.*3. *n.*28. Suar. *d.*68. *sect.*4. Coninch *q.*80. *a.*8. *n.*46.

98 *Læditur cibo & potu ad medicinam sumpto.*

Æquè lædit hoc naturale ieiunium, si cibus ad medicamen assumatur. Quia quocunque modo fuerit sumptus vitaliter naturale ieiunium destruit. Bonac. *d.*4.*q.*6. *punct.*2.*n.*6. & omnes Doct.

99 *Non læditur ex traiectione per modum saliuæ.*

Porrò indè non fit, hoc ieiunium violari ex traiectione saliuæ vel sanguinis ex maxillis, aut ex capite defluentis. Quia non est alicuius rei à comedente extrinseca traiecto. Laym. *l.*5.*tr.*4.*c.*6.*n.*18. Bonac. *d.*4.*q.*6. *pun.*2.*n.*6. Suar. *d.*68. *sc.*4. Imò deglutiens casu parum aquæ, & vini saliuæ immixtum cùm os abluitur: vel parum liquoris cùm conditus cibus degustatur, à communione non impeditur. Quia non traiicitur tanquam cibus & potus, sed tãquam saliua, cui est immixtus. Secus dixerim, si quis ex proposito hoc gereret. Conin. *qu.*80. *art.*8. *num.*8. Vasq. *d.*211.*c.*3. *num.*29. Suar. *d.*68. *sect.*4.

100 *Nec frustulorum dentibus adhærentium.*

Frustulæ cœnæ præcedentis casu dentibus adhærentes, etiam si ex proposito deglutiantur, non impediunt communionem. Quia illarum sumptio non est moraliter distincta à Cœna præcedenti. Henr. *l.*8.*c.*49. Suar. *d.*68. *sect.*4. Conin. *q.*80. *a.*8.

101 *Secus saccaro post dimidiam noctem diffluente in stomachum.*

Saccarum ori imponis præcedenti nocte, vt paulatim liquefactum raucedinẽ liniat, qua fauces afficiuntur: impedit planè communionem, si aliqua eius particula post mediam noctem traiiciatur. Quia illius traiectio ad traiectiones præcedentes non potest reduci, cùm ex intentione sumentis æquè singulæ traiectiones respiciantur, velitque saccari sumptionem durare quousque sit absumptum. Coninch *q.*80. *a.*8. *n.*49.

102 *Mòx post sumptam Eucharistiam licet comedere, sed non decet.*

Postquam sumpseris Eucharistiam, nullum est ieiunandi præceptum, sed illico potes sumere cibum. Quia licèt textus in cap. *tribus gradibus de consecrat. dist.*2. præcipiat sumpta mane Eucharistia, seruari ieiunium vsque ad horam sextam: & sumpta hora tertia, vel quarta, seruari vsque ad vesperam: consuetudine præceptum illud est abrogatum. Vasq. *d.*211.*c.*1.*n.*10. Suar. *d.*68. *sect.*4. Laym. *l.*5.*tr.*4.*c.*6. Tamen est decens, à cibo abstinere, quousque credantur species Sacramentales esse absumptas, nè cibus cœlestis materiali misceatur. Sicuti oportet, nè statim post Eucharistiam sumptam expuas, præcipuè si sputum è pectore profluat. Quod si coactus necessitate id gesseris præstat fieri in linteo, vel in loco à conculcatione remoto. Quia ineffabilis etiam reuerentia tanto cibo debetur. Henriq. *lib.*8.*c.*49. Sotus *dist.*12.*q.*1.*a.*8. Bonac. *d.*4.*q.*6. *punct.*2.

103 *Sumi potest Eucharistia à non ieiuno, ob viaticum obuentis naturaliter.*

Si probabilis timor adsit de periculo mortis, & commodè Eucharistiam sumere ieiunus non possis, sume post cibum, aut medicamentum. Quia diuinum præceptum de sumendâ Eucharistiâ, quo satis probabile est, eo tempore vrgere præponendum est Ecclesiastico de seruando ieiunio ante communionem. Neque pietatem Ecclesiæ deceret suo præcepto fideles tanto bono priuare ea in necessitate constitutos. De huiusmodi necessitate

cessitate iudicare, Medicorum iudicio relinquitur. Suar. *d.* 68. *sect.* 5. Coninch *q.* 80. *a.* 8. *n.* 51.

104 Et obuentio euitetur. Quod dictum est de periculo mortis naturalis, dixerim etiam de violentâ. Si enim Eucharistiam sumere ieiunus non vales, quia Iudex non permittit executionem sententiæ tibi non ieiuno intimatam in alium diem differri: poteris eodem die Eucharistiam sumere. Quia necessitas huius viatici ad cœlestem vitam eadem, ac fortè maior existit. Vasq. *d.* 211. *c.* 4. Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 6. *q.* 6. *n.* 20. Sa *V. Euchar. n.* 2. Suar. *d.* 68. *sect.* 5.

105 Et cum probabilis est timor irreuerentiæ. Cum probabilis timor peruolat alicuius imminentis irreuerentiæ, vel quia Sacramentum in manus infidelium est aduenturum, vel ab igne absumendum, vel ab aliquo alio irreuerenter tractandum: poterit non solùm Sacerdos, sed, eo deficiente, laïcus non ieiunus sibi propriis manibus ministrare. Quia quod in reuerentiam Sacramenti est statutum, non debet in maiorem ipsius irreuerentiam cedere. Fag. *de Euch. l.* 3. *c.* 5. Suar. *d.* 68. *sect.* 5. Conin. *q.* 80. *a.* 8. Vasq. *d.* 211. *c.* 5. *n.* 57.

106 Et cum in Corporali, aut Patenâ aliquam particulam inuenio. Cùm post peractum sacrificium, & ablutionem sumptam, in Corporali aut Patenâ aliquam particulam reperis consecratam, illam potes absumere etiam si grandiuscula sit. Quia ad idem sacrificium illa sumptio pertinet. Suar. *d.* 68. *s.* 6. Henriq. *lib.* 8. *cap.* 50. *n.* 2. Laym. *lib.* 5. *tract.* 4. *q.* 6. Coninch *q.* 80. *art.* 8. *n.* 65.

107 Et cum per inaduertentiam aquam infuderis sanctis inscius: aut animaduertis se non esse ieiunum sacerdotem, recordaris. Si per inaduertentiam loco vini aquam infuderis, illamque sumpseris: si facta consecratione, recordaris, te non esse ieiunum: debes non ieiunus communicare, ne sacrificium imperfectum relinquatur. Lex enim conficiendi sacrificium perfectum, legi de præmittendo ieiunio præualet. Ob eandem rationem si Sacerdos facta consecratione absumere hostiam non potest, vel quia sensibus destitutus est, vel quia decessit, debet alius non ieiunus, si ieiunus non facile adduci possit, communicare. Vasq. *d.* 211. *c.* 5. *n.* 57. Laym. *lib.* 5. *tract.* 4. *c.* 6. Coninch *q.* 80. *art.* 8.

108 Si grauis nota Sacerdoti immineat, nisi non ieiunus celebret, vt si inceptâ Missâ recordetur, velitque ab altari recedere, populus tamen, etiam causâ manifestatâ, non acquiescit, quinimo aliquod malum suspicatur, & scandalo afficitur: potest Sacerdos non ieiunus celebrare. Quia præcepta Ecclesiæ eo rigore non obligant. Vasq. *d.* 211. *c.* 5. *num.* 57. Suar. *d.* 68. *sect.* 6. Bonac. *d.* 4. *q.* 6. *punct.* 2. *n.* 14.

109 Cùm hostia hæret labro Calicis. Cùm hostia hæret labro Calicis, nec facilè digitis dimoueri potest, & sumi: vinum infundere, & simul cum illo absumere expedit. Quia in his casibus violatio ieiunij moralem communionem præcessisse non censetur. Coninch *q.* 80. *a.* 8. *n.* 67. & mox dati Doctores.

CAPVT IX.

De Eucharistiæ Effectibus.

110 Primarius huius sacrificij effectus augmentum gratiæ. PRIMARIVS Eucharistiæ effectus est gratiæ augmentum, quod confertur homini in gratiâ recipienti. Quia si reliqua Sacramenta nouæ legis non ponentibus obicem conferunt gratiam: omnium præstantissimum abundantiorem exhibebit. cap. *Firmiter, de fide cathol.* cap. *cum Marthæ de celebr. Missar.* Trident. *sess.* 13. *c.* 2.

111 Hunc effectum communicat. Hunc effectum communicat Eucharistia, cùm primum Sacramentum ex ore ad stomachum traditur. Quia in huiusmodi traiectione manducatio consistit, & manducanti gratia à Christo promissa est. Io. 6. *Qui manducat me, viuet propter me.*

Dum autem Sacramentum in stomacho perseuerat, non auget gratiam ex opere operato (iuxta veriorem sententiam, quam *sect.* 2. expendam) licet dispositio actualis increscat. Quia Christus gratiam promisit ipsum mãducanti: at non ipsum manducas, cùm in stomacho retines, sed cùm ex ore in stomachum traiicis. Et quia sequeretur vtilius tibi esse grandiori hostia hoc Sacramentum recipere: erit enim occasio, vt auctâ dispositione non solùm ex opere operantis, sed ex opere operato gratia augeatur; quæ tamen non augeretur, si in minimâ quantitate hoc Sacramentum reciperes. Et quia sequeretur, te peccatum mortaliter eo tempore, quo verosimiliter credis, Christum in stomacho assistere: speciale peccatum sacrilegij committere, sicuti si in mortali recepisses; obicem enim ponis Sacramento, ne suum operetur effectum. Castro Pal. *tom.* 4. *tr.* 21. *punct.* 9. *§.* 2. *n.* 10.

Effectus gratiæ, qui communicari debebat sus- 113
cipienti Eucharistiam, nec tamen cõmunicatur ob indispositionẽ; sublata indispositione, consumptis speciebus, non communicatur, sicut vidimus communicari suscipienti Baptismum, vel pœnitentiâ indebitè, sublatâ indispositione. Quia nullum inuenio firmum fundamentum, vnde colligere possim huiusmodi abundantem communicationem, quæ quidem non est necessaria, cùm iterari sæpius possit hoc Sacramentum, & illius debitâ susceptione fructus amissus reparari: quod in Baptismo ac Pœnitentiâ non procedit. Conin. *q.* 62. *a.* 1. *dub.* 5. *n.* 78. Suar. *d.* 63. *sect.* 10. Henriq. *lib.* 1. *c.* 25. *n.* 7. *lit. T.*

Sublatâ fictione, effectus gratiæ qui communicari digno debebat, non communicatur.

Verùm præter augmentum gratiæ habitualis, 114
alij effectus ex Eucharistiâ profluunt. Nam mediis auxiliis à Deo ob eius debitam sumptionem acceptis, antidotum, eam experimur, quo à mortalibus præseruemur. Trid. *sess.* 21. *c.* 2. Quænam, ais, auxilia ex vi huius Sacramenti debitè suscipienti conceduntur? Certè sufficientia abundantiora, quàm, Eucharistiâ non acceptâ, concederentur: & sæpè iuxtà diuinum placitum efficacia. Sæpè inquam, non semper, aliàs ritè communicans delinquere mortaliter non posset, & in gratiâ confirmaretur.

Eucharistia antidoto à peccatis præseruamur.

Peccata venialia remittit, quorum non habes 115
complacentiam. Quia licèt nullum peccatum remittatur absque illius detestatione saltem virtualiter eo ipso quo vis Eucharistiam suscipere, vis charitatem augere, & intimius Christo coniungi, & hæc voluntas est quædam peccatorum venialium virtualis detestatio; quæ licet ex se non sufficiat ad venialium remissionem, medio tamen Sacramento susceptо sufficit. D. Th. *q.* 79. *a.* 4. Coninch *ibi n.* 54. & 55. Bonac. *d.* 4. *q.* 3. *punct.* 6. *§.* 3.

Peccata venialia Eucharistia remittit.

Remittit pœnam temporalem pro peccatis de- 116
bitam, non directè & immediatè; sed indirectè & mediatè: tum excitando actus charitatis, quibus satisfacimus, tum remittendo venialia, & consequenter aliquam pœnam eis debitam. D. Thom. *q.* 79. *art.* 5. quem omnes sequuntur.

Et temporalem pœnam pro peccatis debitam.

Speciali suauitate animum recreat, iuxta illud, *Pinguis panis eius, & præbebit delicias.* Vnde 117
in Clement. *de reliquiis, & venerat. sanct.* ait Pontifex, in hoc Sacramento omne delectamentum esse, & omnis saporis suauitatem, ipsamque dulcedinem Domini degustari. Consistit autem hæc suauitas, ac spiritualis dulcedo præcipuè in quadam animi promptitudine ad quaslibet res diuini obsequij hilari animo peragendas.

Speciali suauitate animum recreat.

118 *Specialissimã cum Christo ac fideli peragit vnionem.*

Specialissimam cum Christo & fideli peragit vnionem. Ioan. 6. *In me manet, & ego in illo.* Consistit autem hæc vnio non solùm in gratiâ habituali: remissione venialium, & præseruatione à mortalibus vi Sacramenti concessis: sed præcipuè in vinculo charitatis, & mutuâ beneuolentiâ, qua Christus hominem suo corpore ac sanguine saginatum prosequitur: & homo ipsum Christum, reliquósque fideles de eodem corpore ac sanguine Dominico participantes.

119 *Fomitem concupiscentiæ moderatur.*

Fomitem concupiscentiæ moderari quis dubitet? Quia hoc Sacramentum est institutum ad præseruandum suscipientes à peccatis mortalibus: at huius præseruationis medium est, ardorem concupiscentiæ mitigare. Non autem id pro omnibus conceditur occasionibus, sed iuxtà Domini beneplacitum, nè cogamur affirmare, semel suscipientem dignè Eucharistiam, nulla carnis posse pati tentamina; & quia hic effectus sæpè impeditur ob aliquod peccatum postea commissum, aut ob aliquam irreuerentiam Sacramento factam. Suar. *d.* 64. *s.* 1. Con. *q.* 79. *a.* 8. *dub. vn. n.* 62. *te sacrificij non est.*

Promittitur denique accipientibus dignè Eucharistiam resurrectio, ac vita æterna. Profectò licèt hi effectus sint omnibus decedentibus in gratiâ promissi, specialiter communicantibus promittuntur, vtpotè, qui sunt Christi per communionem specialia membra. Omnibus igitur ritè communicantibus, & in gratia decedẽtibus concedetur resurrectio & vita æterna non solùm ob gratiam habitualem, in qua decessere, sed etiam ob Eucharistiam dignè susceptam: ideóque resurrectio, ac vita æterna effectus est tum gratiæ habitualis, tum Sacramenti. Suar. *d.* 64. *sect.* 2. Coninch *q.* 79. *art.* 8. *dub. vn.* Plura ex præfatis sententiis, quas inter receptiores à cunctis Doctoribus annumero, speciali Problemate discutientur. 120 *Dignè communicãti impertit resurrectionem ad vitam æternam.*

SECTIO SECVNDA.

De Eucharistiâ Sacramento Problemata.

CAPVT X.

Circa Eucharistiæ Sacramenti Naturam.

PROBL. I.

De necessitate Sacrificij est, & non est Panis simul, ac Vini Consecratio.

121 *Suppono, duplicem esse necessitatẽ, Sacramenti, & præcepti.*

DVPLICEM esse necessitatem, vnam Sacramenti, vel Sacrificij, qua sic aliquid exigitur, vt eo prætermisso valide non fiat Sacramentum, vel Sacrificium; alteram præcepti, qua sic aliquid petitur, vt eo omisso Sacramentum aut sacrificium valide, sed non licitè conficiatur, suppono. Certè de necessitate Sacramenti, aut sacrificij non est, consecrari simul vtramque materiam Panis & Vini. Quia verba consecrationis Panis statim habent suum effectum ante Vini consecrationem. An verò de necessitate sactificij sit, Panis ac Vini consecratio ambigitur.

122 *De necessitate sacrificij est.*

Vtriusque materiæ consecratio non pertinet ad essentiam sacrificij, sed ad eius integritatem, cum sacrificium Christi cruentum possit per alteram tantùm speciem repræsentari. Quia hoc ipso, quod solus Panis, aut solum Vinum consecretur, ex vi verborum fit corpus exangue, vel Sanguis vt separatus à corpore; vnde per singulas consecrationes mors Christi indicatur: quamuis per vtramque expressius repræsentetur. Sic Nugnus 3. *p. q.* 83. *art.* 1. *concl.* 4. Bonac. *d.* 4. *quæst. vlt. punct.* 2. *num.* 7. Henriq. *lib.* 9. *cap.* 9. *n.* 10. Cassali. *lib.* 2. *de sacrif. cap.* 25.

123 *De necessitate*

Vtriusque materiæ consecratio pertinet ad sacrificij necessariò essentiam. Quia consecratio habet rationem incruenti sacrificij sub ratione mysticæ mactationis, quatenus ex vi verborum Corpus & sanguis Sacramentaliter separantur. At id non fit nisi per vtriusque speciei consecrationem, quæ separationem exprimit Corporis ac Sanguinis, & ita repræsentat expressè sacrificium cruentum. Ergo consecratio vtriusque materiæ simul constituit essentialiter rationem incruenti sacrificij, quod expressè sacrificium cruentum repræsentet. Ità Fagund. *præcept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 4. Vasq. *d.* 223. *c.* 3. 4. & 5. Suar. *d.* 75. *sect.* 6. Coninch *quæst.* 74. *num.* 3. Merati. *de Euchar. d.* 36. *sect.* 7. *te sacrificij non est.*

Hoc probabilius puto quoad significationem mysticam, nam quoad significationem moralem quælibet species habet essentialem sacrificij rationem, quamuis partialem. Verum circa præsentem institutionem non potest offerri Missæ sacrificium, quin habeat vtramque significationem, nempe mysticam, & moralem simul. Lege Auersam *de Eucharist. quæst.* 11. *sect.* 5. 124 *Hoc quoad significationem mysticè probabilius reor.*

PROBL. II.

Panem & Vinum simul consecrari, est, & non est præceptum diuinum.

PRæceptum diuinum non est, sed humanum, & Canonicum. Quia licèt integritas Sacramenti, vel sacrificij requirat vtramque materiam, essentia tamen Sacramenti saluatur in qualibet, & etiam sacrificij essentiam, iuxta probabilem præfatam Problemate proximo sententiam. Imò quamuis sacrificium essentialiter vtramque requirat, non tamen constat præceptum diuinum sacrificandi, quoties hoc Sacramentum conficitur. Sic Maior. *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 3. *ad* 5. Palati. *dist.* 11. *d.* 3. Angel. & Tabiena V. *Eucharistia* 1. *n.* 20. Antonin. 3. *p. tit.* 13. *c.* 6. §. 2. 125 *Præceptum diuinum non est.*

Non

126 Non est humanum præceptum, sed diuinum. Quia ius diuinum præscripsit, vt quoties fit consecratio, simul etiam fiat sacrificium; sante Domino: *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis intellexit Trid. *sess.22. cap.1.* præcepisse Christum Sacerdotibus, vt consecrarent sacrificando simul in sui memoriam; sed sacrificium non potest esse essentialiter perfectum sine vtriúsque materiæ consecratione: datur igitur præceptum diuinum, simul vtrámque materiam consecrandi. Ita Card. Lugo *d.19.sect.8.* Suar. *d.43.sect.3.* Filliuc. *tract.4.num.64.* Vasq. *d.223. cap.3.* Reginald. *lib.29. n.13.* Auers. *de Euchar. q.11.sect.5.*

Ius præceptiuum humanum.

127 Miror planè, viros Catholicos & pios asseruisse, præceptum hoc ex verbis Christi non colligi, cùm contrarium asserat Tridentinum. Quin & si præcisam Sacramenti rationem attendamus, hoc institutum est ad spiritualem refectionem instar conuiuij, quod cibo, potúque constat; ergo postulat ex suâmet institutione vtriúsque materiæ consecrationem. Quamvis enim Laïcis ad salutem altera tantùm sufficiat species: tamen ipse consecrationis Ordo postulat, vt integrum conuiuium in hoc Sacramento præparetur, & à Sacerdotibus saltem consecrantibus integrè sumatur. Cùm igitur hæc institutio sit diuini Iuris, & hac posita connaturaliter sequatur, integrum, & perfectum Sacramentum esse conficiendum. Sequitur eodem iure præceptam esse simultaneam vtriúsque materiæ consecrationem.

Illum asserere.

PROBL. III.

Potest, & non potest Pontifex dispensare, vt aliquandò liceat in altera solummodò consecrari specie.

128 AVctoritate priuatâ nunquam licet sub vnâ tantùm consecrare specie, quacúmque ex causâ, cum sit res grauissima: poteris autem hoc geri ex Pontificis dispensatione. Quia licèt ea, quæ pertinent ad Sacramenti substantiam non possint per Ecclesiam immutari: tamen quæ pertinent ad vsum possit Ecclesia per potestatem à Christo sibi concessam iustis de causis immutare pro temporum, seu locorum varietate. Ergò potest etiam mutare, quæ pertinent ad vsum sacrificiorum, cùm par sit vtrobique ratio. Sed hæc dispensatio Pontificis non esset circa substantiam Sacramenti, vel Sacrificij, sed circa solum vsum. Ergo iustâ ex causâ valebit. Sic Fagund. *præc.1.lib.3.cap.5.num.6.* Azor. *tom.1. l.10. cap.19. qu.2.* Henriq. *lib.8.cap.13.num.1. & 2.*

Pontifex dispensare potest.

129 Nunquam licet consecratio vnius speciei sine altera, nec Pontifex potest in hoc præcepto dispensare, vel interpretari, tale ius diuinum in aliquo casu non obligare. Quia Pontifex dispensare non potest in iis, quæ pertinent ad Sacrificij essentiam. Non ergo dispensare potest, vt altera duntaxat consecretur species. Ità Suarez *d.43 sect.4.* Vasq. *d.223.cap.3.* Cardin. de Lugo *d.19.sect.8.* Coninch. *q.83.n.102.* Sotus *in 4. dist.9.q.1.a.1. ad 2.*

Non dispensare potest.

130 Multo probabiliùs est, Pontificem in hoc præcepto dispensare non posse. Quia licèt admitterem alicuius regionis necessitatem tamen hoc Sacramentum, & hoc Sacrificium ità Christus instituit, qui præuiderat illud inconueniens. Verùm nusquam subesse talem necessitatem satis conuincit perpetuus Ecclesiæ vsus, siquidem tot sæculis nunquam talis dispensatio necessaria, vel conueniens existimata fuit. Addiderim, Pontificem dispensare non posse in his, quæ sunt de iure diuino, nisi traditione, vel praxi constet, huiusmodi à Domino accepisse potestatem; sed hoc non constat in nostro casu, quin potius praxis, & traditio docet oppositum. Scio, Volaterranum *lib.7. Geograph. c.4.* referre, Innocentium Octauum dispensasse cum Nortoergis, vt in specie sola panis consecrarent. Attamen Volaterrani narrationem, à quo alij quidam sumpserunt, ex pluribus coniecturis cum Suario citato fabulosam esse credidetim.

Ius contrarium.

PROBL. IV.

Potest, & non potest materia consecranda coram Sacerdote non existere, sed à tergo statui.

NOn sufficit, materiam consecrandam à tergo Sacerdotis statui, sed necessariò coram ipso est collocanda. Quia hoc exigit proprietas formæ, siquidem res, quæ nullo modo sunt coram homine non possunt per pronomen *Hoc*, vel *Hic* designari simpliciter prolatum, vt constat ex communi modo concipiendi. Sic Filliuc. *tract.4.num.68.* Coninch. *quæst.74. num.20.* ex D. Thom. Palud. Soto & aliis. 131

Nõ potest materia à tergo existere.

Sufficit planè. Quia licèt res sint à tergo, si tamen digito, vel simili signo denotentur, satis videntur pronomine *Hoc*, vel *Hic* demonstratiuo designari. Ità Suar. *d.43. sect.5.* Vasq. *d.171. num.24.* asserens, materiam, quam haberet Sacerdos à tergo, consecrari posse, si tangeret illam, nam ipso tactu rectè potest indicare rem illam, quam ostendit pronomine demonstratiuo. Similiter si sentit ipsam auditu, videlicet vinum ex vno vase in aliud transmitti, sonum audiens infusionis, rectè dicere posse: *Hic est Sanguis meus.* Bonac. *d.4.q.2.pun.6.n.6.* Henriq. *l.8.c.14.n.1.* Addit Fagund. *præc.3.l.2.c.5.n.7.* præsentem dici panem existentem à tergo, si manu tangi possit. 132

Potest quidē.

Ego autem asserò, talem consecrationem non valere, quia variatur forma per additionem illius signi, vel nutus tanquam artificialis locutionis. Et vt ab hisce recedā auctoribus sufficeret mihi Suarij auctoritas asserentis consecrationem huiusmodi fore valdè dubiam, quia designatio non fit ex vi solius vocis, sed rationis signi coniuncti: cùm tamen forma consecrationis necessariò solis verbis constet. 133

Primam sententiā sector.

PROBL. V.

Sufficit, & non sufficit, materiam esse præsentem secundum aliquam partem, vt tota possit consecrari.

SVfficit. Quia cum illæ partes continuæ sint & pronomen *Hoc* designet totam illam 134

Sufficit.

quantitatem, satis erit videri secundùm aliquam sui partem, vt tota materia sit moraliter consecranti præsens. Sic Vasq. *d.*171.*n.*25.

135 *Non sufficit.* Non sufficit. Quià propriè non est mihi præsens tota maris aqua, quamvis aliquam eius partem videam; licèt enim in se corpus illud continuum sit, nihil tamen hoc refert ad humanam præsentiam. Vndè partes omnes aquæ longè distantes sic absunt, acsi per se separatæ consisterent. Debet ergò tota materia secundùm omnes partes consecrabiles aliquo modo practicè, seu moraliter esse præsens. Ità Suar. *d.* 43. *sect.*5.

136 *Auctoris placitum.* Ego existimo, præsentiam vnius partis non reddere simpliciter præsentes omnes alias partes in quâcumque distantiâ positas, vt possint per pronomen *Hoc* simpliciter dictum designari, quod probat Suarij fundamentum. Attamen si tota quantitas panis, aut vini contineatur iuxtà debitam substantiam, etsi singulæ partes non videantur, nec aliquo sensu per se, vel immediatè percipi possint, omnes simul consecrari posse, quod probat P. Vasquez fundamentum: valétque pariter in cumulo panum, vel hostiarum; sufficit enim, vt pars cumuli sit sensibilis à consecrante hic & nunc, vt ita totus cumulus designetur per pronomen *Hoc*. Deseruiet practicè hæc doctrina, si quando quædam pars hostiarum tempore consecrationis aliquo corpore interposito, nempe candelabro, vel Calice regatur, vt validè omnes consecrentur. Annotauit aptè Lugo Card. *d.*4.*n.*128.

PROBL. VI.

Materia Panis, & Vini est, & non est consecrabilis in qualibet maximâ sine termino quantitate.

137 *Non est consecrabilis maxima sine termino quantitas materia.* NOn potest Sacerdos validè quamlibet quantitatem consecrare, sed illam duntaxat quæ sit ad fidelium vsum accommodata. Quia cùm Christus Dominus in sacramentis, & in Eucharistico præcipuè sapienter omnia disposuerit, non est verisimile potestatem Sacerdotibus reliquisse, vt quamlibet quantitatem consecrare possent, nisi provt exigeret vsus fidelium, in quorum vtilitatem hoc Sacramentum est institutum: alioquin non esset in ædificationem potestas. Sic Bonau. *in* 4. *dist.*10. *part.*2. *artic.*1. *quæst.*4. Alens. 4.*p.q.*10.*memb.*4.*art.*2.§.6. Angel. *Euchar.* 1.*n.*25.

138 *Consecrabilis est.* Sacerdos ex parte suæ potestatis, dummodo materia maneat intra debitam ipsius præsentiam valet quamlibet quantitatem sine termino consecrare. Quia in quâvis maximâ quantitate reperitur vera substantia Panis, & Vini, quam Fides docet, esse materiam consecrabilem per potestatem Sacerdotibus concessam; nec aliunde constat vlla traditione, vel authoritate, vel ratione, Christum Dominum potestatem huiusmodi ad certum terminum limitasse. Ita Vasq. *d.*171. *cap.*2. *n.*16. Suar. *dict.*43. *sect.*8. Cardin. de Lugo *d.*4. *n.*120. Fagund. *prec.*3.*l.*2.*c.*5.*n.*3.

139 *Hanc sententiam sequor.* Primam sententiam facilè refello secundæ hærescens. Quia licet ad hunc finem collata fuerit hæc potestas, non tamen sic limitata fuit, ne rederetur incertus consecrationis valor, dum vsus fidelium non potest facilè definiri. Quarè licèt Sacerdos consecrare velit in malum vsum, valet consecratio iuxtà communem Ecclesiæ sensum; & hoc prudentissimè fuit institutum. Cum enim ex consecratione sine debito fine facta, nihil damni Christo proueniat, & magni referat, potestatem ministri certam esse, rationi valdè consentaneum fuit, vt semper effectum haberet, quoties ritè verba consecrationis proferrentur. Delinqueret verò lethaliter Sacerdos, qui consecraret tantam quantitatem, quanta non posset opportuno tempore consumi. Vasq. legatur *ibi*.

PROBL. VII.

Sacerdos verè consecrat, & non consecrat hostias coram se positas in pyxide, vel in altari, quas initio Missæ consecrandas suscepit: postea verò consecrationis tempore prorsus fuit oblitus.

VIdimus *sect.*1. materiam consecrandam aliquo modo futuram esse certam & determinatam in particulari per consecrantis intentionem, nec aliter consecrationem valere. Quia non poterit demonstrari per pronomen *Hoc*, vel *Hic*, quam demonstrationem essentialiter exigit consecrationis forma. In casu igitur posito Sacerdos non consecrat. Quia non habet actu voluntatem explicitam consecrandi formas illas ob inadvertentiam: nec virtualem, nam hæc procedere deberet ex actuali voluntate præteritâ, consecrandi huiusmodi hostias; quod tamen in præsenti non contingit, nam prolatio consecrationis solùm procedit ex voluntate celebrandi sacrum, cui sufficit consecratio vnius hostiæ præ manibus habitæ. Sic quidam Doctores apud Coninch. *q.*74.*n.*40. 140 *Non cõsecrat.*

Consecrat planè. Quia illa voluntas præcedens consecrandi illas hostias virtualiter perseuerat, quatenus Sacerdos inchoauit Missam ex intentione consecrandi (imo tali conceptâ intentione ad altare processit) & Missam prosecutus est sine interruptione vsque ad consecrationem. Quapropter omnes actiones sequentes illam intentionem, ipsáque consecratio virtualiter ex illâ intentione procedunt. Ità Henriq. *lib.*8.*c.*14.*n.*5. Reginal. *l.*29.*n.*25. Coninch. *q.*74. *n.*41. Nauar. *c.*25.*n.*92. 141 *Consecrat proculdubio.*

Idem assero, quando hæ hostiæ super aram existunt quia tunc habent illam præsentiam, quam iuxta morem Ecclesiæ ad debitam ministri intentionem debent habere. Vnde abnegarim secundam fundamenti contrarij partem; licèt enim actiones externæ celebrandi Missam eodem modo procedere possent ex voluntate consecrandi tantùm vnam hostiam quoad esse materiale: non verò quoad esse morale, siue quatenus sunt actus humani liberi. 142 *Idem assero.*

PROBL.

PROBL. VIII.

Consecrat, & non consecrat Sacerdos hostias, quas consecrandas accepit, cum non sunt in corporali super aram, si consecrationis tempore tradidit oblivioni.

143 *Non consecrat.* NOn consecrat. Quia illa volitio præcedens, cuius virtute consecrandæ forent, dum oppositum manifestè non constat, præsumitur fuisse gerendi consecrationem legitimam : sed hæc petit, vt hostiæ consecrandæ sint in Corporali super aram : Ergo non extenditur ad hostias extra aram existentes, quæ non possunt ritè, ac legitimè consecrari. Sic Suar. *d.* 43. *sect.* 6. Gauant. *in Rubr. Missal. tom.* 1. *p.* 3. *tract.* 7. *n.* 4. Dian. *p.* 3. *tr.* 6. *resol.* 103.

144 *Consecrat quidem.* Consecrat quidem, si in altari extra Aram existant. Quia licèt per se non sit voluntas Ecclesiæ, nec celebrantis, hostias extra Corporale, vel Aram positas consecrare : tamen supposito, quod hæ hostiæ fuerint consecrationi destinatæ, & volitio non fuit retractata, sed per inaduertentiam locatæ fuêre extra corporale vel aram : rationabiliter præsumitur, tam Ecclesiam, quàm Sacerdotem velle consecrari. Ità Tanner. 3. *p. d.* 5. *q.* 2. *dub.* 2. *n.* 76. asserens satis probabilem hanc sententiam existere.

145 *Ego quidem parti.* Ego quidem parti neganti adhæreo, quam longè securiorem existimo ; nam in secundâ sententiâ saltèm valdè dubium reor fore consecrationem.

PROBL. IX.

Sacerdote prorsus inscio, quædam hostiæ consecrandæ super Aram collocantur, quas celebrans non aduertit antè consecrationem, sed post illam : Hæ quidem manent, & non manent consecratæ.

146 *Manent consecratæ.* MAnent consecratæ. Quia recta Sacerdotis intentio, dum oppositæ non exprimitur, tendere præsumitur ad omnem materiam præsentem, quamvis sibi ignotam. Sic Nunus 3. *p. q.* 74. *art.* 2.

147 *Consecratæ non manent.* Consecratæ non manent. Quia voluntas in incognitum non refertur, & per consequens intentio, vel actualis, vel virtualis, quæ concurrit ad illam consecrationem, non potuit in hostias nondum cognitas ferri. Ità Coninch. *q.* 74. *n.* 39. Diana *p.* 2. *tr.* 17. *resol.* 19. Bonac. *d.* 4. *q.* 2. *punc.* 5. *n.* 8. & alij apud ipsos.

148 *Hoc mihi probabilius.* Hoc mihi videtur probabilius. Imò existimarim Nunum loqui in casu, quo Sacerdos posuit hostiam consecrandam, & alius eius loco apposuit aliam : tunc enim Sacerdos verè vult illam consecrare, quam habet præsentem.

PROBL. X.

Multis hostiis consecratis vna non consecrata admiscetur : Potest, & non potest illam Sacerdos consecrare.

149 *Potest consecrare.* POtest consecrare. Quia cum certò sciat, illam hostiam non consecratam in pyxide adesse, potest intendere consecrare quidquid est inibi panis non consecratum. Sic recentiores quidam apud Magistrum meum sapientissimum Franciscum de Lugo. *tom.* 1. *de Sacram. in partic. l.* 4. *c.* 1. *q.* 5. *n.* 44.

150 *Consecrare non potest.* Consecrare non potest. Quia illa Hostia secundùm talem statum designari non potest, ac proinde nec significari per pronomen demonstrativum *Hoc*. Vnde colligitur pro praxi, talem consecrationem fore dubiam, ac per consequens illicitam. Ità Card. de Lugo *d.* 4. *n.* 136. quem sequitur alter Lugo ex sanguine, ex Religione, ex sapientiâ Cardinalis verè germanus.

151 *Auctorum mêt.* Fateor cum Cardinali validè consecrari talem Hostiam, si Sacerdos intendat consecrare totum quod est in pyxide, sub conditione, si non est consecratum ; tunc enim per illa verba loquitur de cunctis Hostiis ibi positis, licèt solùm sub conditione velit eas consecrare. Verùm addit non licere talem consecrationẽ, quia non subest illius necessitas, dum facilius vitetur inconueniens, dando singulis in communione duas ex illis particulis : sic enim certum esset, accipere singulos aliquam Hostiam consecratam. Attamen si plures Hostiæ non consecratæ cum vnâ, vel cum multis consecratis misceantur, nec possent discerni : debent omnes sub conditione consecrari ; quia tunc sufficiens necessitas subest : sicut quando gutta consecrata amphoræ vini non consecrati misceretur, seruari deberet totum, vt paulatim consecraretur. Monet sic Suar. *d.* 57. *sect.* 4. & Lugo citatus *n.* 39.

PROBL. XI.

Eucharistia est, & non est vnum specie atoma Sacramentum.

152 *Non est vnũ Sacramentũ.* NOn est vnum atoma specie Sacramentum Eucharistia. Quia Sacramentum ex speciebus Panis & Corpore Christi specie differt à Sacramento ex speciebus Vini, & Dominico Sanguine. Sic Gloss. *in capite Comperimus, de consecration. distinct.* 2. Auseol. apud Capreol. *distinct.* 8. *qu.* 1. Gabriel. *distinct.* 8. *quæst.* 2. *artic.* 2. Maior *distinct.* 8. *quæst. vni.* Hi asserunt esse duas Eucharistias specie distinctas.

153 *Est vnũ Sacramentum.* Vnum est specie atoma Sacramentum. Quia vel non differt specie Sacramentum ex speciebus Panis, & Corpore Christi à Sacramento ex speciebus Vini & sanguine, vt aliqui volunt : vel si differt, est specie incompletâ, & partiali. Ità Card. de Lugo *d.* 2. *num.* 1. Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 4. *n.* 25. Bonac. *d.* 4. *q.* 1. *punct.* 4. Dicastil. *tr.* 4. *de Euchar. d.* 1. *dub.* 3. *n.* 54.

154 *Huius sum mentis.* Existimo differre quidem specie incompletâ & partiali, sed ex hisce duabus speciebus partialibus

tialibus non vnam speciem subalternam resultare; sed vnam speciem integram & totalem infimam, quemadmodum homo ex materiâ & formâ resultat.

PROBL. XII.

Eucharistiæ Sacramentum fuit, & non fuit Mense Martio institutum.

155 *Non fuit institutum Mense Martio.*

NOn fuit institutum Mense Martio, sed primo vel secundo die Aprilis. Quia Mensis, in quo Christus est passus fuit Aprilis secundâ, aut tertiâ die. Ergo si pridie quàm pateretur, Eucharistiæ institutioni Christus nauauit operam, id primâ, aut secundâ Mensis Aprilis die gessit. Sic Doctores non infimæ notæ apud Hugoli. *l. de anno integræ restit. cap.* 13. Roger. Bacon. Paul. de Muris, Abul. Lucidi. Pontac. & alij, quos refert Francolin. *de horis Canon. cap.* 74. *num.* 21. & 22.

156 *Fuit Mense Martio institutum.*

Eucharistia fuit instituta Martij Mense. Quia Christus Dominus fuit suffixus Mense hoc, die septima, aut decima octaua, aut vigesima, aut vigesima secunda, aut vigesima tertia, aut vigesima sexta, aut trigesima, iuxta varias Doctorum computationes. Ergo non fuit institutum Mense Aprili, sed Martio. Ita Suar. *d.* 41. *initio.* Francol. citatus *cap.* 74. *à num.* 8. *& cap.* 73. *per totum.*

157 *Hoc mihi verosimilius.*

Longè probabilius existimo, Christum Dominum die vigesima quinta Martij obiisse, vnde necessariò Eucharistiam die vigesima quarta instituisse quis dubiter, si quidem pridie quàm pateretur fuit instituta?

CAPVT XI.

Circa remotam Eucharistiæ materiam.

PROBL. XIII.

Blattâ *seu* Centeno *potest, & non potest esse sufficiens Eucharistiæ materia.*

158 *Potest in Blatta consecrari.*

POTEST in Blatta consecrari. Quia triticum essentialiter est, licèt accidentaliter imperfectum. Sic D. Thomas *q. 74. art.* 3. Henriq. *lib.* 8. *c.* 9. *num. A. littera D*, Nunus *in* 3. *p. quæst.* 74. *art.* 3. *dub.* 1.

159 *Non potest.*

Haud potest consecrari in Blatta. Quia licèt ex tritico per degenerationem generetur, semper tamen in aliam speciem degenerat. Ita Palati. Angel. Rosel. quos sequitur Suarez *disp.* 44. *sect.* 1.

160 *Mens auctoris.*

Ego autem existimo, grauiter delicturum, qui talem panem consecraret, quia saltem dubia materia vteretur. Non ignoro Nunum *q.* 72. *art.* 3. asseruisse, licere eiusmodi consecrationem, si sit grauis necessitas, v. gr. ne quis sine viatico moriatur, vel ne populus festo die sine Missa decedat. Ast ego pro sola Missæ auditione consecrare in Blatta minimè auderem: nec si moribundus aliud posset Sacramentum excipere; si tamen non posset, non improbarem consecrationem illam propter quasi extremam necessitatem.

PROBL. XIV.

Farina triticea aquâ rosaceâ, vel aliâ non naturali si subigatur: erit, & non erit apta consecrationi.

161 *Erit apta consecrationi.*

ERit quidem. Quia Panis ita subactus est eiusdem speciei cum pane communi; nam aqua vel per coctionem exhalatur, vel si quid manet, non obest: potissima namque substantia Panis est Farina, quæ trahit illum liquorem ad suam naturam. Sic Caiet. 3. *part. quæst.* 74. *art.* 7. Sa *ver. Missa, num.* 4. & alij. Qui ingenuè fatentur, grauissimè delicturum, qui talem panem consecrare auderet.

162 *Apta nò erit.*

Minimè erit. Quia materia consecrationis est panis communis, & vsualis; sed panis communis, & vsualis, quem homines absolutè panem vocitant, & communiter quasi comitem aliorum ciborum adhibent, fit ex farina triticea solùm aqua naturali subacta. Ergo iste solus, non ille, erit consecrationis materia. Ita Henriq. *l.* 8. *c.* 9. *n.* 3. Suar. *d.* 44. *sect.* 2. Coninch. *q.* 74. *n.* 48. Fagund. *præc.* 3. *l.* 2. *c.* 1. Layman. Persic. Vuigers. quos sequitur Diana *p.* 6. *tr.* 7. *resol.* 18.

163 *Cum his opinor.*

Existimo, illum panem aqua rosacea, vel simili confectum forsam essentialiter differre à pane communi; nam alterum miscibilium diuersum est essentialiter, & æquè cõcurrit ad mixtum: nec ita exhalatur, quin multum illius materiæ maneat in pane, diuersum odorem ac saporem sensibus offerens. Cæterùm si demus panem esse eiusdem speciei cum communi: tamen non est panis vsualis, qui communiter in alimentum sumatur. Et in hac materia non tam attendi debet vnitas, vel diuersitas ipsius specifica, quàm si iuxtà communem vsum reputatur pro pane talis materia, necne. Disertè id docuit Cardinal. de Lugo *d.* 4. *sect.* 1. *num.* 6. & Auersa *de Eucharist. quæstion.* 2. *sect.* 3.

PROBL. XV.

Vrgente necessitate potest, & non potest Panis aliquantulum corruptus consecrari.

164 *Potest in necessitate consecrari.*

SCio, Panem biscoctum, aut ita durum, vt mandi non possit, adhuc præbere consecrationi materiam, quia verè panis est. Quæsierim num panis aliquantulum ex antiqua duritie corruptum, aut alia ex causa sit materia consecrationis? Est quidem, si vrgeat necessitas, v. gr. si morienti viaticum sit exhibendum. Quia extrema necessitas vrget, sub materia consecrare indecenti, vt proximi saluti prouideatur. Sic Coninch. *q.* 74. *n.* 49. Henriq. *l.* 8. *c.* 9. *n.* 2.

Non

165 Non est consecrationis materia. Quia panem ad corruptionem tendentem consecrare, in grauem Eucharistiæ irreuerentiam cederet. Ita Fagund. *præc.3. lib.2. cap.1.* Franc. de Lugo *de Sacram. in particul. lib.4.cap.5. quæst.2. n.13.* & alij.

Non potest.

166 Generatim assero, in materiâ dubiâ nunquam moraliter, ac practicè licere Sacramentum Eucharistiæ perficere. Quia huic sacerrimo Sacramento summa reuerentia debetur. Vnde nec præceptum Ecclesiasticum, neque etiam diuinum communionis obligare censetur, nisi quando reuerenter, ac decenter consecrari, sumique potest; quod non fiet, si materia dubia, vel aliquo modo corrupta consecretur.

Ne moliter-tum.

PROBL. XVI.

Panis ex Amydo, Hispanè Almidon, *confectus, est, & non est consecrationis materia.*

167 SI Amydum extricatum, vel tostum in farinam redigatur, & compactum aquâ coquatur igne, materia est consecrationis. Quia erit panis triticeus; cum Amydum ex tritici substantia coalescat. Sic Palud. *in 4.dist.11.q.1.art.4.* Bonac. *dist.4. quæst.2.pun.1. num.6.* Henriq. *l.8. cap.9. num.1.*

Si Amydum materia.

168 Amydum in farinam adactum aqua immixtum, & coctum igne, non dat consecrationi materiam. Quia panis sic confectus diuersæ rationis ac virtutis est vsuali: nec dicitur panis simpliciter, nec retinet saporem communem panis, sed valdè diuersum. Ità D.Thom. *3.part. quæst. 74.art.3.ad 4.* Thomistæ communiter Vasquez *d.170.c.4.* Fagund. *prac.3.lib.2.c.1.* Card. de Lugo *d.4.sect.1.n.6.*

Non est materia.

169 Siue panis ex Amydo differat essentialiter ab vsuali, siue non differat: in praxi quidem nunquam licere reor talem materiam consecrare, cùm saltem dubia sit vt ferè omnes ingenuè fatentur.

Ita horsen.

PROBL. XVII.

Peccat, & non peccat Sacerdos Græcus in azimo consecrans.

170 VIdimus *sect.1.* Ecclesiastici præcepti necessitatem teneri Græcos in fermentato, Latinos verò in azymo consecrare suæ iuxtà morem Ecclesiæ. Vnde grauiter delinquet Sacerdos Latinus, qui fermentatum consecrat, quia facit contrà morem & præceptum Ecclesiæ in re graui, vt colligitur *ex cap. Litteras, de celebr. Missar.* vbi punitur grauiter quidam Sacerdos, ob consecrationem in fermentato. Quæsierim autem, an delinquat Græcus in azymo consecrans? Non delinquit. Quia licitè potest ritum Ecclesiæ particularis postponere morti capitalis Ecclesiæ qualis est Romanæ. Sic Paludan. *in 4. dist.11.q.1.art.4.* & alij.

Non delinquit Græcus azimo consecrans.

171 Delinquit planè. Quia facit in re graui contra morem Ecclesiæ suæ per summos Pontifices approbatum Leonem Nonum, & Eugenium Quartum. Ita Sanchez *de Matrim. l.3. dist.18.* Bellar. *de Eucharist. lib.4. cap.8.* Suar. *d.44. sect.3.*

Delinquit.

Scio Nuñum asseruisse, delinquere quidem Græcum consecrantem in azymo, sed venialiter tantùm; quia cùm Latina consuetudo sit melior non videtur res obnoxia grauitati, quod Græcus suæ Ecclesiæ morem non sequatur. At ego grauem esse cum Prælatis auctoribus puto transgressionem, addens, posse Latinum in Ecclesiâ Græcâ consecrare, fermentatum, & è contrà Græcum in Ecclesiâ Latinâ posse azymum consecrare. De quo *sect.1.* quidquid Vasquez *d.174.n.28.* in contrarium afferat.

172 *Quid sententiam, expono.*

PROBL. XVIII.

Graui necessitate obueniente, potest, & non potest Sacerdos Latinus in fermentato consecrare.

POtest quidem, ne populus (v.gr.) diu Sacrificio priuetur, vel moribundus sine viatico decedat. Quia verosimile non est, Deum velle cum tanto proximi incommodo. Ecclesiasticum præceptum asseruari, cum diuinum de recipiendâ in articulo mortis Eucharistiâ instet. Sic Maior *in 4.dist.9.q.3. ad 5.* docens in hoc euentu, non peccare Sacerdotem, qui etiam sine vestibus sacris, & non ieiunus secretè frustum panis fermentati accipiat, consecret, & communicet ægrotum.

173 *Potest quidè.*

Nec ob grauem necessitatem potest, quamvis ideò populus diu sacrificio priuetur, vel moribundus sine viatico decedat. Quia licèt præceptum recipiendi communionem in articulo mortis, sit diuinum, & præceptum impositum Latinis de consecrandis azymis, sit humanum: illud diuinum est affirmatiuum, quod non obligat pro semper, sed quando debito modo fieri potest. At in nostro casu diuinum illud præceptum pugnat cum Ecclesiæ consuetudine, quæ præfert generalem Eucharistiæ cultum particulari cuiusdam necessitati. Ita Suar. *d.44.sect.3.* Bonac. *d.4.q.2. pun.1.n.11.* Henriq. *l.8.c.11.n.7.lit.R*, qui citant alios.

174 *Non potest.*

Hoc mihi longè probabilius, quia posito præcepto humano de consecratione azymi apud Latinos, iam expectat ad summam reuerentiam huic Sacramento debitam, vt vniuersalis Latinæ Ecclesiæ consuetudo circa ipsius administrationem seruetur. Ergò præferri debet cultus huius Sacramenti necessitati proximi, cui potest per alia media Confessionis, vel Contritionis, vel alterius Sacramenti subueniri. Equidem vix audeo Maioris sententiam vocitare probabilem.

175 *Hoc licèt probabilius.*

PROBL. XIX.

Mustum est, & non est consecrationis materia.

QVodcúmque vinum album, aut rubrum, aut nigrum, siue differant specie siue non differant, sufficiens sunt consecrationis materia, quia sunt simpliciter vinum ex vuis procedens, & vsui

176 *Non est materia.*

F. SCOBAR Theol. Mor. Tom. III. IV. Fol. IV.

vsui communi politicæ gentis accommodatum. Dubitarim de Musto recens expresso. Materia sufficiens non est. Quia nec videtur simpliciter vinum, nec habere vini proprietates. Sic recentiores quidam apud Franc. de Lugo *de Sacram. in partic. l. 4. c. 2. q. 4. n. 22.*

177 *Est materia.* Est materia sufficiens. Quia Mustum solùm accidentaliter differt à vino, quatenus minus perfectum, & defecatum est: & interdum bibitur & inebriare solet. Ita Iulius Pontifex *in cap. cum omne crimen, de consecrat. dist. 2.* fatur, si necesse sit posse botrum exprimi, & aqua misceri, sanguinémque Domini confici. Vasq. *d. 175. cap. 1. num. 7.* Suar. *d. 45. sect. 1.* Coninch. *q. 74. art. 5. n. 124.* Laym. *l. 5. tr. 4. c. 2. assert. 5.* Bonac. *d. 4. q. 2. pun. 2. n. 3.*

178 *Cum his sentiens, mentē expono.* Scio, adeò hoc certum esse, vt mos sit quarundam Cathedralium Ecclesiarum in Festo Transfigurationis, ad significandam innouationem Dominicæ Resurrectionis, admisceri vino Calicis expressionem recentem vuarum. Crediderim quidem nullibi fieri totam consecrationem in musto, talémque consuetudinem, si alicubi sit, corrigendam esse propter indecentiam: ob quam, & ob receptum Ecclesiæ morem contrarium puto esse peccatum lethale mustum extra necessitatem consecrare.

PROBL. XX.

Loræ, seu Acinaceum, Hispanicè Aqua pie *potest, & non potest consecrari.*

179. *Consecrari nō potest Lora.* COnsecrari non potest. Quia non est vinum, sed aqua racemis expressis, vel acinis infusa. Sic Card. de Lugo *d. 4. sect. 1. n. 9.* Sylvest. *Euchar. 1. n. 4.* Bonac. *d. 4. q. 2. pun. 2. num. 7.*

180 *Potest Lora consecrari.* Potest in Lora consecrari. Quia cùm magna copia vini maneat in acinis compressis aqua proportionaliter infusa facilè in vinum conuertetur, licèt hoc non nihil debile existat. Ità Suar. *d. 45. sect. 1.* Henriq. cum aliis *l. 8. c. 12. n. 2. lit. L,* Vasquez *dist. 175. numer. 8.* Filliuc. *tractat. 4. num. 87.*

181 *Vtor distinctione.* Certè si bene compressis vuis additur multum aquæ, vt Lugo Card. supponit, non erit consecrationis materia; tunc enim non habebit Lora vini substantiam, sed aliquam eius similitudinem, aut qualitatem. Attamen si vuis parum compressis parum aquæ infundatur, sufficiens erit consecrationis materia. Semper autem erit graue sacrilegium consecrare Loram ob dubium, & irreuerentiam. Scio Vasquez asseruisse, licere consecrari Loram, dum parum aquæ multo musto acinis incluso super infunditur. Ast ex circumstantiis, & mixtionibus considerandum est, an valeat, & liceat consecratio. Ego vix vnquam auderem Loram consecrare. Sub eadem distinctione asseruerim, succum elicitum ex vuis passis madefactis consecrationis esse materiam; nisi nimium aquæ misceatur. Porrò Fagund. *prac. 3. lib. 2. c. 3. n. 6.* refert, in Æthyopia Catholicos & Patres Societatis nostræ ob vini defectum assumere vuas non ita passas, vt non habeant succum, & eas superinfundunt aqua donec lentescant, ex quibus postmodum expressis fiat vinum generosum consecrationi deseruiens.

PROBL. XXI.

Vinum congelatum est, & non est consecrationis materia.

NOn quidem. Quia in eo statu non est potabile, quale debet esse consecrabile merum. Sic Armil. V. *Eucharistia. n. 16.* Alan. *l. 1. de Eucharist. cap. 11.* Henriq. *lib. 8. cap. 12. n. 3.* Moure *part. 3. c. 4. §. 3. num. 7.* & Fagund. *prac. 3. l. 2. capit. 3. numer. 10.* ait, hoc esse probabile. 182 *Non est materia.*

Est planè consecrationis materia. Quia vinum congelatum retinet vini substantiam, & secundùm se potabile quidem est, licèt per accidens sub illa dispositione potari non possit, nisi prius liquefiat. Ita Suar. *d. 45. sect. 1.* Coninch. *quæst. 74. num. 126.* Vasq. *d. 175. n. 16.* Bonac. *d. 4. quæst. 2. punct. 2. n. 10.* 183 *Est materia.*

Cum his opinor. Nam constat apertè, per se vinum esse; si quidem sumptum ore, paulatímque deglutitum verè potari, nec ieiunium Ecclesiasticum soluere, quamvis magna in quantitate absumatur; quia semper habetur vt potus. Adde, magis certum esse, vinum consecratum, si congeletur, retinere consecrationem, & Christi sanguinem, quod ipsi Henr. & Fagund. fatentur, &, valdè confirmat Missalis Rubrica in defectibus Missæ præscribens, species vini congelatas post consecrationem liquefieri debere sumíque vt consecratas. Quia re vera vinum per congelationem non amittit vini formam, siquidem post liquefactionem manet vinum vti antea. 184 *Cum his opinor.*

PROBL. XXII.

In Vino congelato potest, & non potest licitè consecratio fieri in necessitate.

ESto validè fiat, non autem licitè fieri potest vel in necessitate, nisi ante consecrationem liquefiat. Quia & adest dubium an tunc vini retineat essentiam, & propter indecentiam non leuis Eucharistico Sacramento infertur iniuria. Suar. *d. 45. sect. 1.* Fagund. *prac. 3. lib. 2. c. 3. n. 10.* Coninch. *q. 74. n. 12.* 185 *Non potest licitè.*

Potest in necessitate vinum congelatum sine crimine consecrari. Quia potest ad proximi salutem dari casus, in quo Missam celebrari oporteat, ad consecrandas formas, & communio sit ei vnica spiritus medicina. Ita nonnulli, queis Filliuc. *tr. 4. n. 87.* videtur morem gerere, asserens extrà necessitatem id non licere, quasi in necessitate liceat. 186 *Licitè potest.*

Primam sententiam longè probabiliorem esse reor, addens, si post oblationem vinum congeletur, & ante consecrationem liquefiat, adhuc optimum esse consilium, aliud afferre vinum, & iterum offerre, posteáque consecrare. Legendus Suarius vbi supra. 187 *Primam sententiam præfero.*

PRO

PROBL. XXIII.

Acetum eſt, & non eſt conſecrationis materia.

188 Eſt materia conſecrationis.

ESt materia conſecrationis. Quia Acetum non videtur ſubſtantialiter, ſed accidentaliter ſolùm à vino differre. Sic Innocent. III. *l.4.de Sacrif. Miſſæ.c.*30. Alenſ. 3.*p.q.*32.*membr.*8. Gloſſ. *in cap.*2.*de conſecr. diſt.*2. Fauet D. Iſidor. *lib.*8. *Etymol.c.*3. dum inter ſpecies vini Acetum annumerat.

189 Non eſt materia conſecrationis.

Non eſt conſecrationis materia. Quia Acetum quod verè iam Acetum eſt, ſpecie differt à vino, quippe per corruptionem in aliam tranſmeauit ſpeciem, vt ex eius qualitatib. & effectibus, odore nimirum, ſapore, ac frigiditate Doctores colligunt. Ità Suar. *d.*45.*ſect.*1. Vaſq. *d.*175.*n.*10. Henriq. *l.*8.*c.*12.*n.*2. ex D. Thomâ 3.*p.q.*74.*a.*5.*ad* 2.

190 Proprium ſententiam.

Profectò priorem ſententiam de Aceto proprio intellectam omninò falſam, ac improbabilem eſſe iudico. Nam quamvis Acetum à vino ſpecie non differat, haud erit ſufficiens conſecrationi materia ex eo ſolùm, quod nec eſt, nec dicitur ſimpliciter vinum, quod potui communiter deſeruiat. Ideò Miſſalis Rubrica iubet materiam repeti, ſi Acetum reperiatur. Vnde benignè capiens Innocent. Iſidor. & Alenſ. crediderim locutos eſſe de vino aceſcente, in quo validè exiſtimo conſectari, ſed non licitè. Nam valdè indecens eſt conſecrare materiam, quæ cœpit corrumpi, præſertim quando vinum notabiliter eſſet Acidum, ratione dubij, vel irreuentiæ. Cæterùm mihi probabile ſatis videtur, etiam ſi vinum ſit notabiliter acidum, ſi aliud haberi non poſſit, & ſubſit aliqua grauis celebrandi neceſſitas, licitè poſſe conſecrari. Vt annotauit Coninch. *q.*74.*n.*122. & Fagund. *prec.*3.*l.*2.*c.*3.*n.*3.

PROBL. XXIV.

Aquæ gutta vino Calicis mixta conuertitur, & non conuertitur immediatè in Dominicum Sanguinem.

191 Aqua immediatè in vinum conuertitur, mox in ſanguinẽ.

AQua prius in vinum conuertitur, deinde per conſecrationem in Sanguinem. Si tamẽ conſecrationis tempore non fuerit in vinum conuerſa tunc non conuertitur in ſanguinem Chriſti. Quia alioquin materia conſecrationis Calicis non eſſet ſolum vinum, ſed etiã aqua contra Florentinum dicens, materiam Calicis eſſe vinum de vite, & Trident. *ſeſ.*13.*can.*2. docens, conuerti vinum in ſanguinem, nulla facta aquæ mentione. Sic Filliuc. *tr.*4.*n.*92. Suar. *d.*45. *ſect.*4. Vaſq. *d.* 178.*c.*2. Martinon *tom.*4.*d.*29.*n.*53.

192 Aqua aſſumpta immediatè conuertitur.

Aqua mixta vino Calicis in Chriſti ſanguinẽ immediatè conuertitur. Quia in vinum vel nunquam, vel non tàm citò conuerti poteſt, & totus ille potus in Chriſti ſanguinem tranſmutatur, vt tradit Trident. *ſeſ.*13. *can.*13. diffiniens, totum Chriſtum ſub ſingulis partibus ſpeciei vtriuſque contineri. Ità Coninch. *q.*74.*a.*8.*n.*143. Dian. *p.*3. *tr.*44.*reſol.*49. Card. de Lugo latè *d.*4.*ſect.*4.*&* 5. & plurimi apud ipſos.

Vtrámque ſententiam probabilem æquè crediderim. Sed quia quæſtio eſt ſpeculatiua, pro praxi, (quam nos attendimus) certum eſt, ſi Aqua conuerſa eſt in vinum, quando forma profertur, in ſanguinem Chriſti conuerti, cùm iam ſit vinum, ac proinde certiſſima conſecrationis materia. Certum eſt deindè, debere Sacerdotem, aquam ſic infundere Calici, vt veriſſimile ſit, fore in vinum conuertendam, (ſi conuertibilis ſit) nam id erit ſecurius. Ideò D. Thom. *q.*74.*a.*8. dicit, modiciſſimam aquam eſſe immiſcendam. 193 *Auctoris mẽs.*

PROBL. XXV.

Maſſa cruda eſt, & non eſt conſecrationis materia.

194 *Eſt materia conſecrationis.*

ESt quidem. Quia Maſſa cruda tantùm differt accidentaliter à coctâ. Sic Maior *in* 4.*a.*11. *q.*2. Henriq. *l.*8.*c.*9.§.2.*lit. X*, ait, hoc ipſum aſſeruiſſe Scot. *d.*11.*q.*6. & Gabr. *ibi, ſect.*3. & Damaſcen. *l.*4.*c.*5.

195 *Non eſt.*

Minimè eſt conſecrationis materia. Quia Maſſa cruda, ſiue ſit eiuſdem ſpeciei cum coctâ, ſiue non, non eſt cibus comeſtibilis ab homine, ergo nec materia Sacramenti. Ità D. Thom. *q.*74.*art.*3. *ad* 3. Suar. *d.*44.*ſect.*2. Hurt. *d.*1.*diſſic.*3. Coninch. *q.*84.*n.*47. Dicaſtil. *d.*2.*dub.*2. *n.*26. & alij communiter.

196 *Hoc certiſſimum, oppoſitum improbabile exiſtimo.*

Hoc certiſſimum cenſeo, primámque ſententiam omninò improbabilem. Fallitur quidem Henriq. aſſerens Damaſcen. Scot. & Gabriel. illud tenuiſſe. Nã Damaſcenus nihil de hoc *loco citato* diſſerit: Scotus verò & Gabriel oppoſitum omninò docuêre. Solummodo aſſerunt, eſſe probabile, quod Maſſa non differat ſpecie eſſentialiter à pane, quod quid diuerſum eſt.

PROBL. XXVI.

Mica Panis madefacta, & digitis compreſſa, vt velut Maſſa fiat, eſt, & non eſt ſufficiens conſecrationis materia.

197 *Non eſt ſufficiens.*

NOn eſt. Quia tanta poteſt eſſe compreſſio, vt panis viualis non ſit, ſed fiat Maſſa, quæ non eſt materia conſecrationis. Sic Trul. *de Sacram. l.*3.*c.*2.*dub.*1. Fagund. *prec.*3. *l.*2.*c.*1.*n.*12.

198 *Eſt ſufficiens.*

Materia conſecrationis eſt. Quia per talem mutationem nullatenus coctionem amiſit, nec eſſe panis deſit: alioquin cùm Hoſtia conſecratâ ſumitur & madefit in ore, amitteret accidentia panis, & conſequenter deficeret inibi Chriſti corpus adeſſe. Ità Card. de Lug. *d.*4.*n.*5. Suar. *d.*44. *ſect.*2. Scotus *diſt.*9.*q.*11.*a.*3. Sotus *diſt.*11. *q.*6. Diana *p.*9.*tr.*9.*reſol.*58. Onhagau. *tr.*1.*de Euch. q.*5.*n.*15. Dicaſtil. *d.*2.*dub.*2.*n.*26.

199 *Hæc ſententia longè probabilior.*

Hanc ſententiam longè probabiliorem puto, ponderóque illam ſequelam, quòd Hoſtia conſecrata madefacta in ore amitteret accidentia panis, & deſineret inibi Chriſti corpus adeſſe, quod quidem falſum omnino eſt, vt colligitur ex Trident. *ſeſ.*13. *can.*4. aſſerente, antè, & poſt ſumptionem manere Sacramentum.

PROBL. XXVII.

Vinum imbibitum in Offâ, seu micâ Panis; potest, & non potest consecrationis materiam ministrare.

200 *Potest quidè.* POtest quidem casu, quo vinum intra panis cauitates receptum, sensibile maneat. Quia sic potest per pronomen *Hic* designari. Sic Dicastil. *tr.4.d.2.dub.5.n.92.*

201 *Non potest.* Minimè potest absolutè loquendo. Quia dum vinum continetur intra micam Panis haud potest consecrationis tempore per pronomen *Hic* designari: illud enim non solùm est vinum, sed & panis. Ità Card.de Lugo *d.4. n.12.* Amic. Auctsa Molan. apud Dian. consentientem *p. 3. tr.8.resol.65.* Cornejo *in 3.p.q.74.a.5.*

202 *Cum his sentio.* Cum his sentiens, assero, non posse consecrari vinum quo panis madefit, quam vini speciem, & naturam retineat; quia non est in formâ potabili.

PROBL. XXVIII.

Immixtio Aquæ in Calice est, & non est de iure diuino.

203 *Est de iure diuino.* ESt de iure diuino. Quià Christus D. consecrationem Calicis peregit consecrando vinũ aquâ mixtum per modum vnius: ergo huiusmodi mixtio sub diuino præcepto cadit. Sic Alens. *qu. 32.a.2.memb.5.& 6.* Henr.*l.8.c.11.§.4.* Granad. *tr.2.de Euch.d.3.n.9.* Osius *in confess.cathol.c.40.*

204 *Non est de iure diuino.* De iure diuino non est. Quia id quod est de iure diuino pertinens ad materiam Sacramenti, etiam est de necessitate Sacramenti, vt inductione patet: At mixtio aquæ non est de necessitate Sacramenti, vt vidimus *sect.1.* Ergo nec de iure diuino. Ita Scot. *in 4.dist.11.q.6.* Suar. *d.45.sect.2.* Vasq. *d.177.c.2.* Coninch. *q.74.a.7.* Fagund. *prec. 3.l.2.c.4.n.11.* Card.de Lugo *d.4.n.22.*

205 *Hoc probabilius reor.* Hoc probabilius reor. Quia non tenemur necessariò Christum quoad omnia, quæ pertinent ad confectionem Sacramentorum imitari, sed tantùm quoad substantialia, quale non est, vino consecrando aquam immiscere. Est ergo non de iure diuino, sed solummodo de Ecclesiastico huiusmodi immixtio.

PROBL. XXIX.

Potest, & non potest determinari, quanta debeat esse illa paruitas Aquæ vino admiscenda.

206 *Non potest determinari.* DEterminari non potest. Quia hoc pendet à maiori, vel minori meri fortitudine. Ideóque quantitas immiscenda Sacerdotis iudicio relinqui debet. Sic Suar. *d.45.sect.3.* Duran. *l.4. c.30.* Fagund. *prec.3.l.2. c.4. n.15.* Ochagau. *tr.1.de Euchar.q.10.n.13.* & alij.

207 *Potest determinari.* Potest determinari. Quia potest generatim; & in particulari natura, ac efficacitas vini percalleri: & ea Aquæ quantitas infundi, quæ merum infirmare non credatur. Ità Laym. *l.5.tr.4.c.2.n.9.* Diana *3.p.tr.4.resol.49.* Lugo Card. *d.4.n.38.*

208 *Auctoris sententia.* Ego quidem generatim de vino locutus, existimo cum Suar. & aliis primæ sententiæ assertoribus posse determinari aquæ quantitatem si tamen illa modicissima sit; quia aliquod vinum tam infirmum occurret, quod maiori aquæ quantitate deficiat. Scio in Concil. Triburiensi *can.19.* dictitari, ita aquam miscendam esse vino, *vt duæ partes vini sint, tertia aquæ.* Quod pro conditione vini potuit esse licitum. Alia tamen est communis Ecclesiæ praxis, vt scilicet minimùm octies; vel decies plus vini ponatur in Calice, quã aquæ. Card. de Lug. affirmat quintam, vel sextam aquæ partem si Calicis mero apponas, non habendum scrupulum; quià non est credibile, vinum esse adeò debile, vt tam modicâ aquâ corrumpatur.

PROBL. XXX.

Guttæ quæ intra Calicis latera separatè à vino quod in fundo adest, assolent detineri, debent, & non debent censeri consecratæ.

209 *Debent censeri consecratæ esse.* DEbent consecratæ censeri. Quia Sacerdos intendit consecrare totum illud vinum, quod in Calice includitur: ergo guttulæ hærentes lateribus Calicis manent consecratæ. Sic Bonac. *d.4.q.2.punct.5.n.7.* citans pro hac sententiâ Coninch. Tolerum, Rodrig. & Chamerotam.

210 *Non debent censeri esse consecratæ.* Non debent censeri consecratæ. Quia consecrans quando aliud non expressè intendit, tantum censetur, velle consecrare præcipuam vini quantitatem in fundo Calicis existentem. Ità Reginald. Ochagau. quos citat, & sequitur Hurt. *d.2. diffic.16.* Suar. *d.43.sect.6.* Gauant. *3. p.tit.7.n.4.* Diana *p.2.tr.17.resol.16.& 3.p.tr.4.resol.32.*

211 *Rem valdè incertam arbitror.* Rem valdè incertam arbitror, ideóque cautiùs geres, si hasce guttulas ante consecrationem vino in fundo existenti coniungere coneris, aut Purificatorio imbibere. Ego quidem in consecratione Calicis solummodo intendo consecrare vinum, quod in profundo Calicis est continuum, non guttulas, si quæ extra vel intra Calicem separatæ maneant. Quod si hanc intentionem de more non gererem, & absumpturus sanguinem guttas hasce viderem: curarem, prius sanguinem haurire, & & deinde cum ablutione absumere guttulas.

PROBL. XXXI.

Potest, & non potest consecrari quælibet minutissima particula Panis, & Vini, quæ ob sui paruitatem sentiri nequeat.

212 *Consecrari potest.* POtest consecrari. Quia sub quacúmque admodum exigua quantitate potest conseruari substantia veri panis separata, vt in minimo naturali, (si forte datur) aut in quadam parte aliis coniuncta, vt in hac medietate minimi naturalis, si modo determinatè designetur, puta ea pars media, quæ est versus dexteram meam: sic enim oportet designari, nam actiones sunt singularium, & circa singularem materiam. Quamvis enim ea pars minimi oculo mortali communiter non sentiatur,

tiatur, est tamen signum de se sensibile oculo beato, cum habeat colorem, & quantitatem, aut tactu tenetur, vel certè intellectu demonstrari præsens homini, & videri potest. Adest enim Christi corpus indiuisibiliter totum sub qualibet particulâ speciei panis, aut vini. Sic Henriq. *lib.* 8. *c.* 14. *n.* 4. Sotus *in* 4. *dist.* 9. *q. vni. a.* 1. Valent. *d.* 6. *q.* 2. *punct.* 2.

213 Consecrari non potest, si ob sui paruitatem sensibilis non sit. Quia sola illa materia, quæ aliquo sensu, siue visu, siue tactu, siue odoratu percipi valet, potest per pronomen *Hoc*, vel *Hic* demonstrari. Ergo sola illa demonstrabilis consecrabilis est. Ità Suar. *d.* 43. *sect.* 8. Vasq. *d.* 171. Hurtad. *d.* 2. *diffic.* 18. Card. de Lugo *d.* 4. *n.* 120. Granad. *tr.* 2. *d.* 7. *n.* 1.

Consecrari non potest quod non sit sensibile.

214 Cum his opinor, asserens omnem quantumvis minutissimâ particulam panis, aut vni quæ præsentiri possit, consecrabilem esse: quæ autem nequit præsentiri materiâ cõsecrationi minimè exhibere. Sententiâ verò P. Henriq. nõ improbo, sed nimium Metaphysicã, & in praxi impossibilé reor.

Cum his opinor.

CAPVT XII.

Circa Consecrationis formam.

PROBL. XXXII.

Verba consecrationis dicuntur, & non dicuntur recitatiuè tantum & materialiter.

215 RECITATIVE seu materialiter dicitur, quod refertur tanquam ab alio dictum, vt contingit, quando aliorum verba referimus. Enunciatiuè seu formaliter aliquid dictitamus, quando per verba, quæ proferimus, aliquid intẽdimus affirmare, vel negare. Quæsierim igitur nùm Sacerdos verba consecrationis proferat recitando, an enunciando? Prædicta verba Sacerdos recitatiuè tantùm, seu materialiter profert, non enunciatiuè. Vnde nulla alia in illis quærenda veritas, nisi, quod Christus talia verba protulerit. Quia Sacerdos non posset enunciatiuè verè dicere, *Hoc est corpus meum: Hic est Calix Sanguinis mei.* Cùm nullatenus sit corpus Sacerdotis, nec sanguis profundendus, sed Christi. Sic Innocent. III. *l.* 4. *de Missa, c.* 17. Durand. Maior, Catherin. quos refert, & sequitur Salmeron. *to.* 9. *tr.* 13.

Recitatiuè dicuntur consecrationis verba, enunciatiuè nõ item.

216 Sacerdos consecrationis verba non recitando sed enunciando profert, etsi priora verba Canonis vsque ad illud verbum, *Dicens*, materialiter, & narratiuè protulerit. Quia Florentinum dicit Sacerdotem in persona Christi loquentem conficere Sacramentum istud. Et quia si verba capiantur recitatiuè solùm, sequeretur, per illa verba solùm *Hoc est corpus meum* non consecrari panem, nam vt sic non dicuntur recitatiuè, nisi addatur Christum illa dixisse. Consequens autem licèt quidam admittrant, durissimum videtur nam inde fiet, illa verba non esse totam formam, sed illa cum antecedentibus, ita vt verba priora sint etiam pars formæ, quod non est admittendum. Ità Bonau. Marsil. Gabr. & alij quos sequitur Vasq. *d.* 200. *c.* 2.

Non dicuntur recitatiuè, sed enunciatiuè.

217 Ego quidem affirmo, recitatiuè simul, & enunciatiuè consecrationis verba proferri. Quia for-

Enunciatiuè, & recitatiuè proferri.

mæ Sacramentorum iuxtà præsentem institutionem significant, quod efficiunt: & efficiunt, quod significant. Vt ergo forma consecrationis efficiat quod significat, scilicet conuersionem panis in corpus Christi, debet non solùm recitando, sed etiam enunciando proferri. Patet consequentia, quia si verba consecrationis recitatiuè solùm proferrentur, Sacerdos consecrans solùm affirmaret, Christum illa verba dixisse, quod verum esset, etsi per impossibile nunquam fuisset Christus sub speciebus. Confirmo, quia Trident. *sess.* 13. *cap.* 2. dicit, sub singulis speciebus esse quædam ex vi verborum, quæ scilicet per verba formæ præcisè significantur ibi realiter adesse, quod tamen esset falsum, si forma solùm recitatiuè diceretur; nihil enim circa præsentem materiam affirmaret, ideóque vera foret, etsi nulla fieret conuersio, quod est absurdum. Sentio cum Bellarmino, Nuño, Valentia, quos sequitur Bonacin. *d.* 4. *q.* 3. *n.* 3. Suar. *d.* 58. *sect.* 4. Henriq. *lib.* 8. *c.* 18. *n.* 1. Coninch. *q.* 78. *num.* 21. Card. de Lugo *dist.* 11. *sect.* 5. Martinon *d.* 33. *num.* 28.

PROBL. XXXIII.

Verba præcedentia formam consecrationis Panis ab illâ particulâ, Qui pridie quàm pateretur, necessariò prærequiruntur ad formæ valorem.

218 SVppono, requiri quatuor has voces: (de quo *sect.* 1.) *Hoc est corpus meum*, ad essentiam consecrationis & per consequens ad essentiam formæ Sacramenti. Quapropter ab omnibus Euangelistis, & à Paulo 1. *Cor.* 11. dum institutionem huius Sacramenti commemorant, sunt diligenter obseruata. Quæsierim an præter hæc requirantur essentialiter ad consecrationem alia verba? Verba præcedentia formam panis ab illo loco: *Qui pridie, quàm pateretur, &c.* quamvis non sint essentialia formæ, necessariò tamen ad valorem formæ prærequiruntur. Quia illis non præmissis, non significaretur sufficienter verba sequentia in Christi persona proferri: nec illud pronomen *Meum* ad corpus Christi, sed ad corpus ipsius Sacerdotis loquentis referretur. Igitur vt constet sermonem esse de corpore Christi, necessarium est, vt id per verba præcedentia manifestetur. Sic Sotus in 4. *dist.* 8. *q.* 2. §. *de secundo.* & alij.

Requiruntur ad valorem formæ.

219 Verba præcedentia pronomen *Hoc* non sunt de huius Sacramenti, aut consecrationis necessitate. Quia Concilium Florent. & Patres asserunt, formam huius Sacramenti esse illa Christi verba: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, &c.* Vbi satis indicant hæc verba sufficere sine præcedentibus; nam si requirerentur alia pertinerent ad formam, siquidem concurrerent vt aliquid significans, vel consignificans clarius præsentiam corporis Christi, sine quibus sequentia non significarent sufficienter Christi præsentiam in hâc sententiâ, & per consequens illa quatuor verba dunta at non essent forma contra Concilia, & Patres. Ità Vasquez *distinct.* 198. *capit.* 1. Suarez *dist.* 59. *sect.* 2. Bonac. *d.* 4. *q.* 3. *punct.* 1. Cardin. de Lugo *d.* 11. *sect.* 3.

Ad valorem forma non requiruntur.

220 *Primam sententiam non probo, secundam amplector.*

Meritò quidem ferè omnes auctores contra Sotum insurgunt, cuius fundamentum manifestè laborat infirmitate. Nam vt minister in personâ Christi loquatur, sufficit intentio taliter proferẽtis verba consecrationis, quæ vt vera sint enunciatiuè debent in personâ Christi proferri. Sicut in Tragediâ non est opus, vt qui Regem repræsentat, in actu signato dicat: *Ego loquar in personâ Regis*, vel *Rex ita dixit*; sed absolutè loquitur in actu exercito verba Regis, & ab omnib. percipitur, quod illa dicitet nõ in suâ sed Regis personâ.

PROBL. XXXIV.

Si loco illius formæ: Hoc est corpus meum, *diceres:* Hæc est caro mea, *valida esset, & valida non esset consecratio.*

221 *Esset valida consecratio.*

COnsecratio in hoc casu esset illicita quidem sed valida. Quia Cyprian. *ser. de Cœn. Dom.* dicit, Dominum his verbis consecrasse: *Hæc est caro mea.* Christus etiam Ioan. 6. inquit, *Caro mea verè est cibus*, & Ecclesia canit, *verbo carnem efficit.* Demum scriptura per eam vocem significat vel totum hominem, vt Ioan. 1. *Et verbum caro factum est*: vel totum corpus hominis, Psal. 139. *Caro mea requiescet in spe.* Sic Henr. Bonac. Vasq. Fag quos refert, & sequitur Dian. *p. 5. tr. 14. res. 76.*

222 *Valida non esset.*

Consecratio in hoc casu illicita & inualida esset. Quia in rigore caro minus significat, quàm corpus, quod etiam ossa complectitur: ergo sensus substantialiter variatur. Ità Suar. *d. 59 sect. 2.* Coninch. *q. 78. n. 38.* Franc. de Lugo *de Sacram. l. 4. c. 3. q. 4. n. 25.*

223 *Hoc mihi probabilius.*

Cum his opinor, asserens non sufficere, carnẽ interdum per Synecdochem pro homine, vel pro corpore sumi; in hâc enim formâ vis, ac proprietas verborum debet asseruari. Christus *Ioan. 6.* nõ tradebat formam huius Sacramenti, sed eius vsũ, quem aptè carnis nomine explicauit quoniam homines carne vesci solent. Cyprianus verò ibi non consecrationis verba, sed sensum Christi refert, vbi potuit figuratè loqui, cum antea dixisset apertè, Christum consecrasse per hæc verba: *Hoc est corpus meum.* Vnde colligo, hanc formam esse valdè dubiam, & per consequens, grauissimè delicturum, qui talem gereret mutationẽ.

PROBL. XXXV.

Verba illa consecrationis Calicis: Noui, & æterni testamenti, *vsque ad,* Remissionem peccatorum, *sunt, & non sunt essentialia.*

224 *Essentialia sunt.*

ESsentialia sunt. Quia ex Ecclesiæ more Sacerdos eodem ritu tenens in manibus Calicem hæc omnia verba profert, & ideò maiusculis caracteribus omnia in Missali annotantur. Et quia in Concil. Colonien. *p. 7. c. 14.* in Florent. *decreto de Sacram.* in cap. *Cum Martha, de celebr. Miss.* Et in Catechismo Romano, illa omnia verba pro forma ponuntur. Et quia si verba illa non sunt necessaria, non apparet, cur magis in consecratione Calicis explicetur sanguinis profusio, quàm in corporis consecratione. Sic D. Thomas *q. 78. art. 7.* & communiter Thomistæ præsertim antiquiores, quos refert Suar. *d. 60. sect. 1.* Vasq. *d. 198. c. 2.*

Essentialia non sunt. Quia cùm Paulus, & tres Euangelistæ dogmaticè referant institutionem & consecrationem huius Sacramenti, non est credendum, illos non retulisse formam sufficientem ad illud perficiendum: sed diuersi diuersa omittunt ex prædictis verbis, & quædam omnes: Ergo non sunt omnia de formæ substantiâ. Ita Bonau. Duran. Alens. & alij, quos sequuntur Suar. & Vasq. citati Fagund. *præc. 3. l. 2. c. 7. n. 3.* Coninch. *q. 78. n. 33.* Card. de Lugo *d. 11. sect. 4.* Reginald. *l. 29. n. 61.* 225 *Non sunt essentialia.*

Hoc mihi probabilius legenti plures antiquorum liturgias per sanctissimos viros dispositas, quæ habentur in Bibliot. Patrum, & sunt in vsu magnæ partis Ecclesiæ, nimirum Grecorum, Æthyopum Mozarabum Moranitarum per sedẽ Apostolicam tolerato. Hæ quidem non habent pro formâ consecrationis Calicis omnia verba, quæ nos proferimus, sed quædam omittunt, ferè singulæ diuersa, solúmque constanter retinent, *Hic est Calix Sanguinis mei*, vel *Hic est Sanguis meus.* Quis autem audeat dicere, sanctissimos Ecclesiæ Patres essentialem consecrationis formam ignorasse, tam multásque Prouincias vero sacrificio per tot sæcula, & nunc etiam caruisse. 226 *Hoc mihi probabilius.*

PROBL. XXXVI.

Christus in consecratione Panis vsus fuit, & non fuit vsus particulâ, Enim.

CHristus Dominus vsus non fuit particulâ, *Enim.* Quia creditur ex Patrum traditione, illam fuisse ab Apostolo Petro appositam. Sic Fagund. *præc. 3. l. 2. num. 17.* Henriq. *lib. 8. cap. 16.* Bonac. *d. 4. q. 3. pun. 1. n. 9.* Villalob. *tr. 7. diffic. 12. n. 3.* Gauant. *in Rubr. Missal. p. 2. tit. 8. n. 5.* 227 *Vsus non fuit particula Enim.*

Christus Dominus vsus fuit particulâ *Enim* in consecratione Panis. Quia hæc particula expressè apposita fuit ab Euangelistâ Matthæo in formâ Calicis: ergo colligitur dictam etiam fuisse à Christo Domino in formâ Panis. Patet; nam Christus Dominus vsus est hac particulâ ad continuandum sermonem, & verba formæ cum verbis præcedentibus; dixerat enim: *Accipite, & bibite ex eo omnes: Hic est enim Calix Sanguinis mei.* At ante consecrationem panis dixit: *Accipite, & comedite:* Ergo ad continuandum sermonem, & verba formæ debuit similiter vti illo verbo: *Enim*, fatus: *Hoc est enim corpus meum.* Ità Suar. *d. 59. sect. 1.* Granad. *tr. 8. d. 3. n. 4. & 6.* Montesin. *in manuscr. d. 12. q. 4.* Laym. *l. 5. tract. 4. c. 3. n. 2.* 228 *Vsus fuit.*

Hanc sententiam probabiliorem admodum esse reor, dum Canonem Missæ recolo, in quo nil falsi continetur, vt Trident. *sess. 22. cap. 4. & can. 6.* affirmat. Dicitur autem in Canone Missæ: *Benedixit, fregit, deditque Discipulis suis dicens: Accipite, & manducate, Hoc est enim corpus meũ.* 229 *Hoc mihi probabilius.*

PROBL. XXXVII.

Peccatum mortale est, & peccatum mortale non est, particulam Enim, *cum consecratur Panis, vel Vinum, omittere.*

ESt peccatum mortale. Quia licèt illud *Enim* non sit de essentiâ consecrationis, tamen in re graui violatur Ecclesiæ consuetudo Christum Domi 230 *Mortale est.*

Dominum hac particulâ in consecratione vsum. Sic Gabr. *in 4.d.8.q.3.concl.2. & lect.38. in Can.* Fagund. *præc.3.l.2.c.6.n.2.& 17.* Vasq. *d.199.c.4.* Holcot. *in 4.q.3.* Ioan.de la Cruz *de Euch. n.29.* Holcot. *in 4.q.3.* Ioan.de la Cruz *de Euch. q.78.concl.2.dub.1.* Suar. *d.59.sect.3.*

231 *Non est mortale.* Peccatum mortale non est, sed tantùm veniale. Quia omissio particulæ *Enim* est quidnam leue; ergo leue erit piaculum, illam omittere, Ita Castr. Pal. *to.4.tr.21.pun.7. n.1.* Dicastil. *d.3. dub.5. & dub.7.n.114.* Diana *p.10.tr.16.resol.31.* Hurt. *d.3. diffic.7.* Henriq. *l.8.c.16.n.4.*

232 *Sub distinctione.* Sub distinctione respondeo. Si particula *Enim* ex contemptu formali omittatur, mortale erit; quia contemptus formaliter est se directè opponere Superioris præcepto, quod lethale est. Si verò omittatur ex contemptu materiali, nempe quia non est lethale crimen, aliquod præceptum leue omittere ex contemptu, ratione cuius non vult quis seruare legem in materiâ leui, quia leuis est.

PROBL. XXXVIII.

Valet, & non valet consecratio his verbis facta: Hic est Calix, nouum testamenrum in meo sanguine.

233 *Non valet consecratio.* NOn valet consecratio. Quia prorsus est contra Ecclesiæ præscriptionem imitantis formam à Christo D. in Calicis consecratione expressam. Sic nonnulli, quos presso nomine refert Suar. *d.60.sect.2.* quorum sententiam ipse innuit esse probabilem.

234 *Valet consecratio.* *Valet* equidem. Quia hanc formam verborum D. Lucas *c.22.* & Paulus *1.Cor.11.* expressêre. Ità Henriq. *l.8.c.17.n.3.* Suar. citat. Fagund. *præc.3. l.2.c.7.n.7.* Huttad. *d.3.diffic.3.*

235 *Necessitas reformandi.* Hoc certissimum esse reor, sciens, Hispaniâ hac diu vsam fuisse consecrâdi Calicis ratione in Missali Mozarabo edito à D. Isidoro Hispal. Archiepiscopo. Vnde si quis hodie præfatis verbis vteretur, consecrarer quidem, sed grauiter delinqueret, quia talis consecrandi ratio iam est omninò expuncta.

CAPVT XIII.

Circa suscipientes Eucharistiam.

PROBL. XXXIX.

Infantes sunt, & non sunt suscipiendæ Eucharistiæ capaces.

236 *Capaces non sunt.* NOVOR de Paruulis, qui nondum rationis vsum attigerunt. Hi quidem capaces non sunt. Nàm ad hoc Sacramentum cum fructu recipiendum requiritur, vt homo *probet seipsum, & sic de pane illo edat.* Quod Infans præstare non potest. Et quia cum Eucharistiæ fructus instar nutritionis ad instaurandas partes actione caloris naturalis deperditas, ordinetur, non potest paruulo conuenire, qui nihil spirituale post baptismi regenerationem amisêre, quod per nutritionem spiritualem debeat instaurari. Sic Palud. Alens. Caietan & alij, quos refert Vasq. *d.212.c.2.*

237 Capaces planè sunt. Quia Paruuli capaces aliorum Sacramentorum existunt, ad quorum effectum magis videbatur requiri rationis vsus, quàm ad Eucharistiam. Matrimonium quidem recipere non possunt, quia eius materia est contractus humanus qui sine rationis vsu geri non potest. Pœnitentiam, & Extremam vnctionem recipere non valent, quia nondum potuêre peccata committere, quorum maculis, vel reliquiis tollendis hæc Sacramenta destinantur. Alia verò Sacramẽta, nempe Ordinis Confirmationisque possunt validè recipere. Ergo & hoc, quod ad nutritionem, & augmentum gratiæ: quod præsupponit duntaxat generationem & vitam spiritualem per baptismum acceptam, ordinatur. Ita Vasq. citat. Suar. *d.62.sect.4.* Filliuc. *tr.4.n.185.* Coninch. *q.80.n.77.* Card. Lugo *d.13.sect.2.* Henr. *l.8.c.42.* *Capaces sunt.*

238 *Hanc sententiam eligo, & illustro.* Hanc sententiam magis approbo, quàm à posteriori confirmo. Vsus Ecclesiæ antiquus dandi paruulis Eucharistiam, satis apertè testatur, ex institutione diuinâ capaces esse Paruulos Eucharistici fructûs: alioquin enim talis vsus extitisset illicitus, sicut illicitum est Eucharistiam præbere Cathecumeno, vel homini mortuo, vel bruto; quia Sacramentum effectu suo defraudatur. Supponebant ergo Patres antiqui paruulos esse fructus huius Sacramenti capaces. Porro fuisse talem in Ecclesia morem testatur Concil. Toletan. 11. *can.11.* Catechism. Roman. *p.2. de Euch.§.62.* Trident. *sess.21.c.4.* dicens, sanctissimos illos Patres sui facti probabilem causam temporis ratione habuisse, nimirum, quia cum numerus fidelium esset minor, & deuotio maior: potuerunt vitari facilius incommoda, quæ nunc præponderant vtilitati Paruulorum, quando numerus fidelium est maior, ac deuotio minor.

PROBL. XL.

Neophyti, Energumeni, & Neophyti mox post conuersionem, sunt, & non sunt Eucharistiæ recipiendæ capaces.

239 *Non est eis ministranda Eucharistia.* VIdimus *sect.1.* cœleste alimentum dandum rusticis Æthyopibus, & similibus semifatuis petentibus, quando citra periculum irreuerentiæ postulant communionem, ex quâ censentur vtilitatem percepturi. Ministranda Religiosis, qui præ senio delirare cæperunt, sed adhùc retinent reuerentiam erga Sacramentum venerabile, & aliquem vsum rationis. Quæsierim, nùm eadem Ecclesiæ pietate Neophytis, & Energumenis sit ministranda? Minimè. Quia olim denegabatur communio Energumenis, quod quasi publici peccatores reputarentur: & Neophytis, ne non satis instructi in rebus fidei; aliquâ irreuerentiâ cibum sacerrimum violarent. Sic Dionys. *de Eccles. Hierarch.c.3.p.2.* Cons. Eliuerit. *can.29.* Palud. *in 4.dist.8.* Sylueſt. *Euchar.3.q.5.casu 10.*

240 *Ministranda est eis.* Ministranda est eis Eucharistia Energumenis quidem. Quia hominem à dæmone possideri non est culpa, sed pœna, quæ non reddit illum Eucharistiæ incapacem: imò nec indignum communione nec tales alicubi simpliciter illa prohibentur. Ita Prosp. *l.4.de prædict.c.6.* & Conc. Arausica. 1. *can.14.* D. Thom. Sotus, Bonacin. apud Franc. de Lug. *de Sacr. l.4.c.4.n.22.* Suar. *d.69.sect.2.* Vasq. *d.212.c.4.* Neophytis verò. Quia sufficienter videtur esse ad communionem præparatus, qui per Baptismum recepit remissionem omnium peccatorum

torum, & ab Eucharistiâ recipiet augmentum gratiæ, robur contra tentamina initio conuersionis insurgentia, & auxilia ad perseuerandum, nec tenentur meliorem dispositionem expectare, qui credunt sibi sufficientem adesse, etsi minorem. Sanch. *d.* 39.

241 *Auctoris placitum.* Profectò si ob publica peccata traditus quis Sathanæ fuerit, nec pœnitentiam ostendat: sicut alij publici peccatores remouendus est à mensâ Eucharisticâ: & forsam de his Dionysius, & Concil. Eliueritan. loquuntur, scio quidem aliquos Neophytos præsertim in Indiis Occidentalibus reputari à Parochis incapaces ob innatam gentibus stoliditatem, quapropter eos, consentientibus Prælatis, à sacrâ mensâ remouent. Attamen ob præcisam recentem conuersionem communione non prohibentur. Quare si quis Adultus baptizetur, & satis sit in mysteriis fidei instructus, quam toto corde præsumatur amplecti, potest mox post Baptismum Eucharistiam accipere. Si verò Neoph. ob minorem rationis vsum, vel ob infirmiorem affectum honestatis inepti communioni videantur, ex hoc capite cum pueris sunt reputandi.

PROBL. XLI.

Pueri, qui sufficientem habent vsum rationis ad peccandum, & recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, possunt, ac debent: non possunt, nec debent, communicare.

242 *Non debent nec possunt.* NOn debent, nec possunt. Quia Eucharistia licitè dari non potest illis, qui non sunt capaces dignè communicandi; sed pueri licèt habeant sufficientem rationis vsum ad ritè suscipiendum Sacramentum pœnitentiæ, non ideò sunt statim capaces dignè communicandi. Ergo non debent, neque possunt licitè communicare, donec crescente rationis vsu digni cœlesti pabulo reperiantur. Minorem probo, nam vsus rationis non circa materias omnes æqualis, vt Doctores communiter tradũt 1.2.*q.*89. cum difficilior cognitu sit vna materia quàm altera: difficiliúsque deducantur quædam conclusiones, quàm aliæ, vel quia remotiores sunt à principiis per se notis, vel quia supponunt principia supernaturalia magis præter rationem. Sed maior vsus rationis maiorem discursum requirit ad discernendum cibum spiritualem à corporali, quod supponit principia fidei valde sensibus abdita, quin etiam opposita, quàm ad discernendum inter bonum, & malum morale, quod est maximè connexum naturali lumini. Quamvis igitur Pueri post septennium disconant inter bonum & malum morale, ac proinde peccent, & egeant Pœnitentiæ Sacramento, non statim habebunt sufficientem rationis vsum ad dignè communicandum: & per consequens non erunt ad communionem admittendi. Sic Hurt. *de Euch. d.* 10. *disp.* 4. Præpos. 3. *p. q.* 80. *a.* 11. *n.* 36. Merat. *to.* 3. *tr. de Euch. d.* 35. *sect.* 4. *n.* 5. Granad. 3. *p. contr. tr.* 10. *d.* 3. & 4. Vasq. *d.* 214. *c.* 4.

243 *Possunt, & debent.* Omnes Pueri, qui sufficientem vsum rationis habent ad peccandum & recipiendum pœnitentiæ Sacramentum, possunt, ac debent (tempore præcepti) communicare. Quia non requiritur minor discursus ad præceptum Confessionis, quàm ad Communionis præceptum. Debet enim pœnitens perpendere peccati malitiam, vt eius detestationem concipiat, & eliciat dolorem cum vero proposito in eadem piacula non relabendi, nec committendi alia; debet confessionis necessitatem & integritatem callere, satisfactionem acceptare, reuerentiam ac deuotionem erga pœnitentiam sacramentalem præ se ferre. Qui capit hæc omnia, cur etiam Christi Domini præsentiam in Eucharistia, reuerentiam erga tantùm Hospitem, & dispositionem præmittendam non capiat? Ita D. Anton. *to.* 3. *tit.* 14. *c.* 12. §. 5. Palud. *in* 4. *dist. dist.* 12. *q.* 1. *a.* 5. *n.* 25. Castr. Pal. *to.* 1. *tr.* 3. *d.* 1. *punct.* 24. §. 2. *n.* 7. Sanch. *d.* 26. per totam. Philip. de la Cruz *in Thesaur. tr.* 1. §. 11. *n.* 3. & Dian. *p.* 3. *tr.* 6. *resol.* 70. probabilem hanc sententiam profitetur.

Ponderi addictis vtriúsque sententiæ fundamentis, censeo nullum esse præceptum, quod sub mortali obliget, ad denegandam Eucharistiam Pueris, qui sufficientem habent rationis vsum ad recipiendum Pœnitentiæ Sacramentum, quod mihi persuadet praxis Ecclesiæ, quæ tales Pueros obligat ad audiendam Missam festis diebus. Vnde supponit, illos dignoscere, quid sit Missa, quidnam ibi repræsentetur, & offeratur: alioquin non possent, humano modo illam audire: nec illas consecratas species adorarent, nisi discernerent illum epulum à communi, cui talem cultum non adhibent. Ergo sentiendum est, regulariter cum vsu rationis sufficiente ad peccandum adesse sufficiens discretionis lumen Pueris Catholicis, præsertim diligenter instructis, quo nouerint, discernere cibũ hunc à reliquis, & latentem in eo reuereri maiestatem. Vnde colligo, Pueros, qui sunt capaces Sacramenti Pœnitentiæ, teneri præcepto diuino communionis in mortis articulo. Non verò statim ac habent rationis vsum, quo sint lethali piaculi capaces, & obligationis confitendi, teneri præcepto annuæ Communionis, sed per aliquod tempus prius ad confessionem obligari, donec iudicio Confessarij vel parentum Communioni destinentur. 244 *Auctoris iudicium.*

CAPVT XIV.

Circa dispositionem susceptorum Eucharistiam, quoad animam attinet.

PROBL. XLII.

Communicare cum peccato Veniali est, & non est Veniale peccatum.

SVppono, committi peccatum Veniale, quando communio fit ob finem venialem, vel contra præceptum obligans sub veniali. Quæstio procedit, quando peccatum est habituale solùm, vel actuale concomitans, v.gr. si quis, dum recipit Eucharistiam actu de mentiendo cogitaret. Igitur veniale peccatum est cum veniali peccato communicare, quando veniale concomitans habet aliquam oppositionem cum sufficiente ad communionem dispositione. Quia hic indignè aliquo 245 *Veniale peccatum est.*

aliquomodo communicat, quatenus ponit obicem aliquibus secundariis Eucharistiæ effectibus, scilicet remissioni talium venialium, & feruori charitatis, quod quidem aliquam continet irreuerentiam. Sic Suar. Fagund. quos refert Franc. de Lugo de Sacram. *lib.4. cap.6. num.8.* Filliuc. *tract.4.num.206.* Laym. *lib.5.tract.4.cap.6.n.3.* Cardin. de Lugo *d.14.sect.2.*

246 *Venialis peccatum non est.* Veniale non est, cum veniali peccato Eucharistiam accipere. Quia veniale peccatum, quamuis in ipsa communione committatur, non impedit huius Sacramenti effectum primarium: impedire verò secundarium aliquem effectum, scilicet remissionem illius venialis, nec continet irreuerentiam aliquam, nec malitiam etiam venialem, quia nulli præcepto repugnat. Ità Adrian. Maior, Richard. Sotus, quos sequitur Vasquez *d.207.cap.2.* Reginald. *lib.29.n.101.* Ioan. Sanch. *d.23.n.21.& 32.* Sa V. *Eucharistia, n.22.* Viuald. *de Euchar.n.108.*

247 *Eucharistia recipitur sub illicita.* Ego autem sic quæstioni respondeo. Si venialè concomitans impediat debitam præparationem, attentionem, vel deuotionem communionis, iam inde participat malitiam sacrilegij venialis, quando prænoscitur, & voluntariè illud impedimentum apponitur: & in hoc sensu primæ sententiæ cum auctoribus sentio; quia ibi satis irreuerentia apparet. Ast si debitam communicantis dispositionem non impediat directè, aut indirectè (quod tamen forsan eueniet) probabilius reor, non participare malitiam contra Religionem; quia licèt in actu sacratissimo misceatur, adhuc *potius* ad consilium, quàm ad præceptum reor pertinere. Quare quoad peccata merè habitualia secundæ sententiæ propter eius fundamentum adhæreo.

PROBL. XLIII.

Ad Eucharistiæ effectum requiritur, & non requiritur actualis deuotio suscipientis.

248 *Requiritur actualis deuotio.* Actualis deuotio requiritur. Quia hoc Sacramentum confert gratiam per modum nutrimenti: nutrimentum autem non proficit, nisi absumens cibum actu vitali concurrat. Et quia aliàs qui sæpius existentes in gratiâ etsi tepidè communicarent, perciperent magnæ charitatis augmentum; quod est contra experientiam; nam in his hominibus, & in Sacerdotibus tepidis quotidie celebrantibus, haud aspicimus magnæ charitatis indicamenta. Sic D. Antonin. Syluester, Alensis, Palud. apud Vasquium *d.206.cap.1.* indicat D. Thom. *in 4. distinct.12. quæst.2. artic.1. quæstiunc.3.*

249 *Non requiritur actualis deuotio.* Non requiritur actualis deuotio. Quia cùm Sacramenta conferant gratiam ex opere operato, vim habent, illam conferendi cunctis non ponentibus obicem; sed fidelis iustus etsi actualem deuotionem non habeat, non ponit obicem primario communionis effectui; ergò illum recipit. Maior est certa, Minor probatur, quoniam Trid. *sess.13.c.7.* ex Paulo 1. *Cor.11.* solùm exigit tantam dispositionem necessariam ad Eucharistiæ fructum recipiendum, probationem, qua fidelis se satis perfectum inuenit sine peccati mortalis conscientiâ, quod confessione debeat abolere: Ergo non prærequiritur alia dispositio; nam aliquin insufficiens, & manca fuisset doctrina tam Apostoli, quàm Concilij, siquidem aliam necessariam dispositionem omittebant. Ità D. Thom. (explicatâ, aut mutatâ priori sententiâ) *3.p.q.79. art.8.* Suar. Vasq. & Coninch. ibi. Valent. *tom.4. d.6.q.5. punct.3.* Fagund. *præcept.3. lib.4. cap.3. num.7.* Bonac. *d.4.q.4.punct.1.n.3.* Card. de Lugo *d.14.sect.3.*

250 *Hanc sententiam certam puto.* Hanc sententiam longè probabiliorem, imò mihi certam existimo. Quia si deuotionis actualis defectus primarium Eucharistiæ effectum impediret, sequeretur, debere fidelem sub mortali, sine actuali deuotione non accedere: debemus enim sub mortali procurare, ne Sacramenta suo primario effectu priuentur. Vnde nisi per inuincibilem inaduertentiam excusemur, delinqueremus lethaliter, Eucharistiam cum impedimento recipiendi fructum ipsius recipientes: quale profecto esset in opposita sententia actualis deuotionis defectus; sed consequens est contra communem fidelium ac Doctorum sensum, ergo & antecedens.

PROBL. XLIV.

Sacerdos post consecrationem aut lethaliter peccat, aut lethalis non confessi recordatur, cuius contritionem non habuerit, nec modò potest habere: Hic potest, & non potest sine nouo peccato, non elicitâ contritione, communicare.

251 *Non potest sine nouo peccato.* NOn potest sine nouo peccato Eucharistiam recipere. Quia semper potest contritionem cum diuinâ gratiâ elicere, superaréque difficultatem vndecumque prouenientem. Licèt enim arctetur temporis angustiis, & necessariis sacrificij ministeriis distrahatur: haud est ità difficile mentem ad contritionem eleuare, vt excusari valeat. Sic D. Thom. *quæst.83. art.6. ad 2.* Rubrica Missalis *de defect.§.8. n.3.* quæ generaliter contritionem requirit, dum non suppetit Confessarius. Suar. *d.66.sect.1. & 5.* Diana *p.4. tract.4. resol.98.* Ochagau. *de Euchar. tract.2. quæst.8. num.4.* Coninch *quæst.80. num.26.* addit, debere tunc potius sacrificium interrumpi. Quia nullo modo potest aliquis communicare, nisi vel prius confiteatur, vel probabiliter se contritum reputet.

252 *Potest sine nouo peccato.* Sacerdos qui conscius sibi peccati mortalis, cuius contritionem in altari non potest moraliter elicere, nisi cesset à celebratione saltem per notabile tempus cum scandalo populi, vel sui nominis nota: potest sinè nouo peccato, non elicitâ contritione communicare. Quia præceptum communicandi sine peccati mortalis conscientiâ, non obligat cum tanto dispendio, vt debeat homo grauem notam incurrere potius, quàm cum mortali piaculo communicare. Ità Vasq. *d.207. cap.1.* Cardin. de Lugo *d.14.sect.1.* Matrimon. *tom.4.d.33.sect.1.num.4.* Hurtad. *de Euchar.d.8.diffic.1.*

253 *Auctoris iudicium.* Quamuis casus ratus aderit, quo Eucharistiam recepturus Sacerdos, vel aliud Sacramentum viuorum recipere, vel elicere contritionem, cum diuinâ gratia si velit conari; possibilis tamen est, & aliquando eueniet. Quare si Sacerdos post

F. SCOBAR Theol. Mor. Tom. III. IV.

consecrationem in eas adducatur angustias, vt vel sacrificium imperfectum sit relicturus, vel communicaturus in mortali, sentio cum posterioris Doctoribus communicare posse, sine nouo piaculo: imò & debere. Nam vt dixit D. Thom. *supra*, maximè periculosum est, quod est contra perfectionem huius Sacramenti; quoniam hoc est immane sacrilegium; minus autem est illud quod pertinet ad sumentis qualitatem. Quare sicut præceptum ieiunij, vel censuræ cedit præcepto perficiendi sacrificium, sic existimo, præceptum non communicandi cum peccato mortali, cedere præcepto non relinquendi sacrificium imperfectum: quando moraliter nequit vtrumque seruari. Vndè consequenter assero, tam Clericis quàm lacis licere vel Eucharistiam sumere, vel aliud quodlibet Sacramentum viuorum recipere in mortali scienter, quoties nec conteri moraliter possunt, ante receptionem, nec illud sine ipsius notabili irreuerentia dimittere. Ex. gr. in subita paganorum irruptione, si periculum esset, fore vt Eucharistia conculcetur, vel comburatur, & Catholicus existens in peccato, non posset præ temporis angustiis conteri, vel occultare Sacramentum: posset, me auctore, talis sinè nouo piaculo Eucharistiam sumere, ad euitandam inferendam ei irreuerentiam. Similiter in aliis Sacramentis viuorum (etsi rarius) tales circunstantiæ confluere possunt, vt peccator non potens hic & nunc conteri, vel debeat, in peccato recipere Sacramentum, vel illud contemnere seu detestari censeatur.

PROBL. XLV.

Qui prohibitus per censuram à receptione Sacramentorum, communicat cum peccati mortalis conscientia: committit, & non committit duo peccata contra duo illa præcepta, diuinum, & humanum, quæ debeant Confessario aperiri.

254 *Non committit duo peccata.*

NOn committit. Quia præceptum humanum Censuræ respicit idem motiuum, ac præceptum diuinum, scilicet, impedire indignam communionem. Quando autem peccatum, prohibetur pluribus præceptis ex eodem motiuo, non inde multiplicantur peccata, nec additur circunstantia varians speciem, quæ subinde debeat in confessione manifestari. Sic Vasq. *d.* 207. *c.* 1. *n.* 5. Alterius *l.* 1. *d.* 6. *c.* 3.

255 *Perpetrat duplex peccatum.*

Perpetrat quidem duplex peccatum. Quia præceptum Censuræ diuersum habet motiuum. Etenim præceptum diuinum prohibet indignam communionem Religionis intuitu: at præceptum Censuræ potius imponi assolet ob motiuum obedientiæ, scilicet ad contumaciam subditorum retundendam: vel ob motiuum virtutis, ad quam actus præceptus spectat. Ità Bonac. *d.* 4. *q.* 6. *punct.* 1. *n.* 34. Henriq. *lib.* 5. *c.* 7. *n.* 2.

256 *Vnicum peccatum puto esse duobus æquiualens.*

Ego existimo, vnicum esse peccatum, sed æquiualens duobus propter duplicem illam malitiam: & per consequens illam Censuræ circunstantiam Confessario aperiendam; quia peccati variat speciem.

PROBL. XLVI.

Debere præmitti Confessionem ad Eucharistiam recipiendam, si communicaturus sit lethalis piaculi reus, fuit, & non fuit ante Concilium Tridentinum obligatio.

257 *Tridentini sententiam præmitte.*

COnstat ex *sect.* 1. iam nunc necessariam esse confessionem habenti conscientiam lethalis criminis ad Eucharistiam recipiendam. Trid. *sess.* 3. *cap.* 7. Ecclesiastica consuetudo declarat, eam probationem (iuxta Paulum. *Probet autem se ipsum homo*) *necessariam esse, vt nullus sibi conscius peccati mortalis, quamuis sibi constitutus videatur in contritione, absque præmissa Sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Quæsieris, num fuerit ante Tridentinum huiusmodi præmittendi Confessionem obligatio, an per ipsum sit inducta?

258 *Non erat ante Tridentinum hæc obligatio.*

Non erat ante Tridentinum hæc obligatio, sed ab ipso fuit inducta. Quia ad satisfaciendum iuri diuino naturali sufficit, si quis accedat in gratia, sicut ad cætera Sacramenta viuorum recipienda, quod per contritionem præstari potest. Ius autem positiuum diuinum vel humanum nullibi reperitur ante Tridentinum, nec antiqui Patres, licèt pœnitentiam requirant ante communionem, confessionis necessariò præmittendæ meminerunt. Sic Abbas *cap. de homine, de celebr. Miss.* Armil. V. *Communio, n.* 1. Caiet. 1. *Cor.* 11. & 3. *part. quæst.* 8. *art.* 4. & *in summ. V. Communio.* addens, esse tamen peccatum veniale graue, dum adest confitendi commoditas, & peccati lethalis conscientia, sine confessione communicare, cum sola contritione; quia talis homo minus dignè voluntarius accedit.

259 *Ante Tridentinum erat.*

Erat ante Tridentinum huiusmodi præceptum. Quia Tridentinum probat obligationem istam ex verbis Apostoli simul cum Ecclesiæ declaratione sic accipientis probationem ab Apostolo requisitam. Ergo non inducit nouam, sed eam in Ecclesia semper fuisse colligit ex Ecclesiastica consuetudine, quæ tot sæculis inuiolabiliter obseruata, vim præcepti declarat. Consuetudinis autem antiquissimæ præmittendi confessionem Communioni. Euseb. *lib.* 6. *cap.* 24. & 25. Sozome. *lib.* 9. *Tripart. cap.* 35. Niceph. *lib.* 11. *cap.* 34. meminere. Ita D. Thom. *in* 4. *distinct.* 17. *quæst.* 3. *artic.* 1. Sotus, Gabr. Duran. Maior, Bonauent. Sylvest. Antonin. quos sequitur Suar. *d.* 66. *sect.* 3. Vasq. *d.* 207. *cap.* 3. Fagund. *præcept.* 3. *lib.* 3. *cap.* 8. Henriq. *lib.* 8. *cap.* 45. *n.* 3. Bonac. *d.* 4. *q.* 6. *punct.* 1. *n.* 10. Card. Lugo *d.* 14. *sect.* 4. *n.* 56.

260 *Primam sententiam falsam esse confirmo.*

Porrò horum Doctorum aliqui putant, iam hoc esse de fide certum. Ego cum aliis opinor, saltem primam sententiam sine nota sustineri non posse. Cuius quidem fundamentum existimo infirmum. Nam Apostolus solam requirit probationem, ne quis indignè recipiat Eucharistiam: qualis autem futura sit hæc probatio, accipiendum ex Ecclesiæ sensu, seu praxi, quæ semper talis fuit, vt probatio ab ipso communicere volente fiat. Cæterùm ita se probare debet, vt si se reperiat impurum, sistat se Sacerdoti non tam probandum, quàm mundandum Sacramentali absolutione.

PROBL.

PROBL. XLVII.

Præceptum præmittendi confessionem antè communionem; est, & non est diuinum naturale: est, & non est positiuum Ecclesiasticum.

261 Est quidem præceptum diuinum naturale, ortum ex ipsamet Sacramentorum institutione: non positiuum Ecclesiasticum. Quia cum hoc Sacramentum sit omnium Sanctissimum, exigit ab homine summam diligentiam, vt cum morali certitudine sanctitatis accedat. Ad hoc autem maximè Sacramentalis confessio conducit. Sic Sylvest. *v. Eucharistia* 2. *q.* 2. Bonau. *in* 4. *dist.* 13. *dub.* 1. *& dist.* 16. *dub.* 12.

Est præceptum diuinum naturale, non Ecclesiasticum.

262 Non est præceptum naturale diuinum, sed positiuum Ecclesiasticum Apostolica traditione latum, & Ecclesiæ firmatum consuetudine. Quia Christus non est solitus, dare præcepta circà modum recipiendi Sacramenta, nisi quæ cum ipsorum institutione connexa sunt, vt constat ex aliis ritibus ad Sacramentorum administrationem requisitis, quorum determinationem Christus Ecclesiæ reliquit. Sed quod peccator contritus debeat ante communionem confiteri, non sequitur ex communionis institutione; sufficeret enim moralis certitudo contritionis, vt in aliorum receptione Sacramentorum: sic enim Sancta sanctè tractantur, quantum patitur humana fragilitas: Ergo præceptum præmittendi confessionem, non est diuinum; sed humanum. Ita Nauar. *de pœnit. dist.* 5. *num.* 31. & 32. Ioan. de Medic. *Codice de pœnit. quæst.* 17. Palac. *in* 4. *distinct.* 9. *quæst.* 10. Probabilem hanc sententiam esse, asserit Coninch *q.* 80. *num.* 13. & Less. 3. *p. quæst.* 80. *num.* 7.

Est præceptum naturale, non positiuum.

263 Ego autem affirmo, hoc esse præceptum diuinum positiuum. Quia iuxta regulam Augustini *lib.* 4. *de Baptism. cap.* 24. signum diuini iuris est, quoties aliquid ab vniuersali seruatur Ecclesia, quod nec ab aliquo Pontifice, nec à Concilio præceptum est, sed eius initium ignoratur. Talis autem est ista lex vt indicat Tridentinum: ergo est præceptum diuinum positiuum. Minor ostenditur, quia Tridentinum non dixit, hoc præceptum per Ecclesiasticam consuetudinem introductum esse, sed declarari. Et quidem si præceptum esset humanum, non deberet Concilium excommunicare quoscunque negantes eius obligationem; nam omnis humana lex frustrari potest obligationis effectu, vel quia non sit alicubi recepta, vel quia per contrariam consuetudinem fuerit abrogata. Didici ex Henriquez *lib.* 8. *cap.* 45. *n.* 3. Suar. *d.* 66. *sect.* 3. Vasq. *d.* 207. *cap.* 4. Card. de Lugo *d.* 14. *num.* 73. Diana *p.* 8. *tract.* 1. *resol.* 51.

PROBL. XLVIII.

Dubitat quis, an lethaliter deliquerit: vel an confessus fuerit lethale commissum: Tenetur, hic & non tenetur, id antè communionem confiteri.

264 NOn tenetur. Quia Tridentinum dicit, præmittendam esse confessionem, quando quis communicaturus conscius sibi est peccati mortalis. Sed dubitans non est sibi conscius: ergo huiusmodi præcepto non tenetur. Sic Henriq. *lib.* 8. *cap.* 45. *num.* 3. *lit. P.* citans aliquos antiquiores. Granad. 3. *part. contro.* 6. *tract.* 10. *d.* 7. *n.* 13. Reginald. *lib.* 29. *n.* 99.

Non tenetur confiteri.

265 Tenetur quidem in dubio negatiuo. Quia quoties fit confessio Sacramentalis, habere debet integritatem formalem sibi præscriptam; sed ad hanc pertinet, vt peccata mortalia, de quibus dubitamus negatiuè confiteamur sub tali dubio: ergo dum iubemur confessionem communioni præmittere, iubemur peccata mortalia dubia confiteri. Ita Suar. *tom.* 4. *d.* 22. *sect.* 9. Diana cum aliis *part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 44. Bonac. *d.* 4. *q.* 6. *punct.* 1. *num.* 12. qui malè tribuit oppositum Suario; nam hic loquitur, quando datur probabilis assensus de negatione peccati, aut de confessione illius, quod ipse Bonacina profitetur.

Confiteri tenetur.

266 Idem opinor. Tridentinum enim intendit, communicaturum, qui sibi conscius est peccati mortalis certi, illud vt certum prius confiteri; qui verò conscientiam habet mortalis dubij, confiteri illud vt dubium.

Idem opinor.

PROBL. XLIX.

Religiosus peccati lethalis reus, potest, & non potest (licet adsit sæcularis Confessarius) sinè præuia confessione, eliciens contritionis actum communicare, si breui sperat Ordinis sui Sacerdotem.

267 VIdimus *sect.* 1. præceptum præmittendi confessionem communioni esse affirmatiuum quod obligat semper, sed non pro semper; vnde licitum erit interdum cum conscientia peccati mortalis sine præuia Confessione, dum adsit contritio, communicare, si desit Confessarius, & necessitas vrgeat. Trident. *sess.* 13. *cap.* 7. Verùm vt ad trutinam afferam qualis debeat esse Confessarij defectio, qualisque necessitatis instantia, nonnulla Problemata prælibabo.

Recolo sect. 1. sententiam.

268 Quæsierim in primis, si quis Religiosus habeat præsentem Sacerdotem, cui possit legitimè confiteri, breui tamen speret, se habiturum alium proprio ex Ordine, cui deuotius ac securius confiteatur: possit prætermittere confessionem, & contritus communicare? Potest quidem. Quia magni ponderis est, peccata grauia nulli extra Religionem propalari. Sic Richard. *in* 4. *dist.* 17. *art.* 3. *quæst.* 6. Adrian. *ibi. quæst.* 3. *de Confess.* Sylvest. *v. Eucharistia*, 3. *q.* 14. Angel. *Euchar.* 2. *num.* 5. Rosel. *v. Communicare, n.* 4. *& v. Eucharistia* 3. *num.* 27.

Potest communicare, sine præuia confessione.

Minimè

F. A. COBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.

269 *Non potest sine confessione communicare.*

Minimè potest. Quia tunc absolutè datur Confessarij copia, nec maior deuotio tollit præcepti obligationem, nec Religio simpliciter infamiam patitur, eo quod Religiosus Sacerdoti laïco grauia crimina fateatur. Ità Suar. *d.* 66. *sect.* 4. Vasq. *d.* 208. *cap.* 1. Fagund. *præcept.* 3. *l.* 3. *c.* 9. Bonac. *d.* 4. *q.* 6. *punct.* 1. *n.* 27. Henriq. *lib.* 8. *cap.* 47. *n.* 1. Coninch *q.* 80. *n.* 22.

270 *Primam sententiam improbabilem reor.*

Existimo, primam sententiam haud esse practicè probabilem, præcipuè post Tridentinum. Vnde meritò à Doctoribus communiter reiicitur.

PROBL. L.

Cum quis iustam habet causam, vt Confessario, quem vnicum habet, grauia crimina non confiteatur, communicaturus; debet, & non debet prius venialia fateri peccata.

271 *Debet confiteri venialia.*

QVamuis nullum habeas mortale, cuiushuic, quem vnicè habes Confessarium Confessio periculosa non sit: debes ei confiteri venialia, vel mortalia iam remissa Sacramentaliter, vt indirectè saltem à mortalibus, quæ licitè taces indirectè saltem absoluaris, & securius ad communionem accedas. Imò si non adsit Sacerdos approbatus, adhuc habens mortalia debet Sacerdoti simplici venialia ante communionem confiteri. Quia certum est, communicaturum debere se à mortalibus repurgare qua securiori ratione potuerit. Sic Magister ac propinquus meus Petrus Hurtado de Mendoza *de Fide d.* 84. *numero* 182.

272 *Non debet confiteri venialia.*

Non debet fateri venialia, aut mortalia rursum in confessione expressa. Quia præceptum non communicandi nisi præmissa confessione, solùm obligat ad præmittendam communioni confessionem mortalium. Sed in hoc casu non teneris confiteri mortalia, quorum conscientiam habes, vt suppono; ergo absolutè confiteri venialia, aut mortalia remissa non teneris. Ita Suar. *d.* 66. *sect.* 4. *& tom.* 4. *d.* 23 *sect.* 2. Coninch *q.* 80. *n.* 20. Filliuc. *tract.* 4. *n.* 212. Bonac. *d.* 4. *q.* 6. *pun.* 1. *num.* 24. *&* 29.

273 *Hoc teneo, & confirmo.*

His hæreo tanti viri venia. Nec enim quis obligatur ad maiorem certitudinem suæ dispositionis procurandam, quam ipsa lex exigit. Hæc autem solùm requirit, vt mortalia sua pœnitens clauibus subiiciat, & ab illis directè absoluatur, nec præcipit venialium confessionem. Abnegarim similiter, posse peccati mortalis reum simplici Sacerdoti fateri venialia, vt indirectè à mortalibus absoluatur. Nam si ipse non habet iurisdictionem ad peccata mortalia non confessa absoluenda, quomodo indirecta supra illa cadet absolutio.

PROBL. LI.

Necessitas communicandi sine præuia confessione est, & necessitas sufficiens non est, quando vel ex confessione, vel ex omissione Communionis sequetur scandalum.

274 *Nisi scandalum sit infamia, non reputabitur esse requisita necessitas.*

FVturam esse grauem communicandi necessitatem quæ licitam reddat communionem sine præuia confessione *sect.* 1. ostendimus. Quæsieris, nùm sit reputanda ad hoc sufficiens necessitas, quando vel ex confessione, vel ex communionis omissione sequetur scandalum? Ad cuius elucidationem præmitto, scandalum huiusmodi oriri, seu excitari posse, vel quando datur occasio detrahendi, vel temerè iudicandi. Vel quoties aliis datur occasio peccandi, aut non communicando tempore præcepti, vel detrahendo non communicanti. Itaque nisi per scandalum intelligamus infamiam, & notam vt vulgus intelligere solet minus propriè, non potest hoc solo titulo omitti confessio præuia communioni. Quia nullum præceptum est violandum ob vitandum scandalum etiam pusillorum. Nam vnquam contingeret, vt alij sumant peccandi occasionem, ex eo quod ego non communicem absque confessione præmissa; non enim alij temerè iudicabunt, illum mortaliter deliquisse, qui non audet communicare sine præuia confessione: nec erit grauis detractio peccati quod per illud indicium redditur publicum. Sic Vasq. *d.* 208. *n.* 14. Card. de Lugo *d.* 14. *n.* 118.

275 *Licet scandalum non sit infamia, potest necessitas reputari.*

Scandalum etiam præcisum ab infamia à præmittenda cõfessione Communioni excusat. Quia scandalum ex obligatione charitatis vitandum est, cùm afferat magnum spirituale nocumentum. Vnde sufficit admiratio quædam inde secuta; nam cum hac moraliter coniungitur periculum temerè iudicandi, vel detrahendi, quod excusat à præmittenda confessione. Ità Suar. *d.* 66. *sect.* 4. Filliuc. *tract.* 4. *num.* 214. Coninch *q.* 80. *n.* 15. Bonac. *d.* 4. *q.* 6. *punct.* 1. *n.* 18. Fagund. *præcept.* 3. *lib.* 3. *c.* 9.

276 *Auctoris mens.*

Ego existimo, nec illam admirationem vulgi, nec occasionem temerè iudicandi, vel detrahendi esse propriè scandalum actiuum, nec excusare per semet à præcepto præmittendæ confessionis implendo. Si quando tamen proprium scandalum actiuum sequeretur, nempe quod alios inducat ad peccandum (rarissimè continget) à præmittenda confessione excusabit.

PROBL. LII.

Laicus accessit ad locum communionis, & ibi recordatur grauis piaculi non confessi: Hic potest, & non potest, sine præuia confessione communicare, quando communio fit secretè.

277 *Quãdo communio fit in secreto, potest nihilominus*

COmmuniter censent Doctores, quando communio fit publicè, non debere recedere à loco communionis; quia regulariter sequetur infamia; nec expedire, vt ibi à Confessario audiatur; sed potius oportere, vt communicet contri

contritione præmissa, vel etiam non præmissa, si iam confessus est alia peccata cum vniuersali cunctorum detestatione. Quæsierim autem, nùm cum communio sit secretè adeò, vt nullum adsit infamiæ periculum, vel scandali possit quis memor grauis peccati sine præuia confessione synaxim accipere? Potest quidem. Quia iam est iustus vel per contritionem, vel per confessionem aliorum peccatorum: & aliunde cum iam actio sacra communicandi quodammodo sit inchoata, non decet recedere, donec perficiatur. Sic Bonac. cum multis *d.4. quæst.6. punct.1. n.17.* Filliuc. *tract.4. num.215.* Cardin. de Lugo *d.14. num.112.* Henriq. *lib.8. c.46. num.3.* Reginald. *l.29.n.105.* Victor. *sum.n.79.*

278 *Quando communio sit secreta, non potest.* Si communio fiat ità secretè, vt nullum sit infamiæ periculum, relinquenda, vel differenda communio, donec confessio præmittatur. Quia tunc magis vrget confessionis præceptum, quàm perficiendi sacram illam actionem. Etenim indecentia recedendi vel est nulla, vel tàm parua moraliter, vt propter tàm graue præceptum contemnenda videatur. Ita Vasq. *d.* 208. *num.*10. Suar. *d.66. sect.*4. Fagund. *præcept.3. lib.3. cap.9. num.*14. Franc. de Lugo *de Sacram. lib.*4. *cap.*6. *num.*48.

279 *Probabiliorem reor sententiam.* Primam sententiam satis probabilem esse reor, præsertim si iam Sacerdos sacram incepit actionem; v.gr. si consecrauit formulam ad hunc effectum, vel pyxidem è sacrario eduxit. Tunc enim apparet aliqualis indecentia. Probabilius autem & securius cum secunda sententia reor; vbi non instat scandali, vel infamiæ periculum, communionem in hoc casu deferri, donec confessio præmittatur.

PROBL. LIII.

Quando populus non audiet Sacrum in die festo, nisi celebret Sacerdos lethalis reus criminis, confessione non præmissa: secluso periculo notæ, vel scandali, potest, & non potest, non præmissa confessione celebrare.

280 *Non potest.* COnueniunt Doctores, concurrente notâ, vel scandalo celebrare posse confessione non præmissa. Quæsierim, nùm excluso periculo notæ, vel scandali possit? Non potest. Quia populus non peccat, etsi sacrum non audiat in festo, quando per ipsum non stat; & Sacerdos quamuis sit Parochus non tenetur coram populo celebrare, nisi quando ritè potest. Confirmatur, nam si Parochus in die festo manifestum crimen perpetrasset, aut publicè denunciaretur excommunicatus, non posset licitè celebrare non confessus, vt Populus Missam audiret. Ergo sola necessitas faciendi sacrum, quod populus exaudiat in festo, Sacerdotem à præmittenda confessione non excusat. Sic Vasq. *q.*208. *n.*8. Card. de Lugo *d.*14. *n.*84.

281 *Potest quia non.* Potest planè Missam celebrare, confessione non præmissa. Quia licèt populus non delinquat, tunc Missam non audiens: at priuatur spirituali fructu quem ex eius auditione perciperet, pluribus forsan necessarium, ad fouendas, seu reparandas animæ vires. Et quia spiritualis necessitas proximorum reputari debet quasi propria: sed Sacerdos in die festo, si non potest audire Missam, nisi celebret, potest non confessus celebrare; ergo pariter potest, vt alij exaudiant. Ità Fagund. *præcept.3. lib.3. cap.9. num.*13. Diana *part.2. tract.14. resol.64.* Minorem huius proximi syllogismi docent Henriq. *lib.*8. *cap.* 46. *n.*5. & Diana citatus *resol.*63. Quia tunc potest Sacerdos implere commodè præceptum Ecclesiæ, quod obligat eo tempore, nec aliundè violat præceptum confessionis ob confitendi impotentiam.

282 *Quid sentiam experiendo.* Profectò Sacerdos siue Parochus siue non Parochus rarissimè relinquet populum sine Missa in die festo, quin aliquam notam incurrat, vnde possit Confessionem omittere. Si tamen aliquando contingat posse sine nota populum sine Missa relinquere, existimo, posse Parochum sine præuia confessione celebrare. Quia obligatio Parochi ergà subditos videtur strictior, quam obligatio præmittendi communioni confessionem. Quod indicat Trident. *sess.*13. *cap.*7. dum ait, etiam Sacerdotes, quibus ex officio incumbit celebrare, confessionem præmissuros, *modo non desit illis copia confessarij.*

PROBL. LIV.

Quando fidelis in Paschate potest communicare, non verò confiteri, quia adest Sacerdos, sed non approbatus: est, & non est sufficiens causa, vt sine præuia confessione communicet.

283 *Non est causa sufficiens.* FEtt casus, vt fidelis quidam possit communicare in Paschate, vt impleat præceptum annuæ communionis, non autem valeat confiteri, quia vel ipsemet est Sacerdos, vel adest Diaconus vel Sacerdos non approbatus, qui tamen potest Eucharistiam ministrare. Quæritur, an possit tunc fidelis vt impleat Eucharistiæ sumendæ præceptum, sine præuia confessione communicare? Non est causa sufficiens ad communicandum sine præuia confessione. Quia præceptum præmittendæ confessionis communioni, cum sit diuinum, prævalet Ecclesiastico communicandi tempore Paschatis, quod non obligat, nisi quando ritè communicari possit. Sic Suar. *d.66. sect.6.* Bonac. cum aliis *d.4. quæst.6. punct.1. num.25.* Azor. *tom.1. lib.10. c.31. q.4.*

284 *Sufficiens ex necessitate.* Sufficiens est causa, vt possit tunc cum sola contritione Eucharistiam recipere. Quia præceptum communionis Paschalis non est prorsus Ecclesiasticum, sed est præceptum diuinum determinatum ab Ecclesia quoad tempus, ne diu cibo cœlesti ad animæ robur admodum necessario careamus. Igitur inducit sufficientem necessitatem ad communicandum sine præuia confessione, ne sine cibo deficiamus in via. Ita Coninch *q.80.n.17.* Card de Lugo *d.14. n.116.* Henriq. *lib.8. cap.46. n.4.*

285 *Cum his opinor.* Hanc magis probo sententiam. Moneo tamen, in his casibus opticnem dari, vt fidelis vel prudè existimet se reputet excusatum ab Ecclesiastico præcepto propter confessionem communioni præmittendam, quam gerere non potest; vel à præcepto præmittendæ confessionis propter Ecclesiastici præcepti obseruantiam: cum vtrinque sint rationes probabiles, Doctoresque vnum & alterum asserentes.

PROBL.

F. SCOBAR Theol. Mor. Tom. III. IV. Fol. IV.

PROBL. LV.

Quando Parochus celebrare solet pro defuncto præsente, & non suppetit Confessarius: tunc potest, & non potest sine præuia confessione celebrare.

286 *Potest quidem.* POtest planè. Quia Missæ fructus est communis, & prodest tàm viuis, quam defunctis, & forsan defunctus præsens valde indiget tali subsidio. Ergò datur causa sufficiens ad omittendam licitè confessionem antè communionem. Sic Sylvest. *Eucharistia 2. num. 9.* Fagund. *præc. 3. lib. 3. cap. 9. num. 8.* quos refert, nec refellit Henriq. *lib. 8. c. 46. n. 5. lit. T.*

287 *Non potest.* Non potest, seclusa nota, & scandalo. Quia Tridentinum requirit necessitatem simpliciter. Ergo non sufficit commoditas, aut vtilitas maioris fructus etiam spiritualis proprij, vel alieni, qualis à Missæ celebratione prouenit. Ita Suar. *d. 66. sect. 4.* Bonacin. *d. 4. quæst. 6. punct. 1. numero 25.*

288 *Hanc magis probo mentem.* Hanc magis probo mentem. Similiter quando Sacerdos pauper viuit stipe Missæ, vel tenetur facere sacrum ex Capellania, vel pro benedictione nuptiali non excusatur à confessione præmittenda. Nec sufficit magna deuotio, aut celebritas festi, quo quis solet communicare; quia non datur simpliciter necessitas. Vnde asserit optè Henriquez citat. *num. 6.* in his cauendam esse nimiam licentiam, & querendum Confessarium etiam per leucam. Quia Tridentinum expressit, vt vrgeat necessitas, & Confessarij copia desit.

PROBL. LVI.

Dum aliquis prius confessus, postea recordatur peccati mortalis obliti, quod iam confiteri non potest; debet & non debet antè communionem, nouam illius contritionem elicere.

289 *Debet nouam contritionem elicere.* COnstat ex *sect. 1.* per se requiri gratiam in communicante. Vnde fit, cum vrget necessitas communicandi, nec potest communicaturus confessionem præmittere sibi conscius peccati mortalis, illum per se teneri, ad eliciendam contritionem, nisi vel inuincibilis ignorantia, vel talis necessitas excuser grauissima, de qua superius. Quæstioni igitur committo, vtrum qui prius confessus, postmodum recordatur peccati mortalis obliti, quod iam ob absentiam vnici Confessarij, vel alia ex causa accidenti fateri non potest, debeat elicere ante communionem nouum contritionis actum? Debet quidem. Quia debet quisque peccator de cunctis mortalibus sigillatim pœnitere, attritione saltem confessioni præmissa, vel contritione, si confessurus non est, antè Eucharistiæ receptionem. At de illo oblito peccato nondum in particulari pœnituit; ergo debet nouam elicere de eo contritionem. Sic Reginald. *lib. 5. cap. 5. sect. 3. num. 9.* ex Medina, Suario, & Graffis. citatus à Diana *part. 2. tr. 14. resol. 48.* Sed certè Reginaldus *lib. 5.* nihil tale docuit, & *lib. 29. cap. 6. quæst. 4.* vbi tangit hoc punctum, solum requirit illius peccati confessionem, si fieri possit, ante receptionem Eucharistiæ. Vbi autem Suarius Mutina, & Graffius talem sententiam insinuent, non inueni.

290 *Non debet elicere nouam contritionem.* Non debet in tali casu nouum elicere contritionis actum. Quia cum illud peccatum fuerit iam indirectè remissum per antecedentem confessionem, cessat obligatio naturalis conterendi, quæ solum ordinatur ad obtinendam peccati remissionem. Ità Præpos. *3. part. quæst. 80. art. 5. dub. 3. num. 13.* Granad. *3. part. contr. 6. tract. 10. d. 7. num. 14.* Card. de Lugo *de Euchar. d. 14. sect. 6. num. 122.*

291 *Idem asserc.* Idem asserо, quia præceptum positiuum diuinum vel humanum talis nouæ contritionis non apparet. Nec enim Ecclesia præcipere potest actus internos, nec Deus præcipit iustificatis contritionem nisi quando confessuri sunt. Potest igitur fidelis communicare tunc sine contritione, posteáque confiteri peccatum oblitum: & tunc debet de illo conteri, vel atteri, vt debitam Sacramento materiam exhibeat.

PROBL. LVII.

Qui in Missa recordatur, quod sit in mortali, debet, & non debet statim contritionis actum elicere.

292 *Non debet statim elicere.* NOn debet statim, recordatus, elicere: sed si memoria talis occurrat antè consecrationem, sufficit, si conteratur, antequam consecret, etsi partem antecedentem Missæ in mortali prosequatur: si occurrat post consecrationem, potest similiter prosequi Missam, donec ante sumptionem conteratur. Quia status gratiæ per contritionem acquirendus requiritur, ex præcepto, solum in conficiente, vel recipiente Sacramentum: non in exercente alias actiones etiam Ordinis sacri. Ergo defectus contritionis in aliis partibus Missæ non erit mortale peccatum: si tempore consecrationis, quando fit Sacramentum; & in sumptione, quando recipitur, sit in gratia Sacerdos. Sic ingenioſe de more Card. de Lugo *d. 14. n. 134.*

293 *Statim elicere debet.* Statim debet conteri, grauitérque peccabit Sacerdos, qui deliberatè aliquam notabilem Missæ partem in mortali dicit, dum commmodè potest illico per contritionem iustificari. Quia peccat mortaliter Sacerdos, qui confessionem audit, vel incipit abluere, vel vngere in peccato mortali, dum Sacramenta ministrat: nam totum illud opus ad Sacramenti administrationem pertinet, vnde in administrante gratiam requirit. Pariter igitur tota Missa pertinet ad sacrificandi, conficiendi, recipiendique Sacramenti actionem. Quare sanctitas totius illius actionis exigit, vt Sacerdos aduertens, se lethali fœdari crimine, curet, quamprimùm conteri, & mundari: vt sanctissimum ministerium rectè tractetur. Ità Franc. de Lugo *de Sacram. lib. 4. cap. 6. num. 60.* qui hac ratione nitens, à probabili admodum Sapientissimi fratris sententia recedit. Fauet Caietan. *Opusc. tom. 2. tract. 10. de vsu spiritualium*, asserens, Sacerdotem in mortali existentem, & dicentem Orationes Missæ non peccare per se mortaliter, sed per accidens ratione Missæ; quatenus in ratione orationis præcisè non requirant statum gratiæ: bene tamen prout sunt partes Missæ.

Cum

Cum his opinari censui cum primum legi venerabilis Patris mei Ludouici de la Puente sententiam *de perfect. Christian. tom. 4. tract. 5. cap. 3.* Docet enim esse mortale peccatum, inchoare Sacramentorum administrationem in mortali, quamvis Sacramentum in gratia perficiatur. Porrò licèt Card. de Lugo à lethali piaculo liberet sic celebrantem ante consecrationem, & ante, & post consumptionem; non tamen eum à venâli liberat.

294 Contra quos.

PROBL. LVIII.

Concilij clausula, qua Sacerdotes, qui sine præuiâ confessione communicarunt, monentur quàm primum confiteri: est, & non est præceptum.

295 Clausulam concilij non præceptum hic affirmatur.

PRæmitto Tridentini *sess. 13. c. 7.* Clausulam vt ad memoriam reuocem, quod *sect. 1.* tradidi. *Quod, si necessitate vrgente, Sacerdos absque præuiâ confessione celebrauerit, quàm primum confiteatur.* In primis quæsierim, nùm hac in Clausulâ præceptum, an consilium solummodò contineatur? solum consilium continetur. Quia Concilium non adhibuit verbum præcipiendi, vel æquiualens: quod est vt plurimum signum præcepti. Sic Villalob. *tom. 1. tract. 7. diffic. 37. num. 6.* Ludouic. de San Iuan *1. p. sum. tract. de Eucharist. qu. 7. art. 6.* Petr de Ledesm. *1. p. sum. tr. de Euchar. c. 11.*

296 Præceptum non consilium.

Præceptum est, non consilium. Quià communis Ecclesiæ sensus est, ibi tradi præceptum obligans ex genere suo sub mortali, cùm materia sit secundùm se grauis. Ità Card. de Lugo *d. 14. n. 135.* Suar. *d. 66. sect. 7.* Vasq. *d. 208. num. 6.* Coninch. *q. 80. a. 4. n. 24.* Filliuc. *tr. 4. n. 222.* Reginald. *l. 29. n. 110.* Diana *p. 2. tr. 14. resol. 60.*

297 Consentiens.

Consentiens addiderim, sic accepisse videri Missalis Regulam, in quâ pro verbis illis: *Quamprimum confiteatur*, ponuntur hæc: *Quàmprimum debet confiteri*, quæ clarius exprimunt obligationem. Et quidem sæpè simplici verbo imperatiui modi præceptum imponitur, vt constat ex Capite *Omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* & ex multis eiusdem Tridentini decretis, *de reformatione*, vbi varia præcepta haud dissimili phrasi traduntur.

PROBL. LIX.

Præceptum hoc, est, & non est de iure diuino.

298 Diuinum hoc præceptum est.

DIuinum huiusmodi præceptum est. Quia præceptum ipsum præmittendi confessionem, est diuinum, licèt imponatur per modum affirmatiui, virtualiter includit negationem, ne scilicet excusatione cessante, differatur etiam post Communionem confessio. Sicut præceptum annuæ Confessionis iuxtà probabiliorem sententiam, si suo tempore non fuit impletum, obligat ad confitendum quamprimùm: & præceptum restitutionis similiter. Sic Henriquez cum aliis *l. 4. cap. 3. numer. 2. & cap. 4. num. 5.* Sotus *in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 2.* Probabile dicit Filliuc. *tractatu 4. num. 222.*

Non est præceptum diuinum sed humanum. 299

Non est præceptum diuinum sed humanum. Quia præceptum diuinum confitendi ante Communionem, quatenus affirmatiuum, solùm præcipit confessionem, vt dispositionem ad Eucharistiam: ac per consequens, transacta Communione cessat eius obligatio; quatenus verò negatiuum, solùm obligat ad non communicandum iterum sine præuiâ confessione. Sicut præceptum diuinum confitendi, dum subest periculum mortis, si vel ex impotentiâ, vel ex malitiâ non obseruetur, transacto periculo, non obligat ad confitendum quamprimùm quippè quatenus affirmatiuum est, solùm obligat ad præmittendam confessionem ante mortem; quatenus negatiuum, obligat dumtaxat ad non omittendam confessionem in articulo, vel periculo mortis. Ità Suarez *distinct. 66. sect. 7.* Vasquez *distinct. 208. numer. 15.* Coninch. *distinct. 88. num. 24.* Bonacin. *d. 4. quæst. 6. punct. 1. num. 41.* Card. de Lugo *dist. 14. num. 137.*

Idem asserо. 300

Ego quidem nec in scripturâ, vel Patrum traditionibus fundamentum inuenio præcepti diuini cogentis ad confitendum post transactum periculum mortis *quamprimùm*. Vt autem primæ sententiæ fundamen euertam, respondeo, in præcepto confessionis sic præscribi terminum anni, vt vltra differri nequeat. Quia Ecclesia vult vt præceptum diuinum confessionis semel saltem in anno obseruetur, & particula *saltem* apertè demonstrat, sensum esse, nè differatur vltra annum: quapropter adhuc eo transacto, manet obligatio non differendi, quod in nostro casu non haber locum.

PROBL. LX.

Præceptum hoc à Tridentino latum, obligat, & non obligat etiam Laicos.

LAïcos etiam obligat. Quia eadem est ratio de Laïcis, ac de Sacerdotibus: Tridentinum verò videtur per accidens locutum fuisse de Sacerdotibus, forsan quia de ipsis proximè fuerat sermo: vel quia talis necessitas frequentius in Sacerdotibus contingit, vt defectu Confessarij sine præuiâ confessione, contriti celebrent. Sic Fagund. *præc. 3. lib. 3. cap. 8. n. 9.* Sa *v. Euchar. n. 13. & v. Confessio, n. 5.* Nauar. *c. 2. n. 10.* Azor. *tom. 1. lib. 10. cap. 31. quæst. 9.* Henriq. *lib. 8. cap. 45. num. 4.* Laïcos etiam obligat. 301

Non obligat Laicos. 302

Hoc Tridentini præceptum confitendi *quamprimùm* non obligat laicos, sed solummodo Sacerdotes. Quia in odiosis non fit extensio propter rationis paritatem, & Tridentinum loquitur solùm de Sacerdote celebrante sine præuiâ confessione, non verò de Laïcis. Ergo quando Laïcus ob necessitatem sine confessione præuiâ communicat, non tenetur post communionem *quamprimùm* confiteri. Ità Diana *part. 2. tract. 14. resol. 60.* cum aliis Suar. *d. 66. sect. 7.* Vasq. *d. 208. n. 37.* Card. de Lugo *d. 14. n. 118.*

Eiusdem sum mentis. 303

Idem asserо, quia non est par ratio Sacerdotis ac Laïci: maius enim erat periculum in Sacerdotibus, qui sæpius habent necessitatem communicandi

nicandi sine præuiâ confessione ob Confessarij defectum. Quapropter oportuit, illis imponi præceptum, nè desides sint in præcauendâ necessitate vel illam sibi fingant ad confessionis molestiam vitandam. Laïci verò rarò huiusmodi grauantur necessitate præsertim cùm regulariter confiteri possint illi Sacerdoti, à quo communionem sunt accepturi. Vnde affirmo, non comprehendi hoc præcepto Sacerdotem communicantem more Laïcorum; quia Tridentinum loquitur de Sacerdote celebrante.

PROBL. LXI.

Sacerdos recordatur in Missâ peccati mortalis, aut tunc illud committit ante sumptionem, & contritus communicat sine confessione præuiâ ob vitandam infamiam: Hic postea debet, & non debet, quamprimùm confiteri.

304 *Debet quamprimùm confiteri.* SCio, Sacerdotem celebrantem cum ignorantiâ, vel obliuione peccati mortalis, cuius non meminit ante communionem, seu consumptionem Eucharistiæ, non teneri, *quamprimum* postea confiteri. Quia Tridentinum palàm loquitur de Sacerdote, qui conscius sibi peccati mortalis, vrgente necessitate celebrat sine præuiâ confessione. Quòd autem si Sacerdos peccati mortalis recordetur in Missâ, vel tunc illud perpetret ante sumptionem, & contritus communicet ob euitandam infamiam, debet postea, *quamprimùm* confiteri. Quia communicat cum conscientiâ peccati mortalis, & sine confessione præuiâ propter vrgentem necessitatem: Ergo verbis præcepti comprehenditur. At verò quod necessitas proueniat ex infamiæ periculo, vel aliundè, nihil videor referre; nec censetur dari copia Confessarij, quando non possum illi confiteri. Sic Suar. *d.66. sect.7.* Bonac. *d.4.q.6.pun.1. n.39.* Filliuc. *tr.4.n.223.*

305 *Non debet quamprimùm confiteri.* Non comprehenditur verbis præcepti, & ideò non debet postea quamprimùm confiteri. Quia Tridentinum loquitur de Sacerdote, qui celebrat vrgente necessitate sine confessione præuia; quæ vox significare videtur confessionem omissam ante Missam inchoatam: nam confessio inter celebrandum facta potius est concomitans, quâ præuia celebrationi. Quapropter hic Sacerdos non omisit confessionem præuiam ob necessitatem, sed vel propter obliuionem, vel quia nondum peccauerat: vnde illo præcepto minimè comprehenduntur. Ità Vasq. *d.208.n.19.* Præpos. *3.p.q.80.art.5.dub.4.* Card. Lug. *d.14.n.146.* Diana *p.2.tr.14.resol.60.*

306 *Secundâ magis approbatè tentium.* Probabilem æquè partem reor vtramque. At hanc mihi eligo propter Missalis Rubricam, quæ nisce in casibus magnam refert authoritatem. Præscribit itaque Rubrica Sacerdoti, qui conscientiam habuit peccati mortalis ante Missam inchoatam, vt habeat contritionem, & postea *quamprimùm* confiteatur. Illi verò, qui talem conscientiam in ipsa solùm celebratione recognoscit, solùm iubet, vt habeat contritionem cum proposito confitendi, & satisfaciendi, suo scilicet tempore.

PROBL. LXII.

Sacerdos quidam non ex necessitate, nec ob carentiam Confessarij, sed ex merâ malitiâ in mortali sine præuiâ confessione celebrauit: Hic tenetur, & non tenetur quamprimùm post Missam confiteri.

307 *Tenetur quidem.* TEnetur planè. Quia grauius delinquit, qui sine necessitate, quàm qui cum illâ confessionem celebraturus omittit. Sed hic præcepto Tridentini. Ergo multò magis ille, qui sine necessitate confessionem omisit ante Missam. Sic Sylu. *3.p.q.80.art.4.dub.2.* & alij.

308 *Non tenetur.* Non tenetur. Quia Tridentinum apertè loquitur de celebrante, dum vrget necessitas, & non suppetit Confessarius. Ità Diana *p.2.tr.4. resol.61.* Nuñus *3.p.q.80.art.4. diffic.4.* Card. de Lugo *d.14.n.150.* Franc. de Lugo *de Sacram. l.4. c.6.n.78.*

309 *Hanc partem eligo.* His hæreo, sciens, in præceptis positiuis non valere argumentum à minori ad maius: nec arguere nos posse ex vno casu ad alium. Præsertim cùm in celebrante sacrilegè præcepti humani finis deficiat, quod certè non cogeret ad confessionem postea quamprimùm gerendam, illum, qui scienter violat præceptum diuinum præmittendi confessionem communioni. Vnde potius noui peccati esset occasio.

PROBL. LXIII.

Sacerdos, qui ob defectum Confessarij sine præuiâ confessione celebrauit, debet, & non debet statim finitâ Missâ confiteri.

310 *Nõ debet statim, sed potest post diem.* QVæsieris, quanta possit esse dilatio confessionis post finitam Missam, & habitam Confessarij copiam citra præcepti violationem? Certè illa vox Tridentini, *Quamprimùm*, moraliter est intelligenda, vt solùm obliget ad confitendum, cum primum rursus celebrauerit non statim post finitam Missam. Quia intentio Concilij fuit, tollere Sacerdotibus occasionem, seu periculum sæpius celebrandi, sine confessione præmissâ. Quod euitari videtur, si post vnum sacrum sic factum, non celebret iterum Sacerdos nisi confessus. Sic Fagund. *præc.3.l.3. cap.8.n.9.* Binsfeld. *in Enchirid. cap.6. tit.de dispensat.ad sumptionem Sacramenti, cap.6.* Molfes. *tom.1.summ.cap.10. num.28.* Diana *p.2. tract.14. resol.60.* dixit, hanc sententiam saltem per extrinseca principia esse probabilem.

311 *Debet statim post Missam.* Debet Sacerdos statim finitâ Missâ, si Confessarius suppetat, confiteri. Quia illa vox, *Quamprimùm*, planè sonat, post Missam teneri quàm nox, quamprimùm opportuna fuerit occasio, seu potentia moralis, adire Confessarium. Cùm enim ante Missam deberet Sacerdos datâ Confessarij copiâ confessionem præmittere, non est mirum, quod illicò post Missam ad confitendum obligetur. Ità Vasquez *quæstion. 90. artic.3. dub.3. numero 10.* Suarez *disp.66. sect.7.* Ioannes Sanchez *in select. d.32. num.14.* Henriq. *l.8. c.45.n.4.*

Quid

Quid sentiam, indicabo. Reor, primam sen- 312
tentiam tollere omninò præceptum illud, nam ad *Sententia aut-*
iterum confitendum, cum primum rursus com- *toris.*
municauerit, diuinum præceptũ obligat. Nec vl-
lus dicet, fieri *quamprimum*, quod sit post sex, vel
octo Menses si contingere potest, quod ille Sacer-
dos intra tot Menses non celebret iterum habens
interim Confessarij copiã: non ergo implebit præ-
ceptũ tam diù dilata confessione. Nec ignoro, se-
cundam sententiam nimis videri strictã, quia co-
git Sacerdotem ex altaris vestigio mox Confessa-
rium adire. Nonne prius gratias aget? non co-
medet; si sit propè meridiem? non cubabit ali-
quandiù post prandium? Certè spatium aliquod
moraliter est ei concedendum. Quantum ais?
Cum huius præcepti finis sit cogere Sacerdotes
ad talem confessionis frequentiam, vt fere semper
ritè parati sint ad celebrandum: si post factum
sacrum sine confessione præuiâ subsit periculum
iterum celebrandi sine confessione, vel non con-
fitendi per plures dies, nisi confitearis illicò, quia
tunc habes Confessarium, & postea forsam non
habebis; teneris eodem die confiteri. Si verò non
subsit tale periculum non reor dilationem grae-
uem esse, si confessio fiat die sequenti, vel etiam
intra triduum ob auctoritatem Cardin. de Lugo
dist. 14. num. 162. Zerolæ *in praxi pœnitent.*
fol. 113. & aliorum sic accipientium Concilij
sensum. Quapropter in Sacerdote quotidie ce-
lebrante, vel saltem tertio quoque die, sustineri
prima sententia posset, in aliis eius praxim mini-
mè probarim.

PROBL. LXIV.

Qui peccauit mortaliter, & mox confessus est; tenetur, & non tenetur Communionem differre sub mortali.

313 TEnetur profectò. Quia qui fuit in multis *Tenetur pla-*
peccatis, vel in vno, etiam postquam con- *ne.*
fessus est redolet feces illas illas: ideóque non
potest adhùc fœtidus communicare, sed debet
sæpè prius confiteri, & orationibus, ac ieiuniis se
odoriferum reddere. Grauis siquidem irreueren-
tia erit, post vomitum tantæ sordis illico Christi
corpus contingere. D. Thom. sic 3. *p. q.* 80. *art.* 7.
Marsil. *in* 4. *q.* 6. *art.* 4. Gerf. *de præp. ad Missam*
consid. 8. Sylues. *ver. Eucharistia* 3. *q.* 5. Medi. *in*
sum. c. 14. §. 42. Manuel. *in sum. tom.* 1. *c.* 65. *n.* 1.
Couar. *in Clement. si furiosus, p.* 3. *n.* 7. Nauar. *de*
pœnit. dist. 6. *cap.* 1. *& in summ. Hispan. cap.* 25. *nume-*
ro 50.

314 Non tenetur, nec per se loquendo vlla est *Non tenetur.*
nec venialis culpa paulò post commissum letha-
le peccatum, communicare, confessione præmis-
sa. Quia nullum est præceptum humanum, vel
diuinum obligans ad differendam communio-
nem post confessionem debitam præmissam.
Non, inquam, datur positiuum, nam reuera nec
habetur scriptum, nec per traditionem: si quod
autem olim viguit, communi Ecclesiæ consuetu-
dine iam fuit abrogatum. Quoad præceptum
naturale patet, quia ratio naturalis solùm dictat,
Sancta sanctè tractari; licèt autem breue tem-
pus post peccatum intercedat, potest tamen ta-
lis esse conuersio peccatoris, vt non solùm San-
ctus sit; sed etiam Sanctior, ac deuotior, quàm
antea. Ità Palud. Adrian. Sylues. quos sequitur
Suarez *d.* 66. *sect.* 4. Azor. *tom.* 1. *l.* 10. *c.* 31. *q.* 13.
& 14. Ioan. Sanch. *d.* 23. *n.* 26. Diana *p.* 3. *tract.* 4.
resolut. 30. Nauar. *summ. Latina, cap.* 21. *numero* 51.

Certè nec Paulus 1. *Cor.* 11. nec Concilium 315
aliam probationem, aliam sanctitatem requirit, *Auctoris iu-*
nisi vt nullus sibi conscius peccati lethalis Eu- *dicium.*
charistiam recipiat: nec certa ratione definiri
posset, quanto tempore sit abstinendum. Scio ta-
men, per accidens posse esse graue piaculum, sta-
tim accedere ad Communionem, vel propter
scandalum aliorum, si peccatum sit publicum, &
ex consuetudine notâ non paucis, qui inde an-
sam delinquendi liberius arripiunt: vel propter
contemptum, si quis ideò parui pendat pecca-
tum, & facilè relabendi periculum subeat: vel
etiam communicandi sine verâ, & efficaci crimi-
nis detestatione. Posset etiam esse veniale prop-
ter distractionem, vel paruam aliquam affectio-
nem ex peccatis (præsertim carnalibus) reli-
ctam. Sed ad hoc etiam excusabit iusta causa
mox communicandi propter magnam solemni-
tatem, aut quia non facilè potest differri Com-
munio in alium diem.

PROBL. LXV.

Sacerdos, qui ex obligatione eleemosynæ acceptæ tenetur offerre Sacrum: potest, & non potest, deficiente Confessario, sine præuiâ confessione celebrare.

MInimè potest. Quia obligatio capellaniæ, 316
v. g. aut ius stipitis ad sustentationem Sa- *Non potest.*
cerdotis non debet censeri necessitas sufficiens
excusare: alioquin summa Sacerdotibus, ad cele-
brandum sine confessione licentia exhiberetur.
Sic Bonac. *d.* 4. *q.* 6. *punct.* 1. *n.* 26. Fagund. *præc.* 3.
lib. 3. *cap.* 9. *num.* 7. *&* 8. Hieron. Garcia *in summ.*
tract. 3. *dist.* 5. *dub.* 1. *punct.* 5. *n.* 4. Diana *p.* 9. *tr.* 3.
resol. 13.

Potest quidem. Quia verè vrget necessitas 317
celebrandi. Nam si Sacerdos laborat inopiâ, & *Potest quo-*
ex eleemosynâ pro Missâ acceptâ victitat, verè *dammodo.*
in illo corporalis necessitas reperitur, sufficiens
quidem ad celebrandum sine præuia confessione.
Quod si necessitas spiritualis aliena sufficit ad
celebrandum sine confessione, (vti notat Fagun-
dez) cur propria corporalis non sufficiet? Ità
Hentiq. *lib.* 8. *c.* 46. *n.* 6. & apud illum Armilla *v.*
Communio, n. vlt. Richar. Angel. Tabie. Rosel.
Aureol. Sylues. *v. Eucharistia* 2. *n.* 9. nec dissentit
Bonac. citatus.

Licet plus ad primam sententiam incliner, 318
(de quo superius) satis probabilem reor esse se- *Vtrámque*
cundam facile euertens contrariæ fundamentum *mihi æquè*
abnegando antecedens, quod non difficilè osten- *probabile.*
det, esse minimè verum.

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.

PROBL. LXVI.

Distantia vnius leucæ inter Pœnitentem, & Confessarium est, & non est sufficiens, vt Pœnitens dicatur, Confessarij copiam non habere, & consequenter valeat vrgente necessitate absque praeuia Confessione communicare.

319 *Sufficiens vnius leucæ distantia est.* SI Confessarius intra Vrbem, seu Oppidum adsit, quolibet longo interuallo distet, debet Pœnitens ad ipsum accedere. Si tamen Pœnitens sit in Oppido, quod ab Vrbe vbi adest Confessor, tribus milliaribus distet, copiam Confessoris huiusmodi Pœnitens habere non dicitur: vnde necessitate obueniente poterit, haud confessione præmissâ, communicare. Quia de immensâ præcipientis pietate præsumendum, nolle tantâ exanthlatâ molestiâ obseruari præceptum. Sic Henriq. *lib.1. de pœnitentiâ, cap.4. num.4. & l.8. cap.46.* Cano *relect. de pœnit. part.5. §. ad tertium.* Ortiz *cap.19. §.15.* Vega *v. Communio, casu 14.*

320 *Non est sufficiens.* Licèt Confessarius à pœnitente, seu Sacerdore, seu Sæculari per leucam distet, debet Pœnitens illum adire, si per tempus, & alias causas liceat: ne absque præuiâ confessione communicet, aut celebret. Quia maiori admodum labore digna salus. Ita Granad. *tr.10. de Euchar. d.7. n.13.* Rodrig. *1. p. sum. cap.65.*

321 *Hãc relinquo prudentis arbitrio quæstionem.* Ego quidem censeo, hanc quæstionem prudentis arbitrio relinquendam, habitâ ratione circunstantiarum, personæ, temporis, difficultatis, itineris, &c. Fieri enim potest, vt respectu vnius personæ vnicæ leucæ distantia sit sufficiens ad Confessarium non requirendum: respectu verò alterius personæ minimè sufficiens censeatur. Legendus Coninch. *quæst.80. art.4.*

PROBL. LXVII.

Præceptum quamprimum confitendi, si Sacerdos absque præuiâ Confessione contritione præmissâ celebrauit: comprehendit Sacerdotem in die Parasceues celebrantem.

322 *Non comprehendit.* NOn comprehendit. Quiâ die illa Sacerdos Missam non dicit, nec enim consecrat, sed tantùm corpus & sanguinem absumit. Sic aliqui recentiores. Cardin. de Lugo *d.14. n.239.* hanc partem probabilem esse affirmauit.

323 *Comprehendit quidem.* Comprehenditur quidem. Quia licèt ea die Sacerdos propriè Missam non agat, propriè tamen & simpliciter dicitur celebrare, & communicare communione Sacerdotali. Ità Suarez *d.66. sect.7.* Ioann. Sanctius *d.32. n.12.* Filliuc. *tom.1. tract.4. num.221.* Card. de Lugo citat Dicastil. *tract.4. d.9. dub.9. n.157.* Leander apud Dianam idem asserentem *p.9. tr.3. resol.29 & 30.*

His hæreo, idem asserens, quando deficiente Sacerdote, post consecrationem, alius Sacerdos ad complendum illud Sacrificium assumitur. 324 *His hæreo.*

PROBL. LXVIII.

Licet, & non licet Sacerdoti, ministrare peccatori occulto scienti, & petenti Hostiam non consecratam; ad Sacrilegium, vel graue aliud damnum ipsius suscipientis vitandum.

LIcet quidem, dummodo Sacerdos proponat consecratam Hostiam ad adorandum populo, & à tergo post illam non consecratam. Ità vt nec videri possit, nec adorari. Quia & graue proximi vitatur incommodum, & nullum subest idololatriæ periculum. Sic Albert. Mag. *dist.13. art.20.* Altisiodor. *in summ. lib. 4. tract. 5. cap.5.* Villalob. *tract. 7. diffic.4.* Ludouic. de San Iuan *sum. tom. 1. quæst.7. art.4. diffic.* Iauellus *tom.1. Philosoph. Christianæ p.5. tract.4. cap.6.* Franc. de Lugo *de princ. Theolog. Moral. part. 2. cap.6. quæst.7.* 325 *Licet planè.*

Minimè licet. Quia moraliter loquendo, nequit exterior idololatria vitari, tam respectu ipsiusmet suscipientis, cum ipsamet sumptio tali modo facta, sit actus religionis & cultus; quàm respectu aliorum adstantium, qui etiam si oculis non videant, id quod alteri datur ad communicandum adorant, & ipsum ferentem pectore Christum reuerentur. Et quia magna est indecentia à tergo consecratæ Hostiæ non consecratam formulam ei hærentem apponere. Ità Suar. *d.67. sect.4.* Vasq. *d.209. n.41.* Valent. *tom. 4. d.8. q.8. punct.4.* Reginald. *lib.29. n.49.* Caiet. Gabr. Duran. Angel. Armil. & alij, quos citat, & sequitur Ioan. Sanctius *in select. dist.35. num.3.* Diana *3. p. tract.6. resol.83.* Hurtad. *d.9. diffic.9.* Cast. Pal. *tom.1. tract.2. dist.1. punct.13. numero 8.* 326 *Non licet.*

Probabilem reputo sententiam primam, secundam verò longè probabiliorem. Vt autem proximi commodo prouideatur, ego quidem minimè hostiolam non consecratam consecrare à tergo locarem; sed simularem, me Eucharistiam in os huiusmodi peccatoris immittere. Quòd licere puto modò causa legitima id simulandi adsit. Quia potest iustè sine mendacij piaculo quis æquiuocatione vti ad damnum proximi vitandum. Ergò Sacerdos etiam simulare se in os eius Hostiam immittere, legitima causa erit, casu quo maritus mortem vxori minaretur, nisi communicaret, vt sic suspicionem aduersus illam conceptam abiiceret. 327 *Auctoris placitum.*

CAPVT

CAPVT XV.

Circa communicantium quo ad corpus dispositionem.

PROBL. LXIX.

Pollutio impedit, & non impedit, sub veniali saltem communionem.

326 Nullatenus impedit sub veniali.

QVOD de Pollutione inuoluntariâ vel voluntariâ, cuius culpa iam remissa est per pœnitentiæ Sacramentum. Impedit ne aliqualis illa fœditas, quam post se relinquit, nè eodem die possit quis Eucharistiam accipere? Nullatenus impedit, Quia cùm iam nihil culpabile supersit, & homo possit eâdem reuerentiâ, & deuotione communicare, quasi nihil tale præcessisset haud impedit, quominus iste dignè communicet. Nihil enim aliud Apostolus, & Tridentinum prærequirunt. Itaque non solùm sine veniali piaculo, imò laudabiliter ille recipit Eucharistiam. Sic Ioann. Sanctius *select.d.23.num.22.* Diana *part.3.tract.4.resol.30.* non refellit.

327 In veniali peccat.

Impedit planè aliqualis illa fœditas, vnde veniale peccatum est post pollutionem saltem culpabilem eodem die communicare. Quia ex pollutione mortali sic manet distracta mens, sic inordinatus affectus, vt non possit moraliter homo intra diem accedere sinè irreuerentia, quæ sit veniale piaculum. Ità Martnon *tom. 4. d. 35. sect.5.* Nuñus, Ioan.de la Cruz, Ochagau.quos sequi videtur Diana *part.5.tract.13.resol.65.* Fauent Augusf. *ser.244. de Temp.* Gregor. *resp.11. ad Augusf.*

328 Animum excusat.

Existimo, præcisè propter fœditatem, seu maculam pollutionis haud esse communionem omittendam etiam ex consilio. Quia verè post transactam pollutionem, si non maneant alij distractionis, vel commotionis effectus, nihil videtur remanere, quod impediat communionem iis, qui non aliter se sentiunt dispositos, & deuotos, ac si nil tale contigisset. In hoc verum continet prima sententia, & fatentur Suar. *d.68. sect.2.* Coninch. *q.80.n.42.* Card. de Lugo *d.15. n.9.* Quando verò pollutio relinquit distractionem mentis veneream, & turpem carnis commotionem, vndè sit homo minus aptus ad res diuinas tractandas: vel erit veniale piaculum communicare, si rapiatur animus ad voluntarias distractiones; vel si non admittat illas sponte, quamvis non sit veniale peccatum communicare, consultius erit, abstinere, donec talis euagatio, seu commotio sedetur vt deotè, ac attentè communicet. Quorum iudicium prudenti linquerem Confessario.

PROBL. LXX.

Graue peccatum est, & graue peccatum non est, post minimum cibum, aut potum, Eucharistiam accipere.

329 Non est graue peccatum.

NOn est graue peccatum sed leue solummodo. Quia parua materia non soluit naturale ieiunium nisi leuiter, nec opponitur notabiliter præcepto, vel fini, subtrahendi nimirum alimentum corporale fidelibus, donec spirituale accipiant. Moraliter enim adhùc censetur corpus incibatum, quatenus parum pro nihilo reputatur. Et quia paruitas materiæ reddit veniale peccatom, quoties dissonantia rationis, vel cum ratione in indiuisibili non consistit. At sic est in præsenti, quia tàm ex parte ieiunij, quàm ex parte irreuerentiæ consecuta ad communionem post cibum datur latitudo dissonantiæ leuis, & grauis. Ergo sicut parum cibi, vel potus esset leue peccatum contra ieiunium naturale, quando istud ex voto, aut præcepto deberetur: sic etiam irreuerentia communionis post illam leuem ieiunij violationem, leuis erit omninò. Sic quidam, quos presso nomine Suar. *d. 68. sect.4.* Horum autem sententiam Zacharias Pasqualigus *decis. 335.* dicit esse probabilem.

330 Graue peccatum est.

Mortale peccatū est, communicare post quantumlibet minimum cibum, vel potum qui naturale ieiunium quomodolibet soluerit. Quia hoc præceptum non prohibet per se directè cibum, & potum: sed communionem post ieiunium solutum: vnde post minimam etiam quantitatem sumptam per modum cibi, aut potus; Communio verò semper est materia grauis: Ergo semper erit mortale peccatum communicare post solutum ieiunium; quia grauiter Sacramenti reuerentia læditur per hoc præceptum indicta, dum Christus sumitur post cibum aut potum corporalem siue magnum, siue paruum. Et quia Ecclesiæ praxis, & communis sensus Doctorum sic hoc præceptum interpretatur, vt post quemlibet etiam minimum cibum, aut potum etiam inaduertenter sumptum, imò inuitè, non valeat quis sine graui piaculo Eucharistiam accipere. Ità Vasq. *d.211.n.28.* Suar.citat.Fagund. *præc.3.l.3.cap.5. n.24.* Card. de Lugo *d.15.n.22.* Bonac. *d.4.q.6. punct.2.n.6.* Diana *p.5.tr.5. resol.12. & p.6.tr.8. resol.8.*

331 Primam sententiam omnino relegandam puto.

Profectò, (vt quid sentiam, exponam) aliud est, an hæc vel illa materia ob suam paruitatem, ac modum sumptionis ieiunium naturale violet, (de quo infra.) Aliud est, supposita iam violatione ieiuni naturalis per veram manducationem, aut potationem etsi minimi cibi, vel potus, an sit mortale communicare? quod nullus, quem nominatim nouerim, negauit: nec probabile reddunt Pasqualigij argumenta. Quare censeo contrariam sententiam haud esse practicè probabilem. Nam etsi paruus cibus, aut potus soluat naturale ieiunium leuiter, verè tamen soluit illud ità vt verè iam sit homo non ieiunus. Vnde si tunc communicet, verè communicat non ieiunus, atque ideò grauiter peccat contra Ecclesiæ præceptum.

F. ESCOBAR Theol. Mor. Tom. III. IV.

PROBL. LXXI.

Qui deglutiit aliquid non comeſtibile, ſcilicet oſſiculum, fruſtulum metalli, papyrum, cretam, vngues, vel quid ſimile; poteſt, & non poteſt communicare.

332 *Nonulla præmitto.* AD elucidationem Problematum ſequentium præmittam, duo requiri à Doctoribus vt ieiunium naturale violetur. Primum eſt, vt aliquis cibus, vel potus humanus ſumatur: talis autem eſt, qui non ſolùm in alicuius animalis, ſed in hominis ſtomacho naturaliter alterari poteſt, & ad ipſius nutritionem ordinari. Secundum eſt, vt talis cibus, aut potus per actionem, quæ propriè ſit comeſtio, vel potatio, ſumatur, non reſpiratio, non traiectio ſaliuæ, non olfactio, vel ſimilis. Propriè verò comeſtio, vel potatio ſunt actiones, quibus cibus, aut potus extrinſecus acceptus conſtituuntur in ſtatu proximo, vt poſſint nutrire, quatenus humano modo deglutiuntur, & traiiciuntur ad ſtomachum via naturaliter deſtinata nutritioni, ſcilicet per os, & palatum. Lege ſapientiſſimum Cardin. de Lugo *diſt.15. ſect.2.*

333 *Communicare non poteſt.* Igitur ad quæſtionem. Qui præfata deglutiit, communicare non poteſt. Quia aqua non nutrit, & tamen impedit communionem; venenum ad nutritionem non ordinatur, & tamen impedit Euchariſtiam recipere. Ergo ſimiliter quod non eſt comeſtibile, ſeu nutritiuum, ſi ſumatur, impediet. Et quia fœminæ comedentes terram, carbonem, argillam, vel ob guſtus delectationem, vel ad minuendum colorem per modum medicinæ non poſſunt communicare: ergo nec comedentes cretam, papyrum, & ſimilia. Sic Henriq. *l.8.c.49.n.2.* Fagund. *præc.3.l.3.c.5.num.5.* Laym. *lib.5. tract.4. cap.6. numer.18.* Reginald. *lib.29. num.118.* Præpoſit. *quæſt.80. art.8. dub.1.* Nunus ibi.

334 *Poteſt communicare.* Qui præfata deglutiit, communicare poteſt. Quia ſacri Canones ſolùm exigunt, vt nullus cibus, vel potus ante communionem abſumatur; ſed quod ex ſua natura non eſt homini comeſtibile, ſeu potabile, non eſt propriè cibus, aut potus humanus. Ergo licèt ſumatur aduertenter, & in magnâ quantitate, nec ſoluit naturale ieiunium, nec impedit ſubindè communionem. Ità Ioan. Sanch. *d.42.n.23.* Diana *p.2.tract.14.reſol.52.* & *p.3.tract.4.reſol.38.* Card. de Lugo *citat n.29.* Vega, Ledeſm. Ludou. de S. Iuan, quos Sanctius ſequitur.

335 *Cum his opinor, magis explicans quæſtionem.* Cum his opinor putans quidem. Aquam etſi directè non nutriat, validè tamen nutritionem iuuare, eſſéque propriè potum humanum, quem Eccleſia directè prohibet ante communionem. Venenum aſſerit Paſqualig. ieiunium non ſoluere naturale, nec communionem impedire, quia naturâ ſuâ in cibum non ordinatur humanum. Mihi autem videtur, Venenum ſemper continere partes aliquas, quæ ſunt ex naturâ ſuâ cibus humanus, & ideò ſoluere naturale ieiunium. Item negat, terram à fœminâ abſumptam non violare, quoniam terra non eſt propriè cibus humanus, ſed ſemper eſt elementum purum quod ab humano ſtomacho alterari non poteſt Dubito planè, quia nunquam terra ſic eſt elementum purum, vt non habeat partes aliquas alterabiles ab humano ſtomacho. Vnde poſt talem comeſtionem, ego communionem prohiberem. Ioannes Sanctius concedit, auellanam integram, pineam, nucem ſi cum cortice deglutiantur naturale ieiunium violare; nam illa materia comeſtibilis eſt. Dubitarim profectò: nam ea, quæ deglutita poſtmodum integra emittuntur, quia ab humano ſtomacho alterari non poſſunt, nec ſunt humanus cibus, nec ieiunium naturale ſoluunt.

PROBL. LXXII.

Sumptio Tabachi vel in folio, vel in fumo, vel in puluere impedit, & non impedit communionem.

336 *Impedit communionem.* IMpedit quidem. Quia ad violandum naturale ieiunium, ſufficit, aliquid etiam non comeſtibile in ſtomachum fuiſſe traiectum. Et quia folium Tabachi receptum in os aliquem ſuccum deriuat in ſtomachum, quo naturale ieiunium violetur. Pulvis etiam ſi per nares ſumatur aliquis decidit in ſtomachum. Fumus pariter ad ſtomachum peruenit, & aliquomodo nutrit, vt multorum experimento, qui ſolo fumo victitarunt. Et quia duo Concilia ſcilicet Limenſe III. *act.3.c.20.* & Mexicanum III. *l.3. tit.15.§.13.* ſub graui reatu ante celebrationem Miſſæ, vel communionem Tabachi ſumptionem prohibuêre. Ergo dignouerunt, inibi culpam grauem ob communionem poſt ieiunium violatum. Sic Anton. de Leon *qq. de Chocolate p.2. §.4.n.10.* & alij.

337 *Communionē non impedit.* Haud impedit communionem. Quia quando folium Tabachi in ore retinetur ſine deglutiendi voluntate, ſolum cauſare poteſt traiectionem alicuius humoris ex capite ad ſtomachum defluentis, quæ non violat naturale ieiunium; ſicut nec aliquis Tabachi ſuccus per modum ſaliuæ traiectus. Quando Tabachi pulvis per nares ſumitur, non violat ieiunium naturale, quia illa ſumptio non eſt comeſtio, cum non fiat per os. Fumus verò licèt per os ſumatur, non tamen deſcendit in ſtomachum ſed per nares emittitur. Imò quamvis aliquid illius deſcenderet in ſtomachum, & nutriret, non recipitur per veram comeſtionem, ſed per reſpirationem, quæ ieiunium non violat. Ità Alphonſus de Leon *de offic. Capellani q.8. ſect.17. caſu 2.n.134.* Paſqualig. *deciſ.333.* & *334.* Diana *p.5.tr.13. reſol.1.*

438 *Auctoris placitum.* Mea ſententia eſt, Tabachi Folium ore ſumptum, & ex induſtriâ tranſmiſſum ad ſtomachum, ieiunium ſoluere & communionem impedire; quia huiuſmodi ſumptio eſt vera comeſtio. At ſi retineatur in ore ſine traiiciendi voluntate, ieiunium non ſoluere; quia licèt attrahat aliquem humorem, cuius pars ad ſtomachum deſcendat, hic non recipitur ab extrinſeco: & quamvis aliquis ſuccus deglutiatur, per modum ſaliuæ traiicitur. Porro ſi Tabachus ſumatur per nares non ſoluit ob ſecundæ ſententiæ fundamentum. Si demùm ſumatur in Fumo multo minus; quia Fumus non eſt cibus, nec potus. Itaque communem modum ſumendi Tabachum in folio, in puluere, in fumo, nec violare naturale ieiunium, nec

nec communionem impedire iudico. Monuerim tamen sumptionem eius communiter talem excitare fœtorem, & immundam purgationem, vtinde meritò communionem impediat ob indecentiam & irreuerentiam, quæ veniale piaculum sit, & aliquando ob indecentiæ grauitatem possit leuis culpæ metas transilire.

PROBL. LXXIII.

Reliquiæ cibi præcedentis diei remanentes in dentibus, aut ginginis, & traiectæ ex industriâ post mediam noctem; impediunt, & non impediunt communionem.

339 *Impediunt communionē.* SI casu traiiciantur certum reor non impedire, quia tales reliquiæ ad comestionem diei percinēt præcedentis, quæ iam illum cibum masticauit, & per accidens totum non deglutiit. Quid si ex industriâ traiiciantur? Violant ieiunium. Quia talis actio censetur noua comestio, cum ex vi prioris non sequatur, sed nouâ voluntate fiat. Quamvis enim præceptum non obliget ad illas è dentibus extrahendas, vt expuantur: nam omissiuè nos in his habere, non est comedere, sed reliquias cum saliuâ traiici, quod non tollit naturale ieiunium, cum sit quasi moraliter connexum cum noctis prælapsæ cœna. At quando reliquia iam è dentibus extracta sensibiliter habetur in linguâ, v.gr. granum anisij, vel quid simile, quod possit expui facilè, vult aliquis ex industriâ degluere, vel retinere, vt cum saliuâ traiiciatur: censetur sponte violare ieiunium per voluntariam comestionem. Sic Filliuc. *tract.4. n.226.* Reginald. *l.29.n.119.* Præposit. *3.p. q.80.art.8. dub.1. n.40.* Laym. *l.5. tr.4. c.6. n.18.* Card. de Lugo *d.15.n.36.*

340 *Communiter non impediūt.* Non violant ieiunium. Quia cum tales reliquiæ siue paruæ, siue magnæ non ab extrinseco recipiantur hodie, sed heri tanquam partes externæ comestionis sumptæ cœperint masticari: semper retinent moralem comestionem cum illâ; vnde licèt sensibiliter habeantur in linguâ, & ex industriâ deglutiantur, non constituunt nouam comestionem moraliter, sed hesternam complent. Ità Henriq. *l.8.c.5.num.4.lit.V*, Ochagau. *tr.2. de Euchar.q.12. n.7.* Ioan. de la Cruz, Molfes. Pitigian. quos sequitur Diana *p.3. tr.4. resol.37. & p.4. tr.4. resol.104.* Tabie. *v. Communicare, num.49.*

341 *Aduersa plaga.* Existimo hasce reliquias quantum commodè fieri possit, expui debere. At si ex industriâ traiiciantur, cum probabilitatem secundæ sententiæ abnegare non possim, iudico non solùm non esse damnandum peccati mortalis illum qui hasce reliquias traiiciens communicare accedit: sed nec peccati venialis. Quia si verè non violat (Dianæ amici veniâ) naturale ieiunium, vt ipse profitetur, non est cur vel venialiter communicando delinquat. Si verò circa præceptum hoc non datur veniale peccatum ex paruitate materiæ, si post voluntariam reliquiarum traiectionem communicare peccatum esset, non foret veniale, sed mortale.

PROBL. LXXIV.

Quis noctu saccharum, aut quid simile in os mittit, vt paulatim liquefiat, & ex industriâ post mediam deglutit noctem: Hic violat, & non violat naturale ieiunium: Potest, & non potest communicare.

342 *Ieiunium non violat.* IEiunium natule non violans, communicare potest. Quia ad ieiunij violationem requiritur cibus eodem die sumptus ab extrinseco: & in hoc casu nullus cibus exterior recipitur, sed qui fuerat receptus paulatim liquefit, & per nodum saliuæ traiicitur. Sic Tabie. *v. communicare, n.49.* Bartol. ab Angelo *dial.4.§.214.* Probabile censet Amicus *tom.7.d.27.sect.1.n.5.*

343 *Violat ieiunium.* Ieiunium naturale violans haud potest communicare. Quia id, quod post mediam noctem traiicitur vel casu, vel industriâ planè non est cœnæ prælapsæ reliquia, sed pars eius cibi, cuius comestio fit per continuam liquefactionem, & traiectionem. Etenim cum illud mittatur in os, vt paulatim deglutiatur, ex intentione sumentis tandiu durat eius comestio, quandiu liquefactio, & traiectio: nec finitur, donec totum traiectum sit, aut emissum ex ore. Comedit igitur post mediam noctem, qui tunc illum liquorem deglutit. Ità Suar. Vasq. Coninch. Reginald. Bonac. Ioan. Sanctius, & alij, quos refert, & sequitur Diana *p.2. tr.14. resol.51. & p.7. tr.12. resol.10.* Card. de Lugo *d.15.n.37.*

344 *Idem iudico.* Profecto continuare comestionem sacchari inceptam iudico vere esse comedere. Secus est in reliquiis, quæ sumptæ sunt pro cœnâ præcedente, cuius complementum sunt ex primaria sumentis intentione. Si quis verò post mediam noctem in ore reperiat quod primâ nocte sumpserat, & materia sit talis, vt liquefieri nequeat, extrahens illam manet ieiunus. Secus si liquefieri possit, & probabile sit, aliquid fuisse post mediam noctem traiectum.

PROBL. LXXV.

Necesse est, & necesse non est, cibum esse digestum, vel dormiisse post Cœnam, ad Eucharistiam recipiendam.

345 *Necesse est, cibum esse digestum.* SVppono, Ecclesiam Romanam diem à media nocte incipere. Ex ideò si post mediam noctem aliquis sumpserit aliquid per modum cibi, aut potus haud potest eodem die communicare. Planè Ecclesiastica hæc consuetudo in naturâ fundatur, nam tunc incipit Sol ad nos redire. Igitur ad quæstionem: necessarium est cibum esse digestum, & dormiisse post Cœnam, ad Eucharistiam recipiendam. Quia hic sacerrimus cibus haud est cibis profanis immiscendus. Et quia textus in Cap. *Tribus gradibus* punitur Sacerdos, qui post cibum in tabernâ sumptum nocte præcedente, mox ad publicam Missam cantandam. Sic Gloss. *in cap. Nihil 7.q.1.* propter

Cap. *Tribus gradibus, de consecrat. dist.* 2. & Glos. in Cap. *si constiterit, de accusat.*

346 *Necesse non est.* Nihil refert ad communionem, vtrum post cibum, aut potum ante mediam noctem sumptum homo dormierit, vel cibum digesserit, quantum ad præcepti rationem. Quia absolutè dicitur ieiunus, qui post mediam noctem nihil sumpsit: quamvis anteà cibum non digesserit. Ità communiter Doctores cum D. Thomâ 3. *p. q.* 80. *art.* 8.

347 *Hoc certum.* Hoc prorsus certum, quia nullo iure præcipitur ille somnus, vel digestio: nec finis præcepti, scilicet apta dispositio communicantis ieiuni cadit sub præceptum, sed sola materia: nimirum nihil post mediam noctem comedisse, vel bibisse. Dixi, *Quantum ad rationem præcepti*; quia quantum ad rationem decentiæ pertinere quis dulcet, si quando ex carentia somni, vel digestionis grauem mentis perturbationem quis patiatur. Et ideò censuerim, punitum fuisse Sacerdotem illum propter irreuerentiam, cum totam noctem in taberna bibulus transegisset.

PROBL. LXXVI.

Dubium quis habet negatiuum circa ieiunium: potest, & non potest Eucharistiam recipere.

348 *In dubio negatiuo communicare potes* Alibi dixi dubium esse posse vel negatiuum vel positiuum. Communicare potest, qui dubio negatiuo distrahitur. Quia in dubio melior est possidentis conditio; sed quilibet fidelis possidet ius communicandi, dum de aliquo impedimento non constat. Ergo dum est dubia violatio ieiunij communicare poterit: non enim impedit nisi comestio eiusdem diei certa. Si dubium sit, an aliquid traiecerit, communicare etiam poterit. Quia tunc possessio stat pro libertate, atque prohibenti communionem incumbit onus probandi ieiunij violationem, quæ in dubio negatiuo non probatur. Sic Laym. Lucius, Ioannes Sanctius quos Franc. de Lugo meus sapientissimus Magister retulit *tr. de consc. cap.* 2. *q.* 30. *n.* 175. Martinon *tom.* 4. *d.* 35. *n.* 65. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 29. Card. de Lugo *d.* 15. 43. & 44.

349 *Non potes cõmunicare.* In vtrolibet casu communicare minimè potest. Quia ieiunium naturale requiritur vt dispositio communioni necessaria, sicut requiritur peccati mortalis confessio. At ad recipiendum Sacramentum certum non sufficit dispositio dubia. Sicut ergo siue sit dubium negatiuum de confessione peccati mortalis, siue de commissione illius, non possum communicare, nisi certam gesserim confessionem: quia Sacramentum possidet ius suum non admittendi ad communionem certam sine certa dispositione: sic non potest communicare, qui de suo ieiunio negatiuè dubitat. Semper igitur petenti communionem incumbit onus probandi vel suam conscientiam per examen, aut confessionem certam, vel suum ieiunium per notitiam certam illius. Ità Thom. Sanchez Villalob. Bonac. Salas, Palaus apud Franc. de Lugo citat Fagund. *præc.* 3. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 18. quos ipse Lugo sequitur.

350 *Consentio.* Consentiens addiderim, si scis, te comedisse sed dubitas, num fuerit post mediam noctem, minime communicare posse; quia possessio stat pro præcepto, tibique incumbit onus probandi ieiunium certum, quod non poteris probare dum est dubium negatiuum.

PROBL. LXXVII.

Dubium quis habet positiuum circa ieiunium: communicare potest, & communicare non potest.

Probabiliter opinans circa ieiunium, communicare non potest, si sit vtraque pars probabilis, quod suppetant probabilia partis vtriusque fundamenta, nimirum diuersæ coniecturæ, vel horologia diuersa, quæ diuersimodè designant mediam noctem. Quia sicut datur Sacramentum certum, & non solùm probabile: sic dispositio certa, & non solùm probabilis prærequiritur: & tanti Sacramenti reuerentia postulat, vt nullus ad illud accedat probabiliter indispositus, quamvis probabiliter dispositus sit. Quare posita speculatiua probabilitate vtriusque partis prævalere debet in praxi tùm possessio, tùm Sacramenti reuerentia. Sic Metol. *tom.* 1. *d.* 3. *cap.* 3. *corol.* 11. *n.* 139. Manuël *in sum. tom.* 1. *c.* 105. *n.* 6. Salas 1. 3. *tr.* 8. *d.* 1. *sect.* 25. *n.* 264. Quorum sententiam Diana *part.* 4. *tract.* 3. *resol.* 19. ait esse probabilem. 351 *Non potest cõmunicare.*

Probabiliter opinans circa ieiunium communicare potest. Quia sufficit assensus probabilis ad reddendam licitam operationem: & quoad obseruationem præceptorum licitè sequimur conscientiam probabilem. Quarè si nullum sit horologium, & aliquis ex indiciis vel mensuris, vel suarum operationum mora probabiliter iudicauerit, se non comedisse, nec bibisse post mediam noctem, quamvis ex aliis indiciis videat, oppositum esse probabile, Eucharistiam suscipere poterit. Vbi autem plura sunt horologia mediocriter composita cum solis cursu, vnumquodque (dum eius error non constet) facit probabilem opinionem circa designationem temporis; non enim habemus signa certiora, quibus probabiliter regulemus. Nec plura horologia tollunt pauciorum probabilitatem; quia possunt pauciora, vel vnicum ex parte regulantis, vel ex aliis circunstantiis plurium auctoritatem æquare. Ità Fagund. *præc.* 3. *l.* 1. *cap.* 10. *n.* 3. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 21. *n.* 7. Ioan. Sanct. *d.* 21. *n.* 7. Trul. *l.* 3. *decal. c.* 2. *dub.* 4. *n.* 8. Thom. Sanch. *l.* 2. *de Matr. d.* 41. *n.* 40. 352 *Communicare potest.*

Hanc teneo sententiam, dummodo circa vnam communionem vnicum horologium sequamur, nec in eodem numero casu opinionem variemus. Moneo, quoties est vnicum horologium (vel iam vnum elegi sequendum) non posse Eucharistiam accipere, si quando cœpit sonare hora duodecima, quæ designat mediam noctem aliquid comedam, aut bibam. Quia cum primus pulsus horæ sonat, iam hora præterita fuit expleta: reliqui verò pulsus adduntur, quoniam hora duodecima nequit vnico pulsu significari, sicut indicatur hora prima. Quare si quis velit die sequenti communicare, ac in ore habeat buccellam, vel aquam dum audit primum horæ pulsum duodecimæ, debet mox ex ore proiicere quidquid habet cibi vel potus: nam si quid deglutiat 353 *Hanc teneo sententiam.*

glutiat, etsi post vltimum pulsum nihil traiiciat, iam ieiunium violauit. Imò quoties ante pulsus maiores horarum sonant quatuor pulsus leuiores ad designandum iam esse finitos quatuor horæ quadrantes: à primo talium pulsum sequens incipit hora: vnde quando sonat hora mediæ noctis si quis deglutiat aliquid post primum pulsum quadrantium, iam ieiunus non erit, quia aliquid post mediam noctem traiicit.

PROBL. LXXVIII.

Pontifex nocte Natalis Domini dispensat, & non dispensat in ieiunio cum Cardinali, celebrante primam Missam post matutinum in sacello Pontificio.

354 Dispensat Pontifex in hoc casu.

Dispensat proculdubio. Quia reuera tota Missa finiri assolet ante mediam noctem, vt Cardinales opportunè die sequenti possint ad tertiam Missam, quam celebrat solemniter Pontifex conuenire. Sic Pasqualig. & Martinon, quos refert & sequitur Franc. de Lugo *de sacram. l. 4. cap. 7. q. 6. n. 61.* Fateor, raro Pontificem dispensare, sed Iulius III. cum Carolo V. dispensauit ob stomachi debilitatem, vt refert Famian. de Estrada *l. 1. de bello Belg.* Et Paulus V. cum quâdam Matronâ Lemouicensi, vt scribit Martinon. *tom. 3. d. 35. n. 64.* Quænam ergo repugnantia subest, vt cum Cardinali illo non dispenset? Imò Pasqualig. asserit, quotannis expediri Breue dispensationis particularis.

355 Non dispensat in casu huiusmodi, sed non opus est, sed sufficit anticipare.

Non dispensat, cum Cardinali illo Pontifex, sed pro illo loco, & pro nocte illa nonnihil sequentis diei anticipari. Quia ieiunium solum esse debet intrà diem illum, quando verò dies incipiat pendet ab hominum placito, quorum varij varium initium assignant: Ecclesia computat à mediâ nocte, & eadem potest aliquando diem ab aliâ horâ iustis de causis computare; quales vtique suppetunt, vt Pontifex per duas horas illius diei pro loco illo initium anticipet. Quod autem de facto dies Natalis anticipetur, patet: Quia si Missa illa dici censeatur intra Vigiliam, non satisfaceret præcepto audiendi Missam in die natalis, qui Missam illam audirent: Quod contra Pontificis mentem esse videtur, qui Missam illam pro festiuitate Natalis facit celebrari. Ita Auersa *de Euchar. q. 8. sect. 8.* Diana *p. 7. tract. 12. resol. 12.* Card. de Lugo *d. 15. n. 56.*

356 Possunt vel anticipare vel non anticipare, & sine vt ieiunus celebret bis in vigilia & bis in die Natalis.

Haud dubito, quin Pontifex possit in hoc casu, vel anticipare diei principium, vel dispensare cum Cardinali illo, siue vt non ieiunus celebret, siue vt ieiunus celebret bis in vigilia & bis in die Natalis iuxta varias sententias, quas breuitati consulens prætermisi. Quæstionem verò de facto valde dubiam inuenio; quia nec Pontifex satis suam exprimit voluntatem, nec omnes forsam Pontifices eandem habuere, nec omnes Cardinales in tali celebratione eandem seruant praxim, aut eandem sequuntur opinionem. Vnde illationes inde deductæ dubiæ prorsus redduntur. Porro quod Pasqualigus de Breui quotannis expediri solito refert, falsum putarim. Nam officiales Curiæ rogari negant Breuis alicuius pro Missâ nocte Natalis expeditionem. Cum autem video Ecclesiasticum institutum inchoandi diem à mediâ nocte, sic esse vbique fixum, & vniuersaliter receptum, vt nunquam, & nusquam immutari, vel dispensari nouerim, cum tamen ieiunium ante communionem sæpè non obliget, & aliquando dispensetur: facilius mihi persuadeo dispensationem, quam talem anticipationem diei asserere.

PROBL. LXXIX.

Ad scandalum vitandum, potest quis & non potest non ieiunus communicare.

Vidimus *sect. 1.* hanc legem, seu regulam denegantem non ieiunis communionem, aliquas exceptiones pati. Quæsierim in primis num ob scandalum vitandum quis possit non ieiunus Eucharistiam recipere? non potest. Quià regulariter scandalum non oboritur ex hoc quod homo ieiunus non sit cum facilis occurrat excusatio: Dum me diluerem aquæ stillam traiecis, stomachi, aut capitis debilitate pressus cibum, aut potum sumpsi. Sic Nauar. *cap. 21. num. 53.* & communiter Doctores huius exceptionis non gerunt mentionem. 357 Non potest.

Ob scandalum vitandum (quod quidem non rarò accidere assolet) & aliter vitari non possit, cessat obligatio præmittendi ante cõmunoinem ieiunium. Quia huic animarum salus, & charitatis obligatio præfertur. Ita Card. de Lugo *d. 15. n. 70.* Suar. *d. 68. sect. 1.* 358 Potest quidem.

Idem assero, quia hæc exceptio vitandi verum scandalum graue actiuum, locum habet in omnibus præceptis, vbi contrarium non est intrinsecè malum. Idem dixerim, si sequatur infamia, ad quam vitandam Sacerdos celebrare, & laïcus communicare posset. Quia communiter leges positiuæ non obligant cum famæ vel honoris discrimine. 359 Idem assero.

PROBL. LXXX.

Ad implendum communionis annuæ præceptum; potest, & non potest non ieiunus communicare.

Vm quis ægritudine premitur debilitatis maximæ, & licèt lecto non addicatur nequit quotidianam omittere, nec differre refectionem sine graui damno. Potest ne hic ieiunio soluto, ad implendum Ecclesiæ præceptum communicare? Potest quidem. Quia hoc in casu communionis præceptum tam otile hominj debet reuerentiæ, & mysterio ieiunij præualere. Sic Tolet. *l. 2. c. 28. n. 3.* 360 Potest quidem.

Minimè potest. Quia Ecclesia suo præcepto non censetur obligare illum, qui non ieiunus nequit Eucharistiam accipere. Ità Præpositi. *3. p. q. 80. art. 8. dub. 2. n. 42.* Diana *p. 4. resol. 104.* 361 Non potest.

Existimo huiusmodi infirmum expectare debere, donec possit ieiunio præmisso communicare. 362 Idem affirmo.

PROBL. LXXXI.

Quis Eucharistiam æger per modum viatici non ieiunus accepit: vult rursum ex deuotione communicare: Certè debet, & non debet ieiunium præmittere.

363 *Minimè potest.* Minimè potest. Quia ideò moribundus potest communicare haud præmisso ieiunio, quod præceptum recipiēdi viaticū prævalet præcepto præmittendi ieiunium communioni, quando non potest vtrumque simul asseruari. Sed quādo semel infirmus in eo periculo mortis viaticum sine ieiunus siue non ieiunus recepit, iam præceptum communionis pro tunc non vrget, cùm iam sit impletum. Ergo nihil excusat à præcepto præmittendi ieiunium communioni, quod omnem planè communionem ex deuotione factam comprehendit. Nec vllus casus excipi per epikeiam potest, nisi sit euidens in illo rationem legis cessare contrariæ: quod in nostro casu non constat. Sic Vasq. *d.* 211. *n.* 46. Ioan. de la Cruz *in direct. part.* 2. *tractat. de Eucharistiâ, quæstion.* 5. *dub.* 4. *conc.* 3.

364 *Potest planè.* Potest planè. Quia ratio talis exceptionis non est sola necessitas adimplendi præceptum diuinum Communionis, sed etiam necessitas morientis, qui tunc oppugnatur vehementius, & eget auxiliis, roborequè tanti Sacramenti, quod potissimum ad conseruandam vsque ad finem gratiam ordinatur. Ità Suar. *d.* 65. *sect.* 5. Henriq. cum multis *l.* 8. *cap.* 4. *num.* 1. Nuñus *q.* 80. *art.* 8. Coninch. *ibi, n.* 53. Reginald. & Sa, quos sequitur Bonac. *d.* 4 *sect.* 6. *pun.* 2. *n.* 23. Diana *p.* 2. *tr.* 14. *resolution.* 75. & 77. & *part.* 5. *tractat.* 3. *resolution.* 37.

365 *Metem sector eandem.* Scio profectò, posse infirmum communicare si ieiunus sit, quoties decuerit. Certum mihi Eucharistiam deferendam ægrotis ieiunis, quoties petierint. Non me fugit, posse infirmum periculo obnoxium toties viaticum non ieiunum accipere, quoties morbus statum mutauerit, ita vt æger, qui fuerat in periculo, conualeat aliquantulum, & inde redeat iteratum periculum; quia tunc sunt quasi diuersi morbi, nouúsque necessitatis articulus. Existimo præterea non solùm posse infirmum, sed teneri accipere viaticum si decem vel octo dies transierint, & periculum sit omninò diuersum: secùs si pauciores dies intercedant. Et quidem si morbus idem & periculum idem duret pluribus diebus, non teneri moribundum, qui semel iam viaticum accepit iterum communicare, suppono. Posse autem communicare non ieiunum, si non ligatus præcepto, velit ex deuotione cum auctoribus secundæ sententiæ probabilius assero. Quod verò tempus intercedere debeat, vt æger possit in eodem statu morbi cum sit, non ieiunus communicare variè ab auctoribus definitur. Alij decem vel octo assignant dies. Alij sex. Tertio quoque die dari posse alij asserunt. Amplector Filliucij, ac Sylvij sententiam septem dierum interstitium requirentium. Nec displicet Laymani assertio, nempe ob iustam causam, nimirum si quis assuetus frequenter communicare, vel celebrare ob deuotionem, difficilè abstineat, concedi posse ei sequente die non ieiuno Eucharistiam, dummodo mortis periculum instare adhuc videatur.

PROBL. LXXXII.

Sacerdos non ieiunus, potest, & non potest ad communicandum moribundum, alioquin sine viatico decessurum, celebrare.

366 *Non potest.* Haud quaquam potest. Quia cum hoc Sacramentum sit summæ dignitatis, eius reuerentia postulat, vt nec moribundo præbeatur, quando conuenienti ritu per Ecclesiam præcepto confici non potest. Et quia Ecclesiæ consuetudo sic hoc præceptum de ieiunio præmittendo communioni, interpretatur, vt soli moribundo liceat non ieiunum communicare: nec est praxi receptum, vt Sacerdos non ieiunus celebret pro exhibendo viatico, sicut nec licet, in hoc casu sine sacris vestibus consecrare. Sic Suar. *d.* 68. *sect.* 5. Vasq. *d.* 211. *n.* 61. Henriq. *l.* 8. *c.* 46. *n.* 1. Martinon. *tom.* 4. *d.* 35. *n.* 64. Bonac. cum aliis *d.* 4. *q.* 6. *punct.* 2. *n.* 24. Card. de Lugo *d.* 15. *n.* 68. & communiter recentiores.

367 *Potest planè.* Potest planè. Quià moriturus diuino præcepto communicare tenetur. Ergo præceptum diuinum debet humano præscribenti ieiunium, præualere. Et quia præcepta positiua præsertim humana non obligant cum notabili proximi detrimento. Et quia iura dispensant in hoc ieiunio, quando non potest infirmus ieiunus communicare, nè sine viatico decedat. Pariter ergo dispensare censetur cum Sacerdote, quando nisi celebret non ieiunus sine viatico æger decederet. Ità Maior *in* 4. *dist.* 9. *q.* 3. *ad* Zambr. *c.* 4. *dub.* 6. *n.* 3. Heredia *de Euch. d.* 2. *punct.* 8. *dub.* 2. *num.* 8. Granad. 3. *p. contr.* 6. *tr.* 10. *d.* 8. *n.* 12. Et Filliuc. *tr.* 4. *n.* 242. Card. de Lugo *d.* 15. *n.* 67. Diana *p.* 8. *tr.* 1. *resol.* 78. illam absolutè, esse probabilem, asseruêre.

368 *Primam sententiam eligo* Ego etiam existimo hanc sententiam satis esse probabilem, & quando moribundus non potest aliud Sacramentum accipere, consulo ejus praxim ob summam morientis necessitatem, qui si sit in peccato, & attritus, alio medio saluari nequit. Absolutè verò primam sententiam probabiliorem reputo, quia est communi praxi recepta: at hac in re plurimum valet consuetudo.

PROBL. LXXXIII.

Quando Sacerdos post consecrationem deficit, debet, & non debet alius ieiunus aut non ieiunus Sacrificium perficere.

369 *Potest quidē sed non debet.* POtest quidem, sed non debet. Quia nec textus in Cap. *Nihil* 7. *q.* 1. nec D. Thomas 3. *p. q.* 83. *art.* 5. *ad* 1. & 2. nec Missale præceptum indicasit: & multi Doctores dicunt posse, sed non addunt debere. Sic Henriq. *l.* 8. *c.* 50. *n.* 3. *lit. O*, quod esse probabile Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 33. *q.* 1. affirmat.

370 *Potest, & debet.* Potest & debet. Quia licèt textus id non præcipiat

præcipiat, certè sacrificij perfectio id exigit, vt innuit D. Thom. dicens. Debet in eo casu Missæ celebritas per alium suppleri. At non adest Sacerdos ieiunus: debet ergo hic sacrificium perficere. Cum enim id ex vna parte liceat, vt ex cõmuni sententia suppono: & ex aliâ parte sacrificij complementum vrgeat: non excusatur Sacerdos ab obligatione perficiendi sacrificium incæptum (nisi forsam obstet grauis aliqua difficultas. Ità Nauar. *c.* 25. *n.* 86. Suar. *d.* 68. *sect.* 6. Vasq. apud Dianam *p.* 2. *tr.* 14. *resol.* 66. Bonac. *d.* 4. *q.* 6. *punct.* 2. *n.* 2. & 19. Coninch. *q.* 80. *art.* 62. & 63. dum aiunt, debere Sacerdotem etiam non ieiunum Sacrificium perficere.

371 *Hanc mãdat præceptũ.* Hanc sententiam probabiliorem puto, quippe maior est obligatio, siue necessitas, complendi Sacrificium quàm seruandi ieiunium ante communionem. Ità iam præscribit Rubrica Missalis *de defectib.* §. 10. *n.* 3. dicens: *In eo casu Missa per alium Sacerdotem expleatur, & in casu necessitatis etiam per non ieiunium.* Igitur si Sacerdos ieiunus adsit, tenetur perficere Sacrificium: si autem non adsit Sacerdos nisi non ieiunus, debet hic Sacrificium perficere.

PROBL. LXXXIV.

Reliquias sacrificij potest, & non potest Sacerdos non ieiunus absumere.

372 *Non potest.* NOn potest. Quia cum in singulis particulis verum ac integrum Sacramentum contineatur, non debent à non ieiuno recipi. Sic D. Antonin. *part.* 3. *tit.* 13. *cap.* 6. §. 9. Rosel. *v. Euchar.* 3. §. 13. Fauet Matiscon. Concil. 2. *cap.* 6. iubens, hasce reliquias dare Laïcis ieiunis.

373 *Potest plenè.* Potest proculdubio. Quia totius hostiæ Calicisque sumptio cum ablutione subsequente censetur vna moralis actio pertinens ad ipsam communionem decenter perficiendam. Vndè iuxta moralem æstimationem, praxim, ac intentionem Ecclesiæ censetur totam communionem ieiunus peragere, qui ieiunus illam inchoauit, & deinceps nihil sumpsit, quod ex Ecclesiæ ritu sumere non deberet. Ità Suar. *d.* 68. *sect.* 6. Vasq. *d.* 211. *n.* 51. Fagund. *præc.* 1. *lib.* 3. *cap.* 18. & *præc.* 3. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 28. Card. de Lugo *d.* 15. *sect.* 4. Coninch. *q.* 80. *n.* 65. Azor. Reginald. & alij, quos sequitur Bonacin. *d.* 4. *q.* 6. *punct.* 2. *num.* 13.

374 *Antiqui sententia.* Cum conuiuium illud non possit conuenienter sine ablutione peragi, nec ablutio moraliter potest non præcedere sumptionem alicuius particulæ, quæ vel remanet in Calice, vel hæret dentibus, vel in Patenâ, aut Corporali post modum apparet: Sacerdos huiusmodi particulas absumens post primam, aut etiam secundam ablutionem, censetur ieiunus sumere secundùm intentionem Ecclesiæ, quæ præcipit, talem sumptionem eo modo fieri, quo fieri moraliter potest. Enim verò reliquiæ consecratæ esse possunt vel etiam in eâ Missâ sacratæ, vel in aliis præcedentibus. Forsam de his loquitur prima sententia; nam ad sumendas particulas in aliis Missis consecratas, requiritur ieiunium, nisi periculum irreuerentiæ immineat, quando reliquiæ decenter non valent asseruari. Tunc certè vel Sacerdos, vel Laïcus non ieiunus potest illas absumere. At quando Sacerdos renouat Eucharistiam asseruari solitam, aut purificat pyxidem, aut quando ministrat Eucharistiam ex præconsecratis: potest reliquias in aliis Missis consecratas cum ablutione sumere, quamvis aliquid ablutionis sumatur ante Sacramentum. Quod si ministrat Sacramentum extra Missam, potest communicanti dare cum absolutione reliquias, vt Missale, ac Rituale præscribunt. De reliquiis demùm consecratis in eâdem Missâ secunda sententia loquitur: & quidem quoties Ecclesia præcribit, aut permittit, aliquid cum Eucharistiâ sumi, vel ante illam: non violatur tali sumptione ieiunium ab Ecclesiâ præscriptum, licèt naturale rigorosum violetur. Vnde probari non debet sententia secunda ex eo quod sufficiat, vt Sacerdos ieiunus illam incipiat actionem, etsi ieiunus non sit ante singulas eius partes. Nam inde sequeretur, posse Sacerdotem post sumptam Hostiam, antequam sumat Sanguinem, aliquid comedere sine ieiunij violatione. Itaque non sufficit per se loquendo, præmitti ieiunium ante talem actionem inchoatam: sed continuari debet singulas illius actionis partes. Ampiector verò hanc sententiam, & eius fundamentũ reputo firmum, quatenus post violatum ieiunium naturale, rigorosum, adhuc censetur Sacerdos ieiunus ad sumendas reliquias eius Missæ, qui nihil prius sumpserit, nisi iuxta præscriptum ritum Ecclesiæ.

PROBL. LXXXV.

Si grandiusculæ sint particulæ absumi possunt, & non possunt post ablutionem.

375 *Non possunt absumi.* ROgas, cuius quantitatis futuræ sint reliquiæ, vt sumi valeant post ablutionem. Certè si grandiusculæ sint, non possunt post ablutionem absumi, sed debent asseruari. Quia si absumantur, secunda videbitur non ieiuno exhiberi communio. Sic Sotus *in* 4. *distinct.* 12. *quæst.* 1. *art.* 8.

376 *Possunt plane.* Non est quantitas aut numerus attendendus sed solum an sint reliquiæ præsentis sacrificij, an præteriti. Quia vel minutissima reliquia totum continet saluatorem. Ita communiter Doctores vti asserit Franc. de Lugo *de Sacram.* l. 4. *c.* 7. *q.* 9. *num.* 96.

377 *Quid sentiam.* Profectò minutæ reliquiæ quamvis sint sacrificij præteriti, vix possunt commodè reseruari, quare sæpius sumi poterunt, vt Coninch. *q.* 80. *n.* 68. docet. Maiores reliquiæ sacrificij præsentis sumi poterunt, etsi consulcius reseruarentur, quando commodè poterunt asseruari, vti Laymanus *lib.* 5. *tractatu* 4. *capite* 6. *numero* 22. annotauit.

PRO

PROBL. LXXXVI.

Hæ reliquiæ sumendæ sunt, & sumendæ necessariò non sunt in continenti.

378 *In continenti absumēdæ, necessariò sunt.*

RVrsùm requisieris, intra quod tempus possint hæ reliquiæ sumi? In continenti sumendæ sunt, nimirum antequam Calix in altari reponatur. Quia si sumptio differatur, ad id conuiuium hæ reliquiæ pertinere non videbuntur. Sic Henriq. cum multis *lib.* 8. *cap.* 50. *numero* 2.

379 *Non sunt in cōtinenti necessariò absumendæ.*

Licèt non sit in continenti possunt absumi Quia quamvis ibi moratus sit Sacerdos dispensando Sacramentum, nondum censetur suum ministerium expleuisse, & adhuc vna moralis actio sacrificandi continuatur. Ita cum aliis Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 45.

380 *Hoc iudico probabilius.*

Secundam sententiam vt probabiliorem amplector. Nam dum Sacerdos ab altari non recedit, actionem illam ad idem sacrificium pertinere non dubito.

PROBL. LXXXVII.

In Sacristiâ dum Sacerdos vestes retinet sacras, potest, & non potest, reliquias cuiusvis magnitudinis inuentas in Calice, vel in Patenâ absumere.

381 *Potest quidē.*

POtest quidem. Quia adhuc talis sumptio pertinet ad perfectam eiusdem sacrificij consummationem, quod nondum est perfectè consummatum ob illas reliquias inaduertenter relictas. Sic Granad. 3. *p. controu.* 6. *tract.* 10. *dist.* 8. *num.* 11. Fabris *in manua. cap.* 11. *num.* 142. Magal. *in promptuar. tom.* 2. *v. Eucharistiam suscipere. num.* 24.

382 *Minimè potest.*

Minimè potest. Quia iam Sacerdos suum ministerium expleuit, & ideò non censetur eadem moraliter actio, sed secunda communio contra præceptum bis eadem die non communicandi. Ità Coninch. *q.* 80. *num.* 64. Cardin. de Lugo *d.* 15. *num.* 82. Villalob. Fagund. Ioan. de la Cruz quos refert, & sequitur Diana *part.* 5. *tractat.* 14. *resolut.* 43. *& part.* 6. *tractat.* 6. *resolut.* 17.

383 *Hoc mihi probabilius.*

Hoc probabilius, sed in praxi difficile, nisi promptus sit alius Sacerdos, qui in eodem Calice celebret, sumátque reliquias in eo, vel in Patenâ, vel in Corporali repertas. Si verò reliquiæ commodè nequeant asseruari (vti sæpè accidet) etiam in sacristiâ, & exutus vestibus sacris, poterit Sacerdos illas absumere ob maiorem irreuerentiam vitandam. Quod si Sacerdos particulas reperiat, quos dubitet esse consecratas, sumere potest illas post communionem, vel etiam post ablutionem: nam eadem actio reputatur. Quod Bonacin. *d.* 4. *quæst.* 6. *punct.* 2. *num.* 16. aduertit.

PROBL. LXXXVIII.

Præfatæ reliquiæ inuentæ post ablutionem in patenâ, Calice, aut Corporali, possunt, & non possunt laicis, qui iam tunc communicarunt, cum ablutione ministrari.

384 *Possunt plāne.*

POssunt quidem. Quia illa sumptio propter paruam moram censetur eadem actio moralis cum sumptione hostiolæ, quam ieiunus accepit. Sic Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 8. Henriq. *lib.* 8. *cap.* 50. *num.* 2. Si laici sint ieiuni. Philibert. Marchin. asserit posse cum ablutione ministrari. *de Sacram. Ordin. tract.* 3. *par.* 3. *cap.* 3. *n.* 16.

385 *Non possunt.*

Minimè possunt. Quia talis sumptio censetur secunda communio, quæ licita non est: Ità Diana cum aliis *p.* 6. *tr.* 6. *resol.* 23.

386 *Vtor distinctione.*

Ego vero cum Coninch *quæst.* 80. *num.* 7. & Filliucio *tract.* 4. *num.* 241. distinguo. Si laici post communionem sumpserint ablutionem, vel fuerint iam communionem ante ablutionem, haud possunt eis reliquiæ exhiberi; quia harum sumptio non pertinet ad ipsorum ministerium, quod in ipsa communione completur, & ideò non possunt rursus communicare. Si tamen simul dentur cum priori formulæ ablutione, censetur vna moralis communio, ideoque licebit. Et Rituale Romanum præscribit, vt post datam Eucharistiam infirmo detur ablutio postquam in aqua illa Sacerdos digitos diluit. Imò assolet simul vas, in quo delatum fuit Sacramentum dilui. Quia nondum censetur communio finita, donec ablutio sumatur, quasi moraliter hæc ad eandem communionis actionem ex Ecclesiæ ritu pertineat.

CAPVT XVI.

Circa Eucharistiæ necessitatem.

PROBL. LXXXIX.

Eucharistia est, & non est medium necessarium ad primam iustificationem.

387 *Nonnulla suppono.*

RECOLO ex *sect.* 1. duplicem distingui necessitatem, alteram præcepti, alteram medij. Necessitas præcepti dicitur, quæ subest, ad vitandum nouum peccatum. Sic omnia, quæ sub graui culpa præcipiuntur, sunt necessaria necessitate præcepti. Necessitas medij, vel remedij, vel salutis, vel finis est, quæ positiuè conducit ad æternam salutem: quia positiuè apponit medium necessarium vltimo fini consequendo: sic contritio, gratia iustificans, & excitans, ac perseuerantia finalis, sunt necessaria necessitate medij; quia positiuè conferunt ad regenerationem spiritualem, & ad æternæ beatitudinis consecutionem. Igitur ad quæstionem.

388 *Est necessarium medij.*

Eucharistia est medium ad primam iustificationem necessarium saltem in voto. Quia per Baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam, & ideò eo ipso quod pueruli sacrâ vndâ alluuntur, per

per Ecclesiam ad Eucharistiam ordinantur: vnde sicut ex Ecclesiæ fide credunt, sic ex Ecclesiæ intentione Eucharistiam desiderant & per consequens accipiunt, rem ipsius. An non Christus Dominus *Ioan.6.* dixit: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Inde colligunt Patres neminem etiam paruulum posse saluari nisi saltem voto fuerit particeps corporis ac sanguinis Christi. Lege August. *epistol.* 106. Cirill. *l.4.in Ioann.cap.*14. Innocent. *epist.*68. Cyprian. *l.3.ad Quirin. cap.*25. Et quia illa verba licèt generalia sint, & intelligenda iuxta communem Patrum interpretationem de communione reali, quæ secundùm fidem est in præcepto: tamen etiam capienda sunt de communione spirituali per fidem & votum Eucharistiæ, sicut August. Cyprian. & Innocent. capiunt. Sic Suar. *distinct.*40. *sect.*2. Bonac. *dist.*4. *quæst.*1. *punct.*3. *num.*2. ex D. Thom. *qu.*79. *art.*1. *ad* 1. profante: *Nec aliquis habet gratiam ante susceptionem huius Sacramenti, vel nisi aliquo voto ipsius vel per se ipsum, sicut adulti: vel voto Ecclesiæ, sicut paruuli.*

389 *Non est necessarium medium.* Eucharistia nec paruulis nec adultis est necessarium medium in re, vel in voto, ad primam iustificationem. Non quidem paruulis, nam in re, nec in voto proprio requiritur ad eorum iustificationem; ergo non est illis necessaria. Prima antecedentis pars definitur in Tridentino *sess.* 21. *cap.* 1. asserenti, paruulos nullatenus obligari ad Sacramentalem Eucharistiæ communionem. Secunda pars ostenditur; nam paruuli omninò sunt voti proprij incapaces, quod est obiecti prægogniti desiderium; cum autem non prægnoscant Eucharistiam, non possunt illam desiderare: haud ergo possunt Eucharistiæ proprium votum habere. Non adultis, quia Eucharistia non est instituta per se ad primam iustificationem, seu remissionem peccati mortalis, vt docent Florent. & Trident. *sess.*13. *cap.*2. & *can.*5. Ergò non potest esse medium ad illam necessarium, Nam esse medium necessarium in Sacramentis: supponit esse medium per se institutum ad talem effectum. Iam probo votum Eucharistiæ implicitum, aut explicitum haud esse medium necessarium ad primam iustificationem. Votum explicitum nemo requirit ad primam adultorum iustificationem, cum sæpè iustificentur per Baptismum, aut contritionem, aut confessionem sine cognitione, aut memoria, Eucharistiæ. Quod autem nec implicitum requiratur ex Trident. & Florent. ostendo tribuentibus remissionem peccatorum, & primam iustificationem Baptismo, & Pœnitentiæ. Sentiunt ergò, nullum aliud Sacramentum in re, vel in voto proprio ad hunc effectum requiri. Ità D. Thom. 3.*p.q.*80.*a.*9. & *q.*73.*a.*3. Henriq. *l.*8.*c.*3.*n.*4. Coninch. *q.*73.*n.*36. Filliuc. *tr.*4.*n.*37. Suar. cum aliis *d.*40. *sect.*1.

390 *Idem arbitror.* Idem arbitror credens, antiquos loqui de voto latè, quod est improprium, & in Baptismo, vel in primâ iustificatione continetur, & à Patribus vocitatur spiritualis manducatio secundum mysticum sensum verborum *Ioan.*6. qui pariter ad infantes extenditur: non tamen conuincit proprium Eucharistiæ votum esse necessarium. Sæpè quoque Patres & Concilia, dum de Eucharistiæ Sacramento agunt; transeunt ad Christum in illo contentum, & è contra. Et quoniam vnio cum Christo simpliciter est ad iustificationem necessaria, dicere assolent, hoc Sacramentum esse necessarium, scilicet ratione rei contentæ, vel effectus ipsius.

PROBL. XC.

Eucharistia est, & non est medium necessarium ad perseuerandum in gratiâ.

NOn est. Quia conseruatio continua gratiæ vsque ad mortem non est saluti finali necessaria; sufficit enim si quis in gratiâ moriatur, quamvis antea sæpè per culpam decidat, & per pœnitentiam assurgat. Deinde talis perseuerantia continua infallibiter ab Eucharistiâ non datur: siquidem multi post communionem citissimè relabuntur. At retinere gratiam per breue tempus potest homo sine speciali auxilio, quare si tunc sit finis vitæ, dabitur perseuerantia finalis quin Eucharistiæ votum in illam influat. Quamvis verò ad retinendam diu gratiam Dei specialia auxilia requirantur, tamen hæc non conferuntur per solum Eucharistiæ votum: sed etiam per alia opera bona, per orationem per aliorum Sacramentorum receptionem, per virtutum exercitamenta. Sic Ledesma, Hosius, Caietanus, Durand. Palud. quos sequitur Suar. *distinct.*40. *sect.*2. Bonauent. Gabr. Alens. quos sequitur Vasquez *d.*169.*c.*3. Valent. Reginald. Angl. quos sequitur Bonac. *d.*4.*q.*1.*punct.*3. Filliuc. *tr.*4.*n.*42. Card. de Lugo *d.*3.*sect.*2. Diana *p.*5.*tr.*13.*resol.*28. 391 *Non est necessarium medium.*

Est medium necessarium ad perseuerandum in gratiâ. Quia illud Sacramentum dicitur necessarium necessitate medij, cuius effectus est simpliciter necessarius ad salutem æternam. Sed effectus Eucharistiæ est simpliciter necessarius ad salutem æternam. Ergò Eucharistia est Sacramentum necessarium necessitate medij. Minorem probo, nam effectus Eucharistiæ est conseruatio gratiæ, vt cum D. Thomâ omnes Theologi fatentur. Sed conseruatio gratiæ non minus est necessaria simpliciter ad salutem, quàm prima iustificatio. Sicut ergo Baptismus, & Pœnitentia censentur simpliciter necessaria, quia causant primam gratiam; sic etiam Eucharistia, quia causat gratiæ conseruationem. Ità Henriq. *l.*8.*c.*3.*n.*2. referens multos *lit. P*, Bellarm. *tom.*3.*lib.*1. *de Euchar. cap.*7. Fagund. *præc.*3.*l.*1. *cap.*3.*n.*4. & 6. Zambr. *c.*3. *dub.*1. citans Catharin. Ganei. & alios. 392 *Est medium necessarium.*

Quamvis prima sententia & valdè probabilis præcipuè propter virorum auctoritatem, secundâ mihi amplius arridet: quia magis cedit Eucharistiæ in honorem. Illam autem sic explico. Donum perseuerantiæ, iuxta saniorem Theologiam includit collectionem auxiliorum ad vincenda tentamina, ac seruanda præcepta, donec bellandi tempus, & labendi periculum mors corporis præcidat. Hæc auxilia si sint efficacia, dant infallibiliter actum finaliter perseuerandi, nec esse possunt infallibilis Sacramenti effectus; sed solius prædestinationis: Quippè non omnes, qui recipiunt Eucharistam etiam 393 *Secundâ eligo sententiâ, & expono mentem.*

in fine vitæ sunt prædestinati. Dico igitur, hæc auxilia sufficientia necessaria prorsus adultis, vt possint conseruare vitam spiritualem esse infallibilem communionis effectum, vel voti communicandi saltem impliciti. Quia Christus, sic instituit Eucharistiæ Sacramentum, conseruationi gratiæ destinatum, vt adultis noluerit sua merita communicare quoad sufficientiam perseuerandi, nisi recipiant Eucharistiam in re, vel in voto saltem implicito: quale censetur esse vel contritio peccatoris; vel voluntas recipiendi Baptismum, aut Pœnitentiam, dum non vrget communionis præceptum, vel non suppetit communicandi facultas. Sentio cum D. Thoma 3. *parte quæst.* 80. *artic.* 11. *ad* 2. *Hoc Sacramentum*, (ait) *dicitur non esse necessitatis, sicut Baptismus, quantum ad pueros, quibus potest esse salus sine hoc Sacramento, non autem sine Sacramento Baptismi. Quantum verò ad adultos vtrumque est necessitatis.*

CAPVT XVII.

Circa præceptum, diuinum Communionis.

PROBL. XCI.

Extat, & non extat præceptum diuinum communicandi.

394 *Non extat ei uinum tale præceptum.*

NOn extat. Quia tale præceptum nec traditione constat, nec sacris in voluminibus habetur. Nam illud Ioann. 6. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, &c.* De manducatione per fidem spirituali fuit dictitatum. Verba verò Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, vel ad solos ministros diriguntur, qui quidem consecrare iubentur, vt alij recipiant, si velint: vel præscribunt solummodò communicandi finem, scilicet intentionem ibi commemorandi Dominicam passionem. Sic D. Thom. *in* 4. *distinct.* 9. *quæst.* 1. *art.* 1. *quæstiuncul.* 1. & *distinct.* 12. *quæst.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 1. Carthusian. *distinct.* 9. *quæst.* 1. Alens. 4. *part. quæst.* 51. *membr.* 4. Bonauent. Gabriel. Ferra. Syluest. quos refert Vasquez *distinct.* 213. *capite* 1.

395 *Extat omnino.*

Extat planè. Quia verba illa Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem, &c.* Patres de Sacramentali manducatione vnanimes capiunt, & saltem necessitatem diuini præcepti sonare contextus ipse, modusque loquendi satis ostendunt. Non enim potest illa conditionalis esse vera, nisi talis manducatio sub diuino præcepto sit necessaria: si quidem aliàs non manducans, posset simpliciter vitam habere. Ità D. Thom. mutato consilio, 3. *p. q.* 80. *art.* 11. Gabriel etiam mutauit, sequuntur Durand. Palud. Rofen. Ledesm. Caietanus, Sotus vterque. Vasquez citat. Suarez *distinctione* 69. *section.* 1. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 3. *n.* 2. cum multis Card. de Lugo *d.* 16. *num.* 2.

Profecto iam secunda hæc sententia ita inualuit, vt Valentia *tom.* 4. *distinct.* 6. *quæst.* 8. *punct.* 4. dixerit: nullum hoc tempore Catholicum docere contrarium. Nullus eorum, (quos legerim dum *cap.* 6. Ioannis commentariis illustraui) qui de cibo Sacramentali capiunt illa verba, hactenus præceptum huius Sacramenti diuinum esse negauit. 396 *Hoc iam certum.*

PROBL. XCII.

Hoc præceptum diuinum communicandi, obligat, & non obligat, non baptizatos, siue fideles sint, vt Catechumeni, siue sint infidelcs.

NOn obligat. Quia sicut Baptismus est omnium ianua Sacramentorum, sic etiam est fundamentum obligationis eadem recipiendi: quare nullus ante Baptismum ad recipiendum aliquod Sacramentum obligatur præter Baptismum ipsum: sicut nec tenetur ad ieiunia, vel obseruationem festorum immediatè quamvis debeat per Baptismum ad Ecclesiam venire, ac eius præceptis subiacere. Sic Sotus *in* 4. *d.* 18. *q.* 1. *a.* 3. Sanch. *l.* 1. *decal. c.* 12. *n.* 15. Pitigia. Nuñ. quos sequitur Bonac. *d.* 4. *q.* 1. *punct.* 2. *n.* 4. 397 *Non obligat.*

Obligat omnino. Quia præcepta diuina generaliter prolata omnes capaces obligant, cum omnes diuinæ potestati subdantur. Sed hoc diuinum præceptum generaliter fuit prolatum ad adultos, & non baptizati capaces sunt illius saltem remotè, siquidem si velint baptizari, possunt illud implere. Ergo obligat etiam illos. Ita Vasquez *d.* 214. *c.* 4. Coninch. *q.* 80. *n.* 93. Suar. *dist.* 69. *sect.* 2. Reginald. *lib.* 29. *num.* 78. Card. de Lugo *distinct.* 6. *num.* 17. qui subinde censent, adultum non baptizatum, baptizari debere, vt communicare possit: alioquin peccare dupliciter, contra præceptum scilicet Baptismi, & contra communionis præceptum. 398 *Obligat plane.*

Censuerim ego, Christum potuisse obligare non baptizatos immediatè ad Eucharistiam recipiendam, cum sit Dominus omnium: & de facto pro mortis articulo cunctos adultos obligasse ad communicandum: ita vt teneantur baptizari tunc temporis eo quoque titulo, videlicet vt sint Eucharistiæ recipiendæ capaces: & in hoc sensu veram esse secundam sententiam. At extra mortis articulum non improbarim sententiam primam, quia vix designari potest tempus determinatum, pro quo tale præceptum obliget immediatè non baptizatos. Quapropter extra talem articulum nunquam determinatè delinquent contra præceptum diuinum communionis. 399 *Auctoris iudicium.*

PROBL. XCIII.

Præceptum diuinum communicandi, obligat, & non obligat sæpius in vita.

PEr accidens obligamur ad communionem, quoties iudicamus illam necessariam esse simpliciter ad resistendum alicui tentationi, vel ad vitandum lethale peccatum: sicut etiam tenemur 400 *Non obligat ad communicandum sæpius in vita.*

tenemur ad alia similia media. Quæstio autem procedit de obligatione per se. Obligat igitur hoc diuinum præceptum non sæpius, sed semel in vitâ. Quia præceptum affirmatiuum per vnum actum sufficienter impletur. Vnde si quis iam semel in vitâ communicauit, non obligatur diuino præcepto in mortis articulo. Sic Palud. Victor. Caiet. apud Suar. *d.* 69. *sect.* 3.

401 Diuinum præceptum obligat ad communicandum non solùm semel, sed sæpius in vitâ. Quia hoc Sacramentum institutum est per modum cibi concurrentis ad spiritualem nutritionem: sed necessitas cibi materialis postulat repetitas commestiones ad reparandum id, quod actione continuati caloris deperditur: Ergo proportionaliter Eucharistiæ necessitas cum sit cibus spiritualis postulat iteratas sumptiones, ad reparandum, id quod continua fomitis impugnatione debilitatur. Ità D. Thomas 3. *parte quæstione* 80. *articulo* 11. Sotus, Henriquez, Coninch. Reginaldus, & alij, quos sequitur Bonacina *distinctione* 4. *quæstione* 7. *puncto* 1. *numero* 8. Franc. de Lugo *de Sacrament. lib.* 4. *cap.* 9. *qu.* 3. *num.* 11.

402 Idem asserens, addo, Christum non determinasse tempus communioni, sed reliquisse determinandum non tam singulorum arbitrio, quàm Ecclesiæ designatione, quæ proinde semper curauit, vt hoc Sacramentum sæpè à fidelibus sumeretur: & demùm præcepit communionem annuam in Paschate, qua quidem extra mortis articulum sufficienter impletur Communionis præceptum, vt faretur Vasquez *distinctione* 214. *capite* 3. Coninch. *quæstione* 80. *numero* 101. Cardin. de Lugo *distinct.* 16. *numero* 28. Posita ergo Ecclesiæ determinatione, iam fideles tenentur non solùm ex Ecclesiastico, sed etiam ex diuino præcepto sæpè communicare, quod licèt eis tempus non determinet, obligat ad talem frequentiam, qualem Ecclesia determinauerit.

PROBL. CXIV.

Qui communicauit in Paschate, tenetur, & non tenetur præcepto diuino in mortis articulo recipere Eucharistiam sub mortali piaculo.

403 QVi communicauit in Paschate, & in articulo mortis non ex contemptu, sed ex negligentiâ communionem omittat, non peccat mortaliter. Quia viaticum non est necessitatis Sacramentum, & Ecclesiæ consuetudo non videtur amplius quàm sub veniali obligare. Sic Victor. *in sum. num.* 86. Chamerota, & Graff. apud Bonac. *dist.* 4. *quæst.* 7. *punct.* 1. *num.* 1. Sa *v. Eucharistia, num.* 1. fante: *Qui in Paschate communicauit, si in articulo mortis non communicet ex negligentiâ quadam, sine contemptu, non peccat mortaliter.* Quod editio correcta non abstulit.

404 Præcepto diuino tenemur communicare in mortis articulo, quamvis communicauerimus in Paschate. Quia id affirmat antiquissimus Ecclesiæ mos Communionem præbendi moribundis, quem in multis Conciliis commendatum, & vsu vetustissimo receptum fuisse Tridentinum *sess.* 13. *c.* 6. testatur, retinendúmque fore decernit. Ità Suar. Vasq. Bonac. Pitigian. Hurtad. Præpos. quos sequitur Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 40. Coninch. *q.* 80. *n.* 95. & *q.* 8. Henriq. *l.* 8. *c.* 4. Reginald. *l.* 29. *n.* 64.

Hoc mihi certum asserenti, prudenter colligi, 405
hanc consuetudinem ab Apostolis deriuatam, ex diuinóque præcepto natam fuisse. Hinc existimo, Doctores primæ sententiæ, si semel admittant vllum præceptum pro mortis articulo, vel saltem consuetudinem Ecclesiæ, quæ præcepti vim habeat, parum consequenter addere, non esse mortale, quando sine contemptu per solam negligentiam talis communio omittitur. Nam cum materia sit grauis, & ad animæ salutem valdè conferens, grauis erit obligatio. Demùm affirmo, sine temeritate negari non posse præceptum communicandi pro mortis articulo. Quia sæpè Concilia præcipiunt, ne morientes sine viatico decedant. *Hoc mihi certum.*

PROBL. XCV.

Qui communicauit paulò ante periculum mortis, tenetur, & non tenetur ad diuinum præceptum implendum, rursus in periculo communicare.

TEnetur omninò. Quia non est impletum 406
diuinum præceptum communionis obligans pro mortis articulo. Nullus enim implet præceptum antequam incipiat eius obligatio: sed obligatio huius diuini præcepti verè non incipit, donec mortis periculum immineat: Ergo non potest ante mortis periculum impleri; sicut in aliis præceptis affirmatiuis obligantibus pro determinato tempore Doctores profitentur. Ex. gr. Qui Missam audit hodie, vel Officium recitat, non implet præceptum audiendi Missam, vel Officium recitandi die crastina. Sic Vasquez *d.* 214. *cap.* 2. Luis. de Torres *summ. part.* 1. *cap.* 58. *dub.* 2. *num.* 3. Hurtad. *de Euchar. disp.* 10. *diffic.* 2. Bresser. *de consci. l.* 3. *c.* 8. *n.* 100. *Tenetur omninò.*

Non tenetur ad diuini præcepti implemonem 407
rursus in mortis periculo communicare, qui paucis retrò diebus ante mortis periculum Eucharistiam accepit. Quia finis huius communionis est, vt homo Sacramento Eucharistiæ tanquam cœlesti Viatico se præparet ad exitum: sed sufficienter censetur se præparasse, qui paucis retro diebus ante mortem Eucharistiam accepit et iam sanus: Ergò sufficienter hoc præceptum (quod censendum est obligare solùm ad accipiendam Eucharistiam paulò ante mortem, ne quis sine hoc Sacramento proximè recepto decedat,) implebit. Ità Henric. Tabie. Graff. quos sequitur Bonac. *dist.* 4. *q.* 7. *punct.* 1. *n.* 2. Martin. *tom.* 4. *d.* 35. *sect.* 6. *n.* 68. Laym. *l.* 5. *tom.* 4. *c.* 5. *n.* 4. Fagund. *præc.* 3. *l.* 1. *c.* 3. Cardin. de Lugo *d.* 16. *n.* 38. Merat. *tom.* 3. *dist.* 35. *sect.* 2. Amic. *tom.* 7. *d.* 27. *sect.* 2. *Non tenetur.*

Cum his opinor, quia si quis benè valens sci- 408
ret ex reuelatione, se breui moriturum, vel occi- *Cum his opinor.*

occidendum esse sine Sacramenta recipiendi opportunitate : teneretur , statim communicare , nè sine viatico obiret : sicut proculdubio tenetur , qui monetur à Iudice de sententiâ mortis intra biduum exequenda. Ergo tale præceptum incipit obligare pro tempore morti proximo tam sanum , quàm infirmum : & per consequens impleri potest toto tempore morti proximo tàm ab ignorante mortem proximam , quàm à cognoscente. Si quidem obligatio præceptorum pro tali , vel tali tempore pendet ab intentione legislatoris sufficienter expressa : non à notitiâ , vel ignorantiâ subditorum , licèt hæc excuset ab executione , quando est inuincibilis. Si autem petas , quot diebus ante mortem debeat præcessisse communio , vt præceptum communicandi censeatur impletum quoad viatici sumptionem ? respondeo rem esse magis arbitrio prudentis , quàm iuris decretis regulandam. Crediderim tamen, sufficere , si quindecim ante diebus quis communicauerit. Lege Suarium , *d.69.*

PROBL. XCVI.

Qui post sumptum viaticum mortaliter deliquit , tenetur , & non tenetur, ad præceptum diuinum implendum, iterum communicare.

409 *Tenetur profectò.* TEnetur profectò. Quia moribundus , qui post receptum Eucharistiæ Sacramentum mortaliter deliquit , tenetur iterum confiteri ; quoniam Sacramentum Pœnitentiæ necessarium est , necessitate medij. Sed pariter Eucharistia est necessaria necessitate medij. Ergo debet post mortale commissum iterum communicare , nè sine viatici necessario iuuamine in agone supremo succumbat , qui post sumptum viaticum mortaliter peccauit. Sic Sotus *in 4. distinct. 12. quæst. 1. art. 11.* Tabie. *v. Communio , numero 16.* Armilla *ibi , numero 11.*

410 *Minimè tenetur.* Minimè tenetur. Quia non est medium necessarium , & præceptum iam impletum fuit. Et quia consuetudo fidelium ostendit, sufficere eunc Pœnitentiæ Sacramentum sine iteratâ communione. Ità Suar. *d.69. sect 3.* Henriq. *l.8. cap.5. num.3.* Coninch. *quæst.80. num.100.* Card. de Lugo *distinct.16. num.46.* Hurtad. Ochagau. & alij , quos sequitur Diana *part. 5. tract. 3. resolution. 43. & parte 3. tractatu 6. resolutione 18.*

411 *Idem asserere.* Idem asserо , & aptius probarim ab inconuenienti ; nam interdum esse necessarium in eâdem die communicare bis , aut sæpius , si post sumptum viaticum eâdem die sæpè delinqueret moribundus mortaliter, & eâdem die decessurus videretur.

PROBL. XCVII.

Si in mortis articulo Laicus deglutire non potest Eucharistiæ particulam, ministranda est ei, & non est ei ministranda Sanguinis species.

MInimè ministranda est. Quia Ecclesiastica lex Laicos prohibens vsu Calicis , videtur inibi præualere , ne detur notabilis irreuerentiæ occasio , si sub prætextu necessitatis sit species Sanguinis ad infirmos referenda. Sic Suar. *d.71. sect.3.* Fagund. *præc.3. l.3. c.4. n.20.* Pitigian. *in 4. dist.8. q.3. art.6.* Mercer. *3. p. q.80. art.12. propos.2.* Sylui. ibi *quæsito 4.* 412 *Non est ministranda.*

Ministranda profectò. Quia præceptum diuinum recipiendi viaticum est præferendum etiam tunc humanæ legi prohibenti Laicos Calicis vsu. Ità Nunus *3. p. q.80. a.12. concl.3.* Ochagau. *tr.2. de Eucharistiæ effectib. q.18. n.9.* 413 *Ministranda profectò.*

Casus quidem erit rarissimus in quo possit huiusmodi moribundo sanguinis species infundi sine vomitionis, aut profusionis periculo. Si tamen vnquam acciderit , vt qui non potest Hostiæ particulam traiicere, valeat sine irreuerentiæ periculo Sanguinis stillam absumere , ei poterit ministrari. Vtramque enim sententiam probabilem arbitror esse cum Diana *part.5. tract.3. resol.34.* Ego verò tali abstinerem ministratione, credens, eum, qui non potest panis speciem recipere, satis à præcepto diuino communionis excusari. 414 *Auctoris placitum.*

PROBL. XCVIII.

Pestis tempore, potest, & non potest Eucharistia moribundo ministrari instrumento aliquo medio , ne Sacerdos manu tangat infirmum, & inficiatur.

POtest profectò. Quia tuendæ vitæ ius eam abstrahit indecentiam. Sic Venerus *in Exam. Episc. l.4. c.46. n.47.* dicens, posse apponi Eucharistiam super cochlear argenteum , & morienti dari. Iacob. Mancin. *de visit. infirm. pract. 8. dub. 18.* dicit, in Diœcesi quadam Eucharistiam à Sacerdote apponi super folium albæ paginæ extensæ super scabellum ad id paratum ; vt linguâ sumat infirmus particulam, & mox Sacerdos accensa candela in summitate virgæ paginam comburit. Quem vsum probabile reputat Marchant. *tr. de Vnctio. lect.3.* addens, & approbat alios modos ministrandi viaticum infectis. 415 *Potest quidè.*

Minimè potest. Quia ritus ab Ecclesiâ præscriptus , & communi more receptus est , vt Sacerdos manu propriâ Eucharistiam ministret , & hoc exigit tanti Sacramenti reuerentia. Ità Bonacin. Chapeauil. Barthol. à Sancto Fausto, quos sequitur Diana *part.4. tract.4. resol.114. & p.5. tr.3. resol.50.* 416 *Non potest.*

Hoc probabilius reputo , dum lego Concilium Mediolanense quindecim Episcoporum *de curâ pestil. capit. 15. numer. 2.* approbatum à Summo Pontifice vsum instrumenti pro huiusmo 417 *Hoc probabilius mihi.*

iusmodi administratione reprobare. Profectò potius est subeundum periculum contagionis, quàm tantùm Sacramentum irreuerenter ministrare.

PROBL. XCIX.

Die Veneris Sancti, licet, & non licet Laicalis Communio.

418 Non licet nisi viaticum sumendum. POtest quis quolibet per annum die Eucharistiam accipere diem Parasceue si demas, in quo nulli Laïco licet communicare nisi graui ægritudine pressus sit viaticum recepturus. Quia cap. *Sabbathi, de consecratione distinct.3.* id vetat Innocentius. Et quia Rubrica Missalis præscribit, vt Sacerdos cenâ quintâ aliquas particulas consecratas asseruet, si opus fuerit pro infirmis die Veneris communicandis. Ergo duntaxat infirmis licet eo die Eucharistiam accipere. Sic Francon. *de Horis Canonic. cap.30. num.12.* Gauant. *in Rubricâ Missal. part.4. tit.9. num.25.* referens rogatam Sacram Rituum Congregationem *die 19. Februar. anno 1622.* respondisse, seruandam esse vniuersalis Ecclesiæ præsentem consuetudinem non ministrandi tali die nisi moribundis Eucharistiam.

419 Licet ex consuetudine. Licet die Veneris Sancti cuilibet fideli Laïcali refici communione. Quia communio huiusmodi *nullibi* prohibetur. Innocentius namque cap. illo *Sabbathi* solùm prohibet celebrationem. Rubrica Missalis communionem infirmis, non autem sanis degat, etsi illos non expresserit; quia communiter eo die à Sacro cibo assolent abstinere. Verùm hæc consuetudo præcepti necessitatem non inducit; quia non est inducta cum obligationis intentione, nec est vniuersaliter recepta. Ità Suar. *d.80. sect.2.* Vasq. Laym. Tanner. quos sequitur Hurtad. *de Missâ d.4. disp.3.* Vega, Filliuc. quos sequitur Diana *p.4. tr.4. resol.237.* Pellizar. *de Regular. tom.2. tr.8. cap.2. n.108.*

420 Secundùm. Cum his opinor, sciens Benedictinos suis in Templis tam Religiosis, quàm sæcularibus Eucharistiam eo die ministrare solitos. Et ex antiquis ritibus Suarius colligit, olim viguisse morem die Sacri Veneris communicandi. Præsentem verò consuetudinem non obligare cum Pellizario, ac Diana iudico. Quoniam sacræ Rituum Congregationis responsiones dantur solùm pro dubiis particularibus interrogantium. Ideò nec publicantur, nec obligare videntur. Quin ipsamet sacra Congregatio per suum decretum edixit, nè suæ responsiones censerentur authenticæ, nisi legitimis subscriptionibus, ac sigillo munitæ proponerentur. Si qua tamen alicubi talis responsio per modum decreti ligantis reperiatur: ibi quidem erit asseruanda non tam vi consuetudinis antiquæ, quàm nouæ constitutionis.

PROBL. C.

Communio quotidiana est, & non est, vniuersaliter omnibus existentibus in gratiæ vtilior: ideóque est, & non est consulenda, seu concedenda.

SCio fidelibus non habentibus peccati lethalis conscientiam licere quotidianam communionem. Scio per se loquendo quotidianum Eucharistiæ vsum perfectiorem esse, quàm rariorem: ac proinde cunctis enitendum esse ad quotidianam Eucharistiæ frequentiam, si possint. Quæstio igitur non procedit de talis frequentiæ perfectione secundùm se; sed respectu talis indiuidui, vel talis generis personarum. Quippe sæpè contingit, aliquid esse secundùm se perfectius, & tamen huic, vel illi vtilius non esse, quamvis alioquin non illicitum. Dubium igitur est: nùm hæc maior perfectio Communionis quotidianæ sit vniuersaliter vtilior omnibus existentibus in gratiâ, & per consequens omnibus consulenda, ac persuadenda? 421 *Nonnulla suppono.*

Magis vtilis est, & ideo consuli, ac persuaderi debet. Quia id suadet vsus nascentis Ecclesiæ, in quâ fideles omnes quotidie Eucharistiam recipiebant ex præcepto tam Apostolorum, quàm Pontificum. Et quia Paulus 1. *Cor.11.* solam puritatem à lethali culpâ requirit, vt fidelis edat, & bibat. Et quia passim Patres quotidianam communionem suadent. Et quia panis Eucharisticus quotidianus vocitatur, eo quod quotidie sit absumendus. Et quia hoc Sacramentum confert iustis ex opere operato gratiam, virtutum robur, medicinam, & antidotum. Et quia Sacerdotes quotidie celebrant, cum tamen ad celebrandum eo maior puritas requiratur, quo maior est celebrantis dignitas Sacerdotis, quàm Laici communicantis. Et quia si hodie communicare non licet, nec post octo dies licebit, quia non erit tunc maior puritas, aut deuotio. Et quia si non communicare quotidie, perfectius esset, quàm quotidie communicare: poterit fieri votum de non communicando quotidie saltem dum non adest dispositio congrua, quamvis adsit necessaria: Vnde qui post emissum tale votum communicaret, mortaliter delinqueret; quod videtur plusquam falsum. Sic Petrus Vincentius de Marcilla *in quodam Memoriali de hac re cum suis additionibus.* Maurus de Valderas *in Theolog. certam.* Ioan. Sanctius *d.22.* citans pro se Modernos aliquos, & inducens alios antiquiores. 422 *Magis vtilis est quotidiana Communio, & omnibus suadenda.*

Non est magis vtilis aliquibus, & ideò non omnibus suadenda. Non est magis vtilis, & ideò consuli omnibus, ac persuaderi non debet. Quia tanti Sacramenti reuerentia postulat in recipiente quotidie non solum munditiem à lethalibus culpis, sed etiam à venialibus frequenter, & deliberatè commissis, quæ planè tollunt cibi cœlestis spiritualem famem, dum terrenis curis & voluptatibus animum dedunt, & panem pinguem habentem omnem dulcedinem, ac saporem reddunt insipidum. Ideò D. Gregor. 1. *Reg.* 1. de culpis etiam venialibus loquitur, dum ait: *Non saturantur nisi famelici, qui à vitiis perfectè ieiunantes diuina Sacramenta percipiunt in plenitudine* 423

ne virtutis; & quia sine peccato electi etiam viri esse non possunt, quid restat, nisi vt à peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, vacuari quotidie conentur; nam qui quotidie non exhaurit, quod delinquit, & si minima sint peccata, quæ congerit, paulatim anima repletur: atque ei meritò auferunt fructum internæ saturitatis. Hac repletione nos euacuare Paulus insinuans, ait: Probet autem se ipsum homo. Vbi sentit, Apostolum de probatione non solùm mortalium, sed de venialium euacuatione fuisse locutum. Requirit præterea tanti Sacramenti reuerentia rectam recipientis intentionem, & actualem feruorem, quæ vix possunt quotidie à quibuslibet adhiberi: nec nisi ab illis, qui purius viuunt, meliúsque sunt ad res diuinas affecti, nec adeò curis, & negotiis sæcularibus implicati, vt nequeant accedere quotidie cum debitâ dispositione: nec tantum temporis huic actioni dare, quàm par esset. Vnde periculum immineat, ne communionis frequentia in meram veniat consuetudinem, ac sensim reuerentiam minuens pariter teporem, neneglgentiam, ingerant, & contemptum. Ergo non omnibus præsertim Laïcis, & coniugatis quotidiana communio est consulenda, imo vix permittenda nisi sic recepturus viuat, vt quotidie mereatur accipere, quod in paucissimis inuenietur. Porrò cum effectus Eucharistiæ proueniat maior, vel minor etiam ex opere operato iuxta maiorem, vel minorem sumentis dispositionem, certè qui communicaret quotidie tepidus, aut parum dispositus, exiguum ex communione fructum perciperet; si tamen interdum abstineat, vt discat reuereri, purgari, feruere, multo percipiet maiorem. Ità D. Thom. 3. *part. quæst.* 80. *art.* 10. Alensis, Albertus, Soto vtérque, Caiet. Ouand. Ledesm. Medina, Tapia, Sylvest. Nuñus, Angel. Tabie. Magister Auila, Suar. Henriq. Valent. Coninch, quos Card. de Lugo *disp.* 17. *sect.* 2. Gerson, Blosi. Rusbochi, Ludouicus Granat. Ludouicus de la Puente, Franciscus Arias, Ildephonsus Rodriguez, & alij, quos sequitur Ferdinandus Quirinus de Salazar *in practica communio, cap.* 13. §. 13. Vasquez Manuël, Durand. Rosel. Vega, Nauar. Chaues, Villalob. Filliuc. Possevin. & alij, quos refert Ioan. Sanctius *citatus n.* 5. Bonac. *d.* 4. *q.* 7. *punct.* 2. *n.* 16. Martinon *tom.* 4. *d.* 35. *sect.* 7. Franc. de Lugo *de Sacram. l.* 4. *c.* 9. *q.* 6. *a n.* 57. & alij quamplurimi, quos breuitatis studiosus omitto.

424 *Quid opinionis huiusce vis asserat, expono eam omnium probans.*

Ego quidem huic communi hæreo labens sententiæ, quam reor ab omnibus fere Patribus, qui de frequentiâ communionis scripsêre, confirmari. Neminem enim legi, qui absolutè fidelibus indifferenter quotidianam suaderet communionem, sed solùm eis, qui sanctitate vitæ præmissâ, digni tam frequenti sacerrimo epulo redderentur. Porrò cum pulchram D. Thom. sententiam recolo, videor omnium Patrum ex ore locutum. Fatur Angelicus Doctor *qu.* 8. *art.* 10. *Circa vsum huius Sacramenti duo possunt considerari, vnum ex parte ipsius Sacramenti, cuius virtus est hominibus salutaris; & ideò vtile est, quotidie sumere ipsum, vt homo quotidie eius fructum percipiat. Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, vt cum magnâ deuotione, ac reuerentia ad hoc Sacramentum accedat. Et ideò si aliquis se quotidie ad hoc paratum inueniat, laudabile est, quod quotidie sumat. Sed quia* (addit) *multoties in pluribus hominum multa impedimenta huius deuotionis occurrunt propter corporis indispositionem, vel animæ, non est vtile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere.* Quid accommodatius quæstioni? Pro maiori autem mentis meæ declaratione existimo varios esse cõmunicandi frequenter terminos, vel rarò fidelibus communes, inter quos possit medium aliquod regulariter conuenienter timoratis, arentibus scilicet vel occasione, vel volũtariâ consuetudine delinquẽdi, vel aliquo peccato permanenti, quod sufficienter non retractauerint. Porrò qui communicant semel in anno, vel etiam ter, aut quater, ad raritatem pertinent: in quibus longa dilatio difficiliorem reddit dispositionem debitam, nè dum congruentem; quia difficilior est post longam moram conscientiæ discussio, minor de peccatis dolor post diuturnam in illis complacentiam, minor rerum diuinarum sensus, quibus tam diù non attenditur. Ideò docet experientia, rarò communicantes in culpas mortales labi frequenter. Qui communicant singulis mensibus etiam pertinent ad raritatem; nam experientiâ teste, licet non tot mortalia committant, non illa prorsus euitant: & ità tepidè, ita ferè difficile disponuntur ac illi, de quibus nuper locuti sumus. Qui communicant decimoquinto die reduci possunt ad frequentiam; quia rarò labuntur grauiter, & minorem habent in discutiendâ conscientiâ difficultatem, quàm rarò Eucharistiam accipientes; Cæterùm amittũt magnum fructum, quem ex maiori frequentiâ perciperent: & non acquirunt illam maiorem dispositionis facilitatem, quam communio simpliciter frequens tribueret. Qui communicant octauo quoque die, vel bis in hebdomade, tenent absolutè frequentiam cum eius fructibus, & sine quotidianæ communionis periculis. Qui communicant quotidie pertinent ad summam frequentiam, quæ tam in viris, quàm in fœminis vitæ communis habet difficultatem continuationis, & temporis periculum. Itaque medium, quod inter extrema nimiæ frequentiæ, vel infrequentiæ nonnunquam vitiosa, vel periculosa temperatrix præscribit omnibus fidelibus vitæ communis etiam perfectis, est hebdomadaria communio. Nam in tali morâ nec nimiâ dilatio reddit difficilem dispositionem, nec nimia familiaritas reuerentiam imminuit, nec nimius vsus fastidium ingenerat, nec consuetudo parit inconsideratationem, vel hypochrisim singularitas, aut inanem gloriam adcisit. Maneat igitur certum, communionem hebdomadariam omnibus fidelibus timoratæ conscientiæ tam perfectis, quàm imperfectis esse consulendam: communionem verò quotidianam vtiliorem esse perfectioribus duntaxat, selectioribus, & puriotibus, qui charitatem augeant, quin minuant reuerentiam. Do Blosij *in Monili c.* 6. clausulam totam meam doctrinam confirmantem, quam asserit Sanctam Gertrudem à Domino didicisse. Quotquot (inquit) viri, vel fœminæ sæculares viuunt in aliquo statu, qui à Deo & Ecclesia non discordet, siuè sint in matrimonio, siue extra matrimonium: siue vendant, siue emant, siue aliâ licitâ ratione victum sibi parent: si bonâ voluntate prædicti ex Dei gratiâ perseuerant in bono, & à grauibus culpis se continent, vitámque suam secundùm Dei præcepta, ac sanctæ Ecclesiæ decreta dirigere volunt: hi omnes de Dei misericordiâ confisi, venerandæ Eucharistiæ Sacramentum in solemnitatibus vel diebus à Patre

tre spirituali ipsorum statutis percipere possunt. Licèt enim rebus externis multipliciter occupati sint, & in leuiores culpas sæpius cadant, pro viribus tamen iusti sunt in omnibus, ob idque Deo placent. Inueniuntur autem nonnunquam inter eos, qui habitum sæcularem gestant, aliqui tam puri, & feruentes, vel sancti, vt quotidie sacram communionem percipere possint. Admonita illud: *vel diebus à patre spirituali ipsorum statutis.* Oportet enim ad rem tanti momenti, fideles Confessarij subiacere iudicio. Vnde Vincentij de Marcilla citati nunquam potui approbare sententiam asserentis non debere fideles quoad communionem quotidianam Confessarij expectare iudicium, nec eius monitis resultantis ac consilio parere: sed obtenta semel mortalium absolutione, inuito etiam ac dissuadente Confessario, posse quotidie communicare non solùm licitè, sed magis perfectè. Quod assertum quam sit absurdum, vel cœci conspicient. Cum doctrina communis sit apud Sanctos, & spirituales viros, in rebus ad spiritualem profectum pertinentibus debere quemlibet Patris spiritualis consiliis & directioni stare, nec proprio iudicio duci. Grauissimum enim est spiritualis vitæ periculum cum sine fræno consilij directionisve quisquam audet procedere.

CAPVT XVIII.

Circa Eucharistiæ Ministrum.

PROBL. CI.

Si Sacerdos Pastor adsit, & iniquè deneget Diacono facultatem ministrandi moribundo Eucharistiam: potest Diaconus, & non potest eam ministrare.

425 Vide sup. num.

VIDIMVS *sect.* 1. dupliciter posse aliquem Eucharistiam dispensare, primò potestatiue, scilicet per potestatem sibi competentem, quomodo Sacerdotes omnes dispensant, nam habent ordinis potestatem, & solùm deest illis iurisdictio, per quam dentur subditi, circa quos talis potestas exerceatur. Secundò autem ministerialiter, nimirum, vt merum instrumentum alterius, quomodo ministrat Eucharistiam Diaconus. Vidimus præterea etiam nunc secundùm præsentem Ecclesiæ statum posse Sacerdotem in casu necessitatis Eucharistiæ dispensationem Diacono committere, nec requiri ad hoc necessitatem extremam, sed moralem, videlicet, quod Sacerdos sit infirmus, vel debilis, vel impeditus, nec adsint alij Sacerdotes, qui ministrare possint & velint. Vidimus demùm posse Diaconum Sacerdote absente deferre viaticum moribundo vel ex præsumptâ voluntate Pastoris, vel ex concessione iuris. At extra mortis articulum rarò suberit necessitas sufficiens, vt Diaconus Eucharistiam ministret sine iussu Pastoris expresso.

His præmissis, ad quæstionis procedo resolutionem. Si Pastor adsit, & iniquè deneget Diacono facultatem in casu necessitatis ministrandi Eucharistiam, non potest illam ministrare. Quia Diaconus discutere non debet, an Sacerdos rectè prohibeat, nec ne: sed obedire. Sic Sylui. *v. Diaconus n.* 4. & alij. 426 *Non potest ministrare.*

Potest Diaconus Eucharistiam hoc in casu ministrare. Quia præsentia Pastoris abutentis suâ potestate censetur nulla proindéque recurrendum est ad præsumptam Superioris voluntatem, nempe vel Episcopi, vel Papæ, vel ad ius commune talem facultatem concedens. Ità Suar. *d.* 72. *sect.* 1. Zambr. *c.* 3. *dub.* 7. *n.* 6. Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 7. *n.* 2. Vasq. *d.* 219. *sect.* 1. *n.* 12. Valent. *tom.* 4. *d.* 6. *q.* 10. *punct.* 1. 427 *Ministrare potest.*

Idem asseruerim. Cauendum tamen est, ne sequatur scandalum, aut rixa: constare quoque debet denegationis iniquitas: nam in dubio parendum esse reor. 428 *Hoc probabilius.*

PROBL. CII.

Necessitate vrgente, potest, & non potest Sacerdos administrationem Eucharistiæ Clericis inferioribus, & etiam Laicis committere.

NOn potest. Quia cap. *Peruenit de consecrat. dist.* 2. carpuntur acriter Presbyteri, qui per Laïcos ad infirmos Eucharistiam immittebant. Et quia non est tanta Eucharistiæ necessitas, vt qui non est Sacerdos, vel Diaconus, valeat ob indigentiam moribundi contra communem Ecclesiæ ritum viaticum ministrare. Habenda siquidem maior ratio reuerentiæ Sacramento debitæ, quàm fructus infirmorum, quibus sic impeditis spiritualis communio sufficiet. An non minus est, sine planetâ celebrare? Ita plane, nec tamen id Ecclesia permittit ad dandum moribundo viaticum. Igitur à fortiori non permitteret, quod Laïcus vel Clericus inferior Diacono deferat. Sic D. Thom. Palud. Sylui. Henriq. Sa, Victor. Posseuin. Viuald. quos sequitur Bonac. *d.* 4. *q.* 5. *punct.* 1. *n.* 6. Fagund. *prac.* 3. *l.* 3. *c.* 1. & 3. Præposit. Hurtad. Faust. Ochagau. Tanner. apud Dianam *p.* 5. *tr.* 3. *resol.* 47. 429 *Non potest.*

Potest quidem. Quia si cui moribundo iudicaretur hic & nunc valdè necessaria communio, præsertim dum aliud Sacramentum non potest recipere, nec adest Sacerdos, vel Diaconus, qui possit Eucharistiam deferre: non est ex naturâ rei malum, nec contra Sacramenti reuerentiam, vt Diacono inferior Clericus, vel Laïcus ministret ei viaticum, à quo forsan morientis salus pendet æterna. Ità Suar. *d.* 72. *sect.* 1. Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 7. Reginald. *l.* 29. *n.* 93. Quintanad. *tom.* 1. *tract.* 4. *singul.* 8. Granad. 3. *p. controu.* 6. *tr.* 12. *d.* 1. *n.* 4. & merelato *in Theol. Moral. tract.* 7. *exam.* 6. *c.* 5. *n.* 62. meus sapientissimus Magister Franc. de Lugo *de Sacrament. lib.* 4. *capit.* 11. *numero* 11. 430 *Potest quidem.*

In sententiâ, quam inibi tradidi, persisto. Vel enim illud esset malum propter contactum, & hoc non; nam olim Sacerdos dabat Eucharistiam in manus fidelium, qui domum etiam illam portabant mane sumendam, vt refert Baronius 431 *Hoc teneo, & expono.*

tom.1.pag.472. Et quamvis nunc sit prohibitum, Eucharistiam à Laïcis attingi: tamen hæc prohibitio ad casum necessitatis non extenditur; aliàs non liceret Laico, lapsam Eucharistiam à terrâ leuare, vel etiam absumere, ne tractetur indignè quod vt vidimus alibi, D. Thomas, & omnes cum illo fatentur. Vel esset malum propter vsum Sacramenti, & hoc non: quia supponitur ex parte recipientis dispositio sufficiens, & ex parte dantis debita reuerentia, subéstque necessitas: quia nullus adest alius, qui ministret. Vel esset malum, quia prohibitum, & hoc non, quia nec apparet ius diuinũ talem prohibens dispensationem; nec iura Canonica quæ generaliter prohibent Eucharistiæ ministrationem per Laicos, hunc casum necessitatis vel extremæ, vel admodum grauis censentur comprehendere. Ergo talis dispensatio nullo ex capite vitiatur, dummodo caueatur pusillorum scandalum, si quando suberit.

PROBL. CIII.

Omnes Sacerdotes possunt, & non omnes Sacerdotes possunt Eucharistiam ministrare.

431 *Possunt omnes.* POssunt omnes. Quia canit Ecclesia, *Cuius Officium committi voluit solis Presbyteris, quibus sic congruit, vt sumant, & dent cæteris.* Ergo omnes sicut habent ius sumendi, dum celebrant, habent etiam ius distribuendi cæteris Eucharistiam. Et quia Tridentinum optat, vt omnes fideles in omnibus priuatis Missis communicent. Igitur supponit, omnes Sacerdotes posse communionem ministrare: alioquin optaret Concilium, vt fideles ab eo qui dare non potest Eucharistiam acciperent. Sic Vincent. Marcilla *in memoriâ, pro frequenti comm.*

433 *Non omnes possunt.* Non possunt omnes. Quia omnis Sacramentorum administratio iurisdictionem requirit, vt licitè fiat. Ergo quamvis omnes Sacerdotes habeant ordinis potestatem sicut ad conficiendam, sic ad dispensandam Eucharistiam: vlterius requiritur iurisdictionis potestas, vt licitè illam ministrent; quapropter vel esse debent ordinarij Pastores, vel ab ordinario commissionem habere vel expressam, vel saltem præsumptam. Et quia in particulari de Eucharistiâ sic decernunt Concilium Carthagin. 1. *cap.7.* & Mileuit. *c.8.* quod Ecclesiæ praxis confirmat innixa iuri naturali dictante, nè quis ius alienum vsurpet. Ità Henriq. cum multis *lib.8. c.55. n.1.* Suar. *d.72. sect.2.* Vasq. *d.219. c.2.* Laym. *l.3. tr.4. n.259.* Bonac. cum aliis *d.4. q.5. punct.1. n.6.* Coninch. *q.82. n.28.* Filliuc. *tr.4. n.259.*

434 *Vera hæc sententia.* Cum his primam sententiam omninò falsam esse crediderim. Quia ius est proprium Pastorum Ecclesiæ suas oues Sacramentis pascere, & hoc præcipuè, quod est spirituale animarum alimentum. Sufficere autem præsumptam, vel interpretatiuam Pastoris voluntatem, vel spem probabilem consensus ab ipso præstandi, quæ prudenter habetur iuxta præsentem praxim, dum non constat contraria voluntas eiusdem, non dubito.

PROBL. CIV.

Deficiente Parocho, vel iniquè viaticum indigenti denegante, quinis Sacerdos potest, & non potest illud ministrare.

435 *Non potest quinis Sacerdos.* NOn potest Sacerdos quilibet. Quia cum Eucharistia non sit Sacramentum simpliciter necessarium, non præsumitur Parochi voluntas circa eiusmodi commissionem. Sic Nauar. *c.21. n.52. & c.27. n.102.* Sylvest. *v. Excommunicatio 7.* S. Antonin. *p.3. tit.24. cap.54.* Tolet. *l.1. c.36. n.2.*

436 *Quinis Sacerdos potest.* Quilibet potest Sacerdos. Quia præsumitur rationabiliter consensus Pastoris saltem mediati. Assolent etiam Pontifices maioris claritatis gratia, quoties in priuilegiis excipiunt viaticum, declarare, huiusmodi exceptionem non intelligi, quando propter absentiam Parochi, vel ob similem causam, necessitas vrgeret. Ità Suar. *d.72. sect.2.* Henriq. *l.8. c.55. n.2.* Coninch. *d.82. n.32.* Filliuc. *tr.4. n.266.* Bonac. *d.4. q.5. punct.1. n.10.* Diana *p.5. tr.3. resol.47. & 51.*

437 *Eiusdem sum mentis.* Eiusdem mentis sum, quia iure naturali præscribente, tenemur fidelibus subuenire præsertim quando vrget necessitas in spiritualibus: necessitas autem huius Sacramenti licèt non sit extrema, tamen est valdè grauis, & interdum pendet ab illo salus morientis æterna. Imò asseuerim, non solùm posse, sed & teneri quemlibet Sacerdotem, vel sæcularem, vel Regularem in eo casu viaticum morienti ministrare, qui non possit, aliud Sacramentum recipere, nè eum damnationis periculo exponat. Addiderim, in tali casu si non adsit alius Sacerdos, posse viaticum recipi à Sacerdote excommunicato vitando, vel hæretico, si excludatur scandalum, & Religionis iniuria, vt benè Laym. *lib.5. tract.4. cap.7.* annotauit.

PROBL. CV.

Possunt, & non possunt Regulares ministrare Eucharistiam in die Paschatis materialiter sumpto, & non sumpto materialiter.

438 *Intelligitur dies Paschæ materialiter non formaliter.* VIdimus *sect.1.* post Clement. *Religiosi de priuil.* habere Religiosos plurima priuilegia Pontificum, vt Eucharistiam omnibus fidelibus in suis Ecclesiis, excepto die Paschatis, & articulo mortis, licentia Pastorum minimè requisita ministrent. Quæsieris, quid per Paschæ, seu diè Paschatis intelligatur in præfatis priuilegiis. Intelligitur dies Paschatis materialiter sumptæ. In illo non possunt Regulares Eucharistiã ministrare sæcularibus, siue communicent ad præceptum implendum, siue solùm ex deuotione. Quia licèt Nicolaus V. excepérit festum Resurrectionis, vbi totum tempus Paschale videtur includi: tamen Sixtus IV. & Leo X. diem Resurrectionis duntaxat excipiunt, & generaliter loquuntur de huiusce diei communione. Sic Nauar. *cap.21. n.52.* Henriq. *lib.8. c.55. n.1.* Azor. *tom.1. lib.7. c.41. q.7.*

Fauent.

Fauent declarationes super Tridentino *sess.* 13. *can.* 9.

439 Intelligitur de Paschâ formaliter, non materialiter. Intelligitur ita vt mens Pontificum fuerit communionem Paschalem excipere illam, qua præcepto satisfiat, quandocúmque geratur. Quia cum hæc exceptio facta fuerit in fauorem Parochorum, sine dubio respexit præceptum annuæ Communionis, cui volunt Pontifices, in Parochiâ, non alibi fieri satis. Ità Suar. *d.* 72. *sect.* 2. *& tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 3. Coninch. *quæst.* 82. *n.* 31. Vasq. *d.* 219. *cap.* 4. Manuël *tom.* 1. *Regul. qq. q.* 56. *art.* 3. Laym. *d.* 5. *tr.* 4. *c.* 7. *n.* 4. Bonac. *d.* 4. *q.* 5. *punct.* 1. *num.* 12.

440 Hoc firmiter defendo, quia alias sequeretur, eum, qui Dominica Palmarum in Ecclesiis Regularium communicauit, impleuisse præceptum, nec teneri die Paschatis in Parochiâ communicare, si nolit eo die communionem accipere, quod aduersarij non admittent. Sequeretur etiam, eum, qui die Iouis in Parochiâ communicauit, si vellet in Paschâ rursum communicare, debere Parochiam adire, vel omittere communionem, quod est durum, & contra praxim. Ergo attendendus non est materialis verborum sonus, sed intentio Pontificum. Hanc sententiam sequuntur nostræ Societatis constitutiones *p.* 7. *cap.* 4. *lit. D*, ex illâque colligunt, posse die Paschatis in Templis nostris communicare illos, qui iam antea suis Parochiis satisfecerint, vel intenderint postea ante Dominicam in Albis satisfacere.

Hic defende.

PROBL. CVI.

Etiam in Paschate possunt, & non possunt Regulares, ministrare fidelibus Eucharistiam, ad præceptum annuæ confessionis implendum.

441 Possunt plane. POssunt planè. Quia vt habetur *in compend. priuileg. S. Hieronym.* §. 2. *&* 6. Nicolaus V. anno 1458. concessit, quod deputati, vel pro tempore deputandi Confessores in Monasterio B. Mariæ de Guadalupe Sacramentum Eucharistiæ quibuscúmque personis ad prædictum Monasterium confluentibus, etiam in die Paschatis ministrare liberè, & licitè possint Diœcesanorum, aut cuiuslibet alterius licentia minimè requisita. Quod confirmauit Paulus III. & vt testatur Antonius Cardini vitæ vocis oraculo declarauit, quod *sic præcepto Ecclesiæ satisfaciant, non obstantibus contrariis quibuscúmque.* Hanc autem concessionem vni Monasterio D. Hieronymi factâ Pius IV. per Bullam, quam expediuit Pius V. fecit communem omnibus eiusdem Ordinis Monasteriis, vt asserit Manuël citandus. Quapropter aliis etiam Ordinibus communicari censentur. Sic Beia *in respons. p.* 4. *casu* 4. Ioan. de la Cruz *l.* 2. *c.* 5. *dub.* 4. Hier. Rodrig. *in compend. resol.* 127. *n.* 3. Sorbus *in compend. priuileg. v. communicare.* Diana *p.* 2. *tr.* 14. *resol.* 73. Probabilem reputat Fagund. *prec.* 3. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 16. addens, ita fuisse iudicatum in Lusitania contra Parochum de hac re cum Minoribus expostulantem.

442 Non possunt. Minimè possunt. Quia declaratio Cardinalium *p.* 4. *fol.* 151. censet, sæculares etiam in Regularium Monasteriis seruientes non satisfacere huic præcepto, nisi in suâ Parochiâ communicent. Farinac. *super Trid. sess.* 13. *can.* 9. refert, Cardinales declarasse anno 1586. communicantes de manu Regularium Paschali tempore non satisfacere præcepto, quod equidem obligat, vt omnis fidelis à proprio Parocho annuam communionem accipiat. Et quia Pontifices mentem esse suam, vt ius Parochorum quoad communionem obligatoriam seruetur illæsum, sæpè declararunt. Vnde prudenter ortum vt aliæ Religiones ausæ non fuerint tali vti priuilegio: nec constat, reliqua D. Hieronymi Monasteria eodem vti nisi pro suis familiaribus, aut aliis ita sibi coniunctis, vt difficilè possint in Parochiâ forsam distante communicare. Ità Suar. *de Relig. tom.* 4. *tract.* 10. *l.* 9. *c.* 3. *n.* 6. *&* 8. Portel. *in dubiis Regul. v. Sacramenter. administr. n.* 5. Bonac. *d.* 4. *q.* 5. *punct.* 1. *n.* 12. Nunus 3. *part. q.* 83. *a.* 4. *concl.* 5. Villalob. *tom.* 1. *tr.* 7. *diffic.* 47. *n.* 4. Fagund. citatus.

Censeo, primam sententiam, etsi forsan probabilis sit speculatiuè, non posse prudenter ad praxim deduci propter maximam Pastorum Ecclesiæ offensionem, quæ communiter inde sequeretur. Ità ipsiusmet Auctores profitentur. Ideò secundam sententiam præferò, & in praxi prorsus amplectendam affirmo. Ideò nostrum Compendium nullam illius priuilegij gerit mentionem: imò *Regula* 27. *Sacerdotum*. iubentur Societatis Confessarij vt moneant pœnitentes suos, tempore Paschali debere, semel suâ in Parochiâ communicare.

443 Secundâ sententiâ in praxi sequendam affirmo.

PROBL. CVII.

Qui Bullam habet Cruciatæ, potest, & non potest, Eucharistiam à quolibet Sacerdote accipere.

444 Potest quidè. POteſt profectò. Quia Bulla concedit, *vt possit* quisquam *Eucharistiam & alia Sacramenta, præterquam in die Paschatis, recipere.* Quæ verba non restringunt concessionem ad tempus interdicti, sed potius ampliant, vt quouis tempore possit eligi minister, à quo sine consensu Parochi Eucharistia recipiatur, quamvis sit tempus Interdicti, præterquam in die Paschatis. Et quia si concessio non esset eligendi ministrum frustra fieret exceptio dici Paschatis, si quidem tempore interdicti, si quis etiam in oratorio priuato Eucharistiam recipiat à Parocho vel cum eius licentiâ die Paschatis, proculdubio præcepto communionis annuæ satisfacit. Igitur hæc concessio præscindit à licentiâ Parochi, & ideò communionem Paschalem excipit, sicut etiam in priuilegiis Regularium excipitur. Sic Vasq. *d.* 219. *cap.* 5. *num.* 47. Diana *part.* 1. *tract.* 11. *resolut.* 20.

445 Non potest. Virtute Bullæ non potest recipi communio à quolibet Sacerdote sine consensu Parochi saltem præsumpto. Quia ipsa Bulla præscribit facultatem, *tempore Interdicti celebrandi, vel audiendi sacrum simul cum suis familiaribus in Ecclesiis, Monasteriis, vel Oratoriis priuatis ab Ordinario designatis, & visitatis: & accipiendi Eucharistiam, & alia Sacramenta, dum tamen ipsi Interdicto causam non dederint.* Vbi apparet, solùm dari priuilegium quoad circunstantiam Interdicti, non

non quoad ministri circunstantiam. Ità Suar. *d.* 72.*sect.*2. Quintanad.*tom.*1.*tract.*5.*singul.*3. *n.*2. Card.de Lugo *d.*18.*n.*45. Nuñus 3.*p.q.*82.*art.*3. qui contrariam sententiam improbabilem vocitat. Manuël *in Bul. part.*1.*addit ad* §.5. *numero* 31.

446 *Hoc teneo, & expono.*

Hoc teneo, & expono. In primis ibi non conceditur simpliciter celebrandi facultas, vel faciendi celebrare in Oratorio priuato: sed solùm id faciendi tempore Interdicti, suppositâ videlicet aliundè facultate legitima talis Oratorij. Quod constat ex praxi; nam postquam Paulus V. prohibuit, ne concederent Ordinarij facultatem celebrandi Missam in Oratoriis domesticis: adhuc in Bullâ ponuntur prædicta verba, nec tamen vllus, etsi Bullam habeat, vtitur Oratorio priuato sine Pontificis facultate. Deinde quoad cætera Sacramenta quæ concedit ibi, scilicet pœnitentiam, & extremam vnctionem, certum videtur, non dari facultatem eligendi ministrum, à quo Sacramentaliter absoluatur, cum non requirat Ordinarij approbationem, quam expresse requirit infrà, dum talem electionem concedit. Similiter praxis ostendit, quamvis quis habeat Bullam, non posse citra necessitatem recipere Sacramentum Vnctionis nisi à suo Parocho, vel de ipsius expresso consensu. Constat igitur, facultatem ibi non concedi circa ministrum, sed circa tempus interdicti; nimirum vt concedatur ibi solùm facultas recipiendi Sacramentum Eucharistiæ, Pœnitentiæ, vel Extremæ-Vnctionis (scilicet à legitimo ministro) nonobstante Interdicto locali.

PROBL. CVIII.

Extrà casum necessitatis potest Sacerdos, vel Diaconus aliquando, & non potest propria manu Eucharistiam accipere.

447 *Nonulla suppono.*

LOquor de communione Laïca, quæ sit extra Missam. Constat ex *sect.*1. extra casum necessitatis regulariter non licere, quoniam Ecclesiæ consuetudo præscribit, vt qui non celebrans communicat, de alterius Sacerdotis manu Eucharistiam accipiat. Constat, non extare ius vllum, quod necessariò requirat distinctionem inter ministrantem & recipientem hoc Sacramentum. Constat, posse Sacerdotem in necessitate communicare seipsum, vt si iaceret moribundus, & posset ex sacrario consecratam hostiam sibi sumere, nec adesset alius, qui posset illam ministrare. Quæstio igitur est, nùm hæc facultas extra casum necessitatis extendatur.

448 *Non potest seipsum communicare.*

Non extenditur. Quia non præsumitur concessa, nisi pro mortis articulo, ne Sacerdos, vel Diaconus sine viatico decedat, quando non potest illud ab alio recipere. Sic Caiet. *in summ. v. communionis minister.* Villalob.*tom.*1.*tract.*7.*difficult.*48. Filliuc.*tract.*4.*n.*285.

449 *Potest seipsum communicare.*

Extenditur plane. Quia Concil. Nicæn. 1.*can.* 14. iubentur Diaconi *accipere secundum ordinem post Presbyteros ab Episcopo, vel à Presbytero sacram Communionem. Quod si non fuerit in præsenti Episcopus, vel Presbyter, tunc ipsi proferant, & edant.* Cum autem omnes Sacerdotes sint Diaconi, iam hinc facultatem habent, vt in Sacerdotis absentiâ, qui ministrare possit, & velit, valeant seipsos communicare. At Canon Concilij minimè reuocatus absolutè concedit facultatem huiusmodi sine restrictione ad mortis articulum, vel ad similem necessitatem. Ita Laym. *l.*5.*tr.*4.*c.*7.*n.*4. Manuël, Viuald. Posseuin. & alij, quos sequitur Bonac. *d.*4.*q.*5.*punct.*1.*n.*13. Sylui. & Homobon. quos sequitur Diana *part.* 2. *tr.*14.*resol.*53. & *p.*3.*tr.*4.*resol.*47.

Sacerdos quidem, & Diaconus in absentiâ Sacerdotis poterunt communionem propriâ manu recipere non solùm in mortis articulo, ne sine viatico decedant: sed etiam extra talem articulum. Nam ille Canon Diaconis concedit facultatem communicandi seipsos, nec illam ad mortis limitat articulum: secluso tamen scandalo iuxtà præscriptum iuris naturalis: & suppositâ necessitate, quæ sufficiat, vt Diaconus in absentiâ Parochi possit Eucharistiam ministrare: raróque continget. 450 *Hæc assero, & explico.*

PROBL. CIX.

Diacono præsente, potest, & non potest Sacerdos, seipsum communicare.

NOn quidem potest. Quia in eo casu Diaconus est minister legitimus, & Sacerdos communicat vt Laïcus: & ideò debet Eucharistiam de manu Diaconi recipere. Sic Vasquez *distinct.*219.*num.*17. Fagund.*prec.* 3. *lib.*3. *c.*3. *num.*7. 451 *Non potest.*

Potest profectò. Quia in præsentiâ Sacerdotis non potest Diaconus ministrare. Ergo si Sacerdos ægrotet, & non adsit nisi Diaconus, qui Sacramentum deferat, debet Sacerdos propriis manibus Eucharistiam accipere. Ita Durand. *in* 4.*dist.*13.*q.*4.*n.*7. Suar. *d.*72.*sect.*3. Filliuc.*tr.*4. *num.*285. 452 *Potest.*

Ego censeo, posse Diaconum Sacerdoti moribundo propriis manibus Eucharistiam ministrare. Quia in eo casu verè minister est sufficiens, & præsentia Sacerdotis volentis Eucharistiam ministrare impedit Diaconum respectu aliorum non respectu ipsiusmet Sacerdotis communicaturi. Congruum sanè est, vt Sacerdos moribundus, dum communicat more Laïcorum, de manu Diaconi Eucharistiam accipiat, ne propriis manibus, quæ assolent ex morbo debiles esse, & immundæ sacram hostiam contrectet. Quando verò Sacerdos sanus communicare vult ex deuotione, nec adest alius Sacerdos, sed Diaconus: aptius aget, si de manu Diaconi communionem accipiat; nam hoc est magis praxi communi conforme. Verùm non videò, cur ad id sit obligandus, cùm Canon Concilij Nicæni solam absentiam Presbyteri requirat, similiter Diaconus, de quo Canon ille (Problemate 109. expressus) loquitur, dum adest alius Diaconus, melius ager, si recipiat ab illo communionem: quamvis possit seipsum ipse communicare. 453 *Prima sententia hæc.*

PRO

PROBL. CX.

Clerici Diacono inferiores, & Laici possunt aliquando, & non possunt communicare se ipsos.

454 Minimè possunt. Quia cum in cap. *Præsenti. dist. 93.* in casu necessitatis soli Diacono concedatur facultas Eucharistiam ministrare, videtur in eo etiam casu cæteris denegari. Et quia necessitas Eucharistiæ non est tanta, vt Clericus Diacono inferior, aut Laicus possit in articulo mortis Eucharistiam sibi sumere, haud communi Ecclesiæ ritu asseruato. Et quia nemo potest Eucharistiam sibi sumere nisi de voluntate saltem præsumpta Pastoris, vel Ecclesiæ. Sed hæc facultas nec habetur expressè nec potest prudenter præsumi. Ergo nec Clericus Diacono inferior, nec Laïcus potest sibi Viaticum sumere. Sic Præposit. *3.p.q.82.art.3. dub.1.n.11.* Vasq. *d.219.n.18.* Hurtad. *de Euch. disp.11.diffic.3.* Tanner. *tom.4. d.5. qu.8.dub.8. n.182.* Sylvest. Armil. Tabie. Ledesm. Sotus, Cathet. quos sequitur Fagund. *præc.3.l.3.c.3.n.8.*

455 Possunt proculdubio. Quia nullo iure diuino prohibetur: Canonicum autem in Cap. *Peruenit, de consecr. d.2.* Non solùm necessitatem graue, sed quamlibet moralem sufficere decernit, vt Diaconus à Pastore iussus Eucharistiam ministret. Ergò non est, cur Clericus Diacono inferior, aut Laïcus nequeat seipsum communicare, quoties in articulo mortis vrget præceptum diuinum Communionis: & Salus eius æterna forsam à Communione pendet, si sit solùm attritus, & nequeat aliud accipere Sacramentum. Fauet Reginæ Scotiæ exemplum, quæ Martyrium subitura prius Eucharistiam, quam apud se habebat, propriis manibus sumpsit cum omnium laude. Ità Cajet. *Mat.26.* Suar. *dist.72.sect.3.* Valent. *to.4.disp.6.q.10.punct.1.* Fill. *tr.4.n.285.* Granad. *3.p.contr.6.tr.12.disp.1.n.4.* Laym. *l.3.tr.4. c.7.n.4.* Diana *3.p.tr.4. resol.47. & p.5.tr.3. resol. 47.* Probabilem dicunt esse Coninch. *quæst.82. n.27.* & Card. de Lugo *d.18.n.23.*

456 Primam sententiam communiorem esse non abnego: sed secundam sufficienti hærentem probabilitati, & quæ tuto possit in praxim reduci, mihi eligo. Reor enim, prudenter præsumi hoc in casu Pastoris voluntatem vel immediati, vel saltem mediati. Cum autem id rarissimè contingat, non mirum, si nec Ecclesia, nec Pastores factum approbent, vel improbent. Et quidem legi apud Auctores factum Reginæ Scotæ satis approbari, & commendari, & quodlibet simile pariter laudibus efferrem.

CAPVT XIX.

Circa Communionis Ritum.

PROBL. CXI.

Præceptum diuinum aliquãdo fuit, & præceptum diuinum nunquam fuit inductum Laïcis, sub vtraque specie cõmunicandi.

457 Initio latum fuit à Christo Domino præceptum communicandi sub vtraque specie, duraruitque per aliquod tempus: sed iam Ecclesia vel declarauit cessauisse præceptum eiusmodi, vel in illo iustis de causis dispensauit. Probatur. Quia scripturæ verba, quibus ostenditur Eucharistiæ necessitas, pariter probare videntur, sumendi vtramque speciem, necessitatem. Siquidem de vtrâque dixit Dominus Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergò vel concedendum est præceptum vtriúsque speciei, vel negandum præceptum communicandi. Sic quidam Catholici, quos suppresso nomine memorat Franc. de Lugo *de Sacram. l.4.c.12.n.2.* Claud. de Saindes *repetit.10.c.4.*

458 Nullum fuit vnquam præceptum diuinum obligans Laïcos ad communicandum sub vtrâque specie. Quia id definitur in Concilio Constantiensi *sess.13.* & potissimum in Tridentino *sessione 21. capite 1.* vbi probat hanc conclusionem ex scriptura, & Ecclesiæ ex sensu, ac praxi. Docent D. Thomas *part. 3. quæstione 80. art.12.* Vasq. *dist.216.c.* . & 3. Valent. *to.4. dist.6.q.6.pun.5* Bellar. apud Lugo citat. *n.5.* *Nunquã præceptum diuinum fuit.*

459 Profectò quamvis Christus in vltimâ Cœnâ Sacramentum hoc instituit, & Apostolis tradidit sub duplici specie, non ideo fideles omnes ad vtramque recipiendam adstrinxit. Vndè illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, ad omnes fideles dirigi fateor, non tamen eodem modo, sed iuxtà munus singulorum, videlicet, vt illam actionem provt ad singulos spectat, singuli præstent: Sacerdotes offerendo, consecrando, sumendo speciem vtramque; Laïci verò sumendo, vel vnam, vel vtramque iuxta Ecclesiæ determinationem. Nec ex *Ioann. 6.* in illis vel similibus verbis speciem vtramque complectentibus colligitur diuinum præceptum communionis sub vtraque specie. Cum sæpius etiam asserat de solo pane Christus Dominus: *Siquis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Assero igitur hanc veram, & Catholicam esse sententiam, aliámque posse minimè sustineri. *Hoc teneo.*

PROBL. CXII.

Sine Ecclesiæ dispensatione nunquam potest, & aliquando potest Laicus Sanguinis speciem absumere.

460 Svppono Ecclesiam iustis de causis fuisse adductam, vt communionem Laïcis sub vtrâque specie prohiberet, quâ ipsâ annuente olim fideles vtebantur. Hæ fuerunt vitandarum hæresum studium, de quo Bellarm. *de Euchar. c.28.* Effusionis periculum. Vsus vini difficilis in regionibus septentrionalibus, Abstemiis morem gerere. Vt Sacerdotes in hoc Laïcis excellerent, si non fructu, saltem significationis magis expressæ Dominicæ passionis satione. Et quamvis aliquo gratiæ augmento priuarentur Laïci, meritò potuit Ecclesia magis reuerentiæ Sacramenti, quàm sumentium prospicere vtilitati. Igitur Ecclesia, quæ prohibuit Laïcis sub vtrâque specie communionem, potest dispensare in hac prohibitione, cum sit solius iuris Ecclesiastici: validè quidem sine causâ, licitè verò, si causa subsit. Hoc præmisso, quæsieris, an aliquando Laicus possit sine Ecclesiæ dispensatione sumere sanguinis speciem? *Nõnulla supponc.*

Nun

461 *Nunquàm potest.* Nunquam potest. Quia cum Ecclesia vsum speciei sanguinis prohibuerit ob tot iustissimas, quas retuli causas, nefas erit, si sæcularis sine Ecclesiæ dispensatione quacúmque causa usus fuisset Sanguinis speciem absumere. Sic Sotus *in 4. distinct. 13. quæst. 2. articul. 6. ad 1.* Tolet. *lib. 2. cap. 9.*

462 *Aliquàndo potest.* Sine dispensatione Ecclesiæ potest Laïcus sumere sanguinem ob euitandam Sacramenti irreuerentiam. Quia præceptum Ecclesiasticum ob maiorem Sacramenti reuerentiam inductum non obligat cum maiori irreuerentiæ periculo. Ità Suari. *d. 71. sect. 1.* Vasq. *d. 216. c. 2. & 3.* Coninch. *q. 83. n. 271.* Filliuc. *tr. 4. n. 203.* Fagund. *præc. 3. l. 3. cap. 4.* Diana *part. 5. tract. 3. resol. 34.*

463 *Hoc mihi cõperum.* Si Sacerdos post consecratum, & ante sumptum Calicem deficiat, nec adsit alius Sacerdos à quo possit absumi, sed prudenter timetur species vini consecratas in infidelium manus deuenturas, vel effundendas, vel corrumpendas: quis dubitet posse Laïcum illas ieiunum, aut si instet periculum non ieiunum exhaurire? similiter si sanguis Dominicus in terram profundatur, neq; adsit Sacerdos, qui velit illum lambere, potest lambere Laïcus, vt contra nonnullos Suar. Filliuc. & Fagund. edocent, Monuerim tamen esse cauendum scandalum, & curandum, vt reuerenter admodum Sanguis sacerrimus recipiatur.

PROBL. CXIII.

Sacerdos potest, & non potest, cùm celebrat, diuidere hostiam consecratam ad Laicum communicandum.

464 *Non potest, nisi vt Viaticum exhibeat.* NVllatenus potest, nisi moribundus aliter non valeat Viaticum accipere. Quia Sacerdos consumere debet totum Sacrificium, quod sibi sumendum destinauit. Ergo solùm ob morientis necessitatem, si alia Hostia non sit poterit Hostiæ particulam communicanti præbere. Sic Graff. *p. 1. lib. 1. c. 33. n. 31.* Zambr. *c. 3. dub 6. n. 7.* Zanard. *p. 1. de Euchar. c. 9. n. 13.*

465 *Potest extra Viatici occasionem.* Cum non suppetit alia forma consecrata dari potest pars Hostiæ principalis Laico solùm ex deuotione communicare volenti. Quia sacrificium non desinit esse perfectum ob talis particulæ dispensationem: nec irrogatur iniuria, vel irreuerentia sacrificio, si participes fiant adstantes fructus realis Hostiæ, partem eius realem suscipiendo, sicut participant fructum ipsius spiritualem. Ità Antonin. Sylvest. Palud. Angel. quos sequitur Henriq. *lib. 8. cap. 46. n. 2. lit. E,* Bonac. *d. 4. q. 5. punct. 1. num. 14.* Sa *v. Euchar. n. 15.* Possevin. Anton. de Literatis, Ochagau. Granad. Scotæa, Homobon. quos sequitur Diana *parte 2. tractatu 14. resol. 37. & part. 5. tract. 3. resol. 54.*

466 *Hæc mihi sententia magis arridet.* Hæc mihi sententia probabilior. Licet enim cap. *Relatum, de consecr. dist. 2.* iubeatur Sacerdos integra Sacramenta percipere, inibi carpuntur Sacrificantes, qui in aliquibus Missis nihil Sacrificij recipiebant. Et quamvis Synodus Toletana celebrata anno 1622. absolutè prohibeat, ex Hostiâ diuidi, ad Laici Communionem, particulam: intelligo, quando possunt aliæ formulæ consecrari. Porrò quod quidam asserunt, etiam in eo casu nullam subesse culpam, cum nullum præceptum vetet ex Hostiâ particulam diuidi: falsum omnino reor. Quia Rubrica Missalis *de defect. Missæ §. 10. n. 3.* præscribens, vt infirmo detur pars Hostiæ, si non sit alia consecrata: satis aperte prohibet, ne detur Hostiæ pars infirmo, nec à fortiori sanis, quando alia consecrata suppetit, vel facilè consecrari potest. Culpa erit venialis.

PROBL. CXIV.

Cum Sacerdos communicat more Laicorum debet, & non debet stolam gestare.

467 *Debet quidē.* DEbet planè. Quia in cap. *Ecclesiast. dist. 23.* præscribitur: *Cum Sacerdos ad solemnia Missarum accedit, aut pro se Deo Sacrificium oblaturus, aut Sacramentum corporis ac sanguinis Domini nostri IESV CHRISTI sumpturus, non aliter accedat, quàm oratio vtróque humero circumseptus, ita vt de vno, eodémque orario ceruicem pariter, & vtrúmque humerum præmens, signum in suo appareat pectore crucis. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ subiacebit.* Vnde colligitur, obligationem esse grauem, si quidem excommunicationis pœna imponitur. Sic Homobon. *tract. 4. p. 1. c. 11. q. 106.* Nald. *v. Missa, n. 6.* Angel. *v. Sacerdos n. 4.*

468 *Non debet.* Non debet. Quia textus ille loquitur de Sacerdote communicante, dum celebrat. Quod indè colligitur. Nam loquitur de sumente corpus, ac sanguinem Domini: cùm Sacerdos communicans laicorum more, non sumat sanguinem sub specie vini, ac proinde hoc præcepto non comprehendatur, nec peccat sic communicans sine Stolâ. Ita Sylvest. *v. Sacerdos, n. 4.* Nauar. *c. 21. n. 54.* Graff. *l. 2. c. 40. n. 2.* Fagund. *præc. 3. lib. 3. c. 6. n. 1.*

469 *Probabilior mihi sententia hæc, quā amplius confirmo.* Verùm textus ille loquitur de communione Sacerdotis extra celebrationem. Nam id videtur mihi magis consonum eius verbis sub distinctione referentibus Sacerdotem vel celebrantem vel communicantem. Nec obstat aduersatiorum coniectura, nam olim etiam extra sacrificium fideles sub vtrâque specie communicabant. Vnde iudico, teneri Sacerdotes communicantes extra celebrationem Stolam præferre; hæc ceremonia dimanans ex iure, receptáque praxi communi obligationem aliquam inducit. Ità significant Suar. *d. 68. sect. 1.* Azor. *tom. 1. l. 10. c. 28. q. 12.* Reginald. *l. 29. n. 112.* dum grauem solum obligationem sub mortali secludunt. Obligationem itáque adesse reor, sed non grauem, quia res nec admodum grauis, nec vsu communi tam grauis obligatio recepta videtur: sicut nec obligatio superpellicium gerendi, seu formandi cum stola in pectore crucem, siquidem hæc à viris timoratis omittuntur. Et in hoc sensu verum erit, quod Pitigian. *in 4. tom. 1. dist. 13. q. 2. a. 5.* & Diana *p. 2. tr. 14. resol. 20.* dicunt, decretum illud iam abrogatum vsu contrario; intellige quoad excommunicationem, & quoad obligationem sub mortali.

PRO

CAPVT XX.

Circa Eucharistiæ Effectus.

PROBL. CXV.

Eucharistia confert, & non confert habitualem gratiam, cum primum est in ore Sacramentum.

470 Vltima sup-positio.

VIDIMVS *sectione* 1. quatuor Eucharistiæ receptæ enumerari effectus, infusionem gratiæ, spiritualem refectionem, præseruationem à peccatis, fomitis repressionem. Et quidem infusio gratiæ habitualis communis est omnium Sacramentorum effectus: tres alij pertinent ad gratiam Sacramentalem Eucharistiæ, per quam auxilia robusta conferuntur ad excitandum, & augendum charitatis feruorem contra tentationes, ac culpas omnes, vt persistamus in vitâ gratiæ, qui proprius est nutritionis effectus. Itaque circa tempus actualis sumptionis, quæsierim, an Eucharistia conferat gratiam habitualem, cum primum est in ore Sacramentum?

471 Confert gratiam cum primum est in ore. Confert Eucharistia habitualem gratiam, cum primum est Sacramentum in ore. Quia iam tunc dicitur manducari: sed manducanti gratia promittitur: Ergo tunc temporis gratia præstatur. Sic quidam Theologi, quos presso nomine, memorat Franc. de Lugo *de Sacr. l. 4. c. 4. n. 6.*

472 Non confert in versatur. Non confert Eucharistia gratiam habitualem, cum primum in ore versatur. Quia tunc non dicitur manducari; sed cum Hostiâ traiicitur ad stomachum secundùm aliquam partem continentem totum Christum. Ità Suar. *d. 63. sect. 4.* Coninch. *q. 79. à n. 22.* Henriq. *lib. 8. c. 43.* Bonac. *d. 4. q. 4 pun. 2.* Diana *p. 3. tr. 6. resol. 96.* Card. de Lugo *d. 12. sect. 2.* Martinon *tom. 4. d. 34. sect. 2.*

473 Addunt inuicem. Placet Gabrielis Vasq. *d. 203. c. 2.* sententia asserentis, ignotum esse nobis, & soli Deo cognitum, quonam tempore, vel instanti gratia per Eucharistiam conferatur. Vnde in re lubrica iudicarim probabilius, gratiam conferri, vel cum primum Christus guttur irreuocabiliter attingit, ita vt naturaliter iam extra hi non valeat: vel cum primum attingit stomachum. Nam hæc manducanti promittitur, *Ioan. 6.* Potest autem manducatio sumi vel in fieri, dum Hostia per guttur traiicitur, & peruenit ad terminum, vnde nequeat ad os reuocari; vel in facto esse, quando primùm recipitur in stomacho secundùm aliquam partem. Nam qui sic recipit Eucharistiam, propriè dicitur manducare. Quare crediderim, si quis diù in ore retineat species, donec inibi corrumpantur, vel eiiciantur, prius quàm deglutiantur, eum Sacramenti fructum non accipere: quia verè non manducauit. Secus esset, si postquàm species in stomacho excepit, illas euomuit; quod enim euomitur, dicitur fuisse manducatum.

PROBL. CXVI.

Quis sacrilegè communicauit indignus in parte primâ sumptionis, & durante sumptione, resipuit ità vt aliquam partem ritè dispositus acceperit: Hic recipit, & non recipit Sacramenti effectum.

474 Minimè recipit. MInimè recipit gratiam. Quia iudicium ex Apostoli sententia manducauit. Non est autem æquum, vt quis per eandem refectionem pariat sibi iudicium & gloriam. Quare Patres huic Eucharistiam aiunt esse mortiferam, nec dignum reputant, vt ex vi receptionis initio sacrilegæ vllus ei gradus gratiæ postmodum conferatur. Sic Henriq. *l. 8. c. 43.* Bonac. *d. 4. q. 4. pun. 2.* Vasq. *d. 203. c. 2.*

475 Recipit gratiam. Recipit proculdubio gratiam. Quia adhuc Sacramentum in sui manducatione reperit subiectum ritè dispositum. Et quidem si prior sumptio non præcessisset, sequens effectum subiecto dispositio exhiberet. Quod autem prior præcesserit, non impedit: quia peccatum in illa commissum per pœnitentiam potuit deleri. Ità Caiet. Valent. Nuñus, Regin. apud Bonac. citatum. Suar. *d. 63. sect. 4.* Coninch. *q. 79. n. 22.* Martinon *tom. 4. d. 34. sect. 2.*

476 Cum his opinor. Certè cum Sacramentum, licèt totum sit in priori sumptione, totum etiam in posteriori adsit eandem retinens virtutem: poterit etiam tunc suum effectum producere. Consentiunt Villalob. *tom. 1. tr. 7. diffic. 31.* & Diana *p. 3. tr. 13. res. 29.* quando Sacerdos post Hostiæ sumptionem cum obice, ante Calicis sumptionem conteritur: vel si quis sumens duas formulas ante sumptionem secundæ contritionem eliciat. Nam ibi datur sumptio moraliter distincta.

PROBL. CXVII.

Quis dignè communicans post acceptam gratiam in primæ particulæ sumptione iuxta præsentem dispositionem, melius disponitur per intensiorem, aut perfectiorem actum, dum adhuc durat sumptio. Hic recipit, & non recipit maiorem gratiam ex opere operato.

477 Non recipit. NOn recipit gratiam ex opere operato maiorem. Quia tota gratia ex opere operato primo manducationis in instanti confertur. Sic Henriq. *l. 8. c. 43.* Martinon *tom. 4. d. 34. sect. 2.*

478 Recipit. Maiorem gratiam ex opere operato recipit. Quia Sacramenta conferunt gratiam iuxta recipientis dispositionem. Ità Suar. *dist. 63. sect. 4.* Coninch. *q. 79. n. 28.* Filliuc. *tr. 4. n. 172.* Franc. de Lugo *de Sacr. l. 4. c. 4. n. 7.*

479 Hoc verius mihi. In casu posito adhuc durat vis actiuæ Sacramenti, & sufficiens eius applicatio dum sumptio durat. Ergò, si meliorem inueniat dispositionem, maiorem gratiam ex opere operato producet. Ideò sententiam hanc probabiliorem esse iudico.

PROBL. CXVIII.

Dum species Sacramentales in stomacho perseuerant, producunt, & non producunt adhuc vberiorem gratiæ effectum.

480 *Producunt.* PRoducunt toto tempore, quo species in stomacho durant maiorem gratiæ fructum. Quia sufficiens cum dispositio persistat operatorium Sacramentum otiosum non existit. Sic Caiet. *3.p.q.79.a.1.*

481 *Nò producit.* Si dispositio non melioretur gratia ex vi Sacramenti minimè augetur. Quia cum Sacramentum agat ad modum naturalis agentis, in primo instanti producit totum, quod potest iuxtà præsentem dispositionem. Ità Suarez *distinct. 63. sect. 7.* Coninch. *qu. 79. n. 41.* Filliuc. *tract. 4. n. 175.* Vasq. *d. 112. n. 4.* Hentiq. *l. 8. c. 43.* Bonac. *d. 4. q. 4. punct. 2.*

482 *Hoc verum.* Existimo minimè augeri Sacramenti effectum, dum dispositio non variatur. Ideò hanc veram reor esse sententiam. Problem. proximo roborabo.

PROBL. CXIX.

Cum dispositio recipientis Eucharistiam, melioratur, dum species Sacramentales in stomacho durant, augetur, & non augetur gratia ex opere operato.

483 *Minimè augetur.* MInimè augetur. Quia nec ex institutione huius Sacramenti, nec ex Ecclesiæ traditione constat talis vis Eucharistiæ, siue talis Christi Domini voluntas circa ipsius effectum. Sic Vasq. *d. 203. n. 20.* Bonac. cum aliis *d. 4. q. 4. punct. 2.* Filliuc. *tr. 4. n. 175.*

484 *Augetur quidem.* Augetur profectò. Quia promissio gratiæ, præcipuè facta fuit huic Sacramento ob Christum manducatum, non ratione solius manducationis sed termini manentis, & quasi per illam applicati, vti indicat Dominus, *Ioan. 6.* & August. *ibi tract. 26.* Ergo dum hic panis vitæ manet in nobis, efficax erit ad producendam gratiam iuxta subiecti dispositionē. Quare si dispositio melioretur, creſcet pariter effectus ex opere operato sicut meritum ex opere operantis increscit. Ità Suar. *d. 63. sect. 7.* Coninch. *q. 79.* Ysambert. *3.p. q. 79. d. 3. art. 2.* Card. de Lugo *d. 12. n. 46.*

485 *Hæc pars probabilior.* Hanc partem probabiliorem puto. Hinc que sequitur per se loquendo, communicantem non recipere maiorem gratiam ex eo, quo maiores, aut plures Hostias absumit: aut quia diutius in his sumendis, aut digerendis hæret; sed ratione melioris dispositionis. Fateor tamen longiorem moram sumptionis, aut digestionis per accidens posse esse occasionem maiorem gratiam accipiendi, quatenus interim plures, ac perfecti ores quis charitatis elicit actus. Sequitur deinde, si quis indignè communicauit, & posteà dum species permanent in stomacho, sufficienter ad gratiam disponatur, eum vere fructum Sacramenti esse percepturum. Lege Martinonem *tom. 4. d. 34. sect. 2.*

PROBL. CXX.

Vtraque species simul confert, & non confert recipienti maiorem gratiam, quàm seorsim singulæ.

VIdimus suprà, communicantem recipere nouum gratiæ augmentum, si communicans sub vtrâque specie post receptionem speciei panis, melius ad receptionem speciei vini disponeretur. Quæsieris tamen, an etiam in variata dispositione, præcisè ratione Sacramenti maiorem gratiam recipiat communicans sub vtrâque specie, quàm sub altera tantùm? Recipit profectò. Quia Sacramenta nouæ legis efficiunt, quod significant: Sed Eucharistia non solùm in ratione Sacrificij per duplicem speciē significat separationē sanguinis à corpore Christi patientis; sed etiam in ratione Sacramenti significat perfectam rationem conuiuij sub cibo & potu: quorum quilibet suo particulari modo reficit, & ad nutritionem conducit; Ergo quælibet species quatenus huius Sacramenti pars est, suam diuersam habet significationem, ac subindè suam peculiarem efficaciam, alioquin inanis esset illius significatio, quæ non semper in rectè disposito produceret effectum, quem significat. Sic Alens. Casallus, Arboreus, quos sequitur Vasq. *d. 215. c. 2.* Præpos. *qu. 80. art. 12. dub. 3.* Merat. *d. 33. sect. 4.* Martinon *d. 34. sect. 3.* Card. de Lugo *d. 12. sect. 3.* Videtur hanc sententiam amplecti Clemens VI. qui concedens Regi Galliæ anno 1341. cōmunicandi sub vtrâque specie priuilegiū, subdit: *Ad maioris gratiæ augmentum.* 486 *Confert maiorem gratiæ.*

Minimè recipit. Quia gratia promittitur communicanti, quatenus recipit Christum panem viuum, fontem bonorum omnium, refectionem animarum perfectissimam: sed Christus tam perfectè continetur, & sumitur sub singulis speciebus, ac sub vtrâque simul: Ergo cum æquali dispositione parem recipiet gratiam, qui sumit vnam speciem, ac qui sumit vtramque. Ità D. Thom. *3.p.q. 80. a. 12. ad 3.* Bonauent. Richard. Gabr. vterque Sotus, & alij, quos sequitur Suar. *dist. 63. sect. 6.* Henriq. Bellarm. Coninch. quos sequitur Bonac. *d. 4. q. 1. punct. 4. n. 5.* Fagund. *præc. 3. l. 4. c. 4. n. 4.* Franc. de Lugo *de Sacram. l. 4. c. 4. n. 13. 14. & 15.* 487 *Non confert.*

Hanc eligo sententiam. Licèt enim vtraque species significet aliquomodo perfectius gratiam, quatenus magis integram exprimit refectionem: tamen perfectiorem refectionem, seu gratiam non significat; quia res significata, qua reficitur animus, est eadem omninò. Vtraque pars probabilis, sed hanc vt probabiliorem eligo. Lege Dianam *part. 3. tractatu 6. resolutione 97.* 488 *Hanc eligo partem.*

PROBL. CXXI.

Eucharistia confert per accidens aliquando, & non confert primam gratiam.

NOn confert. Quia hoc Sacramentum est institutum per modum cibi, ac spiritualis nutri 489 *Non confert primā gratiā vnquam.*

nutrimenti. At cibus necessariò expostulat, sumentem viuere: non enim mortuum nutrire potest. Ergo hic cibus spiritualis necessariò supponere debet, sumentem viuere spirituali vita, vt spiritualiter illum nutrire, ac roborare possit. Et quia Eucharistia instituta non est ad remittenda peccata mortalia, sed ad remittenda venialia, & præseruandum à mortalibus, vti ait Tridentin. *sess.13.capite 2.* Si igitur primam gratiam aliquando conferret, ad remittenda peccata mortalia esset institutum; non enim hunc effectum aliundè, quàm ex institutione potest habere Sacramentum. Sic Bonau. *in 4. dist. 9. art.2.q.3.* Gabriel. *ibi, qu.2.art.2.concl.1.* Vasq. *d.205.c.4.* Hurtad. *d. 8. diffic. 8.* & plures apud ipsum.

490 *Quòm primam gratiam confert.*

Aliquando hoc Sacramentum primam gratiam confert, & peccatum mortale remittit: videlicet cum peccator ad Sacramentum suscipiendum accedit attritus credens esse contritum vel ignarus sui peccati suscipit Sacramentum attritione cognita. Quia Christus Dominus Sacramenta omnia instituit efficacia ad conferendam gratiam non ponenti obicem. At peccator attritus credens esse contritum si suscipiat hoc Sacramentum, obicem gratiæ suscipiendæ non ponit. Ergo. Minor probatur. Non ponit obicem ob peccatum in communione commissum, quia hoc nullum est, cum bona fide Sacramentum suscipiat; neque etiam ponit obicem ob peccatum anteà commissum, siquidem illius attritionem habet, quâ positâ, diuinam bonitatem decet, Sacramenta efficacia esse ad gratiam suscipientibus conferendam. Ità D. Thom. *3.p.q.79. art.3.* & 8. Valent. *tom.4.d.6.q.5.pun.1.* Coninch. *q.79.art.3.n.52.* Suar. *d.63.sect.1.* Bonac. *d.4.q.4. pun.1.* Castr. Pal. *to.4.tr.21.pun.9.§.1.n.3.* & alij plures.

491 *Hæreo.*

His hæreo, & fateor, hoc Sacramentum esse institutum per modum cibi non solùm nutrientis, sed & etiam aliquando viuificantis, in quo à cibo materiali longè distat. Cum enim media, gratia hoc Sacramentum nutriat, & hæc nata sit viuificare, non est mirum, quod aliquâdo ex accidenti viuificet. Neque inde fit, esse Sacramentum mortuorum: quia ad viuificandum non est per se, sed per accidens institutum. Cum verò Trid. asserit præseruare à mortalibus, & venialia remittere, loquitur de effectu *per se* huius Sacramenti, non de effectu qui ex accidenti contingit.

PROBL. CXXII.

Vt augmentum gratiæ recipiat qui Eucharistiam sumit, requiritur, præter statum gratiæ, deuotionis affectus.

492 *Requiritur aliquis deuotionis affectus.*

REquiritur aliquis deuotionis affectus. Quia vt quis cibo corporali nutriatur, necessarium est, quod vitaliter concurrat, & cooperetur: Ergo vt quis spirituali Eucharistiæ cibo nutriatur, necessum est, vt vitaliter concurrat, aliquo adhibito deuotionis affectu. Et quia si actualis aliqua deuotio necessaria non sit, innumeri Sacerdotes, qui in statu gratiæ Sacramentum sumunt, ingès quoddam, & incredibile gratiæ obtinuissent sine deuotione augmentum quotidiè Missæ sacrificio operam gerentes. Sic Alexand. *4.p.q.10. membr.8.art.3.* D. Thom. *in 4. dist.12. q.2.art.1.quæstiunc.13.* Durand. *q.4.* Palud. *q.1. art.2.* Caiet. *q.79. art.1.* Antonin. *3.p. tit.13. c.6.* Sylvest. *v. Eucharistia.*

493 *Non requiritur.*

In suscipiente Eucharistiam præter statum gratiæ nulla alia actualis deuotio requiritur ad recipiendum gratiæ augmentum ipsius Eucharistiæ virtute. Quia Concilium Tridentin. *sess.13.cap.3.* præter gratiæ statum nullam aliam requirit dispositionem, quam, si necessaria esset, absque dubio requireret. Et quia aliàs Ecclesia inutiliter, & indignè antiquitùs Eucharistiam paruulis administrasset: & nunc iis, qui post rationis vsum incidunt in amentiam: quia paruuli, & amentes nequeunt actualem aliquam deuotionem elicere. Ita D. Thom. *3. part. quæst.79. articul.8.* mutato consilio Gabriel. *lection.85.* Sotus *in 4. distinction. 11. quæst.2. articul.2.* Adrian. *ibi, quæstion.1.* Vasquez *distinct.206.* Suarez *distinct.63. sect.3.* Coninch. *quæst.79.art.1.dubio 1.* Reginaldus *lib.29.cap.6. quæst.3.* Bonac. *dist.4.quæstione 6. puncto 1.* Hurtad. *de Eucharistiâ distinction. 7. difficultate 3.*

494 *Hoc mihi certum.*

Hoc mihi certum. Nam aliàs qui absque actuali deuotione Eucharistiam reciperet, peccaret lethaliter, quia illius impediret effectum, eiúsque efficacitatem omninò hebetaret. Qui ergo in statu gratiæ absque actuali deuotione recipit Eucharistiam, non solùm recipit gratiæ augmentum, sed nullatenus peccat; quia non frustrat Eucharistiæ efficacitatem.

PROBL. CXXIII.

Virtute Eucharistiæ præter vnionem animæ cum Deo factam medio gratiæ augmento, fit etiam, & non fit vnio aliqua inter carnem suscipientis, & inter carnem Christi.

495 *Nulla fit vnio inter carnem suscipientis.*

PRæter vnionem spiritualem animæ cum Deo, mediante augmento gratiæ virtute Eucharistiæ collato, nulla alia reperitur vnio inter carnem Christi & carnem dignè suscipientis. Quia si vnio aliqua virtute Sacramenti huius daretur, esset quasi inter materiam & formam: vel tanquam inter agens, & passum: nulla enim alia potest excogitari. Sed nequit esse quasi inter materiam & formam; quia ex carne suscipientis, & ex carne Christi non resultat aliquod tertium compositum tanquam ex partibus, sicut ex materiâ, & formâ resultat. Neque esse potest tanquam inter agens, & passum; quia neque ex carne Christi sub speciebus, neque ex speciebus ipsius deriuatur aliquid in carnem suscipientis & quamvis deriuaretur, non esset sufficiens ad vnionem realem inter carnem illius, & carnem Christi. Nam ex sola plures effectus in hæc inferiora deriuantur, & tamen cum illis realiter non vnitur. Sic Doctor. Complut. (vt refert Vasq. *d.204.c.1.* contra Cardinalem Mendoza, qui in publicâ cõcione docuit oppositum. Damasc. *l.4. de fide, c.14.* Pseudo Cyprian. *ser. de Cœnâ Do.*

496 *Fit plane vnio quædam.*

Virtute Sacramenti Eucharistiæ non tantùm fit vnio spiritualis animæ suscipientis cum Deo, & cum animâ Christi per affectum ratione aug-

menti gratiæ, & charitatis collatæ Sacramenti virtute; sed etiam fit peculiaris vnio realis inter carnem Christi, & carnem dignè suscipientis: quæ etiam corruptis speciebus, & non manente Christo secundum substantiam in stomacho, perseuerat. Ratio est, quia Christus *Ioann.6.* profatur. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo.* Quod de permanentia, seu vnione animæ & corporis Patres exponunt. Nam particula *Qui* pro toto homine supponit. Hoc proculdubio tradunt Hilar. *l.8. de Trin.* Chrys. *hom.46. in Ioan.* Ciril. Ierosol. *catech.4.* Damasc. *lib.4. de fide, cap.14.* Cyril. Alex. *lib.4. in Ioan. c.14.* Irenæ. *l.4. aduer. hæres. cap.34.* Leo I. *epist.3.* Innocent. III. *lib.4. de myster. Missæ, cap. vlt.* Omnes præterea Patres assignant peculiarem vnionem, realem inter carnem Christi, & carnem dignè suscipientis Sacramentum Eucharistiæ tanquam peculiarem eius effectum: & contendunt, hanc vnionem tandiu perseuerare, quandiu dignè suscipiens in gratiâ perseuerat. Ita Rophens. *l.4. contra Æcolampad. c.21. & 32.* Ossius *in confess. cathol. c.42.* Bellarm. *l.1. de Euchar. c.28.* Suar. *d.64. sect.3.* Vasq. *d.204. c.2.* Hurtad. *d.8. diffic.4.*

497 *Idem asserо, & exponо doctrinam.*

Idem asserens doctrinam expono. Peculiaris præfata vnio inter carnem Christi, & carnem dignè suscipientis Eucharistiam proueniens specialiter ex digna illius sumptione, & tandiu perseuerans, quamdiù suscipiens in gratiâ perseuerat adhuc post specierum corruptionem: non est vnio aliqua physica, sed vnio quædam moralis similis vnioni morali, quæ est inter corpora coniugum prouenienti ex copulâ absque irreuerentiâ, & iniuriâ ab vno in alterum factâ, ratione cuius fiunt vna caro & vnum corpus: quia sicut coniuges nō solùm fiunt vna caro physicè ratione copulæ quomodolibet adhuc iniuriosè habitæ, nam fiunt principium physicum vnius carnis & prolis: sed etiam fiunt vna caro moraliter ratione copulæ inter ipsos liberè & absque iniuria habitæ, quia hæc coniunctio tam intima liberè, & absque iniuria habita exigit moraliter, vt vnus coniux carnem alterius quasi propriam respiciat, habeat, & tractet: & è contra: Ita etiam ex eo quod Christus in Eucharistia carnem suam liberè communicet suscipienti tanquam cibum, quo specialiter nutriatur, & eam dignè suscipiens illam intra suam carnem & viscera liberè suscipiat absque iniuriâ & irreuerentiâ in Christum: caro Christi, & caro dignè sumentis illam fiunt vna caro, & vnum corpus non physicè, sed moraliter; nam hæc tam intima coniunctio liberè, & dignè facta exigit moraliter, vt Christus carnem nostram, intra quam ipse, & caro ipsius vt cibus spiritualis liberè & dignè suscipitur, habeat quasi propriam, & eam quasi propriam tractet; & è contra, vt dignè suscipiens Eucharistiam carnem Christi, quam intra se liberè ac dignè recipit, eam habeat & tractet vt propriam. Nihilominus vnio hæc quamvis tantummodo sit moralis, dicitur à Patribus realis, naturalis, & substantialis; quia non fit ratione solius affectus, sed etiam ratione receptionis realis carnis Christi secundùm rem, & secundùm naturam, & secundùm substantiam intra nos; & ob hanc vnionem moralem inter carnem Christi & carnem nostram prouenientem ex dignâ Eucharistiæ susceptione, Sacramentum Eucharistiæ à Patribus *Communio* dicitur. Perseuerat autem hæc moralis vnio post corruptionem specierum, quandiù dignè suscipiens accepta perseuerat in gratiâ. Quia quandiù in eâ perseuerat, caro dignè suscipientis digna est, vt mixtionem præcedentem cum carne Christi à Christo quasi propria tractetur: non ita post gratiæ amissionem.

PROBL. CXXIV.

Eucharistia in hâc vitâ producit, & non producit in corpore suscipientis dignè aliquam qualitatem.

SAcramentum Eucharistiæ producit in dignè suscipientis corpore, in hâc vitâ, quandam qualitatem, ratione cuius corpus illius Christi corpori vnitur, & ad immortalitatem præparatur. Quia qualitas huiusmodi necessaria est ad vnionem, & ad præparationem à Patribus expressam. Sic Recentiores nonnulli, quod presso nomine memorat Gaspar. Hurtad. *de Euchar. d.8. diffic.6.* 498 *Producit qualitatem.*

In corpore dignè suscipientis Eucharistiam nihil in hâc vitâ producitur ad præfata munia. Quia qualitas hæc absque fundamento fingitur; nam necessaria non est ad assignatam, Problem. præcedenti, vnionem realem inter carnem Christi, & carnem dignè suscipientis: quia tantùm est moralis: neque est necessaria, vt caro nostra ad immortalitatem præparetur; nam tantùm præparatur mediatè, quia scilicet Eucharistia est causa gratiæ quæ est ius ad gratiam animæ, ad quam debito congruitatis corporis gloria consequitur: & quia est causa perseuerantiæ in gratiâ, ad quam consequitur animæ gloria, ad quam corporis gloria consequitur. Ita Suar. *d.64. section. 1.* Vasquez *d. 204. numero 28.* Coninch. *quæstion. 79. articul. 8.* Hurtad. citat. 499 *Non producit.*

Secundam sententiam veram esse crediderim, primam vero reiiciendam vt quæ debili admodum fundamine nititur. 500 *Hoc mihi verum.*

LIBER

LIBER XXI.

EVCHARISTIA. SACRIFICIVM.

POST QVAM de Eucharistiâ vt Sacramento egi, de eâdem vt Sacrificio sermonem instituo. Est Eucharistia verum, & proprium Sacrificium, in quo Christus Dominus immolatur. Missæ nomen accepit, cuius primùm essentiam ostendam. Mox de offerentibus, & de his, pro quibus offertur disseram. Dehinc ad virtutem & effectus Sacrificij Missæ geram transitum. Posteà obligationem celebrandi, & prohibitionem exprimam. De stipendio denique pro Missâ accipiendo geram disputationem.

SECTIO PRIMA.

De Eucharistiâ Sacrificio receptiores sine pugnâ sententiæ.

CAPVT I.

De Sacrificio propriè, & strictè sumpto in communi.

1 Quid Sacrificium proprie.

SACRIFICIVM apud Catholicos propriè significat actionem sensibilem, qua res offertur Deo cum immutatione aliqua per competentem Ministrum in signum nostræ subiectionis, & diuinæ potestatis, seu suprem dominij rerum omnium. Sic in scriptura ab aliis operibus bonis distinguitur; scilicet, ab actu misericordiæ. *Osee 6. Misericordiam volo, & non Sacrificium:* Ab actu obedientiæ. 1. *Reg.* 15. *Melior est obedientia quàm victima:* Ab actibus aliarum virtutum *Hebr.* 5. vbi Pontifex constitui dicitur, *vt offerat dona, & Sacrificia pro peccatis*, cum actus aliarum virtutum à singulis fidelibus possint exerceri.

2 Sacrificium est simul oblatio & sacrum signum, quatenus oblatio conuenit cum aliis oblationibus, quæ non sunt sacrificia, qualis est oblatio Calicis, pecuniæ, vel alterius rei. Quatenus signum sacrum conuenit cum Sacramentis, quæ regulariter non sunt sacrificia, sed signa gratiæ. Conuenit etiam aliis actibus religiosis, qui significant nostram subiectionem ad Deum & cultum diuini Numinis, qualis est, genuflexio, pectoris tunsio, & similia.

2 Sacrificium est simul oblatio & sacrum signum.

3 Vt autem sacrificium ab omnibus aliis oblationibus, & signis distinguatur, quæ propriè sacrificia non sunt, varij varias constituunt sacrificij definitiones, quas varij vicissim refellunt. Ego quidem sic sacrificium in communi propriè & strictè definio. *Est signum existens in re Deo oblata, quo Deum ipsum auctorem vitæ, & mortis profitemur.* Vel, *Est immutatio rei Deo oblata, qua Deum ipsum auctorem vitæ, & mortis profitemur.* Est sufficiens & exacta definitio. Quia per eam explicatur propria, ac peculiaris ratio sacrificij provt est actus distinctus ab aliis actibus virtutis Religionis. Dicitur esse *signum existens in re Deo oblata*, aut *immutatio rei Deo oblata, qua Deum auctorem vitæ ac mortis profitemur:* Quia nulli alij potest licitè fieri, nisi vero Deo, etiam si verè & validè possit fieri alij, qui iudicetur non esse Deus. Quia si res aliqua illi offeratur immutando illam animo, & intentione profitendi illum auctorem vitæ, & mortis absque dubio illi fiet verum, ac validum Sacrificium; (quamvis in eo maximum sacrilegium perpetretur) nam ratio cultus non tam pendet ex personâ, cui fit, quàm ex signo, & ex intentione, qua fit. Hurtad. *de Missâ d.* 1. *diffic.* 1, & alij communiter.

3 Tertia definitio sacrificij in communi.

4 Ad Sacrificij essentiam non requiritur diuina institutio.

Ad sacrificij essentiam non requiritur diuina institutio. Quia, sicut lumine naturali cognoscere possumus summam excellentiam, & efficientiam Dei, omnimodamque dependentiam, quam habemus ab illo: sic solo rationis dictamine possumus protestari nostram submissionem Deo debitã, & nostrimet oblationem per hoc, vel illud signum à nobis impositum ad hoc significandum. Quippè sacrificium non minus est de iure naturæ, quàm oratio, vel adoratio, vel votum, vel iuramentum, & similes Religionis actus. Quare verisimile est, in lege naturæ fuisse nonnulla sacrificia per homines instituta. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 85. *art.* 1. & Thomistæ communi consensu.

5 *Ad sacrificiũ non est necesse, quod gratiam operetur.*

Ad Sacrificium non est necesse, quod gratiam operetur, sed quod significet præfatam submissionem, & protestationem hominis erga Deum, quam significationem potest ab hominis institutione habere. Scio tamen, non potuisse Missæ Sacrificium ab alio, quàm à Deo institui. Quia illa mirabilis conuersio panis & vini in corpus, ac sanguinem Dominicum, est solius Dei opus, qui solus potuit vim efficiendi conuersionem hanc signis sensibilibus alligari.

6 *Ad sacrificiũ necessariò requiritur Minister.*

Essentialiter requiritur Minister auctoritate publica deputatus ad propriam, ac veram sacrificij rationem. Quia sicut non oportet, aliquem esse cultum externum, quo non tam singuli seorsim, quàm tota Respublica simul velut vnum corpus politicum imbutum eâdem religione, Deum veneretur, eiúsque summum principatum, & suam subiectionem profiteatur: sic etiam oportet vt sint aliquæ personæ publico nomine destinatæ tali ministerio, quæ Sacerdotes dicuntur. Vnde semper apud omnes Gentes aliqui fuêre deputati peculiariter, vt Numen, quod sibi delegerunt, publico nomine colerent Sacrificium scilicet offerentes. Hoc satis expressit Apostolus *Hebr.5.* vt Suar. *d.73.sect.4.* expendit.

7 *Quinam habuerint sacrificandi ius.*

Nec singuli homines habent naturaliter ius sacrificandi. Quia sicut naturæ lumen inclinat ad constituendam hominum Rempublicam, sic etiam dictat, communia Reipublicæ munia (quale merito Sacerdotium censetur) non nisi per ministros communi nomine deputatos sunt exercenda. Sic in lege naturæ primogeniti omnes fuêre Sacerdotes. Vnde Cain potuit sacrificium offerre, quod Adamus authoritate publicâ instituisset. D. Hieronym. Eucher. & alij, quos refert Lessi. *lib.2. cap.38. numer.11. & 12.* Alij existimant, quemlibet patrem-familias, sicut habebat auctoritatem quasi Regiam in suos sic etiam Sacerdotalem habuisse. Ideò Iob pro filiis, Sacrificium litabat. *cap.1.* Quidam interdum Dei instinctu sacrificarunt, vt Abel, Abraham, Iacob, qui hoc ipso Sacerdotes fuêre constituti, quo potestatem sacrificandi receperunt. Agnum Paschalem cædi solitum à Sacerdotibus, Iosephus *de Bello, lib.7. cap.7.* asserit. Alij censent, à patribus-familias immolari; quia hoc sacrificium institutum fuerit ante legem scriptam, & ante Leuiticum Sacerdotium, concessit Deus, vt quò ad hoc sacrificium retinerent patres-familias sacerdotalem potestatem, quam olim habuerant. Suar. *d.73. sect.4.* Coninch. *q.83. numer.19.* Lessi. *lib. 2. capit. 38. numer. 11. & 12.*

8 *In omni sacrificio danda est necessariò alicuius rei destructio.*

In omni sacrificio propriè danda est destructio alicuius rei oblatæ: & vbi non est vera destructio, sed imago duntaxat destructionis, non datur verum sacrificium, sed sola eius imago; v.gr. si quis in tragediâ repræsentet thurificationem, quam ipsémet olim exhibuit Deo, sumptúmque thuribulum sine igne moueret, verè non thurificaret, sed ageret personam repræsentantis thurificationem. Card. de Lugo *d.19. num.54. & 57. & sequent.*

9 *Quadrupliciter diuido sacrificium.*

Sacrificium diuidi quadrupliciter potest. Primò ratione temporis in sacrificium legis naturalis, scriptæ, & Euangelicæ. Secundò ratione materiæ, quæ triplex erat, scilicet animalia quæ mactabantur, & dicebantur *Hostiæ*, vel *Victimæ*: fructus terræ nempe triticum, simila, thus, &c. & dicebantur *Immolationes* à molâ, qua far oblatum conterebatur: & liquores, qui fundebantur, & dicebantur *Libamina*, seu *Libamenta*. Tertiò ratione formæ, vel actionis: Sic dicebatur *Holocaustum*, cum tota res igne cremabatur; vel *Hostia pro peccato*, cum partim comburebatur, partim reseruabatur in Sacerdotum vsum; vel *Hostia pacifica*, quæ partim igne, partim Sacerdotum, partim sacrificantium vsu consumebatur. Huc pertinet diuisio ratione modi, quo sacrificium, vel est cruentum, vel incruentum. Quartò ratione finis: vel enim offerebatur ad Deum præcisè venerandum, eiúsque potestatem profitendum: & sic dicebatur *Holocaustum:* vel ad peccatorum expiationem, & sic dicebatur *Hostia pro peccato:* vel in gratiarum actionem, & dicebatur *Hostia pacifica*, seu *Sacrificium laudis:* vel ad impetranda beneficia, quod appellabatur *Impetratorium Sacrificium.* Plura mitto *sect.2.* discutienda.

CAPVT II.

De nouæ Legis Sacrificio.

10 *In Ecclesia Christi datur verũ, & proprium sacrificium.*

IN Ecclesiâ Christi datur verũ, proprium ac visibile sacrificium, quo Christianus Populus Deũ colit Est de fide, vt contra nouatores citandi Doctores ostendunt. Ex scriptura probatur. *Dan.12.* prædicitur Antichristi tempore cessaturum *iuge Sacrificium:* Ergo vsque ad illud tempus duraturum est in Ecclesiâ sacrificium aliquod. *Isa.59. Cognoscent Ægyptij Dominum, & colent eum Hostiis.* Vbi vocatio Gentium ad fidem, & verus Dei cultus per verum sacrificium præsignatur, auctore Hieronym. *ibi*, & Tertul. *l. contra Iudæos cap.5.* Ratio verò rationalis, vel præcipit, vel saltem suadet oblationem sacrificij, veluti humanæ naturæ valdè conformem. Quare nulla vnquam gens tam barbara, vt sacrificio caruerit, quo Numen verum, aut fictum coleret, quod sibi venerandum assumpserat. Sic etiam in Ecclesiâ Lex naturalis, & Lex scripta veris ac propriis sacrificiis vsæ sunt ad Deum colendum: Ergò Lex Euangelica, quæ cæteras omnes perfectione superat, & valdè est rationi naturali conformis, debuit habere sacrificium visibile, quo Deum corpore simul & animo colat. Suar. *d.74. sect.1.* Bellarm. *l.1. de Missâ*, Valent. *tom.4. d.6. q.11.*

11 *In Missa proprium ac verum sacrificiũ datur.*

In Missâ datur verum, & proprium sacrificium. Hoc negant hæretici nostri temporis contra id, quod omnibus sæculis vniuersi Catholici tenuêre. Et quidam Episcopus Bitontinus in Tridentino tentauit, defendere, Christum in nocte Cœnæ, dum Eucharistiam instituit, non obtulisse sacrificium. Alij volebant, saltem non obtulisse sacrificium propitiatorium. Vtrúmque meritò reprobat Concilium *sess. 22. cap.1.* docens, Christum Dominum in vltimâ Cœnâ, dum panem, & vinum in corpus & sanguinem suum consecrando conuertit, non solum sacramentum, sed etiam sacrificium instituisse, sequi Sacerdotem secundùm Ordinem Melchisedec in æternum constitutum declarasse, atque corpus,

pus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulisse, verum scilicet, & propriissimum sacrificium, etiam propitiatorium: & tradidisse potestatem Apostolis, & ipsorum in Sacerdotio successoribus, ad illudmet in Ecclesiâ iugiter offerendum, illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Etenim Assertor noster, nouam condens legem, debuit nouum instituere Sacerdotium, nouúmque sacrificium, quæ sunt de substantiâ nouæ Legis, vt Paulus ad *Hebr. 7.* ostendit. Valent. *tom. 4. disp. 6. quæst. 11.* Bellarm. *lib. 1. de Missâ cap. 6. & 7.* Suar. *d. 74. sect. 2.* Coninch. *quæst. 83. art. 1. dub. 2.* Præpos. *ibi dub. 3.*

12 *Missa remittit Legis Euangelicæ propitiatorium.*

Quod verò Missa, provt de facto celebratur in Ecclesiâ, contineat hoc verum, vt proprium Legis Euangelicæ sacrificium, præter veteris ac nouí Testamenti scripturam, & Conciliorum definitiones, hæc ratio suadet: Nam in Missâ datur oblatio, & immutatio rei permanentis in Dei cultum, qua protestamur supremam Dei potestatem, & nostrum affectum consumendi nos ipsos in eius honorem, si liceret, & expediret. Fit item per legitimum ministrum specialiter ad munus huiusmodi deputatum: & instituta fuit per legitimam auctoritatem, nimirum à Christo Domino, qui caput est, & Legislator Ecclesiæ. Continet ergo Missa quidquid requiritur ad essentialem proprij sacrificij rationem.

13 *Quid nomen Missa sonet.*

Quæsieris quid nomen *Missa* sonet? Quamvis nomen hoc habeatur in scripturâ satis antiquum est in Ecclesiâ. Quidam putant, esse vocem Hebraïcam, & significate oblationem, haberíque. *Deut. 16. 10.* Verum si vox esset Hebræa, ectenta fuisset in omnibus aliis linguis, sicut vox *Alleluia*, *Osanna*. Alij volunt esse nomen Latinum adiectiuum, cuius substantiuum *Oblatio*, vel *Hostia*, subintelligatur. Crediderim esse nomen substantiuum pro *missione*, seu *dimissione* sumptum, sicut repulsa sumitur pro repulsione: collecta pro collectione: peccati remitta pro remissione, apud Tertul. & Cyprian. Quo sensu dicit Diaconus *Ite Missa est*, id est, iam est dimissio Congregationis, abire licet. Et quoniam olim etiam ante primam oblationem solebant dimitti Catechumeni, prima illa pars officij fuit appellata *Missa Catechumenorum*. Vasquez *disp. 221. c. 1.* Coninch. *quæst. 83. num. 47.* Martinon *tom. 4. distinct. 38. sect. num. 1.* Addunt Henriq. *lib. 9. cap. 10. n. 3.* Suar. *d. 74. sect. 3.* & Bonac. *disp. 4. quæst. vltimâ punct. 1. num. 1.* Nostrum Sacrificium dici quoque *Missam*, quia Deus ad nos mittit Hostiam huius sacrificij, quam nos ad ipsum in oblationem remittimus.

14 *Missæ sacrificium vnicum est in Lege nouâ.*

Missæ sacrificium vnicum est in Lege nouâ. Quia adeò est celsum, & infinitè superans quævis alia, quæ vel oblata sunt, vel possunt offerri: vt simul cum illo nullum aliud fuerit admittendum. Suar. *disp. 74. sect. 4.* Vasq. *distinct. 223. cap. 6.* Card. de Lugo *disp. 19. num. 35.* Ideò Trident. vocitat Eucharistiam verum & *singulare* sacrificium.

15 *Sola consecratio est essentialis pro signum applicatiua ad constituendum.*

Sola consecratio institui potest in signum aptum ad constituendum essentialiter Missæ sacrificium. Quia ad veram rationem sacrificij sufficit destructio rei sacrificatæ realis humano modo, qua transferatur in statum declinorem ineptum ad suos naturales vsus, & tendentem ad interitum. Sed Christus Dominus per consecrationem, etsi non destruatur substantialiter, destruitur tamen humano modo realiter, quatenus accipit statum declinorem, quo redditur ineptus ad naturales vsus humani corporis: & aptus ad alios diuersos vsus per modum cibi. Quare moraliter idem est, ac si fieret verus panis, & condiretur in cibum: quæ mutatio sufficiens est, ad verum sacrificium instituendum, non minor quàm effusio liquoris, quæ libaminis sacrificium constituebat. Bellarmin. *lib. 1. de Missâ, capit. 27. propos. 8.* Cardin. de Lugo *disp. 19. sect. 5.* Martinon *disp. 38. num. 43. & 63.*

Instituí posse dixi. Solam consecrationem in signum aptum ad constituendum essentialiter sacrificium Missæ, iam quænam Missæ actio de facto essentialiter sacrificium constituat, videamus. Consecratio simul & sumptio Sacerdotis de facto fuêre impositæ à Christo ad constituendum signum adæquatum Eucharistiæ significationis, oblationis, & immolationis. Quia sic hoc sacrificium de facto constituturn fuisse à posteriori colligitur ex obligatione sumendi tã stricta, vt in nullo casu quantæcúmque necessitatis liceat relinquere consecrationẽ sinè sumptione. Holocausti exemplo doctrinam expendam. Nã occisio victimæ iam ante combustionem erat essentialiter sacrificium, quatenus significabat protestationem diuinæ potestatis, & affectum destruendi propriam vitam in eius honorem; at erat incompletum, & imperfectum, donec per combustionem compleretur, & perficeretur. Ita proportionaliter consecratio constituit essentialiter Missæ sacrificium, quatenus destruit Christum humano modo realiter in Dei cultum: incompletum tamen, & imperfectum integraliter, donec sumptione compleatur, tanquam parte integrali substantiali, ac ætherogenea. Bellarm. *de Missâ, lib. 1. cap. 27. propos. 7. & 8.* Fagund. *præc. 1. lib. 3. cap. 4. num. 8. & 25.* Scortia *de Missâ, lib. 1. cap. 5.* Card. de Lugo *distinctione 19. sectione 5.* Auersa *de Eucharistiâ quæstione 11. sect. 2.* qui refert plures, *sect. 2.* proprio Problemate vberius expendam.

16 *Cõsecratio, & sumptio simul constituũt essentialiter Missa sacrificiũ.*

17 *Christus est principalis res sacrificata in Missa.*

Christus D. est principaliter & primario res sacrificata in Missâ, 1. Cor. 10. *Panis, quem frangimus, nonnè participatio corporis Domini est?* Quia in Missâ vt Tridentinum docet *sess. 22. c. 1.* idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in arâ Crucis semel seipsum cruentè obtulit. Sed in Cruce verè Christus sacrificatus fuit: Ergo pariter Missâ principalis est victima. Et quia Christus in Missâ destruitur in honorem Dei quoad totum esse sacramentale, quod erat principaliter in antiquis sacrificiis adumbratum: & nunc in Ecclesiâ potissimum immolatur; & mirificè congruit nouæ Legis perfectioni, vt Ecclesia Christiana sacrificet Deo, quod in ea maius, & excellentius est, nimirùm ipsum Christum sub speciebus constitutum modo quodam inepto functionibus suis naturalibus, & ordinato per modum cibi, & potus ad consumptionem, vt corruptis speciebus desinat, ibi conseruari. Et quidem cum totus Christus sit in singulis speciebus, totus etiam ipse realiter in singulis immolatur, quamvis dici possit formaliter ex vi verborum sub specie panis immolari corpus, & sub specie vini sanguinem. Suar. *d. 75. sect. 1.*

18 *Missa conuenit cum sacrificio Crucis, & Cœnæ.*

Missa conuenit cum sacrificio Crucis in re principaliter oblata. Quia vtrobique Christus est; differt autem in actione sacrificandi; nam ibi fuit cruenta, nunc est incruenta; differt etiam in nonnullis accidentibus; in Cruce enim fuit extensus, passibilis, & patiens: in Missâ sacrificatur impassibilis, & connexus cum sacramentalibus speciebus. Conuenit etiam Missa cum sacrificio, quòd Christus in Cœnâ obtulit. Quia vtrúmque est incruentum, & habet rem principaliter oblatam; sed differt accidentaliter; nam in Cœnâ Christus fuit mortalis, & suam proximam passionem significabat: in Missâ verò immortalis offertur, & eius passio præterita significatur. Suar. *d.* 78. Vasq. *d.* 224. Filliuc *tr.* 5. *n.* 26.

Missa denique differt à sacrificio Cœnæ numericè. Quia actiones ipsæ non distinguuntur, & hæc sacrificia in actione consistunt. Verum à sacrificio cruento videtur Missa specie differre quoad rationem signi sensibilis, quæ iuxta diuersitatem actionis variatur: Etsi quoad rationem virtutis ob idem mortiuum diuini cultus vtrúmque sacrificium pertineat ad eandem virtutis Religionis speciem. Suarez *distinctione* 72.

CAPVT III.

De offerentibus Missæ sacrificium.

19 *In Missa tres offerentes distinguuntur, Christus, Ecclesia, & Sacerdes.*

IN Missâ communiter tres offerentes distinguuntur. Primus & principalis est Christus Dominus, qui sacrificium incruentum sui corporis & sanguinis quotidie Patri Sacerdotum offert ministerio. Secundus offerens est Ecclesia Catholica, quæ tanquam communitas quædam, & Congregatio fidelium hanc victimam Deo offert per Sacerdotes tanquam per idoneos ministros ab ipsâ deputatos, ac consecratos. Tertius offerens est ipse Sacerdos, & omnes adstantes huic sacrificio, vel inseruientes Altari vel in choro, vel illud procurantes, vel ad illud specialiter cooperantes.

20 *Christus se offert Deo Patri in Missa.*

Verùm Christus Dominus, qui semetipsum immolauit in Cruce se iugiter Sacerdotum ministerio in Missa immolat, Concilia definiunt: Lateran. *in cap. Firmiter, de summa Trinit.* Florent. *in decreto de Sacram.* Trident. *sess.* 22. *cap.* 2. Propterea Dauid cecinit *Psal.* 109. *Tu es Sacerdos in æternum*, id est, toto sæculi decursu sempiternum habens sacerdotium. Christus gerit officium Sacerdotis perpetui, dùm eius verbis, & eius nomine Sacerdotes dicunt, *Hoc est Corpus meum: Hic est calix Sanguinis mei.* Aptè August. *ad Psal.* 38. Ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offertur. Sic planè dignitati sacrificij dignitas offerentis respondet. Bellarm. *lib.* 2. *de Missa c.* 4. Suar. *d.* 77. *sect.* 1. Laym. *lib.* 5. *tr.* 5. *c.* 1.

21 *Ecclesia offert Missæ sacrificium per Sacerdotes.*

Ecclesia autem dicitur offerre Missæ sacrificium per Sacerdotes tanquam ministros à se deputatos. Quia ille dicitur offerre, cuius nomine Sacerdos agit: sed agit Sacerdos in Altari ministerium illud Ecclesiæ nomine, quæ Deum adit per suum legatum, & multas Missæ ceremonias instituit, & preces, quæ vim specialem indè participant, quatenus exhibentur Ecclesiæ nomine semper Numini cœlesti gratissimæ. D. Th. 3. *part. quæst.* 82. *art.* 6. Henriq. *lib.* 9. *cap.* 17. *n.* 1. & 3. Filliuc. *tr.* 5. *n.* 37.

22 *Omnes Sacerdotes licet indigni, & præcisi Missæ sacrificium valide offerunt. Sed non tolerati nomine Ecclesiæ non offerunt.*

Omnes nouæ legis Sacerdotes quamuis sint peccatores, vel præcisi, vel etiam hæretici validè Missæ sacrificium offerunt, si legitimam formam, ac ritum essentialem adhibeant. Verum est, Sacerdotes præcisos non posse offerre tanquam Ecclesiæ ministros quoad preces & ceremonias, in quibus Ecclesia non vult, illos suo ex nomine operari. Quapropter Sacerdos præcisus, & non toleratus, si dicat Missam, validè sacrificat, & Missa proderit quoad valorem, quem habet ex parte Christi principaliter offerentis. At non proderit quoad valorem prouenientem ex parte Ecclesiæ. Nihilominus si quis Sacerdos peccator, ac præcisus, & non toleratus, accepto stipendio, celebrat pro aliquo, obligationi iustitiæ satisfacit. Quia applicat illum fructum, quem vt Christi minister applicare tenetur. D. Tho. *q.* 82. *art.* 6. Coninch *ibi.* Suar. *d.* 86 *sect.* 1. Bonac. cum aliis *d.* 4. *q. vlt. punct.* 6. *n.* 5.

23 *Toleratus offert nomine Ecclesiæ.*

Sacerdos autem præcisus & toleratus offert etiam Ecclesiæ nomine, quæ dum illum tolerat, non irritat eius acta, licèt grauiter peccet excommunicatus, si sponte se diuinis ingerat. Bonac. *d.* 4. *q. vlt. n.* 6. *n.* 5.

24 *Sacrificium Sacerdotis indigni habet suum valorem quatenus sit nomine Christi, & Ecclesiæ, &c.*

Similiter si Sacerdos sit indignus, non verò præcisus, peccat sacrificans; & eius sacrificium suum habet valorem, quatenus sit nomine Christi, & Ecclesiæ: non tamen habet valorem respondentem eius precibus, vt personæ particularis. Quia priuatæ peccatoris preces fructuosæ non sunt. D. Thom. 3. *part. qu.* 82. *art.* 2. & probat ex illo *Prou.* 28. *Qui declinat aures suas, nè audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Quod intelligo, quoties ipsamet oratio peccaminosa est, vt contingit in peccatore sacrificante. Nam alioquin orationes peccatorum, quando debitis conditionbus fiunt, exaudiuntur, non ex orantis merito, sed ex Dei misericordia. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 16.

25 *Qui ministrat & adstant Missæ offerunt sacrificium.*

Præter Sacerdotem celebrantem dixi etiam offerre qui sacrificationi ministrant, vt Diaconus, & alij vel Altari, vel choro seruientes. Item qui petunt, vel procurant offerri sacrificium, qui stipem dant Sacerdoti, vel illum ad celebrandum inducunt, vel alio modo concurrunt ad celebrationem. Quia in moralibus, qui cooperatur alicui ex præfatis modis actioni, potest, & solet ab illa denominari. Demùm etiam adstantes. Quia hoc ipsum est humano modo concurrere consentiendo, & communicando tali actioni: sicut dicuntur moraliter ad actionem concurrere, qui comitantur, vel assistunt operanti, Colligo apertè id ex verbis Missæ. Nam Diaconus simul cum celebrante dicit in Calicis oblatione: *Offerimus tibi Domine, Calicem salutaris.* Sacerdos ipse sæpè in plurali loquitur: *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus.* Et rursus, *Orate fratres pro me, vt meum, ac vestrum sacrificium.* Et de circunstantibus dicit: *Qui tibi offerunt.* Suar. *dist.* 77. *sect.* 3. Fagund. *præc.* 1. *lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 3. & 16. Vasq. *d.* 226. *c.* 2. Coninch *qu.* 83. *n.* 108. Card. de Lugo *d.* 19. *n.* 239. Auersl. *q.* 11. *sect.* 9. Certè qui volunt Missam audire, non solùm volunt

volunt materialiter illas voces percipere, & videre, quæ fiunt, alioquin Cœcus ac Surdus illo præcepto non obligarentur. Volunt ergo illud simul cum Sacerdote Sacrificium offerre.

26 *Missa fructus Sacrificium applicationem optinet.*

Cæterùm quamvis Præpositiuus relatus à D. Thom. *in 4. dist. 45.* dixerit ex intentione Christi Missæ fructum cunctis fidelibus applicari pro dispositione singulorum independenter à voluntate celebrantis: oppositum est conforme sensui fidelium, qui iuxtà Præpositiui sententiam frustra curarent, Missas pro se, vel pro suis dici defunctis. Cùm igitur ex Ecclesiæ praxi constet, aliquem Missæ fructum aliis posse applicari: nec Christum hanc applicationem suæ voluntati reseruare: conueniens institutionis modus, & Ecclesiæ traditioni conformis est, vt hic effectus detur illi, cui Sacerdos offerens tanquam dispensator mysteriorum, ipsum applicuerit. D. Thom. *quæst. 82. art. 6.* Coninch. *q. 83. n. 155.* Suar. *d. 79. sect. 9.* Filliuc. *tr. 5. n. 73.* Auersa *q. 11. sect. 10.*

27 *Debet Sacerdos applicare Missam pro persona determinata.*

Debet Sacerdos specialiter applicare sacrificium pro determinata persona, vt ipsi conferat specialem fructum tam satisfactionis, quàm impetrationis. Quia hic est modus communicandi talem effectum. Potest autem offerre pro pluribus, sed determinatis, inter quos integer fructus diuidatur iuxta dispositionem designatam ab offerente. Quia hoc totum ab eius intentione dependet. Vasquez *distinct. 138. numer. 74.* Granad. *part. 3. contr. 3. tr. 5. dist. 4. sect. 2. num. 14.*

28 *Tenetur obedire Superiori petenti vt pro tali persona, vel re offerat Missam.*

Si Superior Sacerdoti subdito præcipiat, vt Missam pro tali personâ offerat, tenetur obedire. Quia licèt Sacerdos in applicandis Missis operetur vt Christi minister, cuius intentio censetur eadem cum intentione celebrantis, & ideò quo ad hoc intentio Sacerdotis non subdatur Ecclesiæ, vel Superiori cuipiam; à quo possit irritari: subditur verò quoad obligationem offerendi, vel non offerendi, quæ potest esse grauis. Vnde quando Superiores subditis præcipiunt, vt Missas offerant pro his, qui exhibuere stipendium, vel pro fundatoribus, aut benefactoribus, qui saltem virtualiter contraxisse censeantur cum Religione, cui sua bona tribuerint Missarum intuitu, quæ in illa assolent pro fundatoribus, & benefactoribus geri: peccant mortaliter contra virtualem contractum Religiosi, qui Missas iuxta Superioris præceptum non applicant. Fagund. *præc. 1. libro 3. capite 10. numero 4. & 6.* Henriquez, & Suarez apud ipsum.

29 *Quando non tenetur obedire Superiori mortali.*

Quando verò Superiores præcipiunt, pro deuotis amicis, Prælatis, Principibus, vel pro conuersione Gentilium, aut Hæreticorum, vel pro communibus necessitatibus Missas offerri: subditi sub mortali non tenentur obedire. Quia nec Superiores obligare subditos tam grauiter intendunt: cum id potius commendent, quàm præcipiant. Fagundez *præc. 1. lib. 3. capite 10. numero 6.*

30 *Quid si Sacerdos suam referat intentionem ad applicationem alterius.*

Si Sacerdos referat intentionem suam ad applicationem alterius, qui nondum Missam applicuit, quando dicebatur: frustratur Missa suo effectu. Quia hic non potest manere suspensus, nisi celebrans apposuerit secundam, vel tertiam applicationem, quæ sortiatur effectum. Franc. de Lugo *de Sacrament. libr. 5. capite 3. num. 41.*

Debet Sacerdos, cùm celebrat, habere saltem virtualem intentionem. Quia post Missam dictam haud illam poterit applicare. Non enim potest Missam applicare, nisi dum gerit Christi personam, vt eius nomine dispenset: Sed non gerit Christi personam nisi dum celebrat: Ergo tunc solùm poterit Missæ fructum applicare. Coninch. *q. 83. n. 167.* 31 *Debet dũ celebrat, habere saltem intentionẽ virtualem.*

CAPVT IV.

De Missæ Fructu.

32 *Missa effectũ aliquẽ ex opere operato habet.*

MISSA effectum aliquem ex opere operato habet, vt causam particularem & proximam illius, id est, vi sacrificij præter omne meritum operantis aliquid infallibiliter confertur non ponentibus obicem. Quia ex antiquissimo Ecclesiæ tam vsu, quàm sensu cuncti fideles offerunt Missam, ad obtinendam remissionem peccatorum suorum, vel alienorum etiam: & ad subueniendum humanis indigentiis: & sibi persuadent, non pendere Missæ fructum à sanctitate Ministri, sed independenter ab eius merito, vi sacrificij nobis aliquem fructum Dominicæ Redemptionis applicari. D. Thom. 3. *parte quæst. 79. art. 5. & quæst. 82. art. 1.* Suarez cum aliis *distinct. 79. section. 1.* Vasquez *distinctione 229. capite 2.* Coninch. *quæstione 83. numero 116.* Bonacin. *dist. 4. quæst. vlt. pun. 4. num. 7.*

33 *Habet vim ad impetrandos eos effectus, pro quibus obtinendis offertur.*

In particulari verò Missa habet specialem vim, ad impetrandos eos effectus, pro quibus obtinendis offertur. Quia ex Ecclesiæ praxi recepta, semper obseruatum est, vt celebrans oret in Missâ pro viuis & defunctis, & pro communibus, & particularibus hominum necessitatibus pro quibus etiam in Missali propriæ quædam orationes habentur: quòd scilicet semper creditum est, plurimum velere Missam, ad conferendam his precibus vim impetrandi. Hoc probat ex Patribus Catechismus Romanus *tract. de sacrific.* Suar. *d. 79. sect. 2.* Coninch. *dist. 83. num. 118.*

34 *Hæc impetratio tripliciter potest cõsiderari.*

Hæc impetratio considerari potest in ordine ad proximè offerentes, vel ad Ecclesiam, quæ remotè offert: vel ad Christum, qui principaliter offert per suum Ministrum. Nec est dubium quin offerentes proximè, si ritè sacrificent, vel offerant, per Missam, sicut per aliqua bona opera, possint impetrare. Rursus Ecclesia quatenus offert mediatè sacrificium per Sacerdotem, sic per eundem quasi per legatum à se destinatum, Deum orat, ab eóque impetrat, quin obstet malitia Ministrorum, vt aliqua ratione semper exaudiatur, & bonum aliquod semper Ecclesiæ, saltem in communi proueniat ex Missæ sacrificio, nisi Sacerdos sit præcisus, & vitandus, per quem sicut Ecclesia non vult offerre, sic nec orare, nec impetrare. Suar. *distinction. 79. sectione 1.* Vasq. *distinction. 229. capite 2.* Coninch. *q. 83. num. 116.*

35 *Missa ex opere operato pœnã aliquã temporalem remittit.*

Missæ sacrificium iuxta suam directam constitutionem ex opere operato remittit pœnam aliquam temporalem immediatè, quatenus Christus externæ sacrificationi certam portionem suorum meritorum annexuit ad certum remissionis effectum infallibiliter conferendum

iis,

iis pro quibus offertur, nisi obicem apponant. Hunc effectum meritò ex opere operato vocitarim, quia ponitur independens à dignitate, vel deuotione ministrantis, & vltra meritum recipientis ex promissione Dei certa, quam probat communis Ecclesiæ consensus, & Trident. *sess. 22. cap. 2. & can. 3.* D. Thom. *quæst. 79. articul. 5.* Suar. *dist. 79. sect. 6.* Vasq. *dist. 228. cap. 4.* Bellar. *l. 2. de Missâ, cap. 4. & 7.* Henriq. *l. 9. c. 13. n. 1.* qui plurimos citant.

36 *Conducit, ad impetrãdã remissionem alterius partis pœnæ.*

Præter illam partem pœnæ, quæ condonatur ex vi satisfactionis applicatæ per Missam, conducit, quoque hoc sacrificium ad impetrandum remissionem alterius partis pœnarum. Quia Missa est per se sufficiens ad impetrandum quodlibet bonum præsertim spirituale, cuiusmodi remissio temporalis pœnæ censetur. Suar. *dist. 79. section. 6.* Filliuc. *tract. 5. num. 68.* Fagund. *prac. 1. lib. 4. cap. 1. num. 11.* Card. de Lugo *d. 19. n. 158.*

37 *Hic effectus præstari potest mediatè, vel immediatè.*

Hic verò effectus præstari potest dupliciter, scilicet mediatè vel immediatè. Mediatè fit quatenus Missæ sacrificium impetrat gratias præuenientes, & viros spirituales ad opera pœnitentiæ præstanda, quibus Deo satisfacere possimus pro pœnis peccatorum nostrorum, vel alienorum etiam quoties aliis satisfactionem nostram applicamus. Et hunc modum satisfactionis dari de facto censeo. Auersa *de Eucharistiâ quæst. 11. sect. 11. & de pœnitent. quæst. 3. sect. 3.* Immediatè fieret, si per Missam orationi coniunctam impetraretur remissio pœnæ debitæ peccatis illorum, pro quibus oratur, nihil illis interim operantibus.

38 *Quatenus propitiatorium est hoc sacrificium, confert aliquomodo primam gratiam.*

Sacrificium Missæ quatenus propitiatorium est, confert primam gratiam, & remittit peccata mortalia saltem aliquomodo: quod ita certum est apud Catholicos, vt oppositum censeatur erroneum. Quia hoc significant verba illa consecrationis: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quæ meritò Patres de sacrificio explicant incruento; nam in Cruce nullus Calix profusus est. Quare Concil. Brachar. III. *c. 1.* & Iulius Papa *in cap. omne crimen, de consecrat. dist. 2.* dicunt, omne crimen, atque peccatum, oblatis Deo sacrificiis, deleri. Ballarm. *lib. 5. de Missâ, cap. 2.* Henriq. *lib. 9. cap. 15. n. 1.* Suar. *d. 79. sect. 3.* Vasq. *d. 228. c. 1.* Bonac. *d. 4. q. vlt. punct. 3. num. 2.* Coninch. *q. 83. num. 137.* Martinon. *de Eucharist. d. 39. num. 1. & 2.*

39 *Quatenus placat Deum, hic effectus est infallibilis.*

Porrò effectus Missæ, quatenus placat Deum & eius indignationem auertit, infallibilis est tali mensura, qualem Deus in eius institutione designauit. Quia effectus, quem Missæ sacrificium habet, vt propitiatorium est quoad remissionem pœnæ iuxta mensuram institutionis suæ, semper est infallibilis, si obex non apponatur, vt communiter Theologi fatentur: Ergò pariter erit infallibilis quoad placandum Deum in ordine ad remissionem culpæ, cum vterque affectus ab eâdem virtute propitiandi procedat. Card. de Lugo *d. 19. n. 143.*

40 *Quatenus impetratorium est, habet semper effectum aliquem infallibilem.*

Quatenus autem hoc sacrificium impetratorium est, habet semper effectum aliquem infallibilem in subiecto capaci. Et quidem si peccator oret, & Missam faciat pro suâ conuersione offerri, nec opponat impedimentum, impetratio specialium auxiliorum infallibilis erit, saltem ex promissione precibus facta. Suarez *dist. 79. section. 3.* Filliuc. *tractatu 5. numero 61.*

Præterea ob Missæ sacrificium illa semper auxilia Deus confert, quibus quantum est ex se, sincere expetit peccatorem conuertere: & peccator conuerti possit, si velit. Vnde nos Missam licitè offerimus ad impetrandum auxilium efficax, & frequenter illud impetramus; interdum verò datur inefficax secundùm diuinæ volũtatis consilium. Censeo tamen propter Missam dari semper auxilium validius, & efficacius quoad actiuitatem internam, quàm sine Missâ daretur eidem peccatori. Quia sic decet tanti sacrificij dignitatem. Colligo, auxilia, quæ per Missam conferuntur, non esse semper efficacia, & sufficere ad dignitatem Sacramenti sufficientia esse. Quia sicut sufficit, vt gratia Sacramentalis sufficientia inducat auxilia: sic etiam sufficiet, vt Missa pro peccatoribus oblata sufficientia auxilia causet. Nec expediebat, impetrationem auxiliorum efficacium infallibilem esse, vt semper cum timore, ac tremore nostram salutem operemur. Suar. *d. 79. sect. 3.* Fagund. *prac. 1. l. 4. cap. 2. n. 18.* Bonac. *d. 4. quæst. vltim. punct. 3. num. 4.* Coninch. *dist. 83. n. 140.* 41 *Ob Missæ sacrificium Deus semper illa confert auxilia, quæ possit peccator conuerti.*

Non confert Missa ex opere operato gratiæ sanctificantis augmentum in illis iustis, pro quibus offertur. Quia alioquin vtiliter offerremus Missam pro paruulis, amentibus, ac phreneticis ad augendam ipsorum gratiam ex opere operato: quod tamen est contra sensum, & praxim fidelium, & valdè temerarium. Verùm quamvis Missa non impetret immediatè gratiæ augmentum, mediatè potest illud impetrare, dum offertur pro iustis, vt illud conferatur auxilium excitans ad actus virtutis eliciendos, quibus eorum gratia meritoriè augeatur. Quia si Missa peccatoribus impetrat auxilium excitans ad conuersionem: cur non pariter iustis impetrabit auxilium ad augendam meritoriè gratiam frequenter efficacem, interdum inefficacem: semper tamen quoad internam actiuitatem validiorem, quam quæ sine Missâ concederetur. Suar. *d. 79. sect. 3.* Vasq. *d. 228. c. 3.* Coninch. *qu. 83. n. 131. & 137.* 42 *Non autem confert gratiã sanctificantis augmentũ ex opere operato.*

Conducit Missa ad remissionem venialium saltem mediatè, scilicet per impetrationem auxiliorum, quibus eliciantur actus ad venialium expiationem disponentes. Quia Trident. *sess. 22. c. 2.* profatur, per Missam applicari virtutem passionis in remissionem eorum, quæ à nobis quotidiè committuntur, peccatorum, nempè venialium. Vasq. *d. 228. c. 3.* Suar. *d. 79. sect. 5.* Fagund. *prac. 1. lib. 4. cap. 4. num. 1.* Coninch. *quæstion. 83. num. 136.* Bonac. *d. 4. q. vlt. pun. 3. num. 5.* 43 *Conducit ad venialiũ remissionem.*

Secluso quovis actu, quo peccatum veniale formaliter, aut virtualiter detestemur, potest nobis per vim huius sacrificij remitti sine mutatione nostrâ physicâ, qua vel gratiam habitualẽ, vel donum aliud recipiamus, vel aliquem eliciamus actum. Quia cum veniale peccatum non relinquat propriam maculam, quæ priuationem includat alicuius doni: sed solam deordinationem habitualem respectu Dei displicentis in homine propter actum præteritum: potest Deus tollere maculam venialem, dum non detur obex actualis, aut habitualis complacentiæ, per moralem condonationem externam, sine physicâ muta- 44 *Secluso quovis actu, potest nobis veniale vi Missæ remitti.*

mutatione illius, qui venialiter peccauit. Suar. *d.79.sect.5.* Coninch. *q.83. num.136.* Fagund. *prec.l.4.c.4.n.5.* Quid circa hæc de facto Missa gerat, *sect.2.* expendam.

45 Ad hæc Missa valet ad impetranda temporalia bona, quatenus spiritualibus deseruiunt. Quia Ecclesia Missam offert pro fructibus terræ, pro pace, pro infirmis, & in Canone dicit, offerri *pro spe salutis, & incolumitatis nostræ*, & peculiariter orationes adhibet in Missâ pro bonis temporariis ad impetrandam pluuiam, & serenitatem, ad famem depellendam, tempestatem, ac pestem ablegandam: supponens vtique, posse talia bona per Missam obtineri, quæ petitionem omnem reddit efficaciorem, & faciliorem omnium bonorum impetrationem: faciliorem inquam, non infallibilem. Nam hæc bona non debent absolutè peti, sed solùm quatenus Deus viderit expedire. Coninch. *q.83. n.136.* Card. de Lugo *d.19.n.11.*

Missa impetrans temporalia bona quatenus spiritualibus deseruiunt.

46 Dixi superius, dari quatuor Ordines offerentium Missæ sacrificium: Christum Dominum, Ecclesiam, Sacerdotem celebrantem, & omnes alios cum Sacerdote concurrentes ad offerendum. Circa primum scio aliquos voluisse, Missæ quatenus præcisè offertur à Christo, respondere fructum quem pro libito Dominus alicui applicet. Citatur *Scotus quodl.* 20. Sed neque hoc ille asseruit, nec asseri cum fundamento potest. Quia sicut Christus iam per se nullum sacrificium offert, ita nec huius fructum per se cuiquam applicat; sed per Ecclesiæ ministros: nec habet fructum distinctum ab eo, qui oblationi Sacerdotis respondet. Suar. *d.79. sect.8.* Filliuc. *tr.5.n.72.* Coninch. *q.83.n.149.* Circa secundum, & tertium *sect.2.* Problemata instituam.

Quatuor Ordines offerentium. Christus per peculiaria sua sacrificij vim applicat.

47 Iam verò si rogites, pro quibus Missâ possit offerri, eiusve fructus applicari? Certum est, principalem offerentem, (quem *num.45.* diximus esse Christum) offerre Missam non posse pro se ipso. Quia vt ait Apostolus *Hebr.7.* non habet vllam necessitatem (quemadmodum Sacerdotes) prius pro suis delictis Hostias offerre. At cæteri Sacerdotes offerre possunt pro semetipsis, cum ipsi Missæ fructu indigeant. Possunt quoque pro aliis offerre, vt constat ex Paulo *Hebr.5.* & ex Canone Missæ, & ex ipsâ naturâ sacrificij, quod pro aliis etiam est institutum. Quapropter in ordinatione datur Sacerdoti potestas offerendi pro viuis & defunctis.

Christus pro quibus Missam offerat non debet. vel. reliqui Sacerdotes offerunt pro se ipsis.

48 Sacerdos quidem non solùm potest, sed etiam debet Missam offerre pro totâ Ecclesiâ Militante, omnibusque eius membris, specialiter pro præcipuis, quæ nominari solent. Quia debet Sacerdos se conformare Canoni Missæ, vbi dicitur, sacrificium offerri pro Ecclesiâ sanctâ Catholicâ, pro Papâ, pro Antistite, pro Rege, & omnibus Orthodoxis. Monuerim tamen, illam obligationem non esse iuris diuini, nam ex illo non habetur: sed ab Ecclesiâ imponi, dum illa verba præscribit. Quarè Sacerdos quatenus offert Ecclesiæ nomine, nec licitè, nec validè potest, aliquem ab hoc generali fructu excludere, quia non potest intentionem Ecclesiæ mutare. Laym. *l.5.tr.5.c.2.n.16.* Bonac. *d.4.quæst.vltim. puncto 5. numer.2. & 3.* Suarez *distinct.78. sect.2.*

Sacerdos debet Missam offerre pro tota Ecclesia Militante.

49 Potest offerri Missa pro quibuslibet excommunicatis indirectè, quatenus offertur directè pro Prouinciis hæresi infectis, vel pro viris Apostolicis, qui procurant reductionē excommunicatorum. Quia hoc nullibi prohibetur. Potest celebrans suo nomine tanquam persona priuata orare, & offerre Missam pro quolibet excommunicato, etiam non tolerato quatenus actio sacrificandi est opus operantis, habens vt sic vim impetrandi, vel etiam satisfaciendi. Quia hoc non est prohibitum ab Ecclesiâ, sed solùm publicum sacrificium, vt offertur nomine Christi, vel Ecclesiæ cum omnibus Ecclesiæ suffragiis. Non licet pro non toleratis Missam offerre. Quia grauiter præscribit Ecclesia, ne Sacerdos in nomine Christi, vel Ecclesiæ Missam pro his offerat. At si Sacerdos de facto celebret pro non toleratis, vt Ecclesiæ personam gerit, applicatio Missæ non valet: vt autem gerit Christi personam, applicatio, quamvis illicita valet, si sit capax subiectum. Quia Ecclesia sub prohibitione tollit omnem fructum sacrificij, qui suo nomine non toleratis posset prouenire; non verò potest tollere fructum Christi nomine prouenientem; hic enim solummodo à celebrantis in nomine Christi voluntate dependet. Conueniunt Doctores.

Excommunicatis potest indirectè etiā non tolerato, certo modo.

50 Pro peccatoribus etiam publicis potest Missa offerri quoad bonorum spiritualium impetrationem, vel etiam temporalium, quæ ad animi conferant salutem. Sic in Missali peculiariter orationes habentur pro peccatorum expiatione, nimirum vt virtute Missæ conferantur peccatoribus auxilia gratiæ peculiaria tam ad conuersionem, quàm ad euitanda noua peccata per obseruantiam præceptorum: vt simul etiam excitentur Angeli custodes ad Deum pro suis alumnis exorandum, vt impediatur Diabolus, nè plus nimio noceat, vel tentet, nevè ligatos teneat homines in continuo criminis affectu. Quoad satisfactionem verò non prodest illis; quia non sunt capaces. Vasq. *d.227.n.4.& 25.* Suar. *d.72.sect.2.* Auersa *q.11.sect.10.§.7.* Henriq. *l.9.c.15.n.2.*

Et pro peccatoribus etiam publicis.

51 Infantes quoque licèt sint satisfactionis incapaces, possunt ex Missâ impetrationis fructum recipere. Ideò Clemens Roman. *l.8. Constit. c.10.* iubet, in Missarum solemniis pro infantibus orare, vt eos Dominus reddat suo in amore perfectos, & ad mensuram perducat ætatis. Energumeni si sint adulti, & iusti, fructum etiam satisfactionis percipient. Quia Concilium Eliueritanum *c.29.* solùm prohibet, Energumenos Missæ ministrare, vel eorum nomen ad Altare cum oblatione recitari, qui propter publica peccata traditi fuerant dæmonis potestati. Nā de cæteris Energumenis fidelibus *c.37.* decernit, non esse negandam ipsis communionem: Ergo non denegandus erit fructus satisfactionis ex Missa prouenientis. Suar. *d.72. sect.2.* Laym. *l.5. tr.5.cap.2.n.6.* Filliuc. *tr.5.n.44.* & alij communiter.

Infantes possunt ex Missæ fructu impetrationis accipere: & energumeni satisfactionis.

52 Pro defunctis in Purgatorio existentibus posse Missam offerri definit Trident. *sess.22. c.2. & can.3.* Consentiunt Patres ac Doctores Catholici contra Nouatores. Quia animæ in Purgatorio existentes sunt membra viua corporis Ecclesiæ, & torquentur pro delictorum reatu: Ergo iuuari possunt sacrificiis, quorum fructus satisfactionis ipsis applicetur infallibili lege. Bellarmin. *tom.3. lib.2. de Missa, cap.7.*

Et pro defunctis in Purgatorio existentibus.

Pro

53 *Pro damnatis minimè.*

Pro defunctis damnatis non potest Missa offerri. Quia cum sint extra salutis statum, & omnis beneficij gratuiti incapaces, nec satisfactionem, nec impetrationem Missæ possunt participare. D. Thom. 3. *p. q. 52. art. 3.* Bellarm. *lib. 2. de Missa, c. 6.* Vasq. *d. 227. c. 5.*

54 *Pro sanctis beatis impropriè offerri etiam dicitur.*

Impropriè demum dicitur Missa pro sanctis beatis offerri non quoad satisfactionem, qua non indigent: nec directè quoad impetrationem gloriæ accidentalis; nam hæc habet in beatis singulis determinatam legem, quæ directè non pendet ab orationibus nostris; sed quo ad agendas gratias Deo pro beneficiis in beatos collatis, & ad ipsos Sanctos honorandos, & inuocandos. Vasq. *d. 227. c. 5.* Bellarm. *lib. 2. de Missa, cap. 8.* Fagund. *præc. 1. lib. 3. c. 11.*

55 *Quidnam requiratur in iis, pro quibus Missa dicitur?*

Iam verò exprimam, quidnam requiratur in iis, pro quibus Missa dicitur, vt eius fructum percipiant. Profectò quatuor communiter requiruntur, capacitas scilicet, status, indigentia, dispositio. Capacitas confertur communiter per Baptismum. (Sed iam vidimus supra, quo ad impetrationem prodesse non baptizatis, & infidelibus; & forsan etiam quo ad satisfactionem catechumenis.) Status requiritur viatoris, quo nomine comprehenduntur etiam animæ Purgatorij, quia nondum ad vltimũ gloriæ terminum peruenerunt. Requiritur indigentia, nempè vt illi, pro quibus sacrificium offertur, habeant aliquem reatum pœnæ temporalis ex culpa remissa relictum, vt Missæ satisfactionem participent. Quia si culpa nondum sit remissa, huiusmodi culpæ pœna non remittitur. Nec enim institutioni Missæ, nec rationi est consonum, vt stante culpa, eius pœna remittatur. Denique requiritur dispositio; sed certum est, quoad impetrationem prodesse Missam etiam peccatoribus. Suar. *d. 34 sect. 10.* Fagund. *præc. 1. lib. 4. c. 1. n. 19.* & alij communiter.

56 *Missæ valor quatenus à Christo offertur, est infinitus.*

Quæsieris, vtrum Missæ valor sit infinitus? Certè valor Missæ quatenus offertur à Christo principaliter, & à Sacerdote Christi personam gerente, valorem habet infinitum. Quia tunc tam res oblata, quàm primarius offerens est Christus Dominus habens infinitam dignitatem, & sanctitatem ob hypostasim diuinam, vndè sufficientem habet proportionem, vt possit ad infinitum effectum operandum institui. Suar. *d. 79. sect. 11.* Coninch *q. 83. n. 179.*

57 *Quatenus autem est opus operantis proximi, id est, Sacerdotis, finitus est.*

De valore itaque Missæ nulla est dubitatio, tota quæstio circa fructum versari potest. Valor enim distinguitur ab effectu; nam valor significat dignitatem moralem huius oblationis, vt sufficere possit ad meritum, satisfactionem, & impetrationem, si iuxta diuinam institutionem ad aliquod eorum referatur. Effectus autem est id, quod de facto datur, vel dari potest iuxta diuinam institutionem, quæ completam vim proximam producendi talem effectum tali sacrificio contulerit. Et quidem valor Missæ, quatenus est opus operantis proximi (nempè Sacerdotis vel aliorum cooffierentium) finitus est, sicut aliorum operum. Quia in hac oblatione magis attenditur offerentis dignitas, & deuotio, quæ finitæ sunt in hoc casu: quàm dignitas, seu quantitas rei oblatæ. Alioquin oblatio, qua Deipara suum Filium in Templo obtulit, valorem habuisset infinitum. D. Thom. 3. *p. q. 79. a. 5.* Card. de Lugo *d. 19. n. 254.*

58

Fructus Missæ potest dici, vel infinitus intensiuè, vel extensiuè: vterque tursus sumi potest cathegorematicè, vel syncathegorematicè; fructus esset, infinitus cathegorematicè intensiuè, si simul remitteretur debitum infinitæ pœnæ simpliciter, vel impetraretur aliquid infinitum simpliciter; sed neutrum vnquam contingit, & ideo conueniunt Doctores, Missæ fructum esse intensiuè cathegorematicè finitum. Quia Deus noluit, conferri per Missam infinitum simpliciter effectum; sed finitum, ac determinatum, quem ipse nouit; & nos colligimus ex Ecclesiæ praxi, plures Missas applicatas eidem: quia scilicet sentit, vnicam non semper totius pœnæ remissionem, vel totius petitionis impetrationem conferre. D. Thom. *in 4. d. 45. q. 2. a. 4. quæstiunc. 3. ad 2.* Suar. *d. 79. sect. 11.* Filliuc. *tr. 5. n. 85.* Coninch. *q. 83. n. 191.* Bonac. cum aliis *d. 4. q. vltim. punct. 4.*

Missæ fructus est intensiuè cathegorematicè finitus.

59 *Potest dici intensiuè infinitus syncathegorematicè.*

Fructus hic dici potest infinitus intensiuè syncathegorematicè, quatenus crescere potest quoad satisfactionem iuxta dispositionem eorum, quibus applicatur: & sicut dispositio crescere potest sine termino: sic pariter remissio pœnæ crescere potest in infinitum. Similiter quoad impetrationem crescere potest in infinitum, quatenus nunquam possumus aliquid petere, quo non possimus petere, ac impetrare aliquid maius, si nimirùm offerentium deuotio, vel multitudo crescat; siquidem singulis conferentibus particularis fructus impetrationis, & satisfactionis, minor, vel maior secundùm minorem, vel maiorem ipsorum dispositionem, correspondet. Vasq. *d. 230. n. 15.* Coninch. *q. 83. n. 187.* Card. de Lugo *d. 19. num. 242.* Auersa *q. 11. section. 9. §. & intelligitur.*

60 *Nõ datur fructus infinitus intensiuè cathegorematicè.*

Extensiuè diceretur infinitus cathegorematicè Missæ fructus, si videlicet simul infinitis hominibus pœna finita remitteretur: vel bonum aliquod infinitum posset impetrari. At cum nunquam dentur infiniti homines simul, certum est, non dari fructum extensiuè cathegorematicè infinitum. Doctores proximè citati.

61 *Plures offerentes integrum fructum Missæ percipiunt, iuxtà dispositionem.*

Quando plures offerentes, seu cooffierentes ad idem numero sacrificium concurrunt, singuli quatenus offerentes sunt, accipiunt integrum fructum, non minorem, quàm si vnicus offerens daretur. Vnde talis fructus dici potest syncathegorematicè infinitus extensiuè. Quia hic fructus adscribitur offerentibus, quatenus cum debita dispositione cooperantur ad tanti sacrificij oblationem; sed multiplicatis offerentibus multiplicantur dispositiones, & oblationes: Ergo fructus debet ad offerentium numerum multiplicari. Suar. *d. 79. sect. 12.* Filliuc. *tract. 5. n. 86.* Merat. *tom. 3. de Euch. d. 38. n. 4.* Diana *p. 5. tr. 14. resol. 112.*

62 *Fructus quoad impetrationem est infinitus extensiuè syncathegorematicè.*

Missæ fructus quoad impetrationem est infinitus extensiuè syncathegorematicè, quatenus Missa pro multis oblatâ, non minus impetrat singulis, quàm si pro vno tantum offerretur. Quia impetratio sola Dei misericordia nititur, & respicit meram ipsius liberalitatem: At ad hanc æliciendam Missæ sacrificium est infinitè Deo gratum, tam ex parte principalis offerentis, quàm ex parte rei oblatæ, cuius valor semper excedit quemlibet beneficiorum numerum: Ergo ex se sufficiens est ad impetrandam quamlibet beneficiorum multitudinem. D. Thom. *in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 4. quæstiunc. 2.* Suar. *dist. 79. sect. 12.*

sect. 12. Filliuc. *tract.* 5. *n.* 91. Auersa *q.* 11. *sect.* 7. Vasq. *d.* 230. *c.* 2.

63 Denique Missæ fructus quoad satisfactionem quæ correspondet illis, pro quibus Missa dicitur, est finitus extensiuè: quare si pro multis offeratur, in singulis proportione seruatâ minuitur. Quia institutio diuina sic facta censetur, vt cuiliber oblationi determinatus respondeat effectus qui totus applicati possit vni, vel multis: non autem in singulis multiplicari, sed diuini iuxta ipsorum numerum. Institutionem hanc colligimus ex communi praxi iam Apostolicis confirmata decretis, quibus iubentur Sacerdotes vni soli Missam applicare, non pluribus, cum ab vno recipiunt stipendium, D. Tho. Scot. Gabr. & alij, quos sequitur Suar. *d.* 79. *sect.* 12. Henr. *l.* 9. *c.* 19. *n.* 5. Bonac. *d.* 4. *q. vlt. punct.* 4. *n.* 6. Diana *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 196. & *p.* 5. *tr.* 12. *resol.* 81.

Fructus Missæ quoad satisfactionem est finitus.

Quoad impetrationem est infinitus.

CAPVT V.

De celebrandi Tempore.

64 QVi post ordinationem Sacerdotis per annum non celebrat, non delinquit. Quia licèt detur præceptum celebrandi, non ita videtur vrgere post Sacerdotium susceptum, vt mox debeat nouus Sacerdos celebrare: Requiritur ergò congruum temporis spatium ad ritus, & cæremonias addiscendas, & multò magis ad animæ præparationem, & ad deuotionis fomentum. Filliuc. *tr.* 5. *n.* 95. & alij.

Nouus Sacerdos per annum non tenetur celebrare.

65 Si detur causa iusta non celebrandi per diuturnum tempus, non erit peccatum abstinere. Quia quamvis sit Sacerdotibus impositum celebrandi præceptum, hoc habet, sicut alia suas iustas excusationes. Filliuc. *tr.* 5. *n.* 95. Suar. *d.* 82. *sect.* 2. & alij communiter.

Causa iusta excusat à celebratione per diuturnum tempus.

66 Si verò Sacerdos sine iustâ causâ per diuturnum tempus à celebratione abstineat, regulariter lethale piaculũ perpetrabit? Quia quidquid sit de principiis intrinsecis obligationis celebrãdi, extrinseca principia satis celebrationem suadent. Nam Sacerdos nunquam, vel ratissimè celebrans communiter, spirituale detrimentum, periculum liberius delinquendi, & aliorum scãdalum incurrit. Nec moraliter hæc omnia possunt à nunquam, vel rarissimè celebrante vitari. Manuel *in sum. p.* 1. *c.* 247. *de Missâ, n.* 4. Card. de Lugo *d.* 20. *sect.* 1. Suar. *d.* 82. *sect.* 1.

Sine iusta causa per diuturnum tempus abstinens à celebratione peccat lethaliter.

67 Simplex Sacerdos die festo (quando non est alius, qui celebret) tenetur sub mortali facere sacrum, quod laici possint audire ad præceptum implendum. Quia charitas obligat ad succurrendum necessitati præsertim spirituali proximorum, quoties commodè possumus: sed ille Sacerdos tunc potest tali fideliũ necessitati succurrere: Ergo tenetur. Datur autem vera necessitas, quia licet populus non peccaret non audiens tunc sacrum, priuaretur tamen spirituali fructu, quem ex sacri auditione perciperet, pluribus forsan necessarium ad vires animi reparandas. Profectò rarissimè Sacerdos in festo populum sine Missâ relinquet, quin aliquam infamiæ notam incurrat, quam ex charitate propriâ tenetur euitare. Manuel *in sum. tom.* 1. *c.* 247. *n.* 6. Moure *p.* 3. *c.* 5. *§.* 8. *n.* 1.

Simplex Sacerdos die festo tenetur facere sacrum.

Certè iure diuino nec singulis Sacerdotibus, nec singulis Ecclesiis, nec Ecclesiæ toti præcipitur, vel prohibetur quotidianum sacrificium. Quia nullibi reperitur talis determinatio temporis iure diuino facta. Suar. *d.* 82. *sect.* 2. cum aliis.

68 *Iure diuino nec præcipitur nec prohibetur celebratio quotidiana.*

Cathedralibus Ecclesiis quotidianæ celebrationis inest obligatio. Quare debent Episcopi, vel Præfecti talium Ecclesiarum curare, ne desit vllâ die in illis sacrificium. Quia ex c. *Iteratur, de consecr. d.* 2. & *c. cum creatura, de celebr. Missar.* præscribitur. Iuuat Ecclesiæ consuetudo, quæ vim legis habet, & communis sensus fideliũ, qui graui scandalo pungerentur, si sine iustâ causâ in his Ecclesiis sacrum omitteretur. Quare censeo eis stipendia cum hâc obligatione exhiberi. Sotus *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *artic.* 2. Vasq. *d.* 232. *num.* 13. Filliuc. *tr.* 5. *num.* 104. Coninch. *qu.* 83. *n.* 203. Azor. *tom.* 1. *l.* 10. *c.* 24. *q.* 2. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 3. *n.* 5.

69 *Cathedrales Ecclesiæ debẽt quotidie Missam celebrare.*

Eisdem rationibus hoc extenditur communiter à Doctoribus ad Ecclesias Collegiatas, si sufficientem habeant numerum Sacerdotum. Item ad Conuentus, vbi mediocris saltem sit sacerdotum numerus. Imò ad Ecclesias Parochiales, queis suppetit numerus competens Sacerdotum. At in his attendi debet consuetudo, seu cõstitutiones Synodales cuiusque Diœcesis. Vasq. *d.* 232. *n.* 13. Coninch. *q.* 83. *n.* 205. Laym. *l.* 5. *tract.* 5. *cap.* 3. *n.* 2.

70 *Et Collegiatæ, & Conuẽtuales, & Parochiales, si sufficiens sit Sacerdotum numerus.*

In cunctis anni diebus, triduum Maioris Hebdomadæ si demas, celebrare licet, nisi forsan obstet interdictum alicubi. Feria sexta Maioris Hebdomadæ celebrare non licet. Declarauit Innocent. I. *cap. Sabbatho, de consecr. dist.* 3. fatus: *Traditio Ecclesiæ habet, isto biduo Sacramenta penitus non celebrare.* Quare Sacerdos in officio solemni Parasceues non consecrat, sed hostiam pridie consecratam, & asseruatam consumit sine sanguine sub speciebus vini, quæ consuetudo generalis, & vetus inuiolabilis vsque ad hæc tempora perseuerat. Quia cùm Ecclesia recolat eâ die realem Christi passionem, & cruentum sacrificium, non repræsentat mysticè, nec immolat incruentè. D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 2. *ad* 2. Sabbatho sancto similiter olim prohibitum fuit celebrare, vt constat ex præfato textu; nam Ecclesia per totum etiam illum diem in ieiunio, luctu, & repræsẽtatione mortis Dominicæ perseuerabat, Missamque Resurrectionis nocte celebrabat in ipsâ. Posteà verò Missæ Resurrectionis anticipata fuit ad ante meridianum Sabbathi tempus. Constat ex praxi Doctorum, consensu.

71 *Cuiuslibet anni diebus celebrare possumus præter triduum passionis, & mortis Dominicæ.*

An liceat eodem die sæpius celebrare? si roges, respondeo id iure naturali vel diuino vetitũ non esse: iure tamen Canonico prohiberi. c. *Sufficit, de consec. d.* 1. c. *Consuluisti.* c. *Ne referente de celeb. Miss.* Ita D. Tho. 3. *p. q.* 83. *a.* 2. *ad* 5. Indicatur hisce in capitibus duplex prohibitionis ratio, prima mystica scilicet ad repræsentandam sufficientiam vnici sacrificij cruenti Christi Domini: secunda moralis, quia vix potest homo se dignè singulis diebus ad Missam vnicam præparare.

72 *Vetitum esse iure canonico, sæpius in die celebrare.*

Duæ huius prohibitionis exceptiones in præfato c. *Consuluisti* continentur, prima Natiuitatis Domini, secũda occurrentis necessitatis. Et quidem die Natalis Domini tres Missæ dicuntur, vt triplex Christi generatio diuina, temporalis, & spiritualis indicetur. D. Tho. *q.* 83. *a.* 2. *ad* 2.

73 *Duplex est exceptio. Natiuitatis Domini dies, & necessitas.*

74 *Causa sufficiens necessitatis est, Parochum sine coadiutore, duas habere Ecclesias.*

Circa secundam exceptionem censetur causa sufficiens necessitatis, quando Parochus coadiutore carens, duas habet Ecclesias, ne alteruter populus die festo Missa priuetur. Quia vterque habet ius Missam suâ in Parochiâ audiendi. Bonac. *d.4.q.vlt.punct.7.§.5.n.9.* Suar. *d. 80.sect.3.* Vasq. *d.232.c.5.* Azor. *to.1. l.10.c.24. q.8.* Coninch. *q. 83.n.212.* Laym. *l.5. tr.5.c.4. n.6.* Moneo tamen, requiri, vt talis Parochus in oppidis diuersis diuersas Parochias habeat.

75 *Nō potest hic Feria quinta Cœna in vtraque Ecclesia Missā celebrare.*

Parochus carēs coadiutore & duas Parochias regens, Feria 5. Cœnæ solùm in Parochiâ principaliori est celebraturus, & Eucharistia in monumento reconditurus: ne cogatur Feria 6. si velit in vtrâque officium agere, particulam immissam vino sumere, subindéque non ieiunus in secunda communicare. Quod etsi quidam admittant, ne alterutra Parochia illius diei officio priuetur: nullum ius petit, nec probat authoritas. Quare si Sacerdos non præuidens impedimentū in vtroque loco celebrauit, & Eucharistiā in monumento reposuit: poterit non sumere vinū in officio priori, nec illud in Calice mittere: sed solam particulam hostiæ. Quia illa cæremonia non est adeò essentialis. Si verò iam vinū absumpsit, non peragat officium in alterâ Parochiâ, sed in Sacrario Eucharistiā recōdat. Suar. *d.80.sect.3.* Manuel *in sum.to.1.c.247.n.5.* Martin. *to.4.d.40.n.7.*

76 *Necessitas est præterā sacrificij perfectio, cōne moribūdus sine viatico decedat.*

Varij præterea casus præter duos indicatos à Doctorib. annumerātur, qui bis posse in die Missam dici suadēt. Primus ob sacrificij perfectionē; scilicet si Sacerdos post hostiæ consecrationem recordetur, se dixisse iā eo die Missam, debet cōsecrare Calicem, & perficere sacrificiū. Similiter si Sacerdos post consecrationē deficiat, nec adsit alius, nisi qui iam Missam dixit, & ablutionem, imò & alios postmodum cibos sumpsit, debet iterum celebrare, ne maneat sacrificium imperfectum. Auersf. *de Euch. q.11.sect.15.§. Verū ex his.* Secundus, ne moribundus sine viatico decedat, potest dici secunda Missa. Quia verè magna est communionis necessitas in mortis articulo. Tol. Sylvest. Henr. Chamer. Graff. Azor. quos sequitur Bonac. *d.4.q.vlt.pun.7.§.5.n.10.* Coninch. *q. 83.n.215.* Fag. *præc.1.l.3.c.17.n.8.* Card. de Lug. *d.20.n.44.* Martin. *d.40.n.12.* Alij plures casus à Doctorib. exprimuntur, in quibus dissentiunt: ideóque ad secundam eos sectionem remitto. Monuerim interim casus hosce olim fuisse receptos vt in plurimum ob Sacerdotum paucitatem: nunc autem propter eorundem copiam in desuetudinem abiisse. Quare si alicubi nunc etiam tanta raritas Sacerdotum daretur, vt esset sufficiēs necessitas, licebit iterata celebratio iuxta morem regionis, & de consensu Prælati, si possit obtineri. Addiderim, licere pariter sæpius in die celebrare, quoties iusta necessitas etiā extrinseca occurat, videlicet populi perturbatio, multorum querimonia vel scandalum nisi rursus celebretur. Quia iii *c. Consuluisti, de celebr. Missar.* generaliter petitur iusta necessitas; & quia iure non determinatur, prudētis arbitrio relinquitur. Sylvest. *v. Missa, 1.q.7.* Nau. *c.25.n.87.* Henr. *l.9. c.30.n.7.* Lay. *l.5.tr.5.c.4.n.6.* Coninc. *q.83.n.216.*

77 *Quanā hora liceat celebrare? Ab Aurora vsque ad Meridiem.*

Quanam hora celebrare liceat? si rogites. Missa priuata quacumque hora ab Aurorâ vsque ad Meridiem dici potest. Et nulli licet ante Auroram, vel post Meridiem celebrare. Regula Missalis, Conc. Tolet. anni 1583. D. Tho. *3.p. q.83.a.2.ad 4.* & Doctores communiter. Auroræ autem nomine non intelligitur ortus solis, sed eius irradiatio prima, quam alij vocitant primam aëris illuminationem, vel lucis initium, aut crepusculi, quod præcedit solis ortum per vnam, aut duas horas pro temporum varietate. Nam circa æquinoctia præcedit per horam & quadrans; circa Solstitia, per duas horas, & quadrans; circa media tempora plus minúsvè, provt magis accedit ad hunc, vel illum terminum. Card. de Lug. *d.20.n.31.* Auersf. *q.11.sect.5. §. Quarto intra.*

78 *Huius regula exceptiones, circa Auroram.*

Ab hâc Regulâ excipitur primo Natalis Dñi dies in quâ conueniunt Doctores, primam Missam dici posse mox post mediam noctem, & sic seruat praxis Ecclesiæ. Quia hoc saltem conceditur in c. *Nocte sanctâ, de consecr. d.1.* Excipitur secundò necessitas, ratione cuius potest fieri sacrum ante lucem, v.g. quoties id necessarium sit ad cōmunicandum infirmum alioquin forsan sine viatico decessurum. Quia nec cōsuetudo, nec Missalis præceptum obligare cum tanto rigore censetur, vt non sit maioris momenti moribūdo succurrere, quàm lucem ad celebrandum expectare. An ad hoc necessaria sit Prælati licētia, necne proprio Problemate discutiam. Certè mediâ nocte posse propter moribundi Communionem celebrari existimo. Laym. *l.5.tr.5.c.4.n.2.* Diana *p.2.tr.14.res.33.* Tunc enim etiam præponderat moribundi necessitas, qui si diutius expectet, forsan sine viatico discedet. Tertio excipitur necessitas iter faciendi. Et quidem inter Episcopi priuilegia numeratur, quod causa itineris vel ipse: vel alius coram ipso possit ante lucem celebrare. Gloss. *in c.final. de priuil. in 6.* quod communiter recipiunt Doctores. Imò potest quilibet Sacerdos ob necessitatem iter faciendi vel similem ante debitam horam celebrare ex sententiâ Henriq. *l.9.c.24.n.4.* & Sa *v. Missa, n.27.* qui sic ait: *Ante Auroram celebrare licet ob necessitatem aut vrgentem causam, vt ob iter faciendum.* At in editione correctâ dicitur: *Non licet ante Auroram notabiliter, aut post Meridiem celebrare sine dispensatione.* Meritò quidem. Quia non solùm Missalis Rubrica repugnat, sed etiam consuetudo; sola quippe itineris commoditas non sufficit, nec timorati Sacerdotes id sine priuilegio agunt. Fagund. *præc.1.l.3.c.17.num.3.* Laym. *l.5. tr.5.c.4.n.3.* Qui tamen excipit cum Soto *in 4. d.13.q.2.a.2.* Nisi modica sit anticipatio cuius in materiâ morali ratio non habetur. Vel nisi causa publica sit, v.g. quia populus peregrinationem est instituturus. Addo pariter, nisi consuetudine sit inductum, vt quando dies breuissimi sunt, longè ante lucem pro famulis, operariis, & viatoribus sacra fiant: quod in Germania, Belgia, & Aquitania receptum esse testatur Gabriel. *lect.14. in Canon.* Nauarr. Vasquez Laym. & alij. Excipitur quartò priuilegium, quale dicuntur Cardinales habere, vt quamvis iter non faciant, celebrent ante lucem. Diana *part.6. tr.8.resol.40.* Item omnibus fere Regularibus concessum est, vt ante lucem, vel post meridiem ex causâ possint celebrare. Manuel *tom.1 summ. c.248.n.1.*

79 *Huius regula exceptiones circa Meridiem.*

An post Meridiem celebrare liceat, nec ne, *sect.2.* exponam. In præsenti annoto, consuetudinem non celebrandi post Meridiem non certò esse cum obligatione graui receptam. Forsan enim sicut ob humanam fragilitatem introducta fuit, sic in eius leuamen conseruatur. Aliquali

quali tamen liberalitate rerenta, ita vt latius accipiatur Meridies, quàm Aurora, non solùm licebit inchoare Missam in Meridie quamvis fere tota post illum dicatur: sed etiam aliquanto post Meridiem inchoari potest. Quanto verò tempore post Meridiem liceat inchoare Missam variant Auctore. Quidam assignant tertiam horæ partem, quidam dimidiam horam, alij tres quadrantes, alij horam. Card. de Lugo *dist.* 20. *n.* 38. & 41. Diana *p.* 2. *tr.* 14. *res.* 34. & *p.* 5. *tr.* 13. *resol.* 7. Auersa *q.* 11. *sect.* 15. §. *Attamen.* Episcopus potest ob iustam causam dispensare, sicut in aliis Ecclesiasticis præcepris. Sine dispensatione potest celebrari ad communicandum moribundum. Ob publicam causam, quoties in diebus festiuis Missa solemnis, aut concio finitur post Meridiem, inchoari possunt post illam Missæ priuatæ. Quia quandiu durat officium Missæ solemnis, pro Missis priuatis tempus censetur idoneum. Ob Principis funus, posse Missam inchoare longè post Meridiem docet Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 4. *n.* 3. & Fagund. *præc.* 1. *l.* 3. *c.* 17. Ratione itineris Episcopi possunt sicut per horam ante lucem, sic etiam post Meridiem celebrare, vel celebrantem audire. De reliquis Sacerdotibus id negatim, quia nullibi constat, illos tali priuilegio frui, quod Episcoporum est proprium. At ratione vel itineris, vel necessitatis similis, omnibus Sacerdotibus licet per horam post Meridiem celebrare: quia maior latitudo conceditur in hoc termino, quàm in matutino. Quod si Doctores moraliter extendunt Meridiem vsque ad primam horam pomeridianam etiam non vrgente necessitate, nil mirum, si ratione necessitatis extendatur. Existimo tamen ad illam extensionem exigi causam aliquam, qua posita, multò tutior erit celebratio per horam post Meridiem; Dian. *p.* 2. *tr.* 14. *res.* 34. & *p.* 5. *tr.* 13. *res.* 7. Philip. de la Cruz *tr.* 10. §. 3. *corol.* 2.

80 Regularibus concessum est, vt vna hora post Meridiem celebrare possint itineris vel alterius impedimenti legitimi causa. Porrò hoc priuilegium celebrandi per horam ante lucem, vel post Meridiē (vti aliquid operetur) intelligitur de hora vel ante, vel post tēpus illud, quo liceret iure communi celebrare. Quapropter quoties causa, vel necessitas, vel consuetudo concedunt horam pomeridianam celebrationi, poterit Religiosus post horam secundam celebrare. Magis amplum priuilegium concessit Eugenius IV. in Bullâ 11. Bullarij Regular. vt iusta de causâ vel itineris, vel simili celebrent vsque ad nonam. Card. de Lugo *d.* 20. *n.* 32.

CAPVT VI.

De loco, quo celebrare liceat.

81 IVre communi non licet celebrare Missam extra Templum, seu locum sacrum ad hoc spiritualiter deputatum. Quā sic expedire visum est, tum ad debitam huius sacrificij reuerentiam, tū ad maiorem fidelium deuotionem. Et quamvis antiqua iura postulent Templum consecratum iam vsus obtinuit, vt sufficiat locus benedictus, vel per Episcopum sigillatim ad diuinum cultū & sacrificium offerendum designatus, quod constat ex Trid. *sess.* 22. *decreto de observandis, & evi-*

tandis in Missâ. Semper tamen requiritur, vt saltem altare sit consecratum. D. Tho. 3. *p. q.* 83. *a.* 3. & eius commentatores ibi. Sylues. Angel. & alij Thomistæ *v. Missa.*

82 Et quidem c. *Missarum, de consec. d.* 1. committitur Episcopo designatio locorum ad celebrandum per hæc verba: *Missarum solemnia non vbiq; sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse ea permiserit, celebranda esse censemus.* Vnde colligo sufficere consensum Episcopi tacitū, id est, quod Episcopus per se, vel per suos officiales sciat, Ecclesiam aut Capellam fundari, ac in illam celebrari Missam, & non repugnet. Quia textus ille solum Episcopi permissionem requirit. Zerol. *p.* 1. *praxis Episc. v. Missa, n.* 1. Sylua *tr. de benef. p.* 1. *q.* 6. *n. vlt.* Fagund. *præc.* 1. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 5.

Commissa est Episcopo apti ad Missam locorum designatio.

83 Ab hoc iure communi quidā casus excipiuntur quibus liceat extra locum sacrum celebrare. Primus est necessitas, vel ob facultatē à legitimo Superiore concessam, vel ob c. *Sicut non alij, de consecr. d.* 1. Et quidem per necessitatē olim Apostoli per domos priuatas sacrum frangebāt panē, *Act.* 1. & Pontifices tēpore persecutionis in domo priuata, vel in cryptis celebrabāt. In ipsisque carceribus sacrificia fuisse per acta, refert Baron. Anno 305. *n.* 39. Ann. 377. *fine*, Anno 404. *n.* 19. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 3. Nunc in c. *Concedimus, de consecr. d.* 1. Duplex casus assignatur: primus quādo Templa sunt diruta ab hostibus, vel à temporum ruina: possunt interim Missæ in Capellis cū tabulâ consecratâ celebrari, donec Templa restaurentur. Coninch. *q.* 83. *n.* 224. & Laym. *citat.* Secundus casus est, quoties in itinere positis Ecclesia defuerit, tunc enim subdio, vel in tentoriis sit tabula consecrata, cæteraque sacra ministeria sacro peragendo necessaria non desint, Missarum solemnia celebrari conceditur. Suar. *d.* 81. *sect.* 3. Fill. *tr.* 5. *n.* 14. Card. de Lug. *d.* 20. *n.* 48. Colligo inde, celebrari posse tam in Castris pro militibus, quàm in littore pro nautis intra triremes existentibus, vel pro multitudine nauigantium in aliis nauibus, vt die festo Missam audiāt. Suari. pro itinerantibus requirit, vt in multis diebus itineris non occurrat aptus ad celebrandum locus. Coninch, & Card. de Lug postulāt, vt alias diu debeant Missâ carere; non tamen assignant, quantum temporis exigatur, vt ratione itineris, vel similis causæ possit quis subdio celebrare, vel extra locum sacrum. Auers. *q.* 11. *sect.* 14. §. *Tertio tamen.* docet, sufficere necessitatem audiendi Missam in festo die. Censeo haud posse oppositum vel ex textu, vel vrgenti ratione probari. Sa *v. Missa, n.* 20. sic: *Licet in necessitate extra Ecclesiam celebrare sine licentiâ Episcopi, vt si quis sit in itinere, vel Ecclesia populum non capiat. Nec id prohibetur per Tridentinum.* Igitur ad necessitatem pertinet, quoties in magno populi conuentu, quem Ecclesia non capit, ad fores Ecclesiæ vel etiā subdio decenti tamen loco celebrari solet. Card. de Lugo licentiam Episcopi requirit quando ad ipsum facilis patet aditus, vel ad eius Vicarium in his casibus. At Sa ibi Nauar. *c.* 25. *n.* 82. Vasq. *d.* 233. *c.* 1. dicunt expressè licentiam Episcopi non requiri, quasi sola necessitas his in casibus sufficiat. Reor tamen licet licentia non ex obligatione, sed ex solâ decentiâ postuletur, tutius esse illam petere, quando facilè obtineri potest. Henriq. *l.* 9. *c.* 27. *n.* 2. Auersa *q.* 11. *sect.* 14. §. *Tertiò tamen.*

Quidā casus ab hoc iure cōmuni excipiuntur.

84 An liceat in mari, vel in fluuio celebrare *sect.* 2.

Non licet in mari celebrare.

discutiam. Interim Auersa *quæst.* 11. *sect.* 14. *nimirum* asserit Pontificem, vel saltem Episcopum posse licentiam ad celebrandum in mari exhibere. Coninch *q.* 83. *n.* 228. solum Papam posse huiusmodi dare licentiam arbitratur. Fagund. *præc.* 1. *lib.* 3. *c.* 10. testatur, præcessisse licentiam Clementis VIII. & Pauli V. addit Granado 3. *p. contr.* 6. *tract.* 14. *d.* 13. *n.* 2. Cyrenensem Episcopum vidisse Breue summi Pontificis, in quo declarabat, posse sine scrupulo Missam in mari celebrari. Rogatus summus Pontifex vt eandem facultatem pro triremibus concederet, illam negauit, & meritò; nec triremes ita sunt aptæ, sicut grandiores naues, nec ità indigent cum frequenter accedant ad terram, vbi possint Missam audire. Card. de Lugo *d.* 20. *n.* 89. Diana *p.* 5. *tr.* 3. *resol.* 40. videtur licentiam istam ad dies festos limitare. Reliqui Doctores proprio Ploblem. citandi absolutè loquuntur, & praxis dies profestos comprehendit.

Quidnã possint Episcopi circà celebrationis locum.

85 Age, videamus, quid possint Episcopi circa locum celebrationis. Episcopis iter facientibus conceditur cap. *fin. de priuil.* vt super altari portatili celebrare possint, vel assistere sic celebrãti, non solùm in casu necessitatis, vt cæteri possunt, sed ob solam maiorem commoditatem, ac deuotionem. Coninch *q.* 83. *n.* 224. Suar. *d.* 81. *sect.* 1. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 3. Potest portare secum altare viaticum, & in itinere, non solùm in sua, sed etiam in aliena Diœcesi Missam dicere, aut dici facere. Hugol. *de potest. Episc. lib.* 1. *c.* 2. §. 2. *n.* 4. Diana *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 15. Quia hoc non est iurisdictionis contentiosæ exercitium, sed cuiusdam priuilegij personalis, quod vbique est licitum. Nec istam facultatem Episcopis per Tridentin. auferri putat Vasq. *d.* 233. *n.* 1. Fagund. *præc.* 1. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 19. Card. de Lugo *d.* 20. *n.* 49. Potest Episcopus in suo Palatio Oratorium erigere intra suam Diœcesim tum ex cap. *fin. de priuil. in* 6. tum ex praxi recepta. Rectè quippe annotat Card. de Lugo Palatium Episcopi non reputari domum priuatam, ac proinde non esse sublatam Episcopis facultatem habendi Oratorium ad diuina deputatum, in quo celebrare possint vt ante Tridentinum. Poterat olim Episcopus suis subditis facultatem concedere, vt extra locum sacrum celebrarent, nec requirebatur necessitas, sed mera gratia sufficiebat. At Trid. *sess.* 22. *decreto de observandis*, abstulit Episcopis facultatẽ concedendi licentiam ad celebrandũ, extra Ecclesiã, vel Oratoria dedicata tantum ad diuinum cultũ. Suar. *d.* 81. *sect.* 1. Conin. *q.* 83. *n.* 225. Azor. *to.* 1. *l.* 10. *c.* 26. *q.* 3. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 4. At non abstulit Trid. facultatem, vt possint licentiam impertire celebrandi extra locum sacrum vel etiam deputatum specialiter diuino cultui, semel aut iterum in casu necessitatis. Quia ibi Concilium solùm intendit abusus celebrationis tollere: talis autem dispensatio cum rationabili causa non debet inter abusus recenseri. Vnde non obstat Trident. quin possit Episcopus concedere huiusmodi facultatem non solùm in casibus præfatis; sed etiam quando persona nobilis præsertim ratione senectutis, vel infirmitatis diu nõ communicauit, vel Missam audiuit: vel ob simile impedimentum Ecclesiam adire nequit, vt aliquando Missam audiat, & Eucharistiam recipiat. Card. de Lugo *d.* 20. *n.* 49. Vasq. *d.* 233. *c.* 1. Reginald. *lib.* 29. *num.* 176. Bonac. *d.* 4. *quæst. vlt. punct.* 9. *num.* 11. Nec abstulit Trident. Episcopis potestatem ad concedendam licentiam celebrandi Missam in Oratoriis etiam priuatis diuino cultui dumtaxat dedicatis. Quin possunt Episcopi talem licentiam concedere subditis etiam sine causa. Quia quoad huiusmodi loca vel Oratotia diuino dumtaxat cultui dicata, non fuit Episcopi immutata potestas. Suar. *d.* 81. *sect.* 3. Fagund. *præc.* 1. *l.* 3. *cap.* 13. *n.* 19. Verum Paulus V. die 10. Martij anno 1615. abstulit Episcopis, & Apostolicæ sedi reseruauit potestatem concedendi domibus priuatis Oratoria etiam dumtaxat celebrationi Missæ dicata per *Epistolam* iussu Pontificis scriptam ad omnes Episcopos à Cardinali Lancelloto, quam refert Fagund. citatus Scortia *de Missa c.* 13. *n.* 3. At crediderim, adhuc non tolli potestatem Episcopis concedendi quælibet Oratoria publica, quamuis priuatis sæcularium ædibus adiuncta, dum scilicet patentem in publicam viant egressum: Nec dandi licentiam, vt in casu necessitatis particularis semel aut iterum in domo priuata, vel etiam alibi celebretur. Quia nec Concilia, nec Pontifices vnquam volunt, in huiusmodi prohibitionibus magnæ necessitatis casum comprehendere. Cum enim tales casus frequenter occurrant in talibus circunstantiis, vt recurri ad Sedem Apostolicam non possit, necessaria moraliter est Episcopis talis dispensandi facultas, præsertim in regionibus ab Vrbe remotioribus. Vnde probabile admodum reor, etiam post Epistolam Pauli V. manere hanc in Episcopis potestatem lege Fagund. citatum.

De priuilegiis Regularium circa hoc.

86 Scio, Pontificem Cap. *In his, de priuileg.* asserere, se concessisse Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, vt, vbicumque fuerint, sine Parochialis iuris præiudicio, cum Altari viatico celebrare valeant, nec ad hoc Episcoporum requiri consensum. Sixtus IV. Alexander VI. Innocentius IV. & alij Pontifices pleraque similia Regularibus priuilegia concessere. Manuel. *tom.* 1. *Regul. qq. quæst.* 43. *art.* 4. Ioan. de la Cruz *Epithom. l.* 2. *c.* 5. *dub.* 6. Hieron. Rodrig. *resol.* 9. *num.* 4. citans Bullas in margine. An hæc priuilegia fuerint à Trident. derogata, necne, *sect.* 2. discutiam.

Quonam modo Pontifices sæcularib. domestica Oratoria concedat.

87 Si autem lubeat edisce re, quonammodo Pontifex sæcularibus domestica Oratoria concedat? respondeo. Quando sæculares Breue impetrant Pontificium, ad celebrandum in Oratorio domestico, seruare debent conditiones in ipso Breui appositas. Quia sub his determinatur Pontificis concessio. At quamuis in Breui dicatur, vt Antonius (v. gr.) possit ad Missæ celebrationem habere Oratorium in domo suæ habitationis tali in loco vel oppido sita, & de facto sit ibi coaptatum Oratorium, & ab Episcopo constitutum, & approbatum: nihilominus si Antonius locum habitationis mutet, vel etiam Ciuitatem; potest rursus in hac alia domo constituere suum Oratorium, quod visitatum de nouo, & approbatum ab Episcopo celebrationi deseruiat. Quia illa concessio fuit personalis, non localis: & per consequens personam sequitur, vbicumque commoretur. Nouar. *in sum. Bullar. tit. de Oratoriis priuatis, n.* 6. Megali. *to.* 2. *resol.* 67. Diana *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 208. Præterea quamuis in Breui cõcedatur Antonio facultas, vt in Oratorio domestico celebrari possit in sui & familiæ suæ præsentia: sufficit, si quis de familia adsit, licet ipse Antonius non intersit, cui principaliter facul

facultas conceditur. Quia illa concessio disiunctiuè sumitur, & reddit hunc sensum: Vt Antonius possit celebrari facere in præsentia sui; & possit celebrari facere in præsentia familiæ suæ. Quamuis enim particula *Et* communiter faciat sensum copulatiuum, aliquando tamen sumitur disiunctiuè pro *Vel*. Manuel *tom.3. Regul. qq.quæst.17.art.19.* Comitol. *in Respons. moral. lib.7.quæst.9.num.4.* Portel. *in Respons. parte 3. casu 49.* Possunt Regulares habentes priuilegium ministrandi sæcularibus Eucharistiam extra suos conuentus: in his Oratoriis illam ministrare communicare volentibus ex deuotione, quamuis id Episcopus prohibeat. Quia hic non potest priuilegia Regularium reuocare: nec id illi commisit Trident. circa ministrandam Eucharistiam extra Conuentum. Moneo tamen, ne quid tale fiat contra expressam Episcopi voluntatem in gratiam pacis. Portel. citat. *cap.39.* Diana *resolut.14.* Auersa *de Euchar. quæst.11. sect.14.* Si quis tamen habens Oratorium domesticum in die festo nequeat Templum adire: non ideò tenetur facere, vt in Oratorio celebretur, ad Missam audiendam, quamuis inueniat Sacerdotem, qui gratis celebrare velit. Quia hoc priuilegium est derogatorium iuris communis, & per consequens odiosum: quare nullus eo tenebitur vti. Secus esset, si Missa de facto diceretur in tali Oratorio: tunc enim qui non potest Ecclesiam adire, benè tamen Oratorium: tenebitur ibi Missam audire. Quia in hoc casu non procedit ratio facta, sed potius vrget obligatio. Suar. *d.81. sect.3.* Auersa *d.11. sect.14.* Diana *p.6.tract.8.resol.80.* & alij.

CAPVT VII.

De violata Ecclesia, vbi non licet Missam celebrare.

88 *Quomodo Ecclesia violetur humanis.*

ECCLESIA multis modis polluitur, ac violatur. Primò quidem homicidio intra Ecclesiam facto, quamuis fiat sine sanguinis profusione, vt constat ex cap. *Proposuisti, de consecr. Ecclesiæ,* & ex Can. *Si motum, de consecr. dist.1.* Vnde Ecclesia non violatur homicidio peracto suprà tectum, nec in turri, nec in cubiculis coniunctis, nec in sacristia, nec in cauernis sub Ecclesia, nec facta in parietibus suspensione à parte exteriori. Quia in quacunque parte ex præfatis peragatur, non fit intra Ecclesiam; *nisi* quando fit in cauerna, in qua dicitur Missa, aut quæ deseruit ad sepeliendum. Nec violatur homicidio absque culpa mortali peracto; nec homicidio non publico, quamuis mortali; nec homicidio, cuius causa, scilicet vulnus, data est extra Ecclesiam, quamuis mors in ipsa contingat; quia tunc homicidium in Ecclesia non perpetratur; benè tamen homicidio, cuius causa datur intra Ecclesiam, quamuis mors extra contingat; quia tunc homicidium fit intra. Et non tantum violatur homicidio mortaliter illicito contra iustitiam, sed etiam homicidio mortaliter illicito contra religionem, vt homicidio à Iudice iuridicè facto intra Ecclesiam: & etiam homicidio mortaliter illicito contra fortitudinem, vt homicidio facto ab ipso occiso. Doctores communiter.

89 *Quomodo violetur.*

Secundò violatur humani sanguinis effusione intra Ecclesiam facta, vt constat ex cap. *Si Ecclesia, de consecr. Ecclesiæ,* & ex Can. *Ecclesiis, de consecr. dist.1.* Vnde si fiat extra Ecclesiam, aut si non sit publica, non violatur: & si non sit copiosa, vt communiter Doctores aduertunt, & nomine ipso *Effusionis* denotatur. Imò non sufficit, quod sit copiosa, si percussio, & læsio non sit grauis, & mortaliter illicita; vt potest contingere, quando percussio fit in naribus. Nec sufficit, quod sanguis effluat in Ecclesiam, si vulnus fuit extrà patratum: bene tamen si vulnus factum fuit in Ecclesia, quamuis sanguis in ipsa non profluat, & quamuis ad eius pauimentum non perueniat. Sic Doctores.

Secundò violatur humani sanguinis effusione.

90 *Quomodo humani seminis effusio violet Ecclesiam.*

Tertiò violatur Ecclesia humani seminis effusione intra ipsam facta, vt constat ex præfato *cap. & Can.* Requiritur tamen quod sit mortaliter illicita, & publica, & quod sit copiosa; & sufficit, quod fiat intra Ecclesiam, quamuis vsque ad pauimentum non perueniat.

91 *Quomodo ex communicati sepultura excludatur.*

Quartò violatur, quando in ea excommunicatus vitandus sepelitur, vt aduertunt communiter Doctores ex cap. *Consuluisti, de consecrat. Eccles.* & etiam quando Paganus in ea sepelitur ex Can. *Ecclesiam, 27. de consecr. dist.1.* & quando infidelis sepulchro addicitur, quamuis baptizatus ex Can. *Ecclesiam 28. de consecr. dist.1.* Portò in quatuor præfatis casibus violatur solummodo Ecclesia, quando est consecrata, aut benedicta: non verò Ecclesias non consecratas aut benedictas, nec Oratoria. Violata autem Ecclesia, etiam censetur cœmeterium violari ipsi contiguum, vt constat ex cap. *vnico de consecr. Ecclesiæ in 6.* E contra verò quamuis cœmeterium violetur, non censetur Ecclesia violari; quia id nullo iure disponitur.

92 *Consecrationem amittit Ecclesia destructa.*

Quintò Ecclesia consecrata consecrationem amittit, quando tota, aut maior pars destructa est, antè quam incipiat reparari, vt deducitur ex cap. *Ligneis, de consecr. Ecclesiæ,* & ex Can. *Ecclesiis, de consecr. dist.1.* Ecclesia verò tantum benedicta etiam si tota ruat, si postea reædificetur, non eget noua benedictione; quia manet idem solum, quod tantùm benedicitur.

93 *Non potest dici Missa in Ecclesia violata.*

His positis, non potest absque peccato mortali in Ecclesia violata, & nondum reconciliata celebrari. Quia celebrare est quid graue, & in præfatis Capitibus, & Canonibus prohibitum. Quod si contingat Ecclesiam violari, quando Sacerdos celebrat, si ad eius notitiam ante consecrationem inceptam perueniat, tenetur à celebratione desistere: non verò consecratione incepta, facta videlicet consecratione panis. Addiderim, quando adest rationabilis causa, posse de Episcopi licentia in Ecclesia violata celebrari. Suar. *d.81. sect.4.* Laym. *lib.5. tr.5. c.5.*

94 *Qui tamen dixerit, non incurrit irregularitatem.*

Qui verò contra huiusmodi prohibitionem in Ecclesia violata celebrat quamuis mortaliter delinquat, non tamen irregularitatem incurrit, ita Cap. *Is, qui, de sententia excommunic. in 6.* Quia violatio non est interdictum strictè, & nullo iure irregularitas contra celebrantes in Ecclesia violata indicitur: nec incurrit aliam censuram, aut pœnam, quia nullo iure expressa inuenitur. Suar. *d.81. sect.4.* Laym. *lib.5. tract.5. c.5.* Hurtad. *de Missa d.4. diffic.7.*

95 *Quomodo polluta Ecclesia sit reconciliauda.*

Demùm Ecclesia violata si consecrata erat, solùm potest ab Episcopo iure ordinario reconciliari, sicut & consecrari. Ex commissione tamen Romani Pontificis id etiam potest simplex Sacerdos, sicut possunt nostræ Societatis Sacer-

dotes in remotis Indiæ regionibus. Si autem Ecclesia violata tantùm erat benedicta, reconciliari potest à Sacerdote simplici per aquæ benedictæ aspersionem, vt dicitur *in cap. vlt. de consecr. Ecclesia, vel Altaris*, & per alias breues, ac faciles cæremonias in cæremoniali expressas. Et non desunt vti refert Henriquez apud Hurtad. citatum, qui affirment, sufficere ad reconciliationem Ecclesiæ violatæ, quod bona fide sit semel in eâ celebratum. Legendus Henriq. *lib. 9. c. 27. n. 5. & 6.* Suar. *d. 81. sect. 4.* Laym. *l. 5. tract. 5. cap. 5. n. 6.* Coninch. *q. 83. n. 227.* Fagund. *præc. 1. lib. 3. c. 14.* Card. de Lugo *disp. 20. numero 52.*

CAPVT VIII.

De Altari, & eius ornatu.

96 *Altare quid in communi?*

ALTARE idem est ac *Alta ara*. Alta quidem, quia sacrificij locus in altum solet erigi ob reuerentiam, & significationem: Ara verò vel à precatione, nam Græci precationes vocitant *Aras*: vel ab ardore, quoniam ibi victimæ ardere solebant. Isidor. *l. 15. Orig. c. 4.* Macrob. *l. 3. Saturnal. cap. 3.* Strabo *de rebus Eccles. lib. 1. capite 7.*

97 *Altare Ecclesiasticum.*

Apud Ecclesiam Altare, dupliciter sumitur, primò pro totâ mensurâ, super quam integrè Missa celebratur: secundò magis propriè pro lapide consecrato, qui maiori mensæ superponitur. Vnde duplex Altare distinguitur, *fixum*, quod aliquando non est consecratum, & impropriè Altare dicitur, nec potest in eo celebrari: & portatile, quando lapis consecratus dimoueri potest, & hinc indè deferri; quia cum reliqua mensa siuè lignea sit, siuè terrea, siuè lapidea non connectitur.

98 *Mortale est, sine Altari consecrato celebrare.*

Mortale peccatum est, sine Altari consecrato celebrare. Quia cùm sit præceptum cap. *Altaria, de consecr. dist. 1.* & in materiâ graui, grauiter obligat. Vasq. *3. p. d. 233. c. 2.* Fagund. *præc. 1. lib. 3. cap. 22. num. 1.* Suar. *d. 81. sect. 5.* Nec Episcopus in hoc præcepto dispensare potest, vt constat ex perpetuâ Ecclesiæ consuetudine: nec summum Pontificem legi vnquam dispensasse. Vnde nec in casu grauissimæ necessitatis ob communicandum moribundum poterit quis sine arâ celebrare; quia perpetuus mos Ecclesiæ grauiter læderetur. Nunus *3. part. qu. 83. articul. 3. dub. 3. post secundam conclusionem.*

99 *Solus Episcopus potest Altare cõsecrare iure cõmuni.*

Solus Episcopus potest Altare seu Aram consecrare. Cap. *Nullus presbyter*, cap. *Concedimus, de consecr. dist. 1.* Nec Episcopus id potest simplici Sacerdoti committere, cum in ius commune non habeat authoritatem, & ius commune Episcopis consecrationem Altarium reseruet. cap. *Quamvis, dist. 68.*

100 *Alij possunt ex priuilegio.*

Papa potest simplici Sacerdoti committere Aræ consecrationem. Et Paulus III. anno 1549. Presbyteris Societatis IESV, qui missi fuerint in remotissimas infidelium terras, concessit, vt ibi possent Ecclesias erigere, vestes Sacerdotales, corporalia, Calices altaria, cœmeteria (si Episcopus, qui ea faciat, Catholicus ibi non adsit) benedicere, Manuël *sum. to. 1. c. 247. concl. 15.* dicit, idē Prædicatoribus, & Minoribus esse concessum. Et *tom. 1. Regul. qq. q. 28. art. 2.* Idem asserit, & in Bullario refert Bullam sextam Adriani VI. *n. 4.* & Bullam sextam Leonis X. *num. 4.* Consonat Portel. & Villalob. quos sequitur Hieron. Rodrig. *resol. 9. n. 3.* Imò Ioan. de la Cruz *in Epitom. l. 2. c. 5. dub. 8. concl. 3.* affirmat, Prælatos Regulares posse consecrare Ecclesias & Altaria ex concessione Innocentij VIII. & Vrbani II. quam etsi Leo X. videatur reuocasse, postea cum aliis Paulus V. confirmauit.

Super Aram consecratam retinere debet Sacerdos Hostiam & Calicem à consecratione vsque ad consumptionem; nam vsque ad hanc sacrificium non perficitur. Quod si præter suam hostiam alias particulas ad communionem Laicorum consecrauit, debet illas pariter retinere super Aram; quia verè pertinent ad idem sacrificium. Post sumptionem verò potest vel illas distribuere communicantibus, vel in sacrario reponere sine Arâ, quæ solùm celebrationi deseruit. Card. de Lugo *d. 20. n. 69.* 101 *Retinēda hostia & calix super Aram.*

Rogas, quisnam possit Altare constituere, vel destruere? In Ecclesiis non consecratis quilibet Presbyter erigere, vel demoliri potest fixum Altare, quod consecratum non sit: imò quilibet iure suo potest quævis altaria non consecrata destruere, iuxta Glossam *in cap. Quamvis dist. 68.* In Ecclesiis verò consecratis nemo potest erigere, vel demoliri Altaria sine Episcopi consensu. Sic habetur cap. *Nullus Presbyter*, cap. *Ecclesiæ*, cap. *Placuit, de consecratione distinctione 1.* 102 *Quisnā possit Altare constituere, vel destruere.*

In Altari fixo non debet necessariò totum ædificium esse lapideum: potest enim esse ligneum vel terreum quo ad partes remotiores: solùm requiritur vt mensa Superior sit lapidea. Quia illa sola consecratur. Ara verò portatilis debet esse lapidea, si fixi Altaris mensa lapidea non sit, aut consecrata. Suar. *d. 81. sect. 1.* Coninch. *q. 83. n. 238.* 103 *In Altari fixo non debet necessariò totum ædificiū esse lapideū.*

Solus Papa potest dispensare, vt Ara ex auro, vel argento, vel ære, vel simili materia consecretur; nullus autē id potest gerere Episcopus. Quia Papa solus est supra totum ius Canonicum plenitudine potestatis, quæ non competit Episcopis Henriq. *l. 9. c. 28. n. 1.* Fagund. *præc. 1. lib. 3. c. 22. n. 2.* 104 *Solus Papa dispensare potest, vt Ara sit ex alia materia.*

Verum Ara tantæ longitudinis debet esse, & latitudinis, vt capere possit pedem Calicis, & Hostiam seu patenam, quando Hostiæ immittitur, cum celebratur, scilicet quo ad maiorem sui partem, dummodo firma sint super Aram consecratam Calix & patena sine labendi periculo. Alens. Palud. Sylvest. Soto, Nauar. quos sequitur Suar. *d. 81. sect. 5.* Azor. *q. 7.* Quoties ergo vsus fueris Altari portatili quod inseri assolet tabulæ ligneæ, curandum, vt tam Calix, quàm Hostia consecrata super lapidem apponatur maxima saltem ex parte. Si tamen ex aliquâ parte nitantur etiam tabulæ lignæ, dum absit periculum lapsus haud est scrupulosè curandum. Coninch. *d. 83. n. 242.* 105 *Quanta longitudinis Ara esse debeat?*

Altare consecratum non potest constare duobus lapidibus quovis modo colligatis, ita vt in vno illorum Hostia, & in alio Calix consecretur, & collocetur, nisi Pontifex specialem facultatem expediat. Quia est contra communem Ecclesiæ morem, & mysterio opponatur. Nam hu- 106 *Non potest Altare consecratū seu Ara duobus constare lapidibus.*

Altare

Altare Christum significat, in quo datur vnica persona. Sylvest. *v. Altare, q.* 3. Vasq. *d.* 233. *n.* 16. Fagund. *præc.* 1. *l.* 3. *c.* 22. *n.* 9. Card. de Lugo *d.* 20. *num.* 67.

107 Si mensæ consecratæ noui lapidis fiat additio, Altare sic est construendum, vt Calix, & Hostia non in additamento, sed in veteri lapide consistant. Quia etsi Glossa cap. *Quod in dubiis, de consecr. Ecclesiæ*, dicat, in hoc casu non sacrum si minus principale sit, accessione ad sacrum sacrari: id est satis incertum. Quoniam Abbas in *præfato cap.* docet appositè, non sacrum accessione ad sacrum sacrari solummodò in liquoribus.

Si mensa consecrata noui lapidis additione, altare amittit?

108 Per notabilem fractionem Altaris portatilis consecratio amittitur, quando scilicet in neutrâ parte fracti lapidis possunt commodè Calix, & Hostia collocari quo ad maiorem sui partem sine periculo labendi. Quia tunc iam non est Altare, cum vnico lapide sufficienti non consteret. Si tamen altera pars maneat cum quantitate, quæ sufficiat pro Hostiâ ac Calice sustinendis quoad maiorem sui partem: illa manebit consecrata. Quia hæc consecratio non requirit certam in materiâ consecrata figuram, sed solam magnitudinem sufficientem. Angel. Palud. quod sequitur Henriq. *lib.* 9. *c.* 28. *n.* 1. Suar. *d.* 81. *sect.* 5. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 27. *quæst.* 12. Laym. *lib.* 5. *tr.* 5. *cap.* 6. *n.* 3. Reginald. *l.* 29. *n.* 192. Card. de Lugo *d.* 20. *n.* 67.

Fragmenta consecrati altaris portatilis, ita vt amittat?

109 Altare portatile clausum ligno non amittit consecrationem per separationem à ligno. Quia consecratio fit solius lapidis, non vnionis ad lignum, quod solùm additur, vt lapis diutius conseruetur, & melius capiat Calicem, & patenam. Bonac. *d.* 4. *q. vlt. pun.* 9. *n.* 15. Fagund. *præc.* 1. *lib.* 3. *c.* 22. *n.* 4. & alij.

Quando claudatur ligno?

110 Quonam verò modo polluatur, & reconcilietur Altare, si rogites? Conueniunt Doctores primò, posse Templum consecratum consecrationem amittere, quin Altaria execrentur: nimirum si parietes Ecclesiæ consecratæ comburantur, seu diruantur eius Altaribus illæsis: sicut è contra possunt Altaria per fractionem, vel dirutionem consecrationem amittere, quin Ecclesia permanens integra execretur. Conueniunt secundò, quoties Ecclesia violatur, Altare quoque fixum in eâ contentum violari simul: & è contrario. Quia Ecclesiæ consecratio consistit in parietibus, & ita separatur ab Altarium consecratione, quæ singulis adhæret. At violatio concernit totum Ecclesiæ corpus, & quamlibet eius partem: ac subindè reconciliata Ecclesia, censentur eius Altaria reconciliari. Abbas in cap. *Proposuisti, de consecr. Ecclesiæ*. Sylvest. *v. Altare, q.* 11. Armil. *ibi, n.* 12. Azor. *tom.* 1. *l.* 10. *c.* 27. *q.* 14. Qui addunt, Ecclesia polluta, non polluit Altare, quod est extra illam, nisi sit in loco cum Ecclesiâ coniuncto. Excipio Altare portatile, quod violato Templo nõ violatur, sed extractum inde potest alibi sacrificio deseruire. Polluitur tamen per humani sanguinis, aut seminis effusionem, ità vt Episcopi reconciliatione, sicut etiam Corporale Calix, ac Patena indigeat. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 10.

Templum non polluitur, & reconciliatur Altare.

111 Simplex Sacerdos celebrare non potest in Altari, in quo eodem die celebrauit Episcopus. Quia in *cap. fin. de consecr. dist. 2.* dicitur: *In Altaris in quo Episcopus Missam cantauit, Presbyter eodem die aliam celebrare non præsumat.* Gloss. ibi, *Ob solam Episcopi reuerentiam.* Omnes tamen excipiunt, nisi consensus adsit Episcopi, vel cogat necessitas, ab Episcopo sacrificium non completum perficere. Quin ex verbo *Præsumat* collegerim, non esse mortale peccatum ex causâ iustâ celebrare: nam iusta causa tollit præsumptionem. Addiderim ex verbo *Cantauit*, Canonem intelligendum esse de Missâ solemni, seu Pontificali. Attamen in hoc variant Doctores, ideóque quæstio *sect.* 2. est discutienda. Angel. *v. Altare, n.* 8. Henriq. *l.* 9. *c.* 28. *n.* 1. Bonac. *d.* 4. *q. vlt. punct.* 9. *num.* 16. Fagund. *præc.* 1. *lib.* 3. *c.* 22. *n.* 5. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 27. *q.* 10.

Simplex Sacerdos celebrauit Episcopus.

112 Præterea ad Missæ celebrationem requiritur *Corporale* sic dictum quasi Christi corporis indumentum, quod syndonem mundam qua sacerrimum cadauer fuit inuolutum, re præsentat. Debet esse lineum, & benedictum. Cap. *consulto de consecr. dist.* 1. Non debet ornari serico, vel auro, saltem medio, qua parte Calicem, & Hostiam tangit. Nec amittit benedictionem ob solam lotionem, sed quando sit laceratur, vt nulla illius pars possit Hostiam, & Calicem continere. Esset quidem mortale peccatum sine Corporali celebrare: quia Ecclesiæ præceptum & communis vsus in re graui violaretur. Antonin. Sotus, Graff. quos sequitur Bonac. *d.* 4. *q. vlt. punct.* 9. *n.* 24. Suar. *d.* 81. *sect.* 6. Vasq. *d.* 233. *c.* 4. Filliuc. *tr.* 5. *n.* 125. Henriq. *l.* 9. *c.* 28. *n.* 3.

De Corporali.

113 Parua *Palla* requiritur, seu filiola, qua Calix cooperitur. Et quidem olim vnicum erat Corporale longum, super quod Calix, & Hostia collocabantur, & cuius residua pars cooperiebat Calicem. Iam vsus obtinuit, vt Corporale diuisum sit in duas partes quarum altera maior mappis Altaris superposita recipit Calicem & Hostiam, noménque Corporalis retinet: altera verò minor (dicta parua Palla, seu filiola) Calicem operit. Doctores citati.

De parua Palla.

114 Requiritur Purificatorium ad abstergendum Calicem & Patenam, digitósque Sacerdotis dilutos post Sacramenti contactum. Missale postulat, vt sit mundum, nec aliud vltra præscribit. Card. de Lugo *d.* 20. *n.* 76. Suar. *d.* 81. *sect.* 8. & alij communiter.

De Purificatorio.

115 Super Altare linteum aliquod apponendum. Quia sic vsus habet, & in iure supponitur cap. *Altaris palla.* C. *Nemo per ignorantiam*, de consecr. *dist.* 1. Sic Concilia, sic Patres, sic Doctores tradidêre, qui vocitare solent hæc lintea vestes Altaris mappas, tobaleas, pallas, mantilia, velamina. De numero dissident Auctores, vt *sect.* 2. exponam. Porro Altaris lintea debent esse linea cap. *Consulto, de consecr. dist.* 1. quod generaliter præscribit, ne sacrificium Altaris celebretur in panno serico, vel tincto: sed in puro linteo, terreno scilicet lino procreato. Et licèt hic textus de Corporali præcipuè loquatur, extendi potest ad omnes has mappas; & quidem vsus communis habet, vt omnes sint lineæ. Reginald. *l.* 29. *n.* 194.

De Linteis.

116 Celebrare sine lumine mortale crimen est. Quia violatur Ecclesiæ præceptum in re graui significante realem Christi præsentiam, qui vera lux est. Palud. Durand. Sotus, Nauar. Sylui. & alij, quos sequitur Suar. *dist.* 81. *sect.* 6. Quod si lumen ante consecrationem extinguatur, nec haberi possit: relinquenda est Missa, quamvis

De Lumine.

dies sit festus, vel aliquis moribundus communicandus. Quia nec præceptum audiendi sacrum, nec communicandi moribundum censentur obligare cum tantâ sacrificij irreuerentia. Post consecrationem autem perficiendum sacrificium. Card. de Lugo, *d.* 20. *n.* 77. Fagund. *præc.* 1. *lib.* 3. *cap.* 22. *n.* 18. Duæ autem lucernæ saltem cereæ requiruntur. An vnica sufficiat, an non cerea possit adhiberi, *sect.* 2. perquiro, & respondeo.

117 *De Cruce.* Super Altare Crux collocanda. Rubrica Missalis sic: *Super Altare collocetur Crux in medio.* Sæpéque præscribit, caput Cruci submittendum super Altare positæ.

118 *De Missali.* Requiri regulariter Missale, cuius pars est tabella secretarum ante Sacerdotis oculos exposita pro maiori celebrantis commoditate, communiter Doctores affirmant. Vnde colligitur, vbi subsit errandi periculum præcipuè circa Canonem, qui sub stricta obligatione debet integre recitari, mortale piaculum erit, sine Missali recitare. Quia hominum memoria fragilis, nisi librum habeat præ oculis, facilè circa verba maximè ad sacrificium conducentia labetur. Antonin. Sylvest. Nauar. Graff. quos sequitur Bonac. *d.* 4. *q. vlt. punct.* 9. *n.* 30. Henriq. *l.* 9. *c.* 29. *n.* 7. Suar. *distinct.* 81. *sectione.* 6. Vasq. *distinct.* 233. *num.* 27.

CAPVT IX.

De Vasis, ac Vestibus sacris.

119 *Requiritur Calix, & patena.* AD Missam celebrandam requiritur Calix & Patena. Quia vinum in aliquo vasi est consecrandum: Patena verò, seu Patina deseruit ad Christi corpus recipiendum. Mystica accedit ratio; quia Calix significat Christi sepulchrum, Patena verò lapidem sepulchro superpositum. Vtrúmque requiritur sub graui præcepto, cuius violatio graue peccatum erit. Cap. *Vasa, de consecr. dist.* 1. D. Thom. 3. *p. q.* 83. *art.* 3. *ad* 6. Suar. *distinct.* 81. *sect.* 7. Henriquez *lib.* 9. *capite* 28. *num.* 2.

120 *De Pyxide, & aurea Fistula.* Inter vasa sacra annumerantur Pyxis, seu Custodia, vel ostensorium. Numeranque potest aurea Fistula, qua summus Pontifex sumit Christi sanguinem, cum solemniter celebrat. Pyxis verò & Fistula benedicenda. Quamvis enim præcepto non constet, securius est benedici Fistulam, Pyxidem & Calicem ministralem, quo Christi sanguis olim propinabatur fidelibus, & nunc apud Græcos. Quia hæc vasa immediatè consecratas attingunt species.

121 *De vasis reliquis.* De reliquis vasis, quæ deseruiunt Altari, scilicet Ampullis, Phialis, Scyphis, ac similibus nihil iure cauetur, quod ad moralem doctrinam spectet. Rubricæ Missalis, & Durant. *l.* 1. *Rit.* consulantur.

122 *De qua materia debeat esse Calix, & Patena.* Scio, Calicem, & Patenam olim fuisse lignea, posteà vitrea, deinceps argentea, vel aurea, vel stannea. At cap. *Vasa*, cap. *vt Calix, de consecrat. dist.* 1. dum imponitur præceptum affirmatiuum conficiendi Calicem & Patenam ex auro vel argento, vel saltem ex stanno, generaliter omnis alia materia prohibetur: specialiter verò æs, aut aurichalchum, nam ob vini vigorem parit æruginem, quæ excitat vomitum. Itaque prohibetur lignum, quoniam est porosum; vitrum, quia fragile; petra, quia periculum subest, vt frangatur, vel species consecratas per poros ebibat. Porrò illi qui Calicem ligneum, aut non consecratum adhibuerit in celebratione, pœna depositionis ab officio, ac beneficio decernitur cap. *fin. de celebr. Missar.* Sufficit si cuppa Calicis, quæ continet Christi sanguinem, sit ex auro, vel argento, vel stanno. Quia rationes ex textu adductæ solùm vrgent in cuppâ. Suffragatúrque praxis. Coninch. *q.* 83. *n.* 244. Laym. *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 6. *n.* 12. Reginald. *lib.* 29. *capite* 198.

123 *Calix stanneus non permittitur, nisi paupertatis ratione.* Ex cap. *vt Calix* constat, Calicem stanneum non permitti nisi ratione paupertatis. Vnde Rubrica Missalis Clementis VIII. *tit. de Ritu,* §. 1. *n.* 1. præscribit, Calicem esse debere vel aureum, vel argenteum, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, & simul patenam itidem inauratam. Quare diligentes Prælati iam tollunt Calices stanneos, & Romæ nullum reperiri, testatur Card. de Lugo *distinct.* 20. *numero* 90.

124 *Non possit ex plumbo fieri, sed possunt ex ære, aut cupro deaurato.* Quamvis Sa *v. Missa, n.* 8. asserat Calicem, & patenam ex plumbo fieri posse, quia putat, plumbum sub stanno contineri: contrarium est affirmandum; quia re vera plumbum stannum non est, imò sicut æs aut cuprum vigore vini ærugine receptâ, excitat vomitum. Sylvest. *v. Calix*, Suar. *d.* 81. *sect.* 6. Reginald. *l.* 29. *n.* 197. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 17. Porrò Fagundez *præc.* 1. *lib.* 3. *c.* 21. *n.* 10. testatur, se vidisse sæpè Calices ex ære, metallovè confectos, sed inauratos, & limpidissimos. Horum vsum non improbo, cum sciam, in multis Ecclesiis, imò Romæ etiam reperiri pleróque Calices ex ære totos, aut ex cupro (Hispanè *Cobre*) sed inauratos, pluréque patenas eiusmodi. Quare existimo, vel cap. *vt Calix*, derogatum esse per contrariam consuetudinem: vel in eo non vetari tales Calices, quando sunt inaurati; quia inauratio tollit æruginis periculum. Card. de Lug. *d.* 20. *n.* 90. Auerst. *q.* 11. *sect.* 13.

125 *Calix, & patena debent consecrari per Episcopum.* Verum Calix & Patena debent consecrari per vnctionem chrismatis, & Episcopalem benedictionem, vt habetur in Pontificali, & refertur in cap. *vnico de Sacram. Vnct.* §. *final.* Quapropter in cap. *final. de celebr. Miss.* deponitur Sacerdos, qui sine consecrato Calice celebrauit. Nec in hoc potest Episcopus dispensare. Quia dispensare nequit in lege Superioris sine facultate sibi concessa, qualis hic non apparet. Bonac. *d.* 4. *q. vlt. pun.* 9. *n.* 17. Lege Suarium *d.* 81. *sect.* 7. Filliuc. *tr.* 5. *n.* 131.

126 *Solus Episcopus potest ex iure, alij ex priuilegio.* Solus Episcopus potest iure communi Calices & Patenas consecrare propter vnctionem chrismatis, quæ munus Episcopale concernit. Sylvest. *v. Calix, n.* 2. Sa *ibi, n.* 3. Henriq. *l.* 9. *c.* 28. *n.* 2. Reginald. *l.* 29. *n.* 198. Monte *p.* 3. *c.* 5. §. 12. *n.* 4. Quidam hanc potestatem extendunt ad Abbates, qui Pontificalibus vtuntur, ex priuilegio, vel ex consuetudine. Armil. *v. Calix, n.* 4. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 12. Azor. *tom.* 1. *l.* 10. *c.* 28. *q.* 2. Conueniunt autem Doctores, Episcopum non posse huiusmodi consecrationem simplici Sacerdoti committere, sed solum Papam, qui Regularibus Abbatibus, & Prælatis aliqua circa consecrationem istam priuilegia concessit.

Manuel

Manuel *tom.1. Regul.qq.q.* 18. & 19. Miranda *tom.2.quæst.*40. Hieronym. Rodriguez *resol.1. num.7.*

127 *Sex vestes sacræ.*

Iam verò sex sunt vestes sacræ queis Sacerdos exterius induitur in ornatus interni documentum. Nam si hæ vestes referantur ad Christum, variæ Dominicæ passionis insignia denotant; si verò ad mores referantur, *Amictus* significat galeam salutis, videlicet spem, & fiduciam in Deum: *Alba* colore suo cordis denotat puritatem) longitudine verò bonorum operum perseuerantiam: *Cingulum* innuit carnis continentiam: *Manipulus* cordis compunctionem: *Stola* iugum obedientiæ Christianæ per patientiam, & animi fortitudinem: *Casula* suaue iugum Christianæ charitatis reliquis virtutibus supereminentis, easque protegentis exponit. Duran. *in Ration.cap.*3. Scortia *lib.2. cap.*8. Palud. *in 4.dist.*24. *quæst.*5. *art.*1. Laym. *lib.*5. *tr.*5. *c.*6. *n.*14.

128 *In vestium sunt lineæ, serica, color, forma, &c.*

Quoad materiam quidem Amictus & Alba possunt esse lineæ, vel lanceæ, vel sericeæ. Color ipsarum in Missali pro diuersis diebus diuersus præscribitur. Verum ibi non continetur proprium præceptum, sed regulam duntaxat directiuam, Forma sacratum vestium artificialis esse debet accommodata vsui, cui deseruit, secundùm Ecclesiasticum morem. Forma verò moralis, vel spiritualis debet esse Episcopi benedictio, vel habentis potestatem illam benedicendi, qualem habent vt plurimum Abbates & Prælati Regulares. Homob. *in exam.p.*1. *tract.*4. *c.*15. *resol.*57. Auersa *de Euchar.q.*11. *sect.*13. §. *Rursus.* Et quidem has vestes benedici debere; colligitur ex cap. *Vestimenta de consecr. dist.*1. & ex Pontific. ac Missali vbi apponuntur ipsarum benedictiones. De solo Cingulo inter Doctores lis, sectionem pertinens ad secundam.

Per se loquendo præceptum Ecclesiasticum obligat sub mortali, ad non celebrandum sine vestibus ritè benedictis. Quia vestem non benedictam adhibere, est quasi adhibere nullam; quippe vestis non benedicta non est sacra. Henriq. *lib.*9. *c.*29. *n.*5. Suar. *d.*82. *sect.*3. Bonac. *d.*4. *q.vlt. punct.*9. Colligitur ex cap. *Ecclesiastici, dist.*23. & ex cap. *Vestimenta, de consecrat. dist.*1.

129 *Omittere aliquam ex his vestibus quoad peccatum.*

Defectu voluntarij potest culpa excusari, si per inaduertentiam, vel obliuionem inculpabilem omittat quis aliquam vestem, aut simile requisitum. Quia commune est omnibus præceptis, vt ipsorum violatio excusetur à culpa hoc titulo, cum sine voluntario nequeat dari peccatum. Quare si talis omissio contingat ex naturali obliuione, nullum erit peccatum: si inaduertentiâ leuiter culpabili, veniale piaculum erit: si tamen ex crassâ; vel affectatâ, erit lethale, sicut de ignorantia *volum.*1. asserui. Caiet. Victor. Sotus, quos sequitur Suar. *distinction.*82. *sect.*3.

130 *Omittere ex causâ vnam vestem, aut alteram, nullum peccatum est.*

Omittere ex causâ vestem, vt simile requisitum, non erit peccatum mortale. Ioan. de la Cruz *in direct.p.*2. *de Missâ q.*3. *dub.*4. *concl.*2. Petrus de Ledesm. *in summ. tract. de Euchar. c.*23. *concl.*5. *dub.*3. Quod si requiras, qualis necessitas requiratur, vt deficiente aliquâ veste sacrâ, sine peccato celebretur? Hieron. Llamas *p.*3. *Methodic. c.*5. §.16. & Diana *p.*2. *tr.*14. *resol.*57. existimant, si die festo desit aliqua sacra vestis, posse Sacerdotem semel, aut iterum celebrare. Coninch. *q.*83. *n.*250. dixit, non esse damnandum eum, qui, ne die celebri populus sacro careat, sine cingulo benedicto celebrarit. Fagund. *præc.*1. *l.*3. *c.*23. *n.*12. affirmat, etiam sine veniali celebrari posse, quando deest cingulum benedictum, & adest necessitas; vel sacrum audiendi, vel celebrandi die festo, vel vincendi tentatioem importunam, vel feruor magnæ deuotionis adsit: vel interdam sufficiet necessitas stipis Missæ ad vitæ sustentationem. Quare facilius posset in his casibus vti Stolâ pro cingulo, vel manipulo pro Stolâ, si sit sufficiens. Præterea si magna subsit celebrandi necessitas, quia frequens populus cum murmure, vel scandalo esset dimittendus: celebrari poterit sine manipulo, vel Stolâ, vel cingulo benedicto, vel sine ministro. Si verò tanta celebrandi necessitas non vrgeat, quamvis ex Ordinis regula, vel Ecclesiæ præcepto sacrum faciendum esset, præstat non celebrare, deficiente ministro, vel manipulo, vel Stolâ. Quia quoties Missa decenter celebrari non potest, cessat sacri faciendi, vel audiendi obligatio. Antonin. *3.p. tit.* 13. *c.*6. §.6. Laym. *l.*5. *tract.*5. *c.*6. *n.*17. Henriq. *l.*9. *c.* 30. *n.*1. Cæterùm etsi necessitas magna non vrgeat, dum aliqualis adsit, celebrari poterit sine Cruce, sine mappis benedictis, vel cum vnico lumine sebaceo, vel olei, dum absit scandalum. Laym. citat Azor. *tom.*1. *lib.*10. *cap.*28. *quæst.*8. & 15.

131 *Quale peccatum sit, cum immundis vestibus celebrare.*

Rogas, quale peccatum sit, cum immundis vestibus celebrare? Certè celebrare cũ vestibus, aut linteis notabiliter immundis, est lethale peccatum contra naturale præceptum exercendi reuerenter tam sublimè ministerium. Quia magna fit sacrificio irreuerentia mundissimo, dum vestibus, aut linteis valdè laceris, vel sordidis celebratur. Tolet. *l.*2. *c.*2. *n.*3. Sa *v. Missa, n.*15. Sylvest. *Missa* 1. *q.*2. Fagund. *præc.*1. *l.*3. *cap.*23. *n.*20. Auersa *q.*11. *sect.*13. §. *Rursus.* Laym. *l.*5. *tr.*5. *c.*6. *n.*15. Qui probat etiam ex cap. 2. *de custodia Euchar.* vbi sic Pontifex: *Præcipimus, vt Oratoria, vasa, corporalia, & vestimenta munda, & nitida conseruentur.* Notat verò Fagundez præcipuè loqui Pontificem cum Ecclesiæ Pastoribus ad quos rerum sacrarum cura pertinet. At si non sit immunditia notabililis veniale peccatum erit. Quia non est, cur in hoc præcepto non detur materiæ paruitas.

132 *Non debet sacerdos nudis pedibus celebrare.*

Decentiæ ratio postulat, vt Sacerdos ad celebrandum accedat vestibus aptè compositis, ne sit adstantibus scandalo. Ideò ob maiorem honestatem consuetudo induxit, vt calceatus celebret, & Rubrica Missalis indicit. At non oportet calceos benedictos esse. Quia nec praxis id habet, nec illa consuetudo fuit inducta propter aliquam cæremoniam, aut significationem sacram; sed ob solam maiorem decentiam. Scot. Richar. Sylui. quos sequitur Suar. *d.*82. *sect.*3. Henriq. *l.*9. *c.*26. *num.*4. Tolet. *l.*2. *c.*2. *n.*9. Filliuc. *tr.*5. *num.*151.

133 *Mortalis non est, imò aliquando nec venialis hugius transgressio.*

Sine calceamentis celebrare, si absit contemptus mortale piaculum non est. Quia nullum extat in iure præceptũ, & consuetudo solam honestatem attendens, non inducit grauem obligationem. Nec illa Rubrica videtur, sub mortali obligare. Sa *v. Missa, n.*15. Coninch *q.*83. *num.*251. Fagund. *præc.*1. *lib.*3. *cap.*23. *num.*21. Card. de Lugo *d.*20. *num.*102, Crediderim quidem,

dem, nullam fore culpam sine calceamentis celebrare, si necessitas aliud postulet, & cessèt scandalum. Scortia *de Missâ libr. 2. capit. 8. numero 2.* Layman. *libr. 5. tractat. 5. cap. 6. numero 15.*

134 *Operto capite non licèt celebrare. Sed necessitas excusat, vt sine licentia fiat, si sit manifesta.*

Si causa sit manifestè iusta, vt grauis infirmitas, vel summa frigiditas, nec possit facilè dispensatio, vel licentia postulari, celebrare quis poterit capite operto sine Superioris licentiâ seclusò tamen scandalo, si scilicet vel sacrum secretò fiat, vel causa adstantibus sit cognita. Quia tunc ipsa causa per se satis excusat à præcepti obligatione: & difficultas adeundi Superiorem petendi facultem, obligationem tollit. Suar. *d. 82. sect. 3.* Filliuc. *tract. 5. n. 152.* Sylui. *3. p. q. 83. art. 5.* Diana *p. 2. tract. 14. resol. 58.* Quin & si ad Superiorem facilis pateat aditus, quando communiter constat, causam per se esse sufficientem, non erit necessaria dispensatio, quæ minorem causam supponit. Quia vt supponit D. Thom. *2. 2. quæst. 147. art. 4.* non intendit legislator illum obligare, qui manifestè habet causam non seruandi præceptum. Suar. *de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 2. c. 33. n. 3.* Sanch. *de Matr. lib. 8. num. 14.* Si verò causa cooperiendi caput non sit manifestè sufficiens ad excusandum, sed vel insufficiens ex se, vel saltem dubia: requiritur dispensatio, seu facultas Superioris. Quia ad hoc deseruit in Superioribus dispensandi potestas. D. Thom. Suar. & Sanch. citati. Rogas quisnam Superior concedere possit huiusmodi licentiam? Multi dicunt, respectu sæcularium, Episcopum posse: respectu Regularium, Prouincialem habentem quasi Episcopalem iurisdictionem. Quia talis facultas ad commune regimen animarum pertinet. Ast hodie solus Papa dispensare potest, aut licentiam concedere. Quia Congregatio sacrorum Rituum, die 13. Iulij anno 1626. decreta quædam edidit, quæ iussu Vrbani VIII. sunt affixa Missali per ipsum reformato: & vnum istorum habet: *Nullus audeat vti palliolo in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, non obstante quacunque contraria consuetudine.* Quare iam soli Pontifici reseruatur. Gauant. *in Rubr. Miss. tom. 1. p. 2. tit. 2. lit. F,* Diana *p. 2. tr. 14. resol. 58.* Cardin. de Lugo *distinctione 20. numero 102.*

Solus hodie Pontifex dispensat.

135 *De cultu vasis, ac vestibus sacris debito.*

Qualis cultus vasis, ac vestimentis sacris debeatur, si roges: dixerim, lintea, vel ornamenta sacra quamvis benedicta sint, si non attingunt immediatè species consecratas, nec chrismate consecrentur, posse à laicis etiam fœminis sine culpa tangi. Quia sic est vsu receptum, & iura potissimum de vasis sacris loquuntur cap. *Vestimenta.* Vasq. *d. 233. n. 36.* Reginald. *l. 29. n. 202.* Layn. *l. 5. tract. 5. c. 6. n. 20.*

136 *Veniale est sacra vasa, aut lintea tangere, quæ immediatè speciebus consecratis seruiunt.*

Immediatè tangere Aram consecratam, vel sacra vasa, vel lintea, quæ vel immediatè consecratas species contingunt, vel chrismate sacrantur, peccatum est in laicis, ac fœminis, quod tamen excluso contemptu veniale non excedit quando sine rationabili causa fit. Quia licèt materia non sit grauis, violatur tamen Ecclesiastica prohibitio. Secus si rationabilis causa subsit, vel si tangantur velo mediante. Suar. Reginal. *lib. 29. num. 202.* Laym. *lib. 5. tr. 5. c. 6. n. 20.* Fagund. *præc. 1. lib. 3. c. 21. n. 28.* Sic in cap. *Nemo de consecr. dist. 1.* decernitur, vt pallas & vela sanctuarij Diaconi cum humilibus ministris intra sanctuarium lauent. Vnde colligo, corporalia, & Purificatoria prima lotione saltem leuiter à Sacerdotibus, vel Diaconis esse diluenda, lotionémque refundendam in piscinam. Postquam verò sic lota fuerint, dari possunt fœminis amplius lauanda, ac reficienda. At cæteras pallas, seu mappas Altaris, etiam si benedictæ sint, fœminæ possunt etiam primâ lotione abluere. Suar. *distinct. 81. sect. 8.* Azor. *tom. 1. lib. 9. cap. 9. quæst. 6.*

CAPVT X.

De Ritibus Missæ.

137 *Ritus ab Ecclesia instituti ad Missam.*

RÆTER ritum essentialem, in quo substantia huius sacrificij consistit, à Christo Domino institutum plures alios addidit Ecclesia, qui quidem partim in verbis, partim in actionibus consistunt: partim ante celebrationem, partim in ipsa celebratione. Profectò ante celebrationem, si grauiter conscientia vulneretur, confessio requiritur. Prærequiritur etiam quoad animum intentio ritè sacrificandi, conficiendique Sacramentum. Apponuntur in Missali preces quædam celebrationi præmittendæ quas tamen omittere, secluso contemptu, nullum peccatum est. Quia solummodo sub consilium cadunt. Quoad corpus talis requiritur dispositio, quæ tollat periculum vel relinquendi sacrificium inchoatum, vel irreuerenter celebrandi ob lepram, aut vomitus periculum. Lotio manuum præmitti debet ex decentiâ, non ex necessitate, quæ sub mortali cogat. Suar. *d. 82. initio.* Filliuc. *tr. 5. n. 137.* Auersa *de Euchar. q. 11. sect. 12. §. septimo quia.*

138 *Ritus accidentarij.*

Quæsieris, quid gerendum circa ritus accidentales in Rubricis Missalis præscriptos? Verum verbis, & actionibus Missæ quædam significantur ad Christi passionem pertinentia, quædam ad corpus mysticum quædam ad vsum huius Sacramenti, quæ sigillatim exponunt Doctores. Multiplex Crucis vsus commemorat Christi passionem; brachiorum extensio crucifixionem, hostiæ fractio diuisionem corporis & animæ Redemptoris, manuum extensio super oblata protectionem diuinam, digitorum ablutio leuiorum culparum emundationem, mixtio aquæ cum vino Christi cum populo mixtionem. Tunsio pectoris contritionem significat, osculum reuerentiam, & amorem: eleuatio manuum, vel oculorum, vel specierum internæ motum oblationis. D. Thom. *3. p. q. 83. art. 4. & 5.* Suar. *ibi, d. 83. & 84. vtrobique sect. 1.* Verùm peccatum erit mortale, si quis scienter ritum aliquem grauiorem qui continet specialem significationem omittat, v. gr. mixtionem aquæ cum vino, fractionem hostiæ, eleuationem Sacramenti, vel similes. Quia hæc grauis materia reputatur. Si verò detur inaduertentia vel inculpabilis, vel culpabilis leuiter, omissio à lethali excusabitur. Suarez *distinct. 84. section. 2.* Filliuc. *tr. 5. n. 159.* Ledesma *to. 1. sum. tr. de Euch. c. 24. concl. 8.*

139

Prudenti quidem arbitrio decernendum est, quænam transgressio Rituum sit grauis, aut leuis

leuis, mortalis aut venialis. Venialiter dixerim peccare qui Missam priuatam ita submissè dicit, vt ab adstantibus percipi nequeat: vel qui dicit alta voce, quæ secretò sunt proferenda. Caiet. & Nauar. quos sequitur Sanch. *in Consil. l. 7. cap. 2. dub. 8. num. 6.* Si quis omittat *Gloria* vel *Credo*, quando dicenda sunt, veniale solùm erit. Quia tunc non mutilatur Missa propriè quatenus facta est actio, cùm integra fiat aliis diebus sine verbis illis. Idem est si quis dicat *Gloria*, vel *Credo*, quando non sunt dicenda. Omittere vnum vel alterum verbum *Kyrieleison*, vel quid simile; aut vnam, vel alteram actionem, videlicet crucem aliquam, vel manuum eleuationem, veniale piaculum est. Omittere autem Orationem principalem Missæ, mortale erit. Quia pars Missæ principalis. Card. de Lugo *d.* 20. *num.* 104. Diana *part.* 5. *tract.* 5. *resol.* 45. Non erit mortale post Epistolam Graduale omittere. Diana *citat. resol.* 63. Omittere Epistolam, vel Euangelium, vel Oblationem graue peccatum est. Quia grauis materia. Suar. *disp.* 83. *sect.* 2. Filliuc. *tract.* 5. *n.* 155. Auersa *quæst.* 11. *sect.* 12. §. *Quare.*

140 Si quid omissum fuit in Missa quod ad substantiam sacrificij pertineat, repetendum est à celebrante, qui dęinceps reliqua per ordinem prosequetur. Si verò non pertineat ad substantiam sacrificij, regulariter non est repetendum: nec commodè repeti poterit. Quia ordine semel inuerso verba, vel actiones extrà proprium locum non rectè cohærebunt. Suar. *d.* 83. *sect.* 2. Sylvest. *Missa* 1. *quæst.* 3. Petr. de Ledes. *tom.* 1. *sum. tract. de Euchar. cap.* 24. *concl.* 5. Marchant. *de Sacram. tract.* 4. *cap.* 5. *q.* 4. Diana *p.* 5. *tract.* 5. *resol.* 45.

141 Debet Sacerdos sicut non omittere, sic nihil addere Missæ. Quia Pius V. *in Bulla Missalis*, & Trident. *sess.* 22. *cap. de seruand.* districtè præcipiunt, nè preces, vel ritus addantur. At sicut omissio, sic additio secundùm materiæ grauitatem, aut leuitatem erit mortale, vel veniale peccatum. Verum si Sacerdos nihil intendens addere sacrificio, solum vt priuata persona secretè priuatam aliquam deuotionem interponat, haud directè contrà præceptum delinquit. Suar. *d.* 83. *sect.* 2. Filliuc. *tract.* 5. *num.* 156. Nuñus *q.* 83. *art.* 4. *dub.* 2. Bonac. *d.* 4. *q. vlt. punct.* 10. *num.* 19. Henriq. *lib.* 9. *c.* 30. *n.* 4.

142 Licetnè in Missa ritus aliquos immutare? Minimè. Quia tam Bulla Pij V. quàm Trident. *sess.* 22. *decreto de seruand.* districtè prohibent quamlibet mutationem. Vnde colligo graue esse peccatum quidquam in ritibus, vel in verbis Missæ immutare: quamuis possit per inaduertentiam, vel ex leuitate materiæ leue reddi. Declaratio Cardinal. asserit, peccare mortaliter Religiosos omittentes in Canone nomen Episcopi localis, & eius loco ponentes Regularem Prælatum. Quia ad vnguem Missale seruandum est. Manuel *in sum. tom.* 4. *cap.* 51. *num.* 13. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 8. *diffic.* 31. *n.* 3. Diana *p.* 2. *tract.* 14. *resol.* 40. Similiter peccaret grauiter, qui notabili deformitate Missæ partes inuerteret, vel incipiens ab Euangelio, postea introitum dicturus: vel coniungeret Euangelium Paschæ cum Epistola defunctorum: vel similem gereret mutationem. Quia verè grauis esset. Leuis verò mutatio censetur, si quis ex Missis positis in communi Martyrum, relinqueret illam, quæ pro quodam Martyre designatur, & aliam assumeret; aut loco vnius Euangelij, diceret aliud. Auersa *quæst.* 11. *sect.* 12. §. *Nono vrsus.*

Quando Bulla beatificationis Diui alicuius exprimit, vt personæ designatæ tantum possint dicere Missam de tali Beato, nullus alius potest. Quia sic decretum Congregationis Rituum affixum Missali præscribit. Barbosa *de Offic. Parochi. c.* 11. *num.* 34. & alij: si tamen in Bulla particula *Tantùm* non apponatur, vel alia similis, valdè probabile reputarim, posse Sacerdotes alios dicere talis Beati Missam, petentibus quidem illis, quibus talis facultas fuit concessa. Quia ex *Regula* 27. *Iuris in* 6. qui facit per alium perinde est ac si faceret per se ipsum. Granad. 2. 2. *controu.* 1. *tract.* 7. *d.* 4. *sect.* 2. De quo Problema instituam *sect.* 2. Quoties autem Bulla beatificationis limitat tempus, quod designat faciendo sacro de tali Beato (vt fere semper designare solet, ac limitare) non potest dici Missa talis Beati nisi tali die, vel tempore, ità vt, si concedatur dies obitus, non possit dici, per Octauam; si verò Octaua concedatur, non possit dici Missa votiua per annum etiam à designatis in Bulla. Quia conceditur illa facultas pro tali tempore non vltra iuxtà concedentis intentionem in Bulla significatam. Granad. *citat.* 143 *Non potest dicere de Beato Missam, nisi ille cui talis gratia concedituri.*

Missa solemnis decantari non potest regulariter ante decantatum in choro Matutinum, imò etiam Primam sine graui culpa. Quia in hoc officio publico valdè est necessarium, vt Horæ Canonicæ suis definitis temporibus dicantur: & bonum Ecclesiæ regimen postulat, vt hic publicus Dei cultus debito ordine præstetur. Quem quidem sine causa legitima notabiliter inuertere contra receptum morem graue erit peccatum. Hoc tamen intelligo de illis Ecclesiis, in quibus est obligatio canendi diuinum officium in choro. Nam vbi non datur talis obligatio, dici potest Missa solemnis sine præuia Horarum in choro decantatione. Quia neque Officium in choro decantatum & Missa solemnis habent inter se necessariam connexionem. Intelligo etiam, nisi subsit grauis causa, qua posita, & scandalo cessante, poterit interdum in Ecclesiis etiam obligatis ad canendas Horas in choro, dici Missa solemnis sine præuio Matutini, aut Primæ cantu. Suar. *disp.* 82. *sectio* 1. Fagund. *prec.* 1. *libr.* 3. *capite* 17. *numero* 21. & 30. 144 *Missa solemnis decantari non potest ante cantatum in choro Matutinum.*

CAPVT XI.

De Missæ Defectibus.

ALL defectus substantiales vocantur, qui contingunt in rebus vel essentialibus sacrificio, vel ita proximis essentiæ, vt saltem pertineant ad sacrificij perfectionem & consummationem: & hi vel accidunt ante consecrationem, vel post illam. Alij vocantur accidentales, quia contingunt in rebus accidentalibus omninò. Regulam generalem expono. Si defectus essentialis in materia vel forma commissum sit, ille omninò supplendus, ne sacrificium maneat imperfectũ: quod est intrinsecè malum 145 *De substantialibus, & accidẽtalibus in Missa defectibus.*

contra

contra diuinum præceptum perficiendi sacrificium, sicut illius Christus perfici iussit. Quod intelligo, etiam si defectus fuisset voluntarius,& ex malitia Sacerdotis, qui post illum commissum resipiscat. D.Thom.3.*part.quæst.*83.*art.*6. Antonin. Angel. Tabie. Sylvest. quos sequitur Bonac. *d.*4.*quæst. vltim.punct.*10. *num.*2. Henriq. cum aliis *lib.*9. *cap.*36.& 37. Suar. *d.*85. *sect.*1.

146 *Quomodo defectibus substantialibus occurrendum.*

Si Sacerdos aduertat, hostiam non esse triticeam, aut in Calice contineri loco vini, vel aquam, vel acetum, vel similem liquorem: aut materiam appositam non esse certam:debet materiam aliam certam apponere,factáque oblatione,consecrare,sicut Missale præscribit. Similiter si forma non fuit integrè prolata, etiam quoad illa verba,de quibus dubitant Doctores,an pertineant ad essentiam formæ; vel si defuit intentio debita, vel in vtraque specie vel in altera: tunc iterâda est consecratio, facta prius oblatione saltem interius, vt Missale docet, quando defectus antè sumptionem aduertitur. Si tamen aduertatur post illam,& vnica solum species consecranda sit, omnino consecrari debet, ne sacrificium mutiletur. Si tamen vtraque sit inualida, nihil denuo consecrandum est; quia sacrificium fuit nullum subindeque perficiè non potest: & cum Sacerdos iam non sit ieiunus, consecrare nequit,vt sumat.Reginal. *l.*29.*n.*213.D.Thom. & Suar. *citati.* In vtroque autem casu repetenda sunt in rigore verba solum essentialia, ita vt,secluſa Rubrica, possint omitti cætera. Missale verò præcipit, vt Sacerdos iterum faciat oblationem saltem mente conceptam eius speciei, cuius defectum deprehendit, & consequenter consecrationem panis incipiat ab illis verbis: *Qui pridie*: Calicis autem ab illis:*Simili modo*:ac deinceps prosequatur ab eo loco vbi desiuit, non repetens intermedia. Si verò defecit in prolatione cuiusdam verbi substantialis formæ, non sufficit illud solum repetere, cum hoc non reddat integrum formæ sensum, sed totam debet formam repetere. Totum hoc Sacerdos præstet occultè, cautè, decenter, quantum possit, ad scandalum vitandum, aut adstantium admirationem.Quare si dum liquorem haustum è Calice tenet in ore, deprehendit, non esse vinum, non debet eiicere,nam id indecens esset;sed traiicere,ac continenter consecrare verum vinum, & sumere. Auersa *de Euchar. quæst.*8. *sect.*9.§. *Primò quidem.* Henriq. *lib.*9.*c.*36.& 37. Quod si Sacerdos non certo cognoscat, sed solum dubitet de defectu aliquo substantiali circa materiam,vel formam,vel intentionem,debet iterum consecrare,sed sub conditione,si prius non consecrarit. Ne tamen admittat facilè tale dubium sed re prudenter gatis,& attentè perpensa, præsertim circa prolationem,& intentionem. Quia regulariter debebit existimare, se rectè verba protulisse, & habuisse saltem virtualem intentionem, quamuis postea non satis recordetur, aut discernat. Auersa *quæst.*11.*sect.*16.§.*secundo si.* Solet contingere substantialis defectus ex eo quod impediaris à sumptione Calicis ob venenum ibi appositum, vel ob animalculum illuc cadens, quod causat horrorem, & ad vomitum excitat. Si defectum præuidis ante consecrationem,aliam speciem offere,ac consecrare debes, priori relicta;si post, debes animal extrahere,& species absumere, si absque graui incommodo facere possis. At si nec tu, neque alius Sacerdos adsit,qui propter venenum sine periculo morali mortis, aut grauis ægritudinis, vel propter animal saltem vomitus, sanguinem sumat: alia species vini est apponenda,consecranda,& sumenda,& priores species vini stupa imbibantur, ponantur in sacrario, & postquam siccæ fuerint, comburantur,& cineres mittantur in piscinam simul cum cineribus animalis in Calicem excidentis. Idem gerendum est,quando contingit euomi Sactamentum, putrefieri, aut ab animali comedi: debent, inquam, comburi, & cineres in piscinam emitti. Quod si miraculosè Hostia vel sanguis euanescerent, aut in aliam formam mutaretur, obligatio non est, aliam consecrandi speciem. Quia miraculoso facto censetur Deus sacrificiũ illud dimidiatum accepisse. Defectum præterea experimur contingere ob effusum sanguinem, vel ob hostiam valido vento ablatam. Et quidem si pars aliqua reperiatur,hostiæ vel minima,vel aliquid ex speciebus sanguinis superfuerit: non erit necessarium aliam speciem consecrare, cum perfectum sacrificium fieri possit. Si verò contingat, Calicem omninò profundi,vel hostiam non apparere: consecranda est alia species ob sacrificij integritatem. Porrò de profuso sanguine quid agendum, colligo ex Cap. *Si per negligentiam, de consecrat. dist.*2. & ex Missalis Rubricis. Si cadit in terram,radendus locus, cineres concremandi, & in piscinam emittendi: si verò in tabulam,vel tapetem,fugatur,& radatur: pars autem tapetis,aut cuiuslibet vestis nec benedictæ, nec nimis pretiosæ scindatur, & combusta, cineres piscinæ tradantur: si verò in pallas benedictas excidat, vestésque Sacerdorales, fugatur, & tribus vicibus Calice supposito lauetur, & aqua ablutionis absumatur, aut sumatur in piscinam emittenda. Si sanguis Aram attigerit, sumatur, lambatur, & vt potuerit, purificetur. Denique pœnæ præfato Cap.impositæ non sunt ipso iure latæ,sed ferendæ:& iam per consuetudinem reseruatum est Ordinario, vt pro qualitate culpæ, ac negligentiæ pœnam imponat. Nauar. *cap.*25. *num.*91. Suar. *dist.*85.*sect.*1. Coninch *quæst.*83.*art.*6. *num.*277. Vasq. *ibi.* Henriq. *lib.*9.*cap.*37. *num.*4. Bonac. *d.*4.*q.vlt. punct.*10.*n.*5. Laym.*lib.*5.*tr.*5.*cap.*7. Castro Pal. *tom.*4.*tract.*22.*punct.*10. & alij.

147 *Quomodo defectus accidentales in Missa componantur.*

Verùm si defectus accidentalis in verbis, vel actionibus contingat,qualis esset omissio Euangelij, Offertorij, alicuius orationis, Canonis, vel similium, si multùm progressus non es, quando aduertis, debes repetere, si absque graui nota facere potes; regulariter autem non teneris, tùm quia vix sine nota fieri potest: tùm quia omnia, quæ dicuntur, & aguntur in hoc sacrificio, sunt ita inter se connexa, vt si à propriis extrahantur locis, non benè inter se cohæreant. D.Thom. *q.* 83.*art* 6. Coninch *ibi num.*281. Suar. *dist.*85. *sect.*2. Bonac.*d.*4.*q.vlt.punct.*10.*n.*16. At si accidentalis defectus in materiam consecrandam obueniat, vel quia appositus est panis fermentatus,cum azimus esset apponendus,vel quia vinum est nimis acidum,vel non est aqua mixtum: & aduertis defectum ante consecrationem,supplere omninò debes:si autem facta consecratione, defectus præuideatur, tolerandus est, & per pœnitentiam, si culpa adfuit, per pœnitentiam supplendus.Quod si defectus leuior sit,eo quod vinum

vinum sit aliquantulum acidum, vel hostia non satis integra: suppleri debet ante oblationem, si præuideatur; at oblatione facta, dissimulandus est. Suar. *d.* 85. *sect.* 2. Ad accidentales defectus pertinet, si hostia cadat in Calicem ita vt frangi non possit: tunc sumi debet simul cum sanguine, tametsi ritus & cæremoniæ circà illam præscriptæ geri non possint; vnde non est noua hostia, nec nouus sanguis consecrandus. D. Thom. *q.* 83. *a.* 6. Coninch *ibi*, *n.* 282. Henriq. *lib.* 9. *c.* 37. *n.* 5. Bonac. *d.* 4. *q. vlt. punct.* 10. *n.* 17. Item pertinet ad accidentales defectus, si vinum congelatum sit. Sed facilè hic defectus tolli potest admotis Calici pannis ardentibus; sed si deficiant, digitis aliquid sanguinis liquefacere poteris, vt sumptio fiat. Suar. *disp.* 85. *sect.* 1. Henriq. *lib.* 9. *c.* 37. *n.* 5. Bonac. *d.* 4. *q. vlt. punct.* 10. *n.* 18.

148 Ob nullam causam etiam ob vitandam mortem tibi licitum est sacrificium imperfectum facere. Tibi enim non licet consecrare (v.gr.) panem animo non consecrandi vinum: neque consecrare panem & vinum animo non consumendi vtramque speciem. Quia essentia & integritas sacrificij tantæ considerationis est, vt meritò debeas bono cuilibet temporali præferre: nullatenus autem præferres, si ob vitandam mortem velles in vna tantum specie consecrare, vel vtraque specie consecrata, vtramque non sumere. Sacrificium inceptum nequis sine rationabili causa intertumpere. Quia ex præcepto saltem Ecclesiastico lato à Pio V. obligaris Missam vsque ad finem continuò prosequi. Colligitur ex Cap. *Illud*, Cap. *Nihil* 7. *q.* 1. Bonac. pluribus relatis *d.* 4. *q. vlt. punct.* 10. *num.* 25. Causæ autem legitimæ, ob quas Missa ante consecrationem, vel consecratione facta, potest interrumpi, sunt variæ. Et quidem antè consecrationem minores causæ sufficiunt, siquidem vsu receptum est, ob concionem populo habendam, ob Ordines celebrandos, sacrificium interrumpi. Profectò ob aduentum Episcopi, Ducis, vel processionis populi, quos decet integrè Missam audire, nec est alius Sacerdos qui celebret, poterit Missa inchoata, si oblatio nondum fuit facta, relinqui, & iterum à principio inchoari. Nauar. *cap.* 25. *num.* 86. Henriq. *lib.* 9. *c.* 30. *n.* 3. Sa *v. Missa, n.* 21. Scortia *lib.* 2. *c.* 18. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 32. *q.* 3. Laym. *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 7. Facta oblatione etiam, antè Canonem inceptum poterit quis inceptam Missam relinquere, si excommunicatus, irregularis, vel non ieiunus existat. Quia potius decet à sacrificio desistere, quàm ab irregulari, excommunicato, vel non ieiuno fieri. D. Thom. *qu.* 83. *art.* 6. & Coninch *ibi* Henriq. *lib.* 9. *cap.* 30. *num.* 5. Imò sedecluso scandalo, ac graui nota videtur obligatus, à sacrificio desistere. Quia præceptum de sacrificio semel cepto prolequendo, minoris momenti esse videtur, quàm negatiuum præceptum prohibens ab excommunicato, irregulari, ac non ieiuno fieri. Secùs videor dicendum de Sacerdote, qui alicuius peccati mortalis nondum confessi recordatur; nam esto absque graui nota posset ab incepta Missa desistere, obligatum non esse crediderim. Quia præceptum confessionis præmittendæ celebrationi non vrget, cum abest copia Confessarij, & celebratio absque indecentia omitti non potest: sed contritione concepta, poterit Sacerdos Missam prosequi, vt cultus tanto sacrificio debitus obseruetur. Sotus *in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 6. *ad* 2. Coninch *q.* 85. *a.* 6. *n.* 272. Si ante ceptum Canonem superueniat interdictum speciale, vel cessatio, nec habeas priuilegium ianuis clausis celebrandi, vel si superueniat interdictum generale, nec permittaris, claudere ianuas, & interdictos excludere: vel si denunciatus excommunicatus nequeat expelli: potes, imo teneris à sacrificio incepto desistere. Quia intentio Ecclesiæ, cum præcipit sacrificium inceptum prosequi, est, cum prosecutio fieri possit, seruatis illius præceptis: secus illis contemptis. Henriq. *lib.* 9. *c.* 30. *n.* 5. Porrò post cœptum Canonem, quia iam censetur sacrificium quasi substantialiter inchoatum, grauior causa requiritur, vt possis, à sacrificio incepto desistere, tametsi aliquantulum interrumpere posses, tùm vt proprię necessitati, tum vt alienæ consulas. Quia si grauis morbus, aut necessitas corporis quam sustinere non possis, superueniat, poteris sacrificium imperfectum relinquere, etiam post consecrationem: & morbo, vel necessitate cessante, sacrificium continuare. Quod si morbus eius sit cõditionis, vt nequeas per te ipsum sacrificium inchoatum perficere, alius Sacerdos tametsi excommunicatus, vel non ieiunus existat, perficere poterit incipiens ab ea parte, in qua crederis sacrificium reliquisse. Quia esto consecratio facta non sit, adest tamen illius proxima præparatio, quam minus conuenit cassam relinquere, quâ legem ieiunij, aut excõmunicationis, quando non adest Sacerdos ieiunus & non excommunicatus, obseruare. Attamen si consecratio facta fuerit, omnes Doctores docent, liberum esse Sacerdoti etiam non ieiuno (si ieiunus non reperiatur) sacrificium perficere. Quia perfectio sacrificij vtpote iuris diuini, strictius obligat quolibet Ecclesiastico præcepto, sed an teneatur eo casu Sacerdos sacrificium perficere? non est constans sententia, ideò quæstionem hanc *sect.* 2. discutiam, Lege interim Azor. *tom.* 1. *l.* 10. *c.* 33. *q.* 1. Suar. *d.* 85. *sect.* 1. Nauar. *c.* 25. *num.* 88. Coninch *q.* 83. *art.* 6. Denique vt alienæ necessitati maximè spirituali consulas poteris sacrificium, etiam facta consecratione inceptum relinquere, postmodum perficiendum. Quod si roges quænam proximi necessitas sufficiens censeatur ad præfatam interruptionem? respondeo, solam necessitatem, quæ dilationem non patitur, recipiendi aliquod Sacramentum ad salutem moraliter necessarium, sufficientem esse, etiamsi ex Templo exire debeas, vt ei necessitati succurras. Vnde si infirmus ità sit morti proximus, vt moraliter censeatur expectare non posse sacrificij finem, vt ei Sacramentum necessarium ministretur: poteris ab Altari discedere, & in domum infirmi pergere, vt ei Sacramentum ministres, omissis precibus & orationibus in Sacramentorum administratione præscriptis; sed post peractum sacrificium recitandis. Et idem est, si Pœnitentiæ Sacramentum suscipere non posset, posset tamen Eucharistiam, vel Extremam-Vnctionem. Quia eo casu Eucharistia, aut Extrema-Vnctio est ei infirmo moraliter necessaria. Secus esset, si paulò ante Sacramentum Pœnitentiæ suscepisset ægrotus; nam eo casu permitti posset absque Viatico mori, cum moraliter non sit ei ad salutem necessarium. Henriq. *lib.* 9. *c.* 30. *n.* 3. Zambran. *de Euch. c.* 4. *dub.* 6. *n.* 5. Laym. *lib.* 5. *tr.* 5. *c.* 7. *à n.* 2. Castro Pal. *tom.* 4. *tr.* 22. *punct.* 2. *à n.* 2.

CAPVT XII.

De Obligatione faciendi sacrum pro aliis.

149 *Variis modis potest quis obligari ad celebrãdum pro aliis.*

VARIIS modis potest obligari Sacerdos ad celebrandum pro aliis. Primò ex obedientia, cum superior id præcipit. Secundò ex charitate. Tertiò ex voto. Quartò ex simplici promissione. His tamen obligationibus omissis, de iustitiæ obligatione sermo procedet. Quæ quidem potest oriri vel ex stipendio propter Missam accepto, vel ex Capellania, seu Beneficio, quæ Missarum onus habeant adiunctum. At cum aliud sit Beneficium simplex, aliud curatum, singula sigillatim attingam.

150 *De Capellani circa dicendã pro alio Missam obligatione.*

Et quidem Capellanus obligatur non solùm Missas celebrare in fundatione præscriptas: sed illarum fructum secundùm fundatoris intentionem applicare, ita vt nequeat nouum stipendium pro illa Missa ab aliis accipere. Quia supponimus, reditus Capellaniæ æquare debito stipendio sacrificij. Non igitur est locus alij applicandi illius sacrificij fructum. Quod si reditus insufficientes sint, penès Ordinarium est potestas Missas ad legitimum numerum reducendi. Admonuerim tamen, si Capellania quotidianum sacrificium per ipsum Capellanum dicendum præscribat, non peccare Capellanum semel in hebdomada omittentem sacrum. Quia obligatio dicendi sacrum subintelligi debet, salua honestate, decentia, ac reuerentia debita. Bonac. *dist. 4. quæst. vltim. punct. 7. num. 6.* Laym. *lib. 5. tract. 5. cap. 3. num. 6.* Et Cap. *Significatum, de præbendis.* Ibi Abbas, Nauar. *cap. 15. num. 135.* Henriq. *l. 9. c. 24. num. 4.* Azor. *tom. 1. lib. 10. cap. 24. quæst. 7.* Difficile quidem reor à Capellano maximè sæculari singulis diebus absque vlla intermissione sacrificium debita cum honestate, ac reuerentia celebrari, tum ob negotia & occupationes occurrentes, tum ob varia dæmonis tentamina, mundique illecebras. Vnde crediderim, obligationem impositam à fundatore haud esse eo rigore sumendam, quin in hebdomada aliquem diem intermissionis, ac vacationis concedat. Sicque vsus obtinuit.

151 *De Beneficiario simplici.*

Beneficiarij alij simplices, quales sunt Dignitates, Canonicatus, & Præstimonia. Hi obligationem non habent sacrum faciendi, & à fortiori neque applicandi illius fructum pro aliqua persona determinata. Quia iure communi id cautum non est. At ex fundatione Beneficij, & ex recepta consuetudine optimè possunt præfati Beneficiarij obligari non solùm ad sacrum faciendum, aliquibus diebus determinatis; sed etiam ad applicandum illius fructum secundum determinatam intentionem. Doctores communiter.

152 *De Beneficiario Curato.*

Parochus obligatus est, sacrum facere per se, vel per alium omnibus illis diebus, quibus parochiani obligantur audire. Quia officium Parochi est, ministrare parochianis quæ illis sunt ad salutem necessaria: & ob huiusmodi causam decimæ, ac oblationes conceduntur. Vnde si populus ita sit numerosus vt simul sacrificio adstare non possit, Parochus curare debet mediis aliis Clericis, queis iustum stipendium concedat, plura sacra fieri iuxta Beneficij reditus: quod arbitrio Ordinarij est decidendum. Aliis verò diebus non est ita certa obligatio. Satis tamen indicatur à Tridentino *sess. 23. cap. 14.* aliquibus ex illis esse. Si enim communiter Doctores asserunt obligatum esse Parochum Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentum parochianis ministrare, non solùm quando ipsi obligati sunt accipere; sed etiam quando ipsi pro augmento deuotionis, & charitatis rationabiliter postulant; eadem ratione affirmare debent, hoc sacrificium ministrandum esse non solùm cum illi obligati sunt audire; sed etiam quando rationabiliter postulant. Ideóque Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 2.* existimat aliquoties in hebdomada obligatum esse Parochum celebrare. Illud verò est certum, si populus numerosus sit, & Beneficij fructus non exigui, posse Episcopum, & debere Parochum adstringere, vt aliquoties bis, vel ter in hebdomada celebret, maximè si in eo Oppido non sint Ecclesiæ Collegiatæ, vel Conuentuales, ad quas pro sacrificio audiendo posset populus confluere. Laym. *lib. 5. tract. 5. cap. 3. num. 2.* Bonac. *dist. 4. quæst. vltim. punct. 4. num. 4.* Profectò si singulis diebus Parochi sacrificare pro populo tenerentur, vt placuit Soto (de quo *sect. 2.*) haud possent stipendium accipere pro Missa. Quia stipendium conceditur, vt concedenti Missæ sacrificium specialiter applicetur: quod fieri nequit, cum iam Parochi sint ratione Beneficij obligati, pro populo specialiter sacrificium applicare. Suar. *dist. 86. sect. 3.* Si verò vna vel altera vice in hebdomade obligentur, vt tenet receptior sententia, cum hæc obligatio determinatæ diei adstricta non sit, poterit Parochus ea stipendia pro Missis dicendis accipere, quæ præfatæ obligationis non impediat executionem. Sed quia verius puto, Parochos ratione Beneficij non esse obligatos fructum Beneficij specialiter pro ouibus applicare, consequenter affirmo, posse qualibet die, qua aliàs obligati non sunt, pro celebrandis Missis stipendium accipere. Vasquez *dist. 234. cap. 1. & 4.* Notanter dixi: *Quo aliàs obligati non sunt.* Nam si ex consuetudine, vel fundatione, vel Ordinarij lege & præcepto aliquibus diebus determinatis sacrificare pro populo obligentur, non poterunt stipem accipere, vt eo die concedenti, applicent sacrificium, nisi fortè concedens conscius sit illius obligationis. Quia eo casu præsumitur concedens stipendium, & petens ea die sacrificium, contentus esse, vt secundaria intentione ei sacrificium applicetur. Sotus *lib. 9. de Iust. quæst. 3. art. 1.* Suar. *dist. 86. sect. 3.* Henriq. *lib. 9. cap. 22. num. 6.* Layman. *lib. 5. tract. 5. cap. 3. num. 4.* At si stipem concedens, non postulet, sacrificium fieri die, quo Parochus aliàs astringitur: debet Parochus stipem recipiens pro eo celebrare illis diebus, quibus nulla obligatione tenetur. Quia hæc præsumenda est concedentis voluntas.

CAPVT

CAPVT XIII.

De obligatione celebrandi ob stipendium acceptum.

153 EX stipendio accepto oriri obligationem sacrificandi in fauorem illius, qui stipendium concessit, nemo est qui ambigat. Sed nùm hæc obligatio culpæ sit obnoxia lethali, *sect.* 2. discutietur. Verùm potest Sacerdos siue diues, siue pauper absque vlla simoniæ labe obligari ex iustitia ad sacrum faciendum pro intentione illius qui stipem concessit, suppono ex tractatu de simonia, & in præsenti probo: Quia stipendium non conceditur in pretium fructus ex sacrificio applicandi, sed in substentationem Sacerdotis sub obligatione, vt fructum concedenti applicet. Henriq. *lib.9.cap.*22. Suar. *lib.*4. *de Relig.c.*14. & hìc *dist.*86.*sect.*1. Vasq. *dist.* 234. Coninch *quæst.*86.*dub.*10. *à num.*192. Barbosa, aliis relatis, tum *in remiss.Concil.sess.*22. tum 2.*p.de potest.Episc.alleg.*24.*n.*2.

154 Porrò iustum vnius Missæ stipendium non est ex quantitate necessaria ad quotidianum victum desumendum, sed ex quantitate laboris impensi in fauorem illius, qui stipem concessit. Cum verò semihoræ labor & occupatio sufficienter tertia parte sustentationis illius diei compensari videatur, nullatenus integra illius diei sustentatio expostulari potest. Probatur ex communi vsu & æstimatione fidelium, & ex plurium Diœcesum legibus taxantibus stipem congruæ vnius diei sustentationis insufficientem: quæ leges, & consuetudines non sunt dicendæ iniustæ. Et quia pro Missa solemni abundantior stipes exigitur, quàm pro priuata: & pro Missa tali tempore & hora recitanda, quàm pro Missa illis circunstantiis carente: & pro duabus Missis vna die dicendis, quàm pro vnica; quod licitum non esset, si pro qualibet Missa integra illius diei sustentatio concedi deberet. Nauar. *cap.*25. *num.*92. Suar. *dist.* 86. *sect.*2. Vasq. *dist.*234.*cap.*3. *à num.*18. Laym. *lib.*5. *tract.*5. *cap.*1. *quæst.*2. Cordub. *lib.*1. *quæst.*4. Bonacin. *d.*4.*q.vlt.*

155 Ex lege Pontificia, vel Episcopali, vel ex communi hominum æstimatione desumenda est pars sustentationis, quæ pro iusto stipendio sufficiens censeatur. Sic Pontifex & Episcopus taxare potest quantitatem iustam pro vnius sacrificij oblatione. Ea verò taxatione cessante, non ex cuiuslibet singulari arbitrio taxatio iusta desumenda erit, sed ex communi hominum æstimatione, vt in rebus venalibus contingit. Vasq. *dist.* 234.*cap.*1.*n.*5. *& cap.*3.*n.*18. Barbosa *part.*2. *de potest. Episc. alleg.*24. *num.*2. citans plures. Nunquam tamen stipendium ita taxari potest, quin abundantius concedi possit à petentibus sacrificium: & minus admitti possit à sacrificantibus. Quia lex & consuetudo taxans stipendium, obligat illud concedentes, ne minori stipendio velint sacrificium exigere, & Sacerdotes, ne abundantius taxato exigant: non tamen prohibet, nec prohibere regulariter potest, vsum & exercitium liberalitatis tam ex parte concedentium stipendium, quàm ex parte Sacerdotum celebrantium: ac proindè non prohibet, quin petentes sacrificium concedant abundantius stipendium, quàm taxatum est: & celebrantes minori possint esse contenti.

156 Verum tamen nemini licet ab eodem, vel à pluribus plura iusta stipendia exigere, & vnico sacrificio satisfacere. Quia licet sacrificium pluribus applicatum æquè prosit singulis, ac si solum singulis applicaretur: at stipendium non conceditur in pretium fructus applicandi, sed in sustentationem Sacerdotis, qui fructum applicare debet. Vnde accipiens ab vno æquam pro vnica Missa sustentationem, immeritò ab alio pro eadem sustentationem expostulat. Suar. *dist.*86.*sect.*2. Laym. *lib.*5.*tract.*5.*cap.*1.*quæst.*2. Bonac. *dist.*4.*vlt.* Barbosa *part.*2.*de potest.Episc. alleg.*24.*n.*8.

Nemini licet, plura stipendia integra à pluribus accipere, & vnico sacrificio satisfacere.

157 Parochus seu Capellanus, qui ratione Beneficij, vel Capellaniæ ad plura sacra dicenda adstringitur, potest stipendio iusto aliis concesso, huic obligationi satisfacere, reseruans sibi residuum. Quia fundatori Beneficij, vel Capellaniæ nulla fit iniuria, cum æquè illi prosit sacrificium à Beneficiario, seu Capellano celebratum, ac celebratum à quouis alio Sacerdote. Alia verò ex parte Beneficiarius vel Capellanus Beneficij, vel Capellaniæ titulo constituitur dominus fructuum seu redituum sub obligatione dicendi sacra. Ergo satisfaciens huic obligationi, vt verè per alios Sacerdotes satisfacere potest, iustum eis præstans stipendium poterit sibi residuum retinere. Suar. *dist.*86.*sect.*3. Sa *v. Missa,n.*45. Vasq. *d.*234.*c.*4. Laym. *l.*5.*tr.*5. *c.*1.*q.*3.*concl.*1. Barb. *p.*2.*de potest. Episc.alleg.*24. *n.*11. Bonac. *d.*4.*q.vlt.punct.*8.*n.*18.

Potest Beneficiarius vel Capellanus, stipendio iusto concesso, aliis Missas dicendas tradere, reseruans sibi residuum.

158 Si Sacerdoti abundantiora stipendia concessa sunt pro Missis à se celebrandis, potest licitè huic obligationi facere satis mediis aliis Sacerdotibus, quibus minus stipendium, sed iustum concedat. Quia celebrantibus nullam infert iniuriam cum iustum celebrationis stipendium exhibeat, & abundantius concedere non tenetur, nam ei sub hac obligatione concessum vberius non fuit. An non si alij Sacerdotes illius nomine gratis velint celebrare, integrum stipendium acceptum potest retinere? Quis ambigat? Ergo etiam retinere poterit, cum illi, cum iusto sed infimo stipendio dato. Suar. *dist.*86. *sect.*3. Barbos. *part.*2.*de potest. Episcop.alleg.*24. *n.*11. Vasq. *d.*234.*cap.*4. Sa *v. Missa,num.*45. *&* aliis allegatis, Bonac. *dist.*4. *quæst.vlt. punct.*8. *num.*18.

Si tibi conceditur abundantius stipendium pro Missis à te dicendis, potes alijs pro minori, sed iusto, dicendas committere.

159 Notanter dixi: *Pro Missis à se celebrandis.* Nam si stipendia ei conceduntur, non vt ipse celebret, sed vt aliis Sacerdotibus celebraturis tradat haud poterit, (secluſa speciali consuetudine, & voluntate concedentis expressa) aliquam partem stipendij retinere. Quia retinet contra voluntatem concedentis, cum non ei tradita fuerit stipes, vt retineret, sed vt celebraturis donaret: iniuriámque Sacerdotibus hisce irrogat, donans stipem, etsi iustam, infimam, cum abundantior illis fuerit legata. Suar. *d.*86. *sect.*3. Sa *v. Missa,n.*45. Vasq. *d.*234.*c.*4. Barbos. *v.*2.*de potest. Episc. alleg.*24. *n.*11. Laym. *libr.*5. *tr.*5.*c.*1.*q.*3.*concl.*1.

Sed non potest, si tradita tibi fuerint, vt alijs dedas.

160 Mortaliter delinquit, qui diù differt sacrificia offerre in fauorem illorum, quibus est obligatus. Quia si mora in debitis temporatiis soluendis graue

Non taliter peccat, qui diù differt sacrificia pro alijs, cum est obligatus.

graue piaculum constituit, cur non in soluendis spiritualibus debitis, quæ tanto vtiliora sunt, quanto excellentiora. Præterea quia ex huiusmodi dilatione non leue damnum prouenit; nam si sacrificia postulata sunt ad impetrandum tum salutem animæ & corporis, tum pacem inter discordes, tum alium felicem euentum: sæpè ob non celebrata suo tempore sacrificia, depetit impetratio. Si autem in satisfactionem animarum purgatorij fuerint sacrificia postulata, ex se constat, quam graue malum animabus purgatorij ex hac dilatione proueniat; siquidem diu illis flammis acerbissimis cruciantur, alioquin cito liberandæ. Sylvest. *v. Missa, q.* 10. Petr. Nauarra *l.2.de.restit.c.2.n.250. in 2.edit.* Laym. *l.5.tr.5.c.1.q.4.*

161 *Quænam dilatio iudicanda sit diuturna, ad peccatum sufficiens?*

Quænam, rogas, dilatio iudicanda sit diuturna? Arbitrio prudentis iudicanda est. Hoc autem arbitrium ex fine, ad quem obtinendum sacrificia postulantur, est colligendum. Si enim præcipue ad impetrandum aliquem effectum Missæ postulantur, non est dubium te grauem patrare culpam, si intra tempus impetrationi aptum sacrificia non celebres; illudis enim postulantis intentionem. Si verò in satisfactionem animarum purgatorij fuerint præcipuè postulatæ Missæ, vnius Mensis dilationem satis grauem esse censerem. Et idem crediderim dicendum, si pro impetranda libertate alicuius grauis molestiæ, infirmitatis, ac laboris postulata fuerint sacrificia. Quia fortasse ob sacrificiorum dilationem pœnè continuantur, quæ alioquin cessarent. Castro Pal. cum aliis *tom.4.tr.22. punct.16. num.11.*

162 *Potest Pontifex Missarum stipendia augere, earum diminuendo numerum.*

Potest Pontifex ex rationabili causa ad minorem numerum Missas Beneficij, Capellaniæ, Anniuersarij, & testamenti reducere, & abundantius stipendium eo, quo taxatæ sunt, designare. Quia Pontifici vt supremo Ecclesiæ gubernatori, & bonorum spiritualium dispensatori conuenit, pro qualitate temporum, personarum, & circunstantiarum determinare, quodnam sit iustum Missarum stipendium. Quod si aliquando Pontifex ob paupertatem sacerdotis, vel ob aliam causam, quæ sibi rationabilis visa fuerit, abundantius stipendium, quam aliàs æquitas postulat, designet, & Missas ad minorem numerum reducat: credendum est, ex thesauro Ecclesiæ offerre, & applicare quidquid virtute sacrificiorum alioquin debitorum obtinendum esset. Suar. *d.87. in fine.* Henriq. *lib.9.cap.22.*

163 *De priuilegio Minoribus cõcesso circa reductionem Missarum.*

Minoribus concessum est priuilegium à Leone X. & à Sixto IV. vt possit Rector Collegij seu Conuentus ad minorem numerum Missas dicendas reducere, vnaque Missa pluribus obligationibus satisfacere. Hæc tamen reductio iam fieri non potest à Prælatis Ordinum Mendicantium nisi in Capitulis Prouincialibus, seu generalibus Congregationibus iuxtà Trident. *sess.25. cap.4. de reform.* idque causa legitima intercedente. Quia aliàs ea reductio in Dei honorem ac cultum non cederet Ecclesiarumque vtilitatem vti monet Concilium. Causam verò reductionis legitimam putarim esse, si numerus Religiosorum fuerit imminutus, aut extenuatæ Monasterij redditus; vel impensæ maiores fiant. Azor. *tom.3.lib.12.c.6.q.5.* Fraxinel. *de obligat. Sacerd. sect.7. §.5. n.3.* Barbos. *part.2. de potest. Episc. alleg.29.n.3.*

Episcopus iure communi spectato potest, rationabili causa intercedente, Missas tum Anniuersarij tum Capellaniæ, tum Beneficij ad minorem reducere numerum: nec ad eam reductionem Synodi Diœcesanæ consilio indiget. Quia Concilium *sessione. 25. capite 4. de reformat.* Episcoporum non restringit potestatem, sed instruit, quid congruentius sit faciendum. Existimo tamen, ex potestate à Trid. concessa non posse Episcopos Missas in fundatione Beneficij, seu Capellaniæ ad minorem reducere numerum bene tamen ex iuris communis potestate. Cap. *Cum accessissent*, Cap. *Ex parte, de const.* Quia Tridentinum solum de numero Missarum in Anniuersariis relicto loquitur: non de Missis, quæ ex fundatione Beneficij, vel Capellaniæ habentur. Vndè si Tridentini potestate vti Episcopus vellet ad Missarum reductionem, solas Missas Anniuersariorum posset reducere, eamque reductionem in Synodo Diœcesano facere deberet. Bonac. *disp.4.q.vlt. punct.7.num.10.* Barbos. *p.2.de potest. Episc. allegat.29.n.10.* Mirand. *Manua. Prælat. tom.1.q.41. a.12.* monet tamen Trid. inibi, reductione Missarum facta ab Episcopo, seu Religionum Prælatis, vt eorum defunctorum qui pro suarum animarum salute legata reliquerunt, semper commemoratio fiat, hoc est, quoties iure reductionis celebrari contigerit. Portrò fit satis huic commemorationi, si per collectas, vel preces, quæ in secundo Memento offeruntur, Missas pro illis defunctis celebrans applicet. Ex Congregat. Cardin. testatur Barbos. *in remiss. Concily ad cap. illud 4. in fine.* De stipendio Missarum vbertim *sect.2.* fermo redibit.

164 *Quid possit circa hoc ius ex communi Episcopus: quid verò ex data à Tridentino facultate?*

CAPVT XIV.

De Ministro Missæ necessario.

165 *Circa hæc iure diuino nihil est præceptum.*

IVre diuino nihil est præceptum quoad necessitatem vnius, aut plurium ministrantium. Quia nec ratio sacrificij secundùm se, nec institutio eius in particulari postulat essentialiter Ministrum, cum tota substantia fiat à solo celebrante, ab eodémque possit debita cum reuerentia peragi. Suar. *d.87. sect.1.* Filliuc. *tr.5.n.190.* Auersa. *de Euchar. q.11. sect.9.*

166 *Ex Ecclesiastico ritu aliquis Minister requiritur.*

Porrò iuxta Ecclesiæ ritum, aliquis Minister requiritur, qui celebranti seruiat, & respondeat. Quia cum celebrans alloquatur interdùm adstantes, oportet, vt aliquis adsit, qui respondeat, ac simul ministret vrceolos, aquam ad primam manuum ablutionem infundat, & vinum ac aquam ad secundam digitorum ablutionem præstet, aliáque gerat, quæ Missale præscribit.

167 *Plures requiruntur in Missa solemni, in priuata vnus.*

In Missa solemni certum est requiri plures Ministros. Quia in hoc eius solemnitas consistit. In Missis priuatis vnicum sufficere, communis vsus testatur. D. Thom. *3.part.quæst.83. art.5.ad 12.* Sotus *in 4. dist.13. quæst.2. art.5.* Bellarm. *lib.2.de Missa, cap.9.* Henriq. *libr.9. c.30. num.1.* Coninch *q.83. num.264.* Laym. *lib.5.tr.5.c.6.n.13.*

168 *Non tenentur Diaconi, ac Subdiaconi Missa solemni seruire.*

Si requiras Ministri seruientis celebranti obligationem: respondeo Ministros Missæ solemnis non obligari regulariter ad sic ministrandum. Quia nullum extat ius diuinum, aut Ecclesiasticum

cum illos obligans: & Ecclesiæ praxis ostendit, multos Acolythos, Subdiaconos, & Diaconos, non exercere sua munera, talisque omissionis non compungi scrupulo. Suar. *dist.* 87. *sect.* 2. Petr. de Ledesm. *tom.* 1. *sum. tract. de Euchar. c.* 26. *conclus.* 3.

169 Qui ministrant in Missa solemni, seruare debent ritus & ceremonias tàm in verbis, quàm in actionibus, quæ in Missali, seu Pontificali præscribuntur: subindéque sacris vestibus vti suo ministerio designatis. Leuiter verò delinquent communiter hæc omittendo, vel negligenter, aut irreuerenter tractando: nisi detur contemptus, aut scandalum, aut defectus in grauem cedat celebrationis irreuerentiam. Suar. *d.* 87. *sect.* 1. Filliuc. *tract.* 5. *num.* 190. Petr. de Ledesm. *tom.* 1. *tract. de Euch. c.* 26. *concl.* 3.

170 Minister autem Missæ priuatæ debet callere, quomodo respondeat, diligenterque tractare, quæ suo competunt ministerio, ita vt ex parte sua nullus error committatur præsertim grauis in sacrificio, nimirum si Minister voluntariè loco vini ministret aquam, vel quid simile, quod per se graue piaculum contineret. Regulariter verò talis Minister à lethali excusatur propter inaduertentiam, vel ignorantiam vel in aliis defectibus ob materiæ paruitatem. Suar. *dist.* 87. *sect.* 2. Bonacin. *dist.* 4. *quæst. vlt. punct.* 9. *num.* 36. Petr. de Ledesm. *tom.* 1. *tract. de Euchar. c.* 26. *concl.* 3.

171 Secluſa necessitate, graue peccatum est sine Ministro celebrare. Quia Ecclesiæ præceptum in re graui violatur. Bartol. de Angel. *dialog.* 5. *numero* 408. Bonacin. *dist.* 4. *quæst. vlt. punct.* 9. *num.* 34. Auers. *quæst.* 11. *sect.* 9. §. *secundo est.* Moure *p.* 3. *c.* 5. §. 4. *n.* 6.

172 Vrgenti graui necessitate, licet sine Ministro celebrare. Quia præceptum Ecclesiasticum, & Ecclesiæ consuetudo non videntur ad casum grauissimæ necessitatis extendi, præsertim si tunc vrgeret aliud præceptum celebrandi prælatus oppositum. Suar. *dist.* 8. *sect.* 1. Filliuc. *tract.* 5. *num.* 194. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 9. *q.* 3. Coninch *quæst.* 83. *num.* 265. Card. de Lugo *d.* 20. *n.* 103. Martinon *tom.* 4. *dist.* 40. *sect.* 3. *n.* 36. Diana *p.* 2. *tr.* 14. *resol.* 43.

173 Censerem autem, grauissimam celebrandi necessitatem sine Ministro adesse, quoties in mortis periculo Sacerdos est sumpturus viaticum, vel alteri moribundo ministraturus, nec habentur hostiæ præconsecratæ. Quia præceptum diuinum recipiendi viaticum in articulo mortis præualet Ecclesiastico præcepto non celebrandi sine Ministro. Item si post inceptam Missam Minister recedat, & expectans post moram, videat non redire: debet celebrans solus sacrificium perficere, sibique respondere. Quia maior est obligatio perficiendi sacrificium, quàm sine Ministro non celebrandi. Pariter inclusus in carcere propter fidem, aut patiens propter iustitiam existimandus habere sufficientem causam celebrandi sine Ministro, quoties eget Missæ leuamine. Suar. & alij Doctores *num. præcedenti* relati, quibus addo Zambranum, *cap.* 3. *dub.* 6. *num.* 5. Villalob. Pitigian. Sylui. Homobon. quos sequitur Diana *part.* 2. *tract.* 14. *resol.* 43.

174 Potest Pontifex dispensare, vt liceat Missam celebrare sine Ministro. Quia cum præceptum adhibendi Ministrum diuinum non sit, sed Ecclesiasticum, cadit sub Papæ potestatem. Vt autem dispensatio sit licita, causam requirit, quæ licet per se solam non excuset, sufficiat ad dispensandum. Verùm si necessitas celebrandi sine Ministro sit ordinaria, (v. gr. cum in pagis sit celebrandum vbi non facile Minister adest idoneus) quamuis sufficiens videatur secundum se, tutius & consultius erit, petere dispensationem, quam forsitan haberi saltem implicitam in huiusmodi pagis, facilè crediderim. Si verò necessitas ordinaria proueniat à voluntate Sacerdotis, qui talem eligit habitationem, vbi nequeat Missæ habere Ministrum, (v. gr. si hæremita vellet degere solitarius) omnino requiritur Pontificis dispensatio. Quia illa non potest dici propriè necessitas, sed voluntas. Sotus *in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 5. *ad* 12. Suar. *dist.* 87. *sect.* 1. Filliuc. *tract.* 5. *num.* 194. Auersa *q.* 11. *sect.* 9. §. *Quod si.*

Potest dispensare Pontifex, vt sine Ministro celebretur. Et quando hæc facultas petenda sit?

175 Missæ Minister haud potest esse fœmina. Cap. primo *de cohabit. Clericor. & mulier.* Quia id videtur indecens, & nonnullum periculum continet saltem contra tanti mysterij puritatem. Sic Doctores communiter. Qui quidem notant, remotè posse fœminam celebranti respondere, & assolent è choro respondere Moniales, nec hoc illo textu prohiberi; sed solũ illarum ad Altare accessum, ministeriúmque proximum præbendi vrceolos, infundendi vinum & aquam ad ablutionem, & similia præstandi, Martin. *tom.* 4. *d.* 40. *n.* 35. *& seqq.*

Non potest fœmina Missæ proximè ministrare.

176 Dum adest vir, qui ministret, & si nesciat respondere, crediderim, posse Sacerdotem cum tali Ministro celebrare. Quia hic poterit ministrare saltem vrceolos, & mittere vinum & aquam in ablutionem: & Sacerdos in responsionibus supplere, sicut cum solus Officium diuinum recitat. Vt autem hoc licitè fiat, requiritur necessitas celebrandi: minor verò, quam ad celebrandum sine Ministro. Quia hoc modo minus Ecclesiæ præceptum, & consuetudo violatur, quamuis non omninò ritus obseruetur. Minor adhuc necessitas sufficiet, quando Minister etsi non exactè respondeat, instrui potest à celebrante, qui verba præueniens, aut simul proferens, coadiuuat illum ad rectè respondendum. Maior verò requiritur necessitas, vt fœmina à longè respondeat, ac Sacerdos sibi ministret in Altari. Quia difficilius suppletur ministerium alienum in ablutione prima manuum, & secunda digitorum, quam responsio. Prudens quidem arbitrium opus erit ad discernendos, & assignandos in particulari hos gradus minoris, aut maioris necessitatis diuersis casibus respondentes. Suar. *dist.* 87. *sect.* 1. Filliuc. *tract.* 5. *num.* 196. Card. de Lugo *dist.* 20. *n.* 103. & eius frater Franc. de Lugo *lib.* 5. *de Sacram. cap.* 13. *quæst. n.* 20.

Quando vir inexpertus ministrare in necessitate valeat.

SECTIO SECVNDA.

De Missa Problemata.

CAPVT XV.

Circà sacrificium in communi.

PROBL. I.

Sacrificia ab hominibus instituta vera sunt, & non sunt vera.

177 *Vera sunt.*

PROTVIT Deus vt Princeps supremus reseruare sibi sacrificiorum institutionem, & ita de facto reseruauit tam in lege veteri, quàm in noua. Quia tam Iudæis, quàm Christianis certa sacrificia præscripsit, quibus coli vellet, vnde censetur, cætera prohibuisse: & conueniunt Doctores, haud esse licita, seu legitima. Cæterùm requisierim, an sint vera, seu valida? Vera sunt. Quia Deus non potest immutare rerum essentias: sed sacrificium ab hominibus institutum retinet veram sacrificij essentiam, cùm hæc per se non requirat diuinam institutionem: Ergo, quamuis posita institutione diuina, reddatur illicitum, & illegitimum, adhuc est verum essentialiter sacrificium. Et quia sacrificia, quæ falsis diis offerebantur ab Ethnicis, habebant veram & essentialem sacrificij sumpti latius rationem, quam pro vero Religionis actu, licèt sint Sacrilega: Ergo similiter sacrificium nunc ab hominibus institutum contra diuinam prohibitionem, quamuis illicitum sit, habebit veram, & essentialem sacrificij rationem. Sic Martinon *tom.4.d.38.n.13. & 26.* Et Vasq. *d.220.cap.3.* Less. *lib.2.c.38.n.20. & 28.* Card. de Lugo *d.19. n.13.* dum asserunt, sacrificia ab Ethnicis adinuenta rationem sacrificij essentialem habuisse, videntur sententiam Martinonis confirmare.

178 *Vera non sunt.*

Vera sacrificia non sunt, Quia Deus, eo ipso, quod noluit aliis sacrificiis coli præter illa, quæ tam in veteri, quàm in noua lege per semet instituit: censetur, non solùm vetera vetare, sed etiam auferre talibus populis facultatem, seu potestatem aliud sacrificium instituendi: Ergo nullus vnquam alterutri legi subiectus potuit, aut potest aliquod verum sacrificium instituere. Ità Suar. *d.73. sect.3.* Coninch *q.83.n.14.* Less. *lib.2.c.38.n.27.* & alij.

179 *Hæc probabilius puto.*

Licèt sacrificium non requirat essentialiter diuinam institutionem, at requirit institutionem legitimam, nimirum à legitima potestate factam. Hanc autem potestatem potest Deus hominibus auferre, ac reseruare sibi, cum sit supremus Dominus; & crediderim ita de facto reseruasse. Quapropter homines nec legitimè, nec per cõsequens validè possunt sacrificia instituere post illam reseruationem soli Deo factam. Abnego autem sacrificia diis falsis oblata fuisse vera, quia oblatio essentialis sacrificio debet vero Deo fieri; quia si cui alteri fiat, magis est sacrilegium, quàm sacrificium.

PROBL. II.

Ad essentiam sacrificij requiritur, & non requiritur signum & minister authoritate publica constitutus.

NOn requiritur publica authoritas, sed sufficit priuata ad verum & proprium sacrificium instituendum. Quia sacrificium est de iure naturæ, sicut adoratio diuini Numinis, & alij Religionis actus. Ergo sicut potest quilibet authoritate priuata designare sibi signum aliquod exhibendi Deo cultum latriæ, videlicet genuflexionem, dimissionem capitis, vel aliquid simile: sic poterit (secluſa prohibitione) præscribere sibi signũ illius oblationis, per quam sacrificium constituitur, ac subinde priuatim sacrificare, præsertim si solitariè degat. Vnde fit, nec requiri ministrum peculiariter deputatum authoritate publica; sed singulos sacrificare validè posse; quia naturaliter habent ius sacrificandi, & id licitè præstarent, secluſa prohitione, sicut licitè sacrificarunt in lege Naturæ Abel & Cain: nec apparet, illa sacrificia fuisse publica authoritate instituta. Sic Vasq. *dist.220. num.19.* Martinon *d.38. num.12.* 180 *Non requiritur publica authoritas.*

Ad sacrificij essentiam requiritur signum, & minister publica constitutus authoritate. Quia sacrificium propriè sumptum significat publicum, ac commune Dei cultum nomine populi totius oblatum; sicut enim hominum natura postulat, vt in vnum politicum corpus Reipublicæ congregetur: sic etiam exigit, vt hoc corpus politicum potissimum ad Dei cultum ordinetur, & Deum communi protestetur nomine supremum Authorem & Dominum esse, per sacrificium scilicet institutum publica authoritate. Erga sacrificium essentialiter exigit signum toti Populo commune politicum, quod subindè non potest authoritate imponi priuata: sicut nec voces, quæ pertinent ad commune commercium humanum imponi possunt ad significandum priuata authoritate. Hinc rectè colligitur, essentialiter requiri ministrum authoritate publica deputatum ac propriam, ac veram sacrificij rationem: sicut non oportet, aliquem esse cultum externum, quo non tam singuli seorsim, quàm tota Respublica simul velut vnum corpus politicum imbutum eadem religione Deum veneretur, eiusque summum Principatum, & suam subiectionem profiteantur: sic etiam oportet, vt sint aliquæ personæ publico nomine destinatæ tali ministerio, quæ Sacerdotes dicuntur. Ità Suar. *distinct.73. sect.4.* Coninch *quæst.83. numero 11. & 19.* Less. *libr.2. capite 38. num.11. & 12.* Card. de Lugo *dist.19. num.11. & 12.* 181 *Requiritur omnino.*

Scio quidem, sacrificium esse de iure naturæ, quatenus naturali dictamine rationis ducimur, ad assumenda signa congrua sacrificiis: sicut naturæ 182 *Hanc eligo mentem.*

naturæ lumine ad voces instituendas mouemur, quibus in humano commercio nostros conceptus exprimamus; vtráque tamen institutionem fieri debere auctoritate publica, constanter affirmo. Quare si quis degeret solitarius in Syluis, licèt vti posset aliquibus signis submissionis erga Deum, scilicet genuflexione, demissione capitis, & similibus, quæ naturaliter, vel quasi naturaliter significant summissionem internam: non verò posset offerre verum ac proprium sacrificium; qua non posset instituere signum congruum sacrificij propriè dicti: sicut nec posset instituere voces, quæ proprium idioma commune simpliciter constituerent.

PROBL. III.

In omni Sacrificio proprio danda est, & danda non est destructio aliqua rei oblatæ.

183 Tenabit sup. MAteriale sacrificium duo complecti innuimus, rem scilicet, quæ offertur Deo, & actionem, per quam offertur. Res quidem permanens esse debet, quæ per sacram aliquam immutationem diuinum transferatur in cultum. Actio proinde debet esse aliquo modo consecratiua, quæ propriè vocatur sacrificium, id est, factio sacri licèt æquiuocè etiam ad rem oblatam extendatur. Quæsierim itaque, qualis immutatio requiratur ad sacrificij essentiam?

184 Immutationem destructiuam non requiri. Sufficit sacra immutatio, qua res physicè nec producatur, nec destruatur: sed vel attollatur ad protestandam eminentiam Dei supra res alias, vel aliter immutetur ad Dei laudem. Quia *Leuit.* 23. panes primitiarum, & duo agni sacrificari dicuntur: & tamen solùm eleuabantur à Sacerdote, posteáque eiusdem cedebant in vsum. Et in sacrificio Melchisedech, nulla dicitur immutatio physica seu destructio facta fuisse. Sic Suar. *d.* 73. *sect.* 5. & multi apud Martinon *tom.* 4. *disp.* 38. *sect.* 1. ex recentioribus.

185 Requiritur destructio. In omni sacrificio proprio dãda est destructio aliqua rei oblatæ. Quia licet ex naturâ rei nulla sit actio, quæ præ se ferat significationẽ sacrificio necessariã, sed libero voluntate instituentis imponenda erit; quædam tamẽ sunt aliis ad hanc significationem aptiores: sicut in Sacramentis etiam Theologi profitentur: sed per sacrificium colimus Deum vt Authorem & conseruatorem rerum omnium: & consequenter profitemur, illum esse, dignum, vt in eius honorem vita nostra consumatur: Ergo requiritur actio rem oblatam aliquo modo destruens, per quam explicemus nostræ destructionis affectum, si liceret, vel conduceret ad Dei cultum. Ità Bellarm. *lib.* 1. *de sacrific. cap.* 2. Henriq. Victor. Alan. quos sequitur Malderus 2. 2. *titul.* 10. *cap.* 3. *de sacrif. dub.* 1. Cardin. de Lugo *d.* 19. *n.* 7. Martin. *tom.* 4. *d.* 38. *n.* 6.

186 Non semper requisita. Profectò nullum crediderim fuisse verum sacrificium sine verâ destructione rei sacrificatæ saltem quoad partem ipsius: vbi verò nihil destruebatur, oblationem quidem fuisse, sed non sacrificium existimo. Quare vero similius est, panes propositionis non fuisse sacrificatos, sed oblatos. Decimæ pariter, & primitiæ non erant sacrificia, nisi quando manipuli aliqui cremabantur. Duóque agni illi post necem, Sacerdotis cedebant in vsum, & ideò sacrificabantur. Lege Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 17. *q.* 2. & 3. & Card. de Lugo *d.* 19. *n.* 9.

PROBL. IV.

Datur, & non datur naturale sacrificandi præceptum.

187 Nonulla suppono. DE præcepto diuino positiuo satis constat ex lege veteri. Constat etiam externum Dei cultum esse iure naturali præceptum, vt ostendit D. Thom. 2. 2. *q.* 85. *art.* 1. Quia homo debet Deo, tanquam Authori suo supremo non solùm amorem, sed etiam honorem: & cum naturale sit homini mentem suam sensibilibus signis exprimere, tenetur etiam sensibili cultu Deum venerari, à quo non solam animam habet sed etiam corpus, & reliqua bona. Nec item est dubium, quin externum sacrificium sit satis ad hanc implendam obligationem, accommodatum. Solum ambigitur, nùm hoc sacrificium sit iure naturali præceptum?

188 Datur naturale sacrificandi præceptum. Est quidem præceptum iure naturali. Quia sicut ratio naturalis dictat, totum esse nostrum à Deo fuisse receptum, & ab eodem iugiter conseruari: sic eadem præscribit, debere nos exhibere sensibilem sacrificij protestationem in signum nostræ submissionis ad diuinam potestatem, à quâ totum esse nostrum procedit, & pendet. Sic Henriq. *l.* 9. *c.* 5. *n.* 2. Præpos. 3. *p. q.* 83. *art.* 1. *dub.* 1. Clemens *lib.* 6. *constit. c.* 20. Cassian. *collat.* 8. *c.* 23. dicens, antiquos Patres naturali lege monitos sacrificasse.

189 Non est iure naturâ præscriptum. Non est iure naturali præceptum. Quia licèt actus sacrificandi sit rationi naturali conformis, & sufficiens ad complendam Dei colendi obligationem exterius: sunt adhuc alij actus Religionis externi sufficientes etiam huic muneri, nimirùm adoratio latriæ, laus Dei, gratiarum actio vocalis, & similes: nec apparet naturale dictamen determinatè præscribens oblationem sacrificij prorsus esse necessariam ad morum honestatem. Ita Suar. *d.* 73. *sect.* 8. Lessi. *l.* 2. *c.* 38. *n.* 28. Fauet Anaclet. Papa *epist.* 2. dicens, antiquos Patres spontanea voluntate sacrificium obtulisse.

190 Æquè vtrũque probabile. Vtrámque sententiam probabilem reor, illud verò certum existimo, rationem naturalem dictare, valde consentaneum esse naturæ humanæ proprium sacrificium offerre Deo nostro; nec amplius forsan Patres adducti pro primâ sententiâ contendunt.

PROBL. V.

Christus Dominus in Cruce actiuè concurrit, & actiuè non concurrit ad suam mortem, vnde videtur obtulisse, & non obtulisse verum, ex destructione præfata, sacrificium.

191 Dubitãdi ratio. EX doctrinâ *Problemate* 3. traditas difficultas excitatur: Quomodo sacrificium Crucis fuerit

tionem exhibet.

fuerit verum ac proprium, si verum sacrificium requirit realem hostiæ destructionem à Sacerdote factam : sed in Cruce Dominus fuit Sacerdos & victima simul, & tamen non semetipsum interemit : Ergo non destruxit realiter victimam, & per consequens non obtulit verum ac proprium sacrificium.

192 *Verum sacrificium obtulit quia actiuè concurrit.*

Profectò verum obtulit ex destructione sacrificium. Quia actiuè concurrit ad suam mortem actione sensibili, quando, inclinato capite sensibiliter in signum subiectionis, tradidit spiritum *Ioan.*19. cum voce magnâ *Luc.*23. *cum lacrymis, & clamore valido Hebr.*5. quasi tradiderit propria vi spiritum, & non solùm permittendo, vt per tormenta sibi tolleretur. Sic Martinon *tom.*4.*d.*38.*n.*25. Gabr. *lect.*82. *in Canon. lit. D*, S. Thom. 3.*p.q.*47.*art.*1.*ad* 2. Et *Ioan.* 10. Dominus profatur : *Ego pono animam meam, & iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso.* Quasi dicat : Tormenta, & tortores animam mihi non auferent : Sed ego pono nam à me ipso eo modo, quo tolleret alius illam à me, si posset : actiuè nimirum in Dei cultum impendendo vi propria vitam meam.

193 *Verum sacrificiũ obtulit, nõ quia actiuè concurrit, sed aliundè.*

Verum obtulit ex destructione sacrificium. Quia licet actiuè non concurrat Christus, miraculosè conseruauit vitam, vltra quam posset naturaliter conseruari, posteaque voluntariè cessisse tormentis, vt ex ipsorum vi moreretur. Mat.26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Vbi Caiet. & alij censent illam tristitiam fuisse sufficientem ad extinguendam vitam, nisi diuinitus impediretur, & vsque ad mortem perduraſſe. Diuinius ergo Christus vitam retinuit, donec sponte suâ cessit tormentis, & quando voluit emit spiritum. Ità D. Thom. *quodlib.*1. *articulo* 3. Euseb. *lib.*4. *de demonstratione capite* 12.

194 *Auctoris sententia Verosimilior.*

Ego quidem existimo, Christum Dominum obiisse, quando tormenta & vulnera naturaliter potuerunt causare mortem ipsius, inducta nimirum tali dispositione, cum quâ non poterat anima naturaliter corpus informare. Quia prædicens Christus mortem suam *Mat.* 17. & *Luc.* 18. dixit : *Occident eum*, scilicet Gentes. Non autem occidissent exterius, si verè mors non secuta fuit ex vi naturali cruciatuum, sed ex vi voluntatis Christi emittentis spiritum pro libito priusquam dispositio naturalis corporis postularet emitti : quo corruit prima sententia. Contra secundam verò probo : Quia illud miraculum retinendi vitam aliquandiù post inductas sufficientes dispositiones mortis nec apparet necessarium, nec satis in scriptura fundatum. Ad dubitandi verò rationem respondeo, Christum Dominum etsi semetipsum directè non occiderit, sed vi naturali tormentorum obierit, vere tamen fuisse causam indirectam, & voluntariam suæ mortis, quatenus in eius erat voluntate vitare mortem, si vellet, & tamen sponte corpus suum cruciatibus obiecit, & tandiù tormenta sustinuit, donec naturaliter necem inferrent. Hoc enim satis est, vt talis mors sit libera Christo tanquam causæ passum applicanti : sicut qui thus admouet igni verè dicitur causa suffitus, quem ignis naturaliter causat. At talis causandi modus ad propriam sacrificij rationem omninò est sufficiens, vt apertè constat in holocaustis.

CAPVT XVI.

Circa nouæ legis sacrificium.

PROBL. VI.

Consecratio sola potest, & non potest essentialiter Missæ sacrificium constituere.

NOn potest. Quia in Missâ sacrificatur ipse Christus, qui fuit in Cruce oblatus, vt definit Trident. *sess.*22. *cap.*1. & 2. Christus non destruitur per consecrationem, sed potius producitur : Ergò consecratio non potest esse signum aptum ad constituendum essentialiter Christi Domini sacrificium. Consequentiam probo : quia sacrificium debet esse signum nostræ submissionis erga Deum, quem profitemur esse dignum, vt in eius honorem vita nostra consumatur : ac subinde necessariò requirit actionem realiter rei sacrificatæ destructiuam. Sic Martin. de Ledesm. 1.2. *q.* 23. *art.*4. Henriq. *l.*9.8.*n.*5. Fagund. *præc.*1.*l.*3.*cap.*4.*num.*22. Fauet D. Thom. 3.*part. quæstione* 83. *articulo* 2. *ad* 2. 195 *Non potest.*

Potest quidem consecratio habere propriam sacrificij rationem. Quia licèt in omni vero sacrificio requiritur realis rei sacrificatæ immutatio ; sed sufficit vt sit vel destructiua, vel productiua ipsius. Vnde in Missâ consecratio habet propriam sacrificij rationem, nam per illam res ignobilior, nempè panis & vinum conuertitur in rem nobiliorem, nempè corpus, & sanguinem Christi, qui non existens anteà Sacramentaliter sub his speciebus, ex vi consecrationis fit ibi denuo præsens Sacramentaliter in honorem Dei, cuius supremam potestatem supra totum esse creatum illa Sacramentalis productio mirificè protestatur. Suar. *d.*75.*sect.*4. Lessi. *l.*2.*de Iusti. c.*38.*num.*14.& 15. Coninch. *q.*83.*num.*15.16. Auersa *de Euch. q.*11.*sect.*4. 196 *Potest plaud.*

Hanc sententiam admitto, sed probabiliori dicendi modo expendo, asserens, institui posse solam consecrationem in signum aptum, ad constituendum essentialiter Missæ sacrificium : quia ad veram sacrificij rationem sufficit destructio rei sacrificatæ realis humano modo, qua transferatur in statum decliuiorem ad vsus naturales ineptum ; sed Christus Dominus per consecrationem, etsi non destruatur substantialiter, destruitur tamen humano modo realiter, quatenus accipit statum decliuiorem, quo redditur ineptus ad vsus naturales humani corporis, & aptus ad alios diuersos vsus per modũ cibi ; quare moraliter idé est, ac si fieret verus panis, & condiretur in cibum, quæ mutatio sufficiens est ad verum sacrificium instituendum, non minor quàm effusio liquoris, quæ Libaminis sacrificium constituebat. Didici ex Card. de Lugo *d.*19. *sect.*5. & ex Martinon *d.*38.*n.*43.& 63. 197 *Hanc sententiam admitto, sed probabiliori dicendi modo expendo.*

PRO

PROBL. VII.

Sola sumptio specierum potest, & non potest essentialiter constituere Missæ sacrificium.

198 non potest. NOn potest. Quia per Sacrificium aliquid est offerendum Deo, cum omne sacrificium essentialiter sit oblatio: sed per sumptionem specierum nihil Deo offerimus, quin ab illo potius aliquid accipimus tanquam eius conuiuæ, mensæ cœlestis participes effecti: Ergò sola sumptio non potest habere sacrificij rationem. Vasq. *d.* 222. *n.* 23. & 27. Coninch. *q.* 83. *n.* 96. & alij.

199 Potest omnino. Potest profectò. Quia licèt Christus per sumptionem specierum non destruatur quoad suum esse simpliciter, destruitur tamen quoad suum esse sacramentale, qualecumque sit istud. Non enim sacrificatur Christus prout est in Cœlo, nam vt sic non attingitur, nec immutatur per actionem sacrificandi: sed solum sacrificatur prout ex vi verborum constituitur sub speciebus sacramentalibus: & hoc esse sacramentale amittit realiter per sumptionem humano modo: quippe licet non sequatur destructio, donec species corrumpentur, at omne pabulum humano modo destrui dicitur, & consumi quando comeditur: quia iam tunc in destructionis statu constituitur. Ità Suar. *d.* 75. *sect.* 4. Fagund. *præc.* 1. *l.* 3. *c.* 4. *num.* 7. Auersa *q.* 11. *sect.* 4. & 5.

200 Humbi. ma. & sententia reiic. Magis mihi hæc arridet sententia. Nam & ipse Vasq. fatetur, sacrificium ouis, quamvis exigat destructionem, non tamen fieri, quando moritur ouis, sed quando iugulatur, seu percutitur. Quia tunc datur actio voluntaria Sacerdotis, qua iam humano modo ouis occisa, vel destructa censetur. Pariter igitur sumptio specierum humano modo destruit esse sacramentale Christi Domini, quatenus constituit illud in statu proximo destructionis: & per consequens potest esse aptum signum interni sacrificij voluntariè tendens ad Dei cultum; nam deinceps digestio, vel corruptio specierum potius est actio specierum vegetatiuæ potentiæ necessaria.

PROBL. VIII.

Consecratio, & sumptio simul institui possunt, & non possunt institui, vt essentialiter constituant Missæ Sacrificium.

201 Non possunt constitui. COnstitui non possunt. Quia si sola consecratio per se potest essentialiter constituere sacrificium Missæ: & similiter sola sumptio per se idem potest: certè si simul instituerentur vtraque ad constituendum Missæ sacrificium, non vnum, sed duplex sacrificium esset. Quælibet enim adæquate significaret sacrificium internum, ac proinde non posset vnicum externum constituere. Nam sicut ex duobus signis adæquatis conflari vnicum non potest: sic ex duabus significationibus adæquatis nequit vna conflari, quæ essentialiter vnicum sacrificium constituat. Sic Vasq. *d.* 222. *c.* 4. *n.* 27. 28. & 29.

202 Constitui possunt. Possunt planè constitui. Quia consecratio, & sumptio simul magis expressè significant totalem sacerrimæ victimæ destructionem. Nec repugnat, aliquam victimam in vno, & eodem sacrificio duplicem destructionem subire: nam in holocausto necessarium erat, victimam prius occidi, & adhuc postea magis destruitur per totalem combustionem. Ità Suar. *d.* 75. *sect.* 2. *conclus.* 2. Fagund. *præc.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 7. & 8.

203 Cum his sentio, & quæstioni principali de facto respondeo. Cum his sentio: & triplex recolens Problema assero, aptam esse consecrationem solam, & sumptionem solam, & vtramque simul, vt imponantur, vel sigillatim, vel coniunctim ad constituendum essentialiter Missæ sacrificium: & ad significandum aptissimè, quod per tale sacrificium iuxta Patrum, & Doctorum sensum significatur. Cæterùm existimo, de facto consecrationem simul & sumptionem Sacerdotis impositas à Christo fuisse ad constituendum signum adæquatum Eucharistiæ significationis, oblationis, & immolationis. Porrò institutum sic fuisse de facto hoc sacrificium colligo à posteriori ex obligatione sumendi tam strictà, vt in nullo casu quantæcumque necessitatis liceat consecrationem sine sumptione relinquere.

PROBL. IX.

Sacerdotis sumptio præcepta est, & præcepta non est iure diuino.

204 Nõ est de iure diuino. HAud est iure diuino præcepta. Quia Tridentinum *sess.* 13. *c.* 8. solùm asserit Ecclesiæ morem fuisse, vt Sacerdotes celebrantes seipsos communicent: & hunc morem tanquam ex Apostolica traditione, descendentem meritò retineri debere. Cæterùm nec ex Apostolicâ traditione colligitur necessariò ius diuinum, nec antiqui Canones tale ius præferunt. Sic Suarez *d.* 75. *sect.* 5. Martinon *d.* 38. *n.* 48. & 69. in hanc partem propendet: sed tandem sub disiunctione concludit, esse præceptum Christi, vel Ecclesiæ.

205 Est de iure diuino. Sumptio Sacerdotis iure est diuino præscripta. Quia diuino iure tenemur, hoc sacrificium essentialiter, & integraliter perficere: sed iuxta nostram sententiam sumptio pertinet ad constitutionem essentialem, vel saltem integralem huius Sacrificij. Ergo sacrificans iure diuino tenetur species consecratas absumere. Ita Fagund. *præc.* 1. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 20. Auersa *q.* 11. *sect.* 2. §. *Quarto etiam.* & satis indicat Card. de Lugo *disp.* 19. *num.* 76.

206 His hæreo Doctoribus. His hæreo. Sed placet, quod Coninch. *q.* 83. *n.* 96. annotauit, hoc scilicet præceptum non esse merè positiuum superadditum institutioni; sed ex illâ sequi connaturaliter, non solum quatenus est institutio Sacramenti, vt noluit Coninch, sed etiam vt est sacrificij institutio.

PRO

PROBL. X.

Requiritur ad sacrificium hoc, & non requiritur sumptio Hostiæ tunc consecratæ.

207 *Non requiritur.* NOn requiritur. Quia licet essentia nostri sacrificij requirat nouam consecrationem & sumptionem specierum: non tamen requiritur, vt vtraque ab eodem Sacerdote fiat. Quippè cum Sacerdos post consecrationem deficit, & alius species consecratas absumit, vnum fit verum & proprium sacrificium: & tamen Sacerdos non sumit species à se consecratas, sed ab alio. Et quia multi Parochi, dum renouant Eucharistiam consumunt hostiam ab alio consecratam, eam verò, quam ipsi consecrant, in sacrario reponunt, nec ideò criminis arguuntur. Sic Henriq. *l.9.c.9.n.2.* Fagund. *præc.2.l.3.cap.5. num.20.& cap.4.n.26.* Bonac. *d.4.q.vlt.punct.2. num.5.*

208 *Requiritur planè.* Requiritur omninò. Quia eadem victima quæ per consecrationem fuit immolata partialiter, debet saltem secundùm aliquam sui partem sumi, ne sacrificium ipsius maneat imperfectum; maneret enim hæc immolatio imperfecta dum eadem sui consummatione non perficitur. Quod autem alia prorsus diuersa Hostia sumatur ad hoc numero sacrificium non pertinens, nihil confert ad huius numero sacrificij complementum. Ità Hurtad. *de Euchar.d.6.diffic.9.* Card. de Lugo *d.19.n.26.* Martinon *d.38.n.69.* Gauachæus, & alij quos sequitur Diana *p.5.tr. 13.resol 96.*

209 *Hoc certum puto.* Hoc certum existimo vix probabile reputans oppositum. Meam autem sententiam à posteriori confirmo, quia Rubrica Missalis Sacerdoti præscribit, vt si forsan Hostia, quam ipse consecrarit, dispareat, aut disperiat, vel deprehendatur veneno infecta: consecret, & sumat aliam Hostiam ad perficiendum sacrificium; quod necessarium non esset, si sufficeret, hostiam ab alio consecratam, aut reseruatam in sacrario consumere. Quin esset sacrilegium denuo consecrare, si posset sacrificium sine nouâ consecratione compleri. Quandò verò sumi non potest ab ipso consecrante, sumitur ab alio supplente defectum illius, & fit vnum sacrificium: est enim eadem victima, solúsque Minister variatur, ne sacrificium maneat imperfectum, cum eâ victimâ nondum perfectè fuerit immolata. Vnde asseruerim Parochos illos iniquè facere, ac vel culpæ, vel ignorantiæ esse conuincendos, si talis à Prælatis deprehendatur abusus.

PROBL. XI.

Vtriusque speciei sumptio est, & non est iure diuino præcepta.

210 *Est quidem.* ESt quidem. Quia cum sumptio Sacerdotis iure diuino præcepta sit, totum quod consecratur debet absumi. Coninch. *q.83.num.102.* probabile putat. Absolutè affirmat Auers. *de Euchar.q.11.sect.5.§. Adhuc autem:* & affirmare debent quotquot censent, sumptionem Sacerdotis esse iure diuino præceptam.

211 *Non est.* Non est præcepta iure diuino. Quia de facto Sacerdotes concelebrantes cum Episcopo Calicem non absumunt. Ergo non est præceptum diuini iuris, vt omnis sacrificans vtramque absumat speciem. Ità innuit Coninch. citatus & alij.

212 *Primam sententiam reor esse veram, secundam reiicio.* Primam autem omninò reiicio debili quidem fundamine nitentem. Quia quando plures concelebrant, & offerunt idem sacrificium: sufficit vt vnus vtramque sumat speciem, & perficiat etiam integraliter illud sacrificium: sicut quando consecrauit vnus, & sumpsit alius, sacrificium equidem est completum, licèt non vterque sacrificans sumat. Igitur cum sit iuris diuini vt vtraque species simul consecretur, aptè infero: Iubetur sacrificans iure diuino, vtramque simul speciem consecrare: ergo iubetur eodem iure sumere victimam consecratam: igitur pariter iure diuino iubetur, vtramque simul speciem absumere.

PROBL. XII.

Species Sacramentales sunt, & non sunt pars huius victimæ.

213 *Species non sunt pars victimæ.* HVius sacrificij victima est solus Christus cum ordine tamen ad species tanquam ad id sub quo Christus offertur, & per quod sacrificium fit sensibile. At ipsæ species nec sunt pars interna victimæ, nec verè sacrificantur. Quia species sunt res intimæ, & ideo indignæ, quæ simul tanto in sacrificio literentur tanquam pars hostiæ summè dignæ. Sic Less. *de perf.diui. l.12.n.96.* Coninch. *q.83.n.77.* Martinon *tom.4. d.38.n.42.51.& 53.*

214 *Species sunt victimæ pars.* Species sacramentales pars sunt victimæ, & simul sacrificantur. Quia sicut panis & vinum sacrificantur secundario, sic ipsorum accidentia pariter immolantur, quatenus destruitur compositum ex illis substantiis & ipsorũ accidentibus, & fit nouum compositum sacramentale scilicet ex Christo & speciebus, vt inquit Augustinus. Rursus istud compositum Sacramentale consecratione constitutum, sumptione Sacerdotis consumitur, & holocaustum completur. Ergo partes illius verè sacrificantur. Ità Henriq. *l.9.c.3.num.7. & cap.7.num.1.* Suar. *d.75.sect.1.* Card. de Lugo *d.19.n.97.& 98.*

215 *Hanc eligo, & confirmo sententiam.* Hanc communem sententiam eligo, & confirmo. Nam Tridentinum *sess. 22. cap. 1.* dixit, Christum seipsum sub signis visibilibus immolandum instituisse, nimirum sub speciebus panis & vini. Et August. *in cap. Hoc est, de consecr. dist.2.* docet, constare sacrificium Missæ duobus, videlicet visibili Sacramentorum specie, & inuisibili Christi carne, & sanguine. Habeo in antiquis holocaustis instantiam. Quando mactabatur agnus, simul eius accidentia sacrificabantur, etsi pleráque in materiâ manerent: quando postea cadauer cremabatur: etiam eius accidentia immolabantur. Pariter species sacramentales per consecrationem secundario immolantur, quatenus immolantur panis & vini, quorum erant accidentia; quatenus verò sunt

sunt terminus, sub quo conuersionis sacramentalis; non immolantur propriè, sed extrinsecè reduuntur ad sacrificium Christi; nam conseruari sine subiecto, non est, in decliuiorem statum labi: per sumptionem autem ferè prorsus destruuntur, & ideò dicuntur verè sacrificari.

CAPVT XVII.

Circa Offerentes Missæ Sacrificium.

PROBL. XIII.

Christus offert, & non offert immediatè Missæ Sacrificium nunc.

216 Immediatè non offert. IMMEDIATE non offert, & proximè. Quia si Christus immediatè, ac proximè Missæ sacrificium offerret nunc, nunc etiam mereretur: sed nunc non est in statu merendi: Ergo nec est in statu immediatè sacrificandi. Sic Cordub. Gabr. Scotus quos sequitur Vasq. *disp.* 225. *c.* 3. Fagund. *præc.* 1. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 3. & 4. Auersf. *de Euchar. q.* 11. *sect.* 9. *in fine.*

217 Immediatè sic. Christus immediatè ac proximè hoc offert sacrificium. Quia Christus nunc pro nobis exorat in Cœlo. Ergo similiter offert Missæ sacrificium immediatè pro nobis, vtrobique scilicet Religionis actum erga Patrē eliciendo. Sic enim magis propriè, ac perfectè munus Mediatoris, & Sacerdotis exercebit. Et quia Christus per potentiam obedientialem actiuam immediatè concurrit ad transubstantiationem, in quâ ratio sacrificij consistit. At non concurrit vt instrumentum inanime: sed sciens, & volens in singulis his actionibus Deum colere, & pro nobis intercedere. Ergo tam per internam voluntatem, quàm per externam operationem verè sacrificat immediatè cum omnibus Sacerdotibus. Ità Suar. *d.* 77. *sect.* 1. Filliuc. *tr.* 5. *n.* 31. & 32. Coninch. *q.* 83. *n.* 107. & 108. Indicant Patres, & Concilia, quatenus simpliciter asserunt, Christum *principaliter* offerre.

218 Probabilius pro vtroque. Probabilem existimo primam sententiam sic intellectam, vt Christus instituens hoc Sacramentum, voluerit offerri suo nomine, nec hanc voluntatem retractauerit: hoc enim sufficit, vt vt Christus verè moraliter sacrificet nunc, etsi mediatè. Quoad factum autem probabiliorem reputo secundam, scilicet Christum offerre nunc Missæ sacrificium non solùm moraliter, & mediatè; sed etiam physicè ac immediatè. Quia fundamenta, queis nititur orantis nunc Christi, & potentiæ obedientialis actiuæ firma admodum reputo.

PROBL. XIV.

Sufficit, & non sufficit habitualis Sacerdotis intentio, vt Missæ fructus possit personæ, pro quâ offertur, applicari.

219 Non sufficit habitualis intentio. VIdimus *sect.* 1. debere Sacerdotem specialiter applicare sacrificium pro determinatâ personâ, vt ipsi conferat specialem fructum tam satisfactionis, quàm impetrationis. Porrò dubitatur, num virtualis intentio sufficiat? Non sufficit, sed requiritur, vt in Memento Missam actualiter applicet cui, aut quibus voluerit. Quia sicut ad conficiendum Sacramentum, videlicet Eucharistiæ non sufficit habitualis intentio, sed requiritur actualis aut virtualis: ita pariter, ad Missæ applicationem: nam vtrique communis est ratio, quod humanus & moralis actus procedere debet ex intentione in illum influente, qualis non est habitualis sola. Sic Vasq. *d.* 138. *n.* 74. Granad. 3. *p. controu.* 3. *tr.* 5. *d.* 4. *sect.* 2. *n.* 14. & alij.

220 Sufficit habitualis applicatio. Sufficit habitualis Sacerdotis (nimirum intentio offerendi pro tali personâ) quæ præcesserit, & retractata non sit. Quia voluntas applicandi Missæ fructum neminem mouere debet ad aliquid vlterius operandum: sed solùm mouere diuinam voluntatem, vt statim, ac sacrificium offeratur, eius fructum alteri applicet. Secus est in Sacramentis, vbi voluntas conficiendi me mouere debet gerendam externam actionem, ad quam moraliter non possum concurrere, & humano modo, nisi perseueret intentio vel actualis, vel saltem virtualis. Ità Coninch. *q.* 64. *n.* 76. Suar. *dist.* 13. *sect.* 3. & *d.* 79. *sect.* 9. Bonac. *d.* 1. *q.* 3. *punct.* 2. §. 3. *n.* 11. Card. de Lugo *de Sacram. d.* 8. *n.* 93. Diana *p.* 2. *tr.* 14. *resol.* 47. & *p.* 5. *tr.* 14. *resol.* 65.

221 Hæc teneo. Semper iudicaui ad applicationem Missæ non requiri certam temporis propinquitatem, quo talis applicatio præcesserit; quia dum non retractatur, censetur moraliter, & habitualiter permanere, & per consequens sufficienter.

PROBL. XV.

Deus attendit ad celebrantis intentionem habitam, non ad debitam: & attendit ad intentionem debitam, non ad habitam.

222 Deus attendit ad obligationem celebrantis, nō ad eius intentionem. QVæsieris, an Deus attendat ad illam intentionem, quam celebrans debet habere iuxtà Prælati præscriptum, vel aliam obligationem, quam habet: an ad illam intentionem quam ipse de facto gerit? Verum quoties celebrans tenetur Missam applicare Antonio, v. gr. vel ex iustitiâ, vel ex fidelitate; vel ex obedientia: sacrificium à Deo applicatur iuxta celebrantis obligationem, non iuxta ipsius voluntatem. Quia Christus non applicat fructum suum per iniuriosam actionem: præsertim quoad obligationem obedientiæ inter Regulares, in quibus est maior subiectio. Sic Ledesm. 1. 4. *q.* 16. *a.* 14.

Manuel

Manuel *sum.tom.*1.*c.*250.*n.*10. Honcala *de valore Missæ,art.*2. Cordub.Fraxinel.Barbos.Bordon.& alij,quos refert Auersa *q.*11.*sect.*10.Probabiléque reputant Fagund.*præc.*1.*l.*3.*c.*10.*n.*3. Diana *p.*2.*tr.*14.*resol.*72.

223 *Deus attendit ad intentionē celebrātis, nō ad ipsius obligationem.*

Deus attendit ad celebrantis intentionem, & iuxta illam Missæ fructum applicat: quamvis aliquando Sacerdos peccet contra iustitiam, vel fidelitatem,vel obedientiam. Quia hæc applicatio est actus potestatis Ordinis, & immediatè fit in personâ Christi, quare non pendet ab Ecclesiæ, vel Superioris intentione; sed à libera celebrantis voluntate. Sic enim instituit Christus ob liberum exercitium consecrationis & celebrationis,vt applicatio Missæ fiat immediatè suo nomine (sicut effectio Sacramentorum) & per consequens,quantumvis Superior conetur,aut obligatio iustitiæ vrgeat, vt alicui fructus Missæ applicetur, nihil efficiet, si celebrans eum non applicet. Ita Sylvest. Armil. Gerson,quos sequitur Henriq.*l.*9.*c.*21.*num.*6. Suar.*d.*79.*sect.*9.Vasq.*d.*231.*c.*6.Coninch.*q.*83. *n.*169.Card.de Lug.*d.*19.*n.*211.Fagund.*præc.*1. *lib.*3.*c.*10.*n.*4. Villalob.*tom.*1.*tr.*8.*diffic.*10.*n.*2. & 3.

224 *Hanc sententiā longè reor probabiliorē.*

Hæc sententia mihi longè probabilior,quam confirmo,& expono. Verum etiam in humanis quoties Prælatus,aliquis supremus aliquid subdito committit,quod eius nomine faciat,vel aliquid subdito concedit non pendet subditus in vsu talis commissionis,vel facultatis à voluntate Superioris immediati, qui subinde nec impedire,nec irritare potest gesta per subditum quo ad illam causam; nam quoad illam immediatè subditus authoritate Prælati supremi operatur. Cum ergo Christus Princeps supremus sibi Ministros alleget,vt immediatè nomine suo Sacramenta conficiant,sacrificium offerant,& applicent: planè sequitur, Sacerdotem quoad valorem consecrationis, & oblationis & applicationis ab inferiorum Prælatorum,vel à iustitiæ exigentiâ non pendere. Nam hæc omnia facit ex immediatâ Christi potestate illis in ordinatione verbis expressa: *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro vivis, & defunctis.* Ergò non minus quoad applicationem, quàm quoad consecrationem, seu sacrificationem operatur vt Christi Minister per potestatem immediatè receptam ab ipso,& per consequens independenter à voluntate,vel applicatione Prælati inferioris, vel ab exigentiâ cuiusvis alius obligationis.

PROBL. XVI.

Sacerdos potest,& non potest intentionem suam ad futurum referre, seu anticipatè Missas offerre.

225 *Potest quidē.*

SAcerdos de præsenti non habet, pro quo Missas teneatur offerre. Potest ne hic celebrare pro eo,quem Deus nouit,postea daturum stipendium, quod licitè deinceps petere valeat? Potest quidem. Quia cùm Sacerdos referat applicationem suam ad Dei præscientiam, qui mox tribuat Missarum fructus illis, quos certò præuidet, stipendium daturos: certam habet fructus applicationem, sicut scientia diuina est certa. Nec anticipata oblatio stipendium daturis displicebit, qui virtualiter saltem consentient in rem sibimet vtilem,& in anticipatam solutionem.Sic Henriq.*l.*9.*c.*21.*n.*2. Nauarra *de restit. l.*2.*c.*2.*n.*373. Vega *tom.*2.*c.*41.*casu* 5. Aragon. 2.2.*q.*85.*a.*3. Manu.*in sum.to.*1.*c.*250.*vel* 252. *n.*9. Moure *p.*3.*c.*5.§.9.*n.*5. Fraxinel. *de obligat. Sacerd.sect.*3.*prænot.*5.*n.*1. Bonac.*d.*4.*q.vlt.pun.* 7.§.5.*n.*3.

Minimè potest. 226 *Minimè potest.*

Quia nec fructus talis Missæ reseruatur in futurum dandus, scilicet quando Missa petatur, & stipendium detur: nec datur statim de præsenti: Ergo nullo modo talis valet applicatio.Primam partem antecedentis probo; quia non est in potestate Sacerdotis,effectum sacrificij suspendere. Sicut enim omnia Sacramenta simul ac perficiuntur, suum habent effectum ex opere operato, quem non potest Minister suspendere, vel in futurum reseruare: sic Missa suum habet effectum ex opere operato,quem celebrans suâ voluntate suspendere, vel in futurum reseruare non potest, donec sibi tradatur stipendium; alioqui possemus applicare peccatori Missæ satisfactionem, vt prosit Antonio, quando resurgat à peccato: vel applicare non indigenti, vt ipsi prosit, quando peccet, & resipiscat: quod esset,dare licentiam impunè peccandi, vel diutius in peccato permanendi. Secundam partem antecedentis ostendo. Quia Deus sicut nec pœnam, nec præmium confert ob delicta vel merita futura regulariter: ita non tribuit Sacramentorum, aut sacrificij fructum ex iis, quæ præuidet futura; sed iuxta præsentem hominis intentionem, & dispositionem.Et certè qui Missam postulat,suo modo concurrit ad sacrificium,vt vidimus: non autem concurrit ad Missam ante dictam. Indigentia quoque, pro quâ postulat,tunc occurrere solet, quando postulat,vel ad impetrandum, vel ad satisfaciendum: cui certè per Missam ante dictam non succurritur. Ita Suar. *dist.*79. *sect.*9. Fagund. *præc.*1.*l.*3.*cap.*9.*n.*10. Coninch. *q.*83.*n.*168.Cordub.Granad.Ricci.quos sequitur Auersa *q.*11.*sect.*18. Homob. Barbos. Ioan. de la Cruz, Filliuc. Molfes. Reginald. quos sequitur Diana *p.*2.*tr.*14.*resol.*15. Card.de Lugo *d.*19.*n.*209. Dimas Serpi *l.de Purgat.c.*59.subdens,teneri Sacerdotem ad harum Missarum restitutionem.

227 *Hæc est vera sententia, & primâ omnino reiicienda iudico.*

Hæc est vera sententia,quare primam omninò reiicio,postquam legi in remissionibus Trident. *sess.*22. antè primum caput referri declarationem Cardinalium de mandato Pontificis factam 15.Nouembris anni 1605.improbantium & condemnantium praxim primæ sententiæ tanquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis, & offensionibus obnoxiam, ac ab Ecclesiæ more nimium abhorrentem. Profectò id meritò, quia hæc applicatio Missæ fieri debet modo nobis accommodato:& per cõsequens non per recursum ad diuinam scientiã nobis ignotam.Alioquin ex oppositio sequeretur Antonio v.gr.iam esse remissam aliquam pœnã, & collatum aliquem fauorem dependentem ab actu liberè post modum futuro, quem subinde Antonius possit elicere, vel non elicere post ipsius fructum acceptum.Hoc autem quis non videat, esse à communi Dei prouidentia alienum? Verùm remissiones Concilij duos casus excipiunt.Primus casus est,quando Sacerdos tenetur

rut in posterum pro certâ intentione dicere Missas; hasce enim potest anticipare: v.gr. si Capellanus debeat singulis hebdomadis dicere pro fundatore tres Missas, vel singulis Mensibus quindecim, poterit hac hebdomada dicere sex, & hoc Mense dicere triginta pro præsenti & sequenti. Secundus casus est, quando Sacerdos certò nouit, Missas aliquas ab aliquo sibi commendandas. Posse tunc anticipari censeo, quia tunc Missa offertur pro certâ personâ notâ.

PROBL. XVII.

Celebrans nulli applicat Missæ fructum, vel certè incapaci: Tunc fructus ille confertur, & non confertur celebranti: remanet, & non remanet in thesauro.

228 Non remanet in thesauro, sed confertur celebranti.

NOn remanet fructus Missæ illius in thesauro sed celebranti confertur. Quia Sacerdos dum alteri Missæ fructum non applicat, vel incapaci applicat, censetur implicitè velle sibi conferri saltem per generalem voluntatē, qua quisque semper intendit, sibi prodesse, quantum possit. Imò talis intentio confusa satis continetur verbis illis: *Offero tibi pro innumerabilibus peccatis meis.* Sic Coninch. *d.* 83. *n.* 166. & alij.

229 Non confertur fructus sed remanet in thesauro.

Non confertur fructus Missæ celebranti, sed remanet in thesauro, vnde deberet extrahi, si Missa validè fuisset applicata. Quia Deus sine celebrantis intentione non confert Missæ fructum, sicut nec Sacramentorum valorem. Ità Henriq. *lib.* 9. *c.* 18. *n.* 7. Vasq. *d.* 231. *n.* 11. Suar. *d.* 79. *sect.* 9. Bonac. *d.* 4. *q. vlt. pun.* 5. *n.* 12. Auers. *q.* 11. *sect.* 10.

230 Dubium sententiæ.

Rem dubiam esse censeo, & per consequens dubium fore Missæ fructum, quæ non applicatur formaliter personæ capaci: ita vt dum celebratur maneat applicatio saltem habitualis circa personam sub aliâ proprietate designatam. Vnde prudens consilium erit, substituere secundam, ac tertiam, vel etiam plures intentiones, donec deueniatur ad aliquam, quæ deficere non possit: v.gr. quando ponitur vltimo loco anima Purgatorij sanctior, vel proximior egressui, vel magis indigens, vel magis destituta suffragiis, vel ea, quam Deipara elegerit.

CAPVT XVIII.

Circa Missæ Fructum.

PROBL. XVIII.

Missæ sacrificium habet, & non habet effectum aliquem ex opere operato.

231 Nullum habet effectum.

NVLLVM habet effectum. Quia nulla promissio legitur huic sacrificio facta, quatenus sacrificium est: sed solùm quatenus est Sacramentum: siquidem manducantibus, & bibentibus corpus, & sanguinem Domini vita æterna promittitur. Sic Scotus, & Caietan. apud Sotum *de Iust. l.* 9. *q.* 2. *art.* 2.

232 Habet quidd.

Missa habet aliquem effectum ex opere operato vt causa particularis, & proxima illius, id est, vis sacrificij præter omne meritum operantis aliquid infallibiter confert non ponentibus obicem, quod aliqui vocitant, per modum infallibilis impetrationis; alij per modum solutionis ex thesauro Christi. Quia ex antiquissimo, & communissimo Ecclesiæ tam vsu, quàm sensu cuncti fideles Missam offerunt ad obtinendam suorum peccatorum remissionem, vel etiam alienorum, & ad subueniendum humanis indigentiis: & sibi persuadent non pendere Missæ fructum à sanctitate Ministri: sed independenter ab eius merito vi sacrificij nobis aliquis fructus redemptionis Christi applicari. Ita D. Tho. 3. *p. q.* 79. *a.* 5. & *q.* 82. *a.* 1. Suar. *d.* 79. *sect.* 1. Vasq. *d.* 229. *c.* 2. Coninch. *q.* 83. *n.* 116. Bonac. *d.* 4. *q. vlt. pun.* 4. *n.* 7.

233 Hoc mihi certum.

Hoc mihi certum asserenti, satis à Trid. *sess.* 22. *c.* 1. & 2. indicati, dum docet, Christum instituisse Missæ sacrificium, vt virtus sacrificij Crucis in remissionem nostrorum peccatorū nobis quotidie applicaretur. Quod si applicatur ex institutione Christi, ergo non per opus operantis, & consequenter ex opere operato. Imò crediderim Scot. & Caiet. oppositum non docuisse. Solùm enim requirunt ad hunc Missæ effectum dispositionem eius, pro quo sacrificium offertur; quod non est contra rationem operis operati, vt constat in omnibus Sacramentis; sufficit enim, vt opus vi sua conferat talem effectum non ponentibus obicem. Prima itaque sententia corruente, Problema dissoluitur.

PROBL. XIX.

Remissio pœnæ temporalis vi Missæ semper certa lege confertur, & non semper certa cōfertur lege circa defunctos.

234 Non confertur certa lege pro defunctis.

CIrca viuos conueniunt Doctores, remissionem pœnæ tēporalis Missæ vi semper certa lege conferri. Porrò circa defunctos non confertur: Sed Missa animabus Purgatorij prodest solum per modum suffragij: quatenus sicut orationes viuorum defunctis prosunt duntaxat prout Deo placuerit illas acceptare sine certa lege remittendi semper pœnas propter tales orationes: sic etiam Missa prodest defunctis iuxta diuinum beneplacitum. Quia indulgentiæ defunctis concessæ non habent tam certum effectum, sicut concessæ viuis: Ergo similiter de Missâ credendum. Sic Sotus *in* 4. *dist.* 13. *qu.* 2. *art.* 1. Cano *de locis l.* 12. *c.* 13. Cordub. *l.* 1. *q.* 3. *dub.* 4. *opini.* 4.

235 Cōfertur certa pro defunctis lege.

Remissio pœnæ virtute Missæ tam defunctis quam viuis semper certa lege conceditur. Quia Trid. *sess.* 22. *c.* 2. & *can.* 3. pariter loquitur quoad hoc de viuis & defunctis; & *sess.* 25. initio definit, *Purgatorium esse, animásque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum verò acceptabili Altaris sacrificio iuuari.* Certum autem est per fidelium eleemosynas: ieiunia, vigilias, ac similia suffragia certa lege iuuari defunctos quatenus satisfactio talibus operibus correspondens iuxta voluntatem operantium illis infallibiliter

liter applicatur. Hanc enim mutuam satisfactionis communicationem Catechismus Romanus *tit.de Sacr.Pœnit.n.61.*tradit apertè,dum ait: *Qui diuina gratia præditi sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur,persoluere. Nec de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est.* Ergo certum etiam erit, Missam prodesse defunctis per modum mediatæ solutionis,& applicationis infallibilis.Ità Henriq. *l.9.c.13.n.1. & c.16.n.1.& c.18.n.7.* referens multos. Card. de Lugo *d.19.n.153.* Martinon *d.39.n.3.* Auersa *q.11.sect.6.§.Tertiò ergo.*

236 *Hoc mihi certissimum.* Existimo, magnam fore temeritatem ab hoc communi sensu Theologorum recedere.Fundamentum enim primæ sententiæ infirmitate laborare reor, quia multo est probabilius, Indulgentias pro defunctis concessas infallibiliter illis prodesse, auctore Suario *distinct.53.sect.3.* Valentia *tom.4.disp.7.quæst.20. puncto 5.* & Card.de Lugo *de Pœnitentiâ,d.27. sectione 5.* Vnde Missa proderit etiam infallibiliter. At etiam si indulgentiæ non haberent circa defunctos certum effectum,quia circa defunctos nulla polleret Ecclesia iurisdictione; qualem circa viuentes habet: tamen in Missâ nullum apparet discrimen, cum instituta fuerit à Christo,qui parem habet in vtrosque potestatem, & quoad remissionem pœnarum tam pro defunctis, quàm pro viuis Missam instituerit, vti ex Trident.vidimus:Ergo certa lege prodest vtrisque.

PROBL. XX.

Per Missam orationi coniunctam impetratur,& non impetratur immediatè remissio pœnæ pro peccatis eorum pro quibus oratur.

237 *Non datur de facto pœna remissio.* Effectus remissionis pœnæ per Missæ sacrificium potest (vti *sectione* 1. vidimus) fieri dupliciter, mediatè, vel immediatè. Mediatè fit, quatenus Missæ sacrificium impetrat gratias præuenientes, & vires spirituales ad opera pœnitentiæ præstanda, quibus Deo satisfaciamus pro nostrorum criminum pœnis, vel alienorum, etiam quoties aliis applicamus satisfactionem nostram: & hunc modum satisfactionis dari de facto docent Auersa *quæstion.11.sect.11.* & alij. Immediatè fieret, si per Missam orationi coniunctam impetraretur remissio pœnæ debitæ peccatis illorum pro quibus oratur, nihil illis interim operantibus. Quæsierim, an hic modus impetrationis de facto detur? De facto non datur. Quia ergo diuinæ iustitiæ poscit, vt pœna debita non remittatur nisi per modum solutionis exhibendæ, quæ fieri debet omninò per viam satisfactionis recompensantis pœnam. Sic Fagund. *præc.1.lib.4.cap.1.num.12.* Suar. *tom.4.d.37.sect.10.& d.48.sect.2.*docens, neminem posse pro se ipso sic pœnæ remissionem impetrare. Et *sect.5.* asserit, nec pro defunctis.

238 *De facto datur.* Datur planè de facto.Quia hæc remissio pœnæ per se non confert sanctitatem,nec internam animæ perfectionem: sed ad commodum naturæ quodammodo pertinet,vndè dici potest temporale, ac externum beneficium. Sed alia beneficia temporalia,& externa possunt immediatè per orationem impetrari. Ergo pariter istud præsertim adiuncto Missæ sacrificio, quæ confert orationi maiorem efficaciam, ac vim impetrandi. Ità Durand.Caiet.Nauar.quos refert Suar. *tom.4.d.48.sect.5.num.4. & n.5.* subdit hanc sententiam esse piam, & probabilem: & loquendo de Missâ sacrificio idem *tom.3. distinctione 79.* profitetur. Tenet absolutè Card.de Lugo *disp.19.num.158.*Laym.*l.5.tr.5. c.2.n.5.*

239 *Hoc probabilius.* Longè probabiliorem hanc partem existimo. Nam Ecclesia sæpius in Missis, & in Officio defunctorum petit, vt Deus condonet pœnas debitas animabus Purgatorij. Sacerdos etiam Ecclesiæ ex nomine postulat, vt defuncti pœnis illis soluantur. Hæc autem oratio frustra fieret, si nihil vltra mensuram satisfactionis impetraret. Profectò in hâc quæstione certum est in primis, talem modum impetrationis esse possibilem, nulla enim appareret repugnantia: quin potius videtur conforme diuinæ liberalitati, & generalibus promissionibus orationi præfitis. Quoad factum verò certum est etiam non concedi talem remissionem sine alicuius satisfactionis applicatione, saltem alienæ. Cum enim quilibet iustus habeat opera pœnalia satisfactoria, quæ possit pro se, vel pro aliis offerre, immeritò postulat gratuitam omninò remissionem, & quasi dispensationem in lege iustitiæ, quando non vrget sufficiens misericordiæ ratio.

PROBL. XXI.

Missa per se confert, & non confert primam gratiam, & peccati lethalis remissionem iis, pro quibus dicitur.

240 *Immediatè confert primâ gratiam.* Svppono ex *sect.1.* Missæ sacrificium quatenus propitiatorium est, conferre primam gratiam, & peccata mortalia remittere, saltem aliquo modo: quod ità certum est apud Catholicos. Vt oppositum erroneum censeatur. Igitur Missæ sacrificium immediatè confert primam gratiam, & remissionem mortalium non habentibus obicem, sed attritionem sufficientem. Quia sic magis propriè capiuntur Concilia, Scriptura, & Patres, præsertim Tridentinum *session.22.cap.2.* dum adstruit, Sacrificium Missæ verè propitiatorium esse: reddensque rationem,addit: *Quia nimirùm huius oblatione placatus Deus, ingentia quoque peccata, & crimina dimittit.* Vis autem huius rationis fundatur in eo, quod propitiatio propriè referatur ad remittenda peccata. Et quia sacrificium, consistit in oblatione, perfectius est Sacramento, quod refertur ad vsum: sed Sacramenta nouæ legis vim habent remittendi mortalia, conferendique primam gratiam attritis saltem per accidens ex opere operato. Ergo sacrificium pariter habet eandem vim præsertim cum ex se sit magis ordinatum ad remissionem

pec

peccatorum, vti ex ipsis consecrationis verbis colligitur. Sic nonnulli recentiores apud Vasq. *disp.228. cap.1.* Probabilem censet hanc sententiam Cassal. *de sacrific. Missæ, lib. 2.* Fauet D.Thom. *in 4. distinct.12. quæst.1.artic.2.quæstiunc.2. ad 4.* partim Valent. consentit *tom.4. distinct.6. quæstione 11. puncto 1.§.22.* dicens, quamvis Missa primariò instituta non fuerit ad tollenda peccata mortalia: tamen per accidens, & secundariò conferre illorum remissionem, & primam gratiam peccatoribus, pro quibus offertur, habentibus attritionem, & bonam fidem: sicut etiam contingit recipientibus Eucharistiam.

141 Missa per se non confert primam gratiam immediatè, vel remissionem peccati mortalis ex opere operato. Quia non habemus promissionem diuinam circa talem effectum: esto conducat ad remissionem peccatorum, & ad iustificationem peccatoris mediatè, quatenus Deus eius intuitu tribuit auxilia gratiæ præuenientis ad eliciendam contritionem, vel ad ritè recipiendum Sacramentum. Hoc intendit D.Thomas citatus. Nam cùm dixisset, hoc sacrificium in peccatoribus peccata delere mortalia, subdit statim delendi modum his verbis: *Non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat.* Probatur ex Tridentin. *sessione 22. capite 2.* docente, *Sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, vt si cum vero corde, & rectâ fide cum metu, & reuerentiâ contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno: huius quippè oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Vbi modum explicat, quo per Missam remittuntur peccata, dum contritis, & pœnitentibus scilicet imperfectè, oblatione Missæ placatus Deus concedit auxilium opportunum, & gratiam excitantem, qua perfectam contritionem elicientes, aut Sacramentum recipientes, pœnitentiæ donum, & fructum, nimirùm misericordiam inueniant, qui peccatis etiam ingentibus tenebantur. Confirmatur, quia si peccator attritus, pro quo offertur Missa, ex opere operato iustificatur, iam non esset pœnitentiæ Sacramentum in re, vel in voto simpliciter necessarium ad mortalium remissionem. Ità Suar. *d.79.sect.3.* Vasq. *d.228.c.1.* Coninch. *q.83.n.137.* Henriq. *l.9.c.15.n.1.* Bonac. *d.4.q.vlt.pun.3.n.3.* Auers. *q.11.sect.6.* Card. de Lugo *d.19.n.137.*

142 Hoc mihi compertum. Nam aliàs posset peccator cum attritione nota duntaxat, oblata pro se Missa, recipere quæuis Sacramenta, saltem præter Eucharistiam, & omnia ministrare. Posset celebrans pro se, quamvis recordetur peccati mortalis, quando nequit confiteri, cum attritione nota prosequi, nec conteri teneretur. Item quoties moribundus confiteri non potest, nec vllum Sacramentum recipere, deberemus ipsi Missam applicare, cuius virtute, si sit attritus, iustificetur. Quæ tamen sunt contra communem Doctorum & fidelium sensum.

PROBL. XXII.

Est, & non est infallibilis impetratio auxiliorum specialium, quæ confertur eis, pro quibus Missæ sacrificium offertur.

PRofectò Missæ sacrificium vltrà vim impetrandi gratiam præuenientem, habet vim placandi Deum, & propter hanc propitiatorium dicitur, distinctum ab impetratorio. Nam aliud est, mouere Deum, vt bona bonis largiatur: aliud est, illum placare, nè nobis inferat mala. Quia sola vis impetrandi non satis explicat virtutem, quam Patres, & Tridentinum Missæ tribuunt ad remissionem non solùm pœnarum, sed etiam peccatorum mortalium, respectu quorum sit etiam propriè propitiatorium. Quæsieris igitur, num impetratio talium auxiliorum sit infallibilis? 243 *Nonnulla sup. pono.*

Infallibilis non est. Quia experimento sæpè constat, nec conuerti, nec specialiter ad pœnitentiam excitari peccatorem, pro cuius conuersione Missam offerimus. Et quia effectus infallibilis solet esse determinatus quoad numerum, & perfectionem, & certam dispositionem recipientis prærequirit. Sed hic effectus non est huiusmodi, nam interdùm vni datur, interdùm multis, si Missa pro pluribus offeratur; interdùm maius, interdùm minus: interdùm datur obstinatissimo peccatori, cum minus peccanti denegetur. Ergò hic effectus non est infallibilis. Sic Durand. Cano, Cordub. quos sequitur Suar. *d. 79. sect.3.* Filliuc. *tr.5.n.61.* Martinon *tom.4.d. 39.n.5.* Vasq. *d.228.c.1.n.21.* 244 *Non est infallibilis.*

Est planè infallibilis. Quia sacrificans etiam si sit peccator, offert hoc sacrificium nomine Christi, qui semper exauditur *pro suâ reuerentiâ Hebr.5.* Sic ergò valet Missæ sacrificium apud Patrem, vt propter Christi dignitatem, & meritum ibidem applicatum concedat peccatoribus pro quibus offertur, aliquas speciales gratias præuenientes, si sint illarum capaces, quibus, si correspondeant, remissionem peccatorum obtineant. Ita Henriq. *l.9.c.15.n.1.* Fagund. *prec.1. l.4.c.2.n.19.* Bellarm. *l.2. de Missâ, c.4.* Coninch. *q.83. n.138.* Probabile dicunt Mæratius *d.37. sect.10.* & Martinon citatus. 245 *Infallibilis est.*

Profectò Missæ sacrificium quatenus impetratorium est, habet semper effectum aliquem in capaci subiecto. Et quidem si peccator oret, & Missam faciat pro suâ conuersione offerri, nec apponat impedimentum, impetratio specialium auxiliorum erit infallibilis saltem ex promissione precibus facta: vti fatentur Scarius, & Filliuc. citati; Ergò consequenter admittere debent effectum infallibilem, qui non sit determinatus, nec certam dispositionem recipientis prærequirat. Nec niti potest solâ promissione præcibus facta, nam oratio debet esse iusti: cum hic oret, & offerat peccator. 246 *Auctorum mens.*

PROBL. XXIII.

Auxilia, quæ per Missam conferuntur, semper sunt, & non semper, sunt efficacia.

247 *Semper sunt efficacia.* SEmper efficacia sunt. Quia hoc videtur asserere Trid. *sess.22.c.2.* dum affirmat, per Missam conferri peccatoribus auxilium opportunum, & pœnitentiæ donum. Nam auxilium opportunum idem esse videtur cum efficaci: pœnitentiæque donum inuoluit auxilium adiuuans, quod semper sortitur effectum. Sic non infimæ notæ Neotericus.

248 *Non semper efficacia sunt.* Non semper sunt efficacia. Quia sicut sufficit, vt gratia sacramentalis inducat auxilia sufficientia: sic etiam sufficiet, vt Missa pro peccatoribus oblata auxilia sufficientia causet. Nec expediebat impetrationem auxiliorum efficacium infallibilem esse, vt semper cum timore, ac tremore nostram salutem operemur. Ita Suar. *d.79 sect.3.* Fagund. *præc.1.l.4.c.2.n.18.* Bonac. *d.4.q.vlt.pun.3.n.4.* Coninch. *d.83.n.140.* cum aliis.

249 *Consentiens doctrinæ expono.* Consentiens assero, Deum ob Missæ sacrificium illa semper auxilia conferre, quibus, quantum est ex se, sincere cupit conuertere peccatorem, & peccator conuerti possit, si velit. Vnde nos licitè Missam offerimus ad impetrandum auxilium efficax, & frequentet illud impetramus; interdum verò datur inefficax secundùm diuinæ voluntatis consilium. Censuerim tamen, propter Missam semper dari auxilium validius, & efficacius quòad actiuitatem internam, quàm sine Missâ daretur eidem peccatori. Sic enim decet tanti sacrificij dignitatem.

PROBL. XXIV.

Dum iusti actualiter in obiectis veniaaliter prauis complacent, Missæ sacrificium immediatè, & ex opere operato dimittit, & non dimittit eis peccata venialia.

250 *Dimittit quidem.* DImittit quidem. Quia non minus prodest Missæ sacrificium ex opere operato venialium remissioni, quam Sacramentalia, quæ talem habent efficaciam. Nimirum si leuioribus animæ morbis adhibeantur leuiora remedia, quæ leuem, vel nullam requirunt dispositionem illius, cui vel aqua benedicta, vel Episcopi benedictio datur, vel Missæ sacrificium applicatur. Sic Cordub. Palud. Canus, & alij, quos sequitur Henriq. *l.9.c.13.n.2.* Nuñus *3.p. quæst.83.art.1.concl.6.* Diana *part.3. tract.4. resol.39.*

251 *Non dimittit.* Non dimittit. Quia culpa venialis transacta præter reatum pœnæ relinquit in animâ maculam aliquam libera voluntate contractam, quæ subinde, quamvis absolutè possit tolli per extrinsecam condonationem, non ità tamen congruenter naturæ rationali, quæ postulare videtur, vt qui libere peccauit, liberè retractet peccatum, & vt maculæ per modum alicuius positiui fœdantes animam, etiam per aliquid positiuum quodammodo contrarium tollatur. Igitur vt modo proportionato venialia remittantur, oportet, vt homo resipiscat per aliquem actum virtutis tali culpæ contrarium, vel intrinsecus perficiatur per aliquod augmentum gratiæ iustificantis, quæ virtualiter includit repugnantiam cum veniali peccato. Ità Suar. *d.79 sect.5.* Vasq. *d.228. c.3.* Fagund. *præc.1.l.4.c.4.n.1.* Coninch. *q.83. n.136.* Card. de Lug. *d.19.n.152.* Martinon *d.39. sect.1.n.4.* Auers. *q.11 sect.6.*

Fateor hanc sententiam communiorem & probabiliorem esse. Non tamen ausus fuerim, abnegare Missæ, quod sacramentalibus conceditur. Certè cum valdè probabile sit, posita dispositione nostrâ, quæ per se non sufficeret ad obtinendam venialium remissionem, per sacramentalia conferri: valdè quoque verisimile est, oblationem Missæ pro remissione venialium illam conferre, saltem præuiâ dispositione, quæ foret alioquin insufficiens: & hoc saltem conuincere primæ sententiæ fundamentum ingenuè profiteor. 252 *In primâ sententiâ inclinat asserens, secundam esse probabiliorem.*

PROBL. XXV.

Sacerdos quatenus Missam offert vt persona particularis, & cæteri Fideles cooffierentes participant & non participant non ex eâ aliquem satisfactionis fructum ex opere operato.

Oblationi, quam Sacerdos exhibet in personâ Christi respondere fructũ satisfactionis ex opere operato Doctores conueniunt. Quæsierim verò, vtrum Sacerdotes quatenus Missam offerunt vt personæ particulares, & reliqui Fideles coofferentes percipiant aliquem fructum satisfactionis ex opere operato? Non percipiunt. Quia illi duntaxat respondet Sacrificij fructus ex opere operato, cui Deus illum promisit: sed soli sacrificio, quod offert Sacerdos in personâ Christi promisit Deus eiusmodi fructum; nam ibi solum applicantur merita Christi Domini tanquam principalis offerentis, vt significat Trident. *sess.22.* Ergo Missa solum dum offertur in personâ Christi confert hunc fructum, non autem vt offertur à personâ particulari Sacerdotis, vel ab aliis coofferentibus. Sic Vasq. *d.231.c.3.* Coninch. *d.83.n.162.* Card. de Lugo *d.19.n.233.* 253 *Non participant.*

Percipiunt omninò. Quia sicut Sacramentum confert fructum ex opere operato ratione sumptionis: ita sacrificium ratione oblationis. Sed Sacramentum confert ex opere operato suum effectum omnibus sumentibus: ergo pariter sacrificium omnibus offerentibus. Ita Syluest. & Caiet. quos sequitur Suar. *d.79. sect.8.* Henriq. *l.9.c.20.n.2.* Bonac. *d.4.q.vlt.punct.4.n.2.& 6.* Laym. *l.5.tr.5.n.72.* 254 *Participant quidem.*

Æquè probabilem vtramque sententiam iudico. Magis autem arridet secunda, quia D. Thom. *3.p.q.79.art.5.* videtur eam docuisse. Distinguens enim in Eucharistiæ rationem Sacramenti, quatenus sumitur: & rationem sacrificij, 255 *Æquè probabilem vtramque putat.*

ficij, quatenus offertur, subdit: *Et ideò effectum Sacramenti habet in eo qui sumit: effectum autem Sacrificij in eo, qui offert: vel in iis, pro quibus offertur.* Et in fine corporis concludit, hanc oblationem fieri satisfactoriam illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus. Ex palam loquitur de fructu satisfactionis, & discernit fructum proeuenientem ad offerentes: & fructum profluentem ad eos, pro quibus offertur.

PROBL. XXVI.

Sacerdos debet, & non debet omnibus Ecclesiæ membris non solùm impetrationem Missæ, sed etiam satisfactionem applicare.

256 Nonulla ignor.

TRiplex Missæ fructus à Doctoribus distinguitur. Primus est generalis, quem celebrans applicare debet cunctis fidelibus viuis, atque defunctis, vt Deus singulis distribuat iuxtà proportionem sibi notam. Secundus est specialissimus proprius celebrantis, quem non tenetur aliis applicare, (nec potest secundùm aliquos, quamvis secundùm alios possit.) Tertius est medius vel specialis, & eis pro quibus Sacerdos offert Missam, competit. Hoc posito, quæstio voluitur, vtrum debeat Sacerdos non solùm impetrationem, sed etiam satisfactionem omnibus Ecclesiæ membris applicare?

257 Debet applicare impetrationem, & satisfactionem.

Debet quidem. Quia commune sacrificium Ecclesiæ debet omnibus eius membris prodesse, sicut cibus in communem ingestus stomachum omnibus corporis membris parit vtilitatem. Et quidem Tridentinum *sess.22. capit.6.* Missas illas, in quibus Sacerdos solus sacramentaliter communicat, probat, & communes censeri definit; quoniam à publico Ecclesiæ Ministro non pro se tantùm, sed pro cunctis fidelibus, qui ad Christi corpus pertinent, celebrantur. Sic Adrian. Sotus, Palud. Maior, & alij, quos sequitur Henriq. *l.9.c.17.n.2.* Nauar. *c.25.n.92. & 111.* Azor. *tom.1.lib.10. cap.20.q.9.* Valent. *tom.4.d.6.q.11.pun.1.§.25.* Fagund. *prac.4. l.3. c.6.n.23.*

258 Non debet.

Non debet. Quia ille fructus generalis satisfactionis omnibus, & singulis fidelibus ex singulis Missis proueniens nullo firmo nititur fundamento; nec enim colligitur ex iure diuino, nec ex verbis Missæ: nam hæc solum significant orationem Ecclesiæ nomine faciendam pro cunctis: & oblationem generalem pro fidelibus vniuersis, quo ad impetrationem. Et quia aliàs animæ defunctorum citissimè liberarentur omnes à Purgatorij igne, quin etiam viui, qui gratiam aliquandiù conseruassent, vix haberent pœnæ reatum, si fructum aliquem satisfactionis ex omnibus Missis reciperent. Ita Suar. *dist.79. sect.9.* Filliuc. *tract.5.num.77.* Coninch. *qu.83.num.156. & 169.* Card. de Lugo *dist.19.num.221.* & alij Recentiores.

Fateor, primam sententiam piam admodum esse, sed secundam æstimo solidiorem, & probabiliorem. Iuxtà quam illa diuisio triplicis fructus capi debet de fructu in communi, vel impetrationis, quæ sola continetur in primo membro: vel satisfactionis, quæ pertinet ad secundum & tertium simul cum impetratione. Debet igitur celebrans orare pro cunctis Ecclesiæ membris, vt adiuncto precibus sacrificio, impetret efficacius omnibus non solùm alia bona, sed etiam pœnæ debitæ remissionem saltem mediatè.

PROBL. XXVII.

Missa potest, & non potest, pro Infidelibus offerri.

159 Nonulla sup-pono.

SVppono, dupliciter posse Missam pro Infidelibus offerri. Primò indirectè, quando Missa dicitur pro dilatatione fidei, vel ecclesiæ augmento, quod fit per Infidelium conuersionem; & hic modus non solùm est licitus, sed etiam ab initio nascentis Ecclesiæ vsitatus. Sic habetur in antiquis Liturgiis, & in nostro Missali Missa pro tollendo schismate exponitur. Secundò directè, cum Missâ dicitur pro bono ipsorum Infidelium vel spirituali, vel temporali, vel in communi, vel in particulari huius, vel illius Prouinciæ: huius, vel illius personæ, de quo quæstio procedit.

260 Nõ potest directè offerri.

Non potest Missa directè pro infidelibus offerri. Quia Missæ sacrificium pro solâ Ecclesiâ fuit institutum: At infideles ad Ecclesiam non attinent: Ergo Missa pro infidelibus offerri non potest. Sic Sotus *in 4. dist.11.q.2.a.7.* Azor. *to.1. l.10.c.22.q.1.* Vasq. *q.227.c.3.n.224.* Fauet D. August. *to.7.l.1.de orig.animæ c.9. Quis*, inquit, *offerat corpus Christi nisi pro eis, qui sunt membra Christi.*

261 Potest directè offerri.

Potest Missa directè pro infidelibus litari. Quia nec est malum ex naturâ rei velle per Missam impetrare infidelium conuersionem, vel illa etiam bona temporalia, quæ conducant ad illorum salutem æternam; nec est à Deo prohibitum, vt patet: nec seclusis censuris hæreticorum, extat Ecclesiæ prohibitio. Ita Bellarm. *de Missâ l.2.c.6.* Suar. *d.78. sect.2.* Coninch. *q.83. n.160.* Laym. *l.5.tr.5.c.2.n.9.* Bonac. cum aliis *d.4.q.vlt.punct.5.n.4.*

262 Hoc teneo, & expono.

Crediderim huius sententiæ Auctores id assetere quoad impetrationem, non autem quoad satisfactionem, cuius infideles sunt incapaces. Ego quidem cum his sentio, dum video, doctrinam hanc à fidelium praxi confirmari. Didici à teste oculato Francisco de Lugo meo sapientissimo ac sanctissimo Magistro, Collectæ communi Sacerdotes in Americâ addere: *Gentes Indorum gratia tua illuminentur*; quæ verba ab Ecclesia sunt publico ritu, ac praxi approbata. Similiter in nostrâ Societate singulis Mensibus ex Superiorum præscripto vnum gerimus sacrum pro conuersione Gentilium, & Indorum: alterum pro hæreticorum reductione, ac pro regionibus septentrionalibus. Fateor tutius esse, directè semper attendere fidei dilatationem. Sed satis tutum existimo directè precari bonum spirituale infidelium, & etiam temporale, quod non ad Ecclesiæ oppugnationem, sed ad ipsorum infidelium salutem spiritualem conducat. Legendus Filliuc. *tr.5.n.48.*

PROBL. XXVIII.

Missa potest, & non potest, pro Catechumenis offerri.

263 *Offerri non potest.* OFferri non potest. Quia Missæ sacrificium est proprium fidelium. Fideles autem propriè dicuntur, qui portas Ecclesiæ per Baptismum intrarunt, & Christi corpori sunt visibiliter annexi. Non ergo potest Missa pro Catechumenis offerri nondum sacra vndâ dilutis, qui nondum sunt visibiliter Christi Dñi membra. Et ideò Concil. Brachar. 1. decernit *c.* 35. vt Catechumenis nec oblationis sanctæ commemoratio nec psallendi impendatur officium. Sic Bellarm. *tom.* 2. *contron.* 3. & *l.* 2. *de Purgat. c.* 18. Azor. *to.* 1. *l.* 10. *c.* 22. *q.* 2. Vasq. *d.* 227. *c.* 3. Et Chrysost. *hom.* 3. *in Epist. ad Philip.* docet, Catechumenos non iuuari Missæ sacrificio.

264 *Potest offerri.* Potest offerri. Quia Ecclesia solebat olim pro Catechumenis sacrificare, vt Suarius citandus ex Patribus, & ex ordine Romano colligit. Et quia licèt Catechumeni non sint Ecclesiæ membra per Baptismum & characterem coniuncta, tamen vniuntur Ecclesiæ per fidem & fortè viuunt per charitatem. Ergo licèt non subdantur Ecclesiæ quoad vim coactiuam, pertinent ad Ecclesiam quoad fauores, qui semper sunt ampliandi. Quare dum Ecclesia Missam offert pro cunctis fidelibus viuis, atque defunctis: videtur Catechumenos pietate materna complecti. Ita Henriq. cum aliis *l.* 9. *c.* 15. *n.* 5. Suar. *d.* 78. *sect.* 2. Filliuc. *tr.* 5. *n.* 45. Card. de Lugo *d.* 19. *n.* 166. & 137. Auersa *q.* 11. *sect.* 10. §. *Dicendum tamen.*

265 *Auctoris sententia.* Profectò ex Catechumenis alij competentes vocitantur, quia sic petunt Baptismum, vt per ipsos non stet, illico baptizari. Alij dicuntur incompetentes, qui fidem audiunt, & discunt; sed ex mera negligentia Baptismum non petunt, aut non recipiunt. Itaque impetratio, quatenus prouenit ab ipso celebrante, vel aliis coofferentibus ex opere operantis cunctis Catechumenis prodest: cum talis oratio vel impetratio neminem excludat. Impetratio autem Missæ, quam vocamus ex opere operato, prodesse potest competentibus Catechumenis, sicut asserit secunda sententia, & sufficienter probat.

PROBL. XXIX.

Expedit, & non expedit alicui, dum viuit, facere sibi celebrare Missam, & Officium defunctorum.

266 *Expedit quidem.* EXpedit profectò. Quia hæredes sæpè negligentes sunt in his suffragiis gerendis: ac proinde securior videtur esse fructus, si suffragia ante obitum præmittantur. Sic Lucas Pinel. *de Missâ sp.* 2. *c.* 7. *dub.* 3. qui testatur, sic esse in Lotharingiâ praxi receptum; sic etiam gessisse Carolum V. & alios narrant Historiæ. Bart. à sancto Fausto. Laurent. de Peyrin. Nauar. Homob. & alij quos refert Diana *p.* 5. *tr.* 13. *resol.* 2.

267 *Non expedit.* Minimè expedit. Quia dicere Missam, & Officium defunctorum pro viuis verè Ecclesiæ Romanæ ritui dissonat: nec possunt illæ preces nisi nimis impropriè viuis applicari: nec potest Sacerdos intentione suâ principali mutare Ecclesiæ intentionem, quæ Missam de *Requiem*, & Defunctorum Officium funereum pro mortuis instituit: & pro ipsis duntaxat dicendum præscribit: nec vult, pro viuis offerri, vt ex collectis & reliquis verbis adhibitis satis constat. Ita Diana citat. Auers. *q.* 11. *sect.* 12. §. *Imo.* Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 2. *n.* 35. Franc. de Nigro *in add. ad Ruiz p.* 2. *regula* 3. *q.* 5. refert pro hâc sententiâ Puteum, Trimarchium.

Cum his omninò opinor. Nam Missæ fructus, quoad impetranda diuina beneficia, vel auxilia viuentib. necessaria, maior, & securior viuis proueniet ex Missis, quæ pro talibus necessitatibus spiritualibus, aut temporariis institutæ sunt, quã ex Missis defunctorum. Quoad satisfactionem verò pro peccatis solum proderit ad remissionẽ pœnæ debitæ de iam ante commissis, & remissis: & hic fructus pariter habebitur per aliam Missam, nulla verò proderit pro remissione pœnæ, quæ debebitur peccatis postmodum committendis, pro quibus, si manet aliquis reatus mortis tempore, erunt sanè necessaria sacrificia & suffragia post obitum applicanda. Quare semper nocebit hæredum negligentia, quamvis à viuente præmissum sit funebre Officium cum defunctorum Missa. 268 *Cum his opinor.*

PROBL. XXX.

Quando effectus satisfactionis pro pœnâ debitâ ex Missâ, per obicem peccati fuit impeditus: datur, & non datur, fictione recedente.

CErtum mihi, gratiam habitualem requiri in illo, cui remissio pœnæ temporalis ex opere operato sit conferenda. Quia existens in mortali non est capax satisfactionis, quæ solum est beneficium amicorum: nec est, cur ad inimicos extendatur, vti D. Thom. 3. *p. q.* 79. *a.* 7. *ad* 2. affirmat. 269 *Suppositio quædam.*

Quæsieris, vtrum hic effectus conferatur Missæ vi, recedente fictione, quando per peccati obicem fuit impeditus. Conferetur quidem. Quia Sacramenta recedente fictione recipientium, suum præstant effectum. Igitur idem Missæ tribuendum in vberiorem tanti sacrificij commẽdationem. Sic Nauar. *tr. de orat. c.* 19. *n.* 74. Henriq. *l.* 9. *c.* 13. *n.* 1. & *c.* 15. *n.* 2. & *c.* 18. *n.* 7. Fagund. *præc.* 1. *d.* 3. *c.* 12. *n.* 17. 270 *Conferetur quidem.*

Non confertur. Quia id est, singulare Sacramentorum priuilegium, quod sine fundamento non debet ad Missam extendi. Ita Suar. *d.* 79. *sect.* 10. Vasq. *d.* 231. *n.* 51. Coninch. *q.* 83. *n.* 165. Card. de Lugo *d.* 19. 195. Bonac. *d.* 4. *q. vlt. pun.* 5. *n.* 5. Fag. mutans sententiam *præc.* 1. *l.* 4. *c.* 1. *n.* 25. 271 *Non confertur.*

Profectò cum Missæ sacrificium oblatum pro iustis, qui tunc satisfactione non egent, non illis reseruet satisfactionis fructum exhibendum, quo tempore postmodum indiguerit (de quo superius:) multò minus reseruabit hunc fructum peccatoribus pro tempore, quo resipuerint. 272 *Idem asserit.*

PRO

PROBL. XXXI.

Effectus seu fructus Missæ crescit, & non crescit ex meliori recipientis dispositione.

173 *Non crescit.* NOn crescit. Quia hic effectus totus pendet ex Sacerdotis Missam applicantis intentione. Ergò totum est, quantum vult Sacerdos, & non pendet ex recipientis dispositione; nam is habet se tanquam donatarius: donatio verò ex sola donantis voluntate mensuratur, non ex donatarij dispositione. Sic Suar. *d.79.sect.*10. Coninch. *q.*83. *n.*171. Filliuc. *tract.*5. *n.*84. Fagund. *prac.l.*4. *c.*1. *n.*22. Citant pro se D. Thom. *in* 4. *d.*45. *q.*2. *art.*4. *quæstiunc.* 1. docentem, suffragium, quod alicui prodest ex alterius applicatione, pendere totum ex applicantis intentione, non ex dispositione recipientis, nisi quo ad hoc solum, vt obex non apponatur.

174 *Crescit quidt.* Quoad impetrationem, & satisfactionem effectus, seu fructus Missæ crescit, vel decrescit iuxta maiorem, vel minorem dispositionem illius, pro quo Missa dicitur. Quia quoad impetrationem cæteris paribus qui melius est dispositus, aptior est, vt, quod pro illo petitur, impetretur. Quo ad satisfactionem verosimilius est, & pietati magis consentaneum, vt plus pœnæ temporalis remittatur ei, qui cæteris paribus melius est dispositus. Sicut Sacramenta melius agunt in melius dispositis non solùm quoad infusionem gratiæ iustificantis; sed etiam quo ad remissionem pœnæ temporalis. Ita Sylvest. Sot. Cordub. quos sequitur Auersa *q.*11. *sect.*10. §. *Octauo, stante.* Card. de Lugo *d.*19. *n.*200. Martin. *to.*4. *d.*39. *n.*28.

175 *Idem opinor.* Idem opinor. Quia non apparet mihi sufficiens diuersitas inter effectum Sacramentorum & sacrificij, cum vterque detur ex opere operato per applicationem meritorum, & satisfactionis Christi, quæ possunt inæqualiter applicari iuxta recipientis applicationem. Existimo quidem apertam esse D. Thomæ sententiam 3. *p. q.* 78. *a.*5, docentis, Missam esse satisfactoriam illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundùm quantitatem deuotionis. Et *a.*7. *ad* 2. inquit: *Illis tamen prodest plus, vel minus secundùm modum deuotionis eorum.* Nec oppositum docuisse reor eo loco ab aduersarijs citato. Nam ibi loquitur de satisfactione, quæ prouenit ex opere operantis, & applicatur alteri: nec habet maiorem valorem pro dispositione illius, cui applicatur. At Missæ valor, provt Christo respondet, non habet hunc limitem, sed applicari potest ad maiorem & maiorem effectum finitum quidem determinandum iuxta dispositionem illius, cui confertur.

PROBL. XXXII.

Missæ fructus est, & non est infinitus extensiuè syncathegorematicè.

176 *Nulla sup.* FRuctus Missæ diceretur infinitus extensiuè Cathegorematicè si simul infinitis hominibus pœna finita remitteretur, vel bonum aliquod infinitum impetrari posset. At cum nunquam dentur infiniti homines simul, certum esse dixi *sect.*1. non dari Missæ fructum extensiuè Cathegorematicè infinitum. Quæstioni itaque committo, num Missæ fructus sit infinitus extensiuè Syncathegorematicè: videlicet, an oblata Missa pro multis, ita singulis prosit, acsi pro singulis offerretur propter infinitatem extensiuam Syncathegorematicam, quam habet.

277 *Est syncathegorematicè extensiuè infinitus.* Missæ fructus est Syncathegorematicè extensiuè infinitus. Quia res oblata est infinita, principalis etiam offerens est infinitæ dignitatis, cui congruere videtur, vt oblationis suæ fructus sine limite multiplicetur in omnibus, quibus applicatur. Et quia multiplicatis his, qui Missam audiunt, non minus Missa prodest singulis, quàm si singuli solùm adessent. Ergò similiter quoties offertur pro multis non minus singulis prodest, quàm si pro singulis offerretur; cum eâdem sit vtrobique ratio. Sic Canus, Sotus, Sylueſt. & alij, quos refert, & sequitur Vasq. *d.*231. *c.*2. & 3. Hurtad. *de Missâ d.*3. *diffic.*8. Nauar. *l.*2. *c.*3. *n.*268. Caietan. *Opusc. to.*1. *tr.*3. *q.*2. & 3. *p. q.*79. *a.*5.

278 *Non est extensiuè infinitus syncathegorematicè.* Missæ fructus non est syncathegorematicè extensiuè infinitus. Quia oblatio Missæ, quatenus à Christo fit hic & nunc nec est actio meritoria, nec satisfactoria, cum Christus iam nunc nec mereatur, nec satisfaciat: solum habet annexas satisfactiones ipsius Christi præteritas, quarum valor, etsi sit infinitus applicatur tamen ad effectum finitum, & limitatum remittendi pœnam determinatam ex institutione diuina: & per consequens applicatus multis, minor erit in singulis. Hæc autem institutio diuina colligitur ex Ecclesiæ praxi, sensuque communi; cum ab initio nascentis Ecclesiæ receptum sit, vt Sacerdotes pro certis personis determinatè Missas applicent: & teneri se putent, ad applicandas singulas singulis, à quibus integrum stipendium acceperint: nec licere quidem vnam Missam pro multis dicere, qui singuli integram stipem tribuerint. Quod equidem in opposita sententia reputandum esset. Ita D. Thom. Scot. Gabr. & alij, quos sequitur Suar. *dist.*79. *sect.*12. Henriq. *lib.*9. *cap.*19. *num.*5. Coninch. *quæst.*83. *num.*191. Bonac. *dist.*4. *quæst. vlt. punct.*4. *num.*6. Bellarm. Valent. Azor. Mercer. Arcud. quos sequitur Auersa *q.*11. *sect.*7. Diana *p.*4. *tr.*4. *resol.* 196. & *p.*5. *tr.*14. *resol.*81. Card. de Lugo *d.*19. *num.*246.

279 *Quid sentiã expono.* Dixerim, fructum Missæ quoad impetrationem esse infinitum extensiuè syncathegorematicè, quatenus Missa pro multis oblata non minus impetrat singulis, quàm si pro vno solummodo offerretur. Fructus autem quoad satisfactionem, quæ correspondet illis, pro quibus Missa dicitur, est finitus extensiuè; quare si pro multis offeratur, proportione seruatâ minuitur in singulis.

CAPVT XIX.

Circa celebrandæ Missæ tempus.

PROBL. XXXIII.

Ex vi solius Ordinationis Sacerdos tenetur, & non tenetur, aliquando celebrare.

280 *Tenetur aliquando celebrare.*

SEclvso munere Parochi, vel Beneficiati, vel Capellaniæ, ex vi solius Ordinationis tenetur Sacerdos, aliquando celebrare. Quia datur præceptum positiuum diuinum desumptum ex verbis Christi Domini, *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus (inquit Tridentin. *sess.* 22. *cap.* 1.) Christus Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcipit, vti Ecclesia semper intellexit, & docuit. Quod idem definit *Can.* 2. Cùm autem omnes, & singuli Sacerdotes sint Apostolorum in Sacerdotio successores: hoc præceptum ad omnes & singulos dirigi videtur. Sic Antonin. Richard. Durand. vterque Sotus, Gabr. Nauar. Ledesm. quos sequitur Vasq. *disp.* 232. *c.* 1. Suar. *disp.* 82. *sect.* 2. Bonac. *disp.* 4. *quæst. vltim. punct.* 7. *num.* 1. Coninch *quæst.* 83. *num.* 206. Reginald. *lib.* 29. *num.* 166. Glossa cum Iuristis in cap. *Dolentes*, & fauet ille textus, dum inter alia peccata quorundam Sacerdotum enumerat, quòd vix quater in anno celebrabant.

281 *Non tenetur.*

Secluso scandalo, & contemptu, non tenetur Sacerdos ex vi Ordinationis vnquam celebrare. Quia nullum datur præceptum obligans singulos Sacerdotes ad celebrandum: Ergo non tenentur. Antecedens patet; quia si daretur præceptum, vel esset naturale, vel positiuum diuinum, aut humanum: sed nullum istorum reperitur: ergo nullum datur. Probo minorem. Non datur naturale præceptum ex officio Sacerdotij proueniens; quoniam ex potestate quidquam faciendi, non oritur naturale præceptum id ipsum agendi citrà casum vrgentis necessitatis. Non colligitur præceptum positiuum diuinum ex verbis *Lucæ* 22. & Tridentini *sess.* 22. *cap.* 1. Nam manifestè constat, potestatem eis ibi datam, non præceptum impositum. Quippe singulis Sacerdotibus data fuit potestas offerendi singulis diebus: & tamen non iubebatur singuli celebrare diebus singulis. Ergo solum præcipitur, vt Ecclesiæ communitas frequenter colat Deum celebratione Missarum, sicut decet Rempublicam Christianam prudenter, ac religiosè constitutam. Denique non colligitur præceptum humanum ex Cap. *Dolentes*, quia non constat, an de Curatis, aut Beneficiatis solum sit accipiendum: imò videtur dirigi dumtaxat ad Ecclesiarum Prælatos, de quibus dixerat, esse nonnullos, qui vix quater in anno celebrabant, & quod deterius est, nec intererant. Nec ad singulos simplices potest extendi, siquidem nunquam apparet præceptum, pluries, quàm quater in anno celebrandi singulis impositum: & ibi carpuntur, qui vix quater in anno celebrabant. Ità Bonauent. *in* 4. *dist.* 12. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. Alensis 4. *part. quæst.* 11. *membr.* 2. *art.* 4. §. 1. Ioan. Sancti. *dist.* 7. *num.* 16. Card. de Lugo *disp.* 20. *sect.* 1. Manu. *in sum. p.* 1. *cap.* 247. *num.* 4. Probabilem hanc sententiam vocitant Suar. citat. Diana *part.* 2. *tr.* 14. *resol.* 19. Filliuc. Martin. Laym. & alij.

Quid opiner, ostendam. Existimo, vtramque sententiam speculatiuè esse æquè probabilem. Pro praxi dixerim, si detur causa iusta non celebrandi per diuturnum tempus non fore peccatum, abstinere. Quamuis enim positum sit Sacerdoti celebrandi præceptum, hoc habebit, sicut alia iustas excusationes. Ast si absque causa iusta Sacerdos à celebratione per diuturnum tempus abstineat, regulariter grauis erit piaculi reus. Quia quidquid sit de principiis intrinsecis obligationis celebrandi, quæ forsam non conuincunt, extrinseca principia satis illam suadent. Nam Sacerdos nunquam, vel rarissimè celebrans communiter incurrit spirituale detrimentum, periculum libertius delinquendi, & aliorum scandalum, de quo *sect.* 1. 282 *Auctoris placitum.*

PROBL. XXXIV.

Sacerdos nunquam celebrans non venialiter, sed mortaliter delinquit: non mortaliter delinquit, sed solùm venialiter.

VEniale peccatum est, non mortale, nunquam celebrare Presbyterum. Quia nunquam celebrans suo sacrificio fraudat Ecclesiam, subindéque peccat contra feruorem charitatis peccato negligentiæ veniali, seu contra debitum suæ potestatis vsum, quo posset Ecclesiæ valde prodesse. Sic Victor. Ledesm. Raymund. quos sequitur Ludouic. de San Iuan. *part.* 1. *tract. de Euchar. quæst.* 5. Caiet. 3. *part. quæst.* 82. *art.* 10. Hanc sententiam probabilem putat Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *q.* 1. & ferè consentit Ioan. Sancti. *dist.* 7. *n.* 18. 283 *Non est mortale.*

Mortale peccatum est. Quia posito præcepto, cum materia sit grauis, non minus erit peccatum mortale Sacerdotis nunquam celebrantis, quàm laici non communicantis in Pascha. Ita Doctores communiter. Vnde Vasq. *d.* 230. *num.* 40. dicit, non loqui consequenter eos, qui negant hìc mortale peccatum, & veniale admittunt: vel enim nullum erit, vel mortale propter materiæ grauitatem. 284 *Mortale est.*

Certè hanc Vasquesij doctrinam refellendam existimo. Quia non omne præceptum etiam circa materiam grauem, grauiter obligat. Sic comedens sæpius in die ieiunij sine necessitate peccat mortaliter contra Ecclesiæ præceptum: verum alio die peccat venialiter contra Temperantiam, cuius præceptum non ita grauiter obligat, ac ieiunij præceptum. Haud aliter posset Sacerdos non celebrando reus esse prodigalitatis spiritualis, & desidiæ vitiosæ non vtendo talento sibi dato, nec eius lucrum acquirendo: quod non excedit culpam venialem, quamuis materia sit apta secundum se ad grauem obligationem, si grauiter præcipiatur. Verum tamen asseruerim, reum esse mortalis criminis Sacerdotem, 285 *Auctoris sententiam.*

dotem, qui aliquando in anno sine causa sufficienti à sacrificio abstinet offerendo. Scio dissentire Doctores circa huius obligationis tempus. Nam quidam Iuristæ dixerunt, singulis diebus obligari Sacerdotes ad celebrandum: quod meritò à Theologis cunctis refellitur. Alij dicunt, teneri saltem in festis præcipuis: vnde colligit Nunus debere duodecies in anno celebrare. Filliuc. *tract.5.num.97.& 99.* ait, sufficere decies. Maior existimat sexies. Paludi. quinquies. Sotus, Nauar. Henriq. Layman. & & Azor. asserunt, teneri ter, aut quater. Nàm olim fideles toties communicare tenebantur. Cum his sentio, nec restringi obligationem ad certos dies, sed quibuslibet vel continuis vel interruptis dum absit scandalum, vel contemptus sufficere cum Azor. Bonacin. & Auersa crediderim.

PROBL. XXXV.

In festo, quando non est aliud sacrum, quod possit audiri: Debet, & non debet Sacerdos celebrare, vt ipsemet præceptum Missam audiendi, adimpleat.

286 Debet celebrare. Quia Sacerdos debet tunc sacrum audire, & audire potest, si velit dicere Missam. Sic Manuel *in sum. tom. 1. c. 247. num. 6.*

287 Celebrare non debet. Quia illud præceptum per se solùm obligat ad Missam audiendam, quando copia subest audiendi; non autem ad dicendam illam, cum hoc sit grauius onus maiorem præcepti vim requirens, vt impositum censeatur. Ita Moure *p. 3. cap. 5. §. 8. n. 1.*

288 Censuerim ego, si nullum adsit impedimentum celebrandi, teneri. Quia tunc celebratio non est tantum onus, vt subiri non debeat, ad præceptum auditionis implendum.

PROBL. XXXVI.

Mortale est, & mortale non est, Missam quotidianam, seu Conuentualem in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis omitti.

289 Mortale non est. Quia consuetudo hæc dicendi Missam quotidie non ita fuit rigorosè recepta. Sic Victoria *in summ. num. 95.* Nec videtur dissentire Diana *part. 2. tract. 14. resol. 76.*

290 Mortale est. Quia res, est grauis, magnique referens ad commune bonum fidelium; nec omitteretur sine graui scandalo, nec proinde sine graui culpa: nisi forsam ob vrgentem, ac rationabilem causam, quæ nonnunquam subesse potest, sicut in aliis præceptis posituis. Ita Suar. *disp. 82. sect. 2.* Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 2.* Filliuc. *tract. 5. num. 104.* Fagund. *præc. 1. lib. 3. cap. 15. num. 9.* Manuel *tom. 1. Regul. qq. q. 43. art. 14.*

291 Cum his opinor. Excipio tamen; nisi valdè sit exiguus Sacerdotum numerus. Tunc enim semel aut iterum in hebdomade sacrum omittere, vel nullum, vel saltem non mortale piaculum erit.

PROBL. XXXVII.

Mortale est, & mortale non est, omitti in Ecclesiis Regularibus quotidianam Missam.

292 Est mortale. Est mortale, quando mediocris est Sæcerdotum numerus. Quia hoc maximè conuenit ad commune bonum fidelium: & ad spirituale Fratrum solatium, & ad Religionis decorem. Sic Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 2.* Laym. *lib. 5. tract. 5. cap. 3. num. 5.* Manuel *tom. 1. Regul. qq. quæst. 43. art. 14.* Peregrin. *in Commentar. ad constit. Theatinor. p. 1. c. 1. lit. E.*

293 Non est mortale. Mortale non est. Quia Ecclesiæ Regulares tenentur ad Missam in choro ex vi regulæ tantum, & consuetudinis interpretantis regulam: At regula ad mortale non obligat plerumque: Ergo mortale non erit, in hisce Ecclesiis Missam solemnem omitti. Quia verisimile non est, inductam fuisse consuetudinem cum intentione ligandi se grauius, quàm Religiosi per ipsam regulam ligarentur. Sed consuetudo inducta sine intentione grauis obligationis non obligat grauiter: Ergo talis consuetudo, quamuis sit conformis Canonibus, ac mori Ecclesiastico grauem obligationem non inducit. Ità Gauant. *in Rubr. Missal. tom. 1. part. 3. tit. 11. num. 4.* Diana *part. 3. tract. 2. resol. 8.* contra Peregrinum. Franc. de Lugo *de Sacram. lib. 5. cap. 5. quæst. 2. num. 21.*

294 Quid sentiam. In Religionibus, vbi regulæ ad mortale non obligant, si nulla detur obligatio canendi Missam solemnem nisi regulæ præscribentis, vel inde prouenientis consuetudinis: non committitur lethale peccatum, quando talis Missa cantari solita vel diebus omnibus, vel festis, interdum omittatur, etiam ex negligentia. Sicubi tamen regula præscribens talem Missam obliger sub mortali: iure damnabitur peccati lethalis Prælatus, qui per negligentiam omiserit.

PROBL. XXXVIII.

In Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, quando casus occurrit, debent, & non debent duæ Missæ cantari, de festo scilicet, & de feria.

295 Cantari non debent. Quia Missalis Rubrica in hac parte strictè non obligat. Sic Castald. *in praxi cæremonial. lib. 2. sect. 6. cap. 3. num. 20.* Cantari non debent.

296 Debent cantari. Quia sic Rituum Congregatio verbis hisce præscribit. *Tanquam de re grauissima statuit sacra Congregatio, Missam de Feria priuilegiata in Cathedralibus, & Collegiatis nullatenus omittendam esse; sed omninò adstantibus Canonicis, & assignata distributionum portione cantandam esse post Nonam: non obstante quacumque consuetudine contraria, quam eadem sacra Congregatio sustulit, & in posterum admitti vetuit.* Ita Gauant. *in Comment. ad Rubric.* Debent cantari.

Rubric. Missal. tom.1. part.3. titul.10. numero 8.& 11.

297 *Auctoris placitum.* Scio, Dianam *part.2.tract.14.resol.76.* indicasse, de præfata Cardinalium declaratione haud satis constare: nec proprio iudicio decidere, quænam harum sententiarum tenenda sit. Ego autem in secundam inclinor, cum in Bulla Pij V. quæ præceptum continet, pœnas legerim contra à gentibus Ecclesiarum Præpositis indici.

PROBL. XXXIX.

Debent, & non debent præfatis diebus in Ecclesiis Regularibus etiam duæ Missæ cantari.

298 *Debent quidem.* DEbent planè. Quia Ecclesiæ Regularium Collegiatæ vocantur, & reputantur iuxta Romanum responsum, & morem: sed omnes Collegiatæ Ecclesiæ iuxtà Missalis Rubricam, & præfatam *Problem.38.* Cardinalium declarationem, ad duas Missas illis diebus decantandas tenentur: Ergò tenentur pariter Regularium Ecclesiæ. Sic Zamora *in Cæremon.lib.1.glossa 4.* Alcocer *tract.1.gloss.3.* Portel. *in dubiis Regul. v.Missa, num.7.* Zipæus *in consultat.lib.3. consult.2.*

299 *Non debent.* Non debent. Quia Rubrica Missalis, & declaratio Cardinalium *Problem.38.* relata loquuntur de Collegiatis Ecclesiis simpliciter: At Ecclesiæ Regularium nec vocantur, nec reputantur simpliciter Collegiatæ saltem in oneribus: vt declarat Cæremoniale Minorum editum Congregationis Toletanæ authoritate. Sicut enim Ecclesiasticorum nomine Religiosi non comprehenduntur in odiosis: sic Ecclesiarum Collegiatarum nomine quoad hoc onus Monasteria non veniunt. Ita Manuel *tom.1.Regul.qq.quæst.43.art.12.* Villalob. *tom.1.tract.8. diffic.19.num.4.* Hieron.Rodrig. *resol.25.n.10.* Diana *p.6.tr.8.resol.11.*

300 *E praxi id pensarim.* Rem iudico vtrimque satis probabilem. Quid autem probabilius sit, ex praxi præsertim ediscendum.

PROBL. XL.

Feria quinta Maioris Hebdomadæ licet, & non licet Sacerdoti cuilibet celebrare.

301 *Non licet.* NOn licet. Quia Ecclesiæ consuetudo id obsirmat. Solent enim ab antiquis temporibus omnes Presbyteri de manu sui Pastoris Eucharistiam accipere: nam Christus Dominus primùm eo die Missam celebrauit, & Apostolis Eucharistiam distribuit. Sic Francolin. *lib. de Horis Canon. cap.30.* Layman. *lib.5.tract.5. cap.4.num.9.* & Azor. *tom.1.lib.10.cap.24.q.5.* dicunt, talem consuetudinem esse seruandam, quia videtur vim legis obtinuisse, præsertim in aliquibus Conuentibus. Et Petficus *de Offic. Sacerd. lib.1. dub.6. num.40.* testatur, sacram Rituum Congregationem decreuisse, vt eo die cunctis in Ecclesiis vnicum sacrificium celebretur.

302 *Licet plane.* Licet omninò. Quia id nullo præcepto prohibetur, nec ad prohibendum nulla ratio cogit. Et quidem præceptum scriptum non dari, ipse Francolinus ingenuè profitetur. Consuetudo verò non obligat. Nam vt consuetudo vim habeat legis, oportet, vt sit omnium, & non solum aliquorum. Hæc autem consuetudo non est vniuersalis; licèt enim multi Sacerdotes eo die non celebrent: alij tamen plures docti, ac Pij sine scrupulo celebrant. Vnde colligo, decretum illud Congregationis Rituum non fuisse receptum. Ità Sotus, Angles, Nauar. quos sequitur Suar. *dist.80. sect.2.* Vasq. *dist.232. cap.2.* Filliuc. *tract.5. num.105.* Henriq. *lib.9. cap.24.n.3.* Coninch *quæst.83. num.210.* Card. de Lugo *dist.20.num.14.* Diana *part.6.tract.6. resol.19.*

303 *Idem assero.* Idem assero, monens, licere quidem eo die celebrare antequam Campanæ illigentur, vel antequam Missa solemnis finiatur, & Corpus Christi in designato recondatur loco. Nam postea iam incipit Officium Parasceue, quo celebrare non licet.

PROBL. XLI.

Requiritur, & non requiritur Prælati licentia, vt quis possit Feria quinta in Cœna Domini celebrare.

304 *Requiritur licentia.* POrest quilibet Sacerdos eo die celebrare, sed vt ritè gerere possit, debet Prælati obtinere facultatem. Quia id saltem obtinuit Ecclesiæ consuetudo. Sic Sotus *in 4.dist.43.q.2. art.2.*

305 *Non requiritur.* Vt ritè gerere possit, non requiritur prius licentiam Præsulis obtinere. Quia cum celebratio nullo iure prohibeatur, non est cur ad celebrandum requiratur. Prælati facultas. Ità Vasq. *dist.232. cap.2.* Gutier. *l. Canonic. qq.cap.30. num.36.* At Suar. *dist.80. sect.2.* Filliuc. *tr.5. num.105.* & Fagund. *præc.1. lib.3.cap.15. n.14.* requirunt, vt excludatur scandalum, ficubi detur, vel propter pusillorum ignorantiam, vel propter aliquam consuetudinem.

306 *Auctoris opinio.* Ego quidem assero, licentiam iure communi minimè requiri. At ex speciali alicuius Ecclesiæ dispositione, præsertim Regularis poterit esse necessaria. Rarò verò (ni fallor) imponetur præceptum rigorosum, vel consuetudo sub obligatione præcepti circa rem hanc vrgebit. Attendendus tamen erit cuiusque Religionis stylus. Rarò quoque sequetur scandalum, si praxis recepta seruetur.

PROBL. XLII.

Sabbatho Sancto licet, & non licet vltra Missam solemnem, plures alias priuatas celebrare.

307 *Minimè licèt.* MInimè licèt. Quia ius antiquum prohibens celebrationem in Sabbatho Sancto, non est contraria consuetudine reuocatum, nisi quoad Missam solemnem. Ergo quoad alias Missas adhuc obligat. Et quia pro Missis priuatis non habetur introitus, sicut in Pentecostes Vigilia habetur: Ergo signum est, noluisse Pontificem,

rificem, eo die Missas priuatas celebrari: sed solam solemnem, cui Prophetiæ pro introitu deseruiunt. Sic Francolin. *l. de Horis Canonic. cap.* 30. *num.* 8. & 9. Vasq. *dist.* 232. *capite* 25. *num.* 88.

308 Licet planè. Quia ratio, cur olim fuerit prohibitum, eo die celebrare, Cap. *Sabbatho*, cessauit iam omninò, non solùm in particulari, sed etiam in generali. Quoties autem ita cessat finis & ratio legis, cessat pariter eius obligatio, vt ex materia de legibus *tom.* 1. vidimus. Ergo cessauit iam eius prohibitio. Maiorem expono: nam olim per totum Sabbathum Ecclesia repræsentabat Christum mortuum, ac sepultum mœrens, ac lugens, ideóque non fiebat sacrum vsque ad noctis initium. Etenim quamuis Suarius, Vasquez, & Fagundez putarint, Missam solitam fuisse dici post mediam noctem, verè dicebatur post solis occasum ad noctis initium, vt docent D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 2. *ad* 4. Ordo Roman. Raban. Hugo Victor. Micrologus, ex quibus Cardin. de Lugo *quæst.* 20. *num.* 16. palam ostendit, vsque ad noctis initium fieri olim prohibitionem, & non solùm Missam solemnem, sed alias priuatas potuisse celebrari. Sed iam nunc Missa solemnis fit ante meridiem, & incipit Resurrectionis celebritas. Ergò sicut olim licebat priuatim celebrare post noctis initium, quandò Domini Resurrectio celebrari cœperat, vt palam habetur in Micrologo *c.* 53. sic etiam nunc licebit; quia tota prohibitionis ratio ex tunc cessare incipit. Ità Hurtad. Fagund. Sylui. Mercer. Sotus, quos sequitur Auerla *quæst.* 11. *sect.* 15. Suar. Filliuc. Gutier. Martinon, Coninch. Card. de Lugo, quos sequitur Franc. de Lugo *de sacram. lib.* 5. *c.* 5. *n.* 33. Diana *p.* 2. *tr.* 14. *resol.* 21. & *p.* 4. *tr.* 2. *resol.* 237. Scortia *de Euchar. lib.* 2. *c.* 6.

309 Idem asserо ex praxi recepta, quam relati Doctores in diuersis regionibus scribentes vniformes affirmant, vbique videntibus, nec contradicentibus Prælatis, esse receptam. Quare contraria consuetudo videtur iam penitus abrogata. Itaque censuerim, prohibitionem iuris cessasse saltem post inceptam Missam solemnem, & cymbala pulsata; quia iam tunc cessat tempus mœroris; adhuc tamen attendendam esse singulorum locorum consuetudinem. Et certè apud nostrates generali more receptum est, ne plures Missæ solemnes eadem in Ecclesia tali die celebrentur. Item ne Missæ priuatæ publicè in Ecclesia dicantur.

PROBL. XLIII.

Festum incidit in Sabbathum Sanctum: Missæ priuatæ sunt, & non sunt publicè dicendæ.

310 DIcendæ non sunt. Quia ius præuiderat hunc euentum, & non exceperat. Vnde anno 1606. festum Annunciationis in Sabbatum Sanctum incidit, & consulti Doctores Salmanticenses & Vallisoletani, vbi tunc aderat Curia Regia, decidere, non fore publicè permittendas Missas priuatas, etiamsi populus non posset commodè Missam audire solemnem; subindéque non fuêre permissæ ibi, nec alibi, quod innotuerit. Sic Henriq. *lib.* 9. *cap.* 24. *num.* 3. *lit. B.* Vasq. *dist.* 232. *cap.* 2. Villalob. *lib.* 1. *tr.* 8. *dub.* 2. *num.* 4.

Dicendæ sunt. Quia licèt ius (si detur) hunc casum non exceperit, prudenter colligitur benigna circa eum ad solatium fidelium Ecclesiæ voluntas. Et quia nulla subest Ecclesiæ prohibitio, sed solummodo consuetudo. Vnde cum anno 1617. festum Annunciationis in Sabbatum Sanctum incidisset, plures Missæ fuêre in Ecclesiis singulis Diœcesis Toletanæ. Ità Sylu. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 2. Molfes. *in sum. tom.* 2. *tr.* 3. *cap.* 17. *num.* 41. Petr. Ledesm. *in sum. tom.* 1. *tr. de Euchar. c.* 19. *concl.* 5. Moure 3. *part. cap.* 5. §. 5. *num.* 2. Diana *part.* 2. *tract.* 14. *resol.* 21. Ioan. de la Cruz *in direct. part.* 2. *de Missa quæst.* 2. *dub.* 2. 311 *Sunt dicendæ.*

Crediderim vtramque sententiam satis esse probabilem: primæque Auctores, qui putant iuris prohibitionem adhuc durare, consequenter decidisse, quia ius præuiderat hunc euentum, & non exceperat; similiter Doctores secundæ satis consequenter processisse negando Ecclesiæ prohibitionem, solámque ad consuetudinem attendendo, quæ pro tali casu non obligat. Adhuc tutius existimo superiorem consulere, cuius erit perpensis circunstantiis prudenter decernere, quod magis expediat. Sic monet. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 24. *q.* 4. 312 *Quid generatim dicendum existimo.*

PROBL. XLIV.

Si Sabbatho Sancto, dicendæ sint publicè aliæ Missæ priuatæ: hæ possunt, & non possunt, antè solemnem celebrari.

NOn possunt antè solemnem Missam dici. Quia adhuc durat mœroris tempus, & nondum cœpit Resurrectionis Dominicæ solemnitas, ob quam cessat prohibitio. Sic Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 24. *quæst.* 4. & alij. 313 *Non possunt.*

Possunt dici antè Missam solemnem. Quia postquam anticipata fuit Missa, quæ olim noctis initio dicebatur, ad horam solitam aliorum dierum ieiunij, quibus Missa cantatur post Nonam: eadem videtur esse ratio de hac Missa ac de cæteris; nam in Missali solum dicitur, quòd post Nonam Missa cantetur. Ergo sicut aliis diebus Missa priuata dici potest antè nonam, dici poterit & Sabbatho Sancto saltem ex causa, nimirum, vt qui non possunt expectare Missam solemnem, priuatam exaudiant. Confirmatur ex vsu priorum virorum, qui priuatim absque scrupulo summo manè celebrant. Ità Hurtad. *de Missa dist.* 4. *diffic.* 3. Card. de Lugo *dist.* 20. *n.* 23. Diana *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 237. Martinon *d.* 40. *num.* 5. 314 *Dici possunt.*

Dixerim, totam hanc rem multum pendere à consuetudine, quæ non est vbique prorsus eadem, vt constat ex Doctoribus, & tamen maximè debet attendi, ne sequatur scandalum, quod difficilè vitatur, violando mores receptos. Certè posse Missam priuatam antè solemnem dici, si subsit causa, & talis vigeat consuetudo, nemo negare potest, qui nolit tot vitos pios & doctos culpæ vel ignorantiæ damnare. Causa item sufficiens est, vt detur viaticum moribundo, & vt audiant sacrum, qui non possunt adesse solemni. 315 *Totum id pendet à consuetudine.*

PROB-

PROBL. XLV.

Parochus die Natalis Domini tenetur, & non tenetur tres Missas celebrare.

316 *Tenetur, tres Missas celebrare.* NVllum est præceptum dicendi, vel audiendi tres Missas Natalis Dominici die, vnde sufficit Sacerdoti vnam dicere, & laïco vnam audire. Quæsierim tamen, vtrum Parochus teneatur tres Missas dicere? Tenetur quidem celebrare tres Missas ordine in Missali præscripto. Quia multi fideles eo die volent tres Missas audire, nec debent debitis suffragiis, ac deuotione fraudari. Sic Henriq. *lib.9. cap.30. num.6.* Probabile reputat, & sequitur Bonacin. *dist.4. q.vlt.punct.11. num.10.* Trullench *lib.3. decal. cap.1.dub.5.num.5.* Miranda *in Manua.part.1. quæst.40.art.8.* Auersa *de Euchar. q.11.sect.19. §. Quia rursus.*

317 *Non tenetur.* Secluso scandalo, ac contemptu non tenetur Parochus eo die nisi Missam vnicam celebrare sicut & reliqui Sacerdotes. Quia priuilegium est omnium Sacerdotum ter eo die posse celebrare: nullius tamen obligatio. Ità Fagund. *præc.3. lib.3. cap.16. num.2.* Nald. *v.Missa, numero 15.* Probabile censet Trullench. & Bonacina *suprà.*

318 *Idem opinor.* Scio reliquos Doctores simpliciter asserere, nullum esse præceptum dicendi eo die, vel audiendi tres Missas. Vnde existimo, nec officium Parochi, nec decimas, quas à fidelibus accipit, obligare ad illam trinam celebrationem: cum ipsi parochiani tres Missas non teneantur exaudire.

PROBL. XLVI.

Extrà Natiuitatis diem potest, & non potest Sacerdos Parochus non solum duas, sed & plures Missas celebrare.

319 *Non potest, dicere plures, quàm duas.* PRaxi receptum, Parochum coadiutore carentem & duas habentem Ecclesias diuersis in oppidis, posse, imò debere duas Missas celebrare; ne alteruter populus festo die Missa priuetur. Quæsierim num possit plures dicere? Minimè. Quia Pontifex solum præscribere videtur, vt duas Missas diuersis in Oppidis celebret. Cap. *Consuluisti, de celebr. Missar.* Sic Palud. *in 4.dist.12.quæst.1.art.4.* Sotus *dist.13. quæst.2.art.2.* Durand. *de ritib.lib.2.cap.7.* Sylueſt. *v. Missa 1. quæst.7.* Henriq. *lib.9. cap.30. num.7.* Fagund. *prec.1. lib.3. cap.16.* Qui quidem ob nullam necessitatem sæpius quàm bis in die celebrari licere affirmant.

320 *Potest satius, quàm bis celebrare.* Sæpiùs quàm bis in die celebrari licet, si causa necessitatis suadeat. Quia iura de pluralitate loquuntur indifferenter, vrgente necessitate: ac per consequens eadem proportionalis necessitas, quæ sufficeret ad secundam Missam dicendam, sufficiet ad tertiam; cum lex, & exceptio sit eadem. Ita Suar. *dist.80. sect.3.* Laym. *lib.5. tract.5. cap.4. num.6.* Coninch *quæst.83. num.213.* Filliuc. *tract.5. num.109.* Manu. *sum. tom.1. cap.247. num.5.* Lugo *dist.20. n.47.* Auersa *q.11. sect.15. §. Excipitur.*

Reor primam sententiam debili niti fundamine. Quoniam consultus Pontifex, vtrum Presbyter duas Missas in eadem die valeat celebrare? (vt ex integra Decretali constat) respondet, quod excepto die Natalis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti, semel in die celebrare. Vbi quidem non negat, sæpius quàm bis celebrare licere, quoties par necessitas vrgeat, sæpius celebrandi; nimirùm si Parochus, cuius Coadiutores subito morbo correpti sunt, tres Ecclesias habeat, in quibus omnibus sit Missa dicenda. Communiter tamen non occurret ità facilè necessitas dicendi tertiam Missam, quàm secundam. 321 *Secundam vt. tertiam amplectitur.*

PROBL. XLVII.

Diebus festis Parochus potest, & non potest, duas Missas in Ecclesiis, quas habet, diuersis celebrare.

MInimè potest. Quia vt deuotioni populorum satisfaciat sufficit, vt alternis diebus festis Parochus in singulis Ecclesiis sacrificet. Sic Villalob. *tom.1. tract.8. diffic.21. n.5.* Nuñus *3.p.tom.1.q.83.art.2.* 322 *Non potest.*

Potest omnino, quando suppetit in vtraque Parochia sufficiens populi multitudo, quæ velit illis diebus sacrum audire. Quia tunc videtur causa subesse sufficiens celebrandi sæpè, ne scilicet populus illis diebus suo sacrificio priuetur, & audiendi Missam opportunitate. Ità Suar. *dist.80. sect.3.* Manuel *tom.1. cap.247. num.5.* Ioan. de la Cruz *in Direct. part.2. de Missa, dub.3. concl.2.* Hurtad. *de Missa, dist.4. diffic.3.* Martinon *tom.4.d.40.n.7.* 323 *Potest sanè.*

Licèt Nuñus citatus asserat hanc sententiam esse improbabilem, satis esse probabilem reor. Moneo tamen, attendendam esse cuiusque Diœcesis consuetudinem, ac Synodales constitutiones, quæ solent dies aliquos etiam festos assignare, quibus liceat talibus Parochis, duas dicere Missas; aut consulendum esse Prælatum, sine cuius consensu non consulerem id fieri, quando nec adest recepta consuetudo, nec constitutio concedens: & multò minus si prohibens consuetudo exter. 324 *Satis probabilem hanc sententiam reor.*

PROBL. XLVIII.

Licet, & non licet, post sumptam ablutionem dicere secundam Missam ad moribundo Eucharistiam ministrandum.

NE moribundus sine viatico decedat, posse dici secundam Missam *sect.1.* vidimus. Porrò si Sacerdos moneatur de moribundi necessitate consecrata iam hostia, sed nondum sumpta: debet partem hostiæ reseruare. Si verò hostiam sumpsit, & ablutionem: non potest non ieiunus Missam alteram dicere. Quia præceptum naturalis ieiunij efficaciter instat. Sic Martinon *dist.40. num.12.* Auersa *q.11. sect.15.* & 325 *Non potest post ablutionem sumptam.*

& alij apud Franc. de Lugo de Sacram. *lib.* 5. *c.* 5. *num.* 47.

326 *Quid etiam sumptam ablutionem.* Licet hostiam iam sumpserit & ablutione vsus fuerit, poterit soluto ieiunio naturali, secundæ Missæ dicendæ operam dare. Quia satis probabilis est aliquorum Doctorum sententia asserentium, posse Sacerdotem celebrare non ieiunum ad communicandum moribundum: cur ergo non poterit post sumptam ablutionem Missam secundam celebrare? Item certum est posse dici secundam Missam ob eandem causam. Cur ergo Sacerdos, qui Missam dixit, & ieiunus non est, non poterit dicere secundam ad communicandum moribundum, saltem quando non potest æger aliud sacramentum recipere, subindéque nequit, si in lethali crimine existat cum attritione, alio medio saluari? Sic Franc. de Lugo *de Sacram. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 48.

327 *In aliquo casu potest parochianus sacram. sed non debet.* Certè per intrinseca principia non video, cur non sit Magistri mei probabilis ac tuta sententia. Quia violatio ieiunij non videtur præponderare saluti vnius animæ, quæ forsan sumpto viatico, saluabitur: non sumpto, damnatione afficietur. Ego tamen nihil definio propter extrinsecam Doctorum auctoritatem. At in contingentia facti Sacerdos doctus perpendet, quidnam prudens suggerat charitas.

PROBL. XLIX.

Propter defunctum parochianus Missam dici petit, potest, & non potest Sacerdos, vnam Missam de die, alteram pro defuncto illo celebrare.

328 *Sed quia.* POtest profecto ex eo solum, quod parochianus Missam pro functo vita petat, bis celebrare. Quia cap. *Sufficit, de consecrat. dist.* 1. conceditur, vnam Missam fieri de die, alteram pro defunctis, si necesse fuerit. Sic Paludan. *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 4. Glossa *in cap. Consuluisti, de celebr. Missar.*

329 *Minimè potest.* Minimè potest ob solam parochiani petitionem, vnam & alteram celebrare Missam. Quia Pontifex etiam in cap. *Sufficit*, requirit necessitatem, dicens: *Si necesse fuerit.* Et multò magis in cap. *Consuluisti.* Sola verò petitio parochiani necessitatem non inducit. Suar. *disput.* 80. *sect.* 3. Vasquez *dist.* 232. *cap.* 5. Diana *part.* 2. *tract.* 14. *resol.* 56. & Doctores communiter.

330 *Quid agendum.* Certè Paludanus non loquitur de petitione parochiani, sed in casu, quod funus cum Missa de Requiem fieri soleat. Profectò si hic casus accideret, in primis quando præuisum fuit ante primam Missam, debet Parochus non celebrare, sed expectare cadauer, vt semel celebrando funeri satisfaciat. Deinde si dicta prima Missa, nec dum sumpta ablutione, repentè nuncietur, vel adducatur cadauer, vbi consuetudo vel constitutio Synodalis habet, ne quis sine Missa sepeliatur, Ledesma 2. *quæst.* 14. *art.* 2. Tabien. *v. Missa, num.* 42. & alij dicunt, posse secundo celebrari, dum non adsit alius, qui celebret: quod cum Filliucio *tract.* 5. *n.* 110. probabile existimarim. At circa parochiani petitionem cum secundæ sententiæ Doctoribus opinor.

PROBL. L.

Quando Nuptiæ benedicendæ sunt, & Parochus iam fecit sacrum: potest, & non potest alterius Missæ celebrationi operam dare.

331 *Poterit iterum celebrare.* PArochus iam fecit sacrum, & Nuptiæ benedicendæ sunt. Poterit ne aliam Missam ad benedicendas Nuptias celebrare? Poterit quidem. Quia benedictio Nuptiarum magni momenti est, & quæ non semel ad necessitatis accurat instantiam. Sic D. Antonin. *p.* 3. *tit.* 13. *c.* 6. §. 4. Paludan. *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 4. Henriq. *lib.* 9. *cap.* 30. *n.* 7.

332 *Non poterit.* Minimè poterit. Quia ferè nunquam contingit, vt ità subito Nuptiæ contrahantur, quin Parochus antea possit admoneri. Etsi casus detur, benedictio nuptialis tanti non refert, vt tam graui præcepto præponderet. Ita Coninch *q.* 83. *n.* 214. & Doctores communiter.

333 *Cum his sentio.* Hunc casum reiiciendum existimo. Nam etsi demus, casum interdum contingere, nec posse Nuptiarum benedictionem in sequentem diem differri si vna illa Missa non possit & Nuptijs & populo deseruire, quia sero Parochus fuit admonitus, vel cum incommodo Nuptiæ differendæ, ne tam graue præceptum violetur.

PROBL. LI.

Templum exiguum in festo solemni semel non capit populi multitudinem: Tunc potest, & non potest vnicus Sacerdos vnam, & alteram Missam celebrare.

334 *Potest quidem.* POtest profecto. Quia necessitas videtur sufficiens, ne pars populi sine Missa mœrens decedat. Accedit authoritas Pontificia, Leo enim *epist.* 81. *c.* 2. dicit posse in hoc casu sæpè celebrari. Sic Durant. *lib.* 2. *de ritib. c.* 7. Moure *part.* 3. *cap.* 5. §. 7. *num.* 5. Laym. *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 6. Coninch *quæst.* 83. *numero* 216. Martinon *dist.* 40. *num.* 12. Probabile dicit Suar. *dist.* 80. *sect.* 3.

335 *Non potest.* Non potest. Quia quod multi non audiant sacrum videtur esse minoris momenti, quam sit violatio legis, quæ iam tam strictè seruatur: Siquidem multis in pagis frequenter diebus festis contingit, vt multi nequeant audire sacrum, eo quod vnica Missa dicatur, cui tunc simul interesse non possunt, & tamen Prælati malunt, hoc permittere, quàm concedere, vt Parochi bis eodem die celebrent. Adde, forsan Pontificem de eodem Sacerdote non loqui. Ita Manuel *in sum. tom.* 1. *cap.* 247. *num.* 5. & innuit Suar. *vbi suprà.*

336 *Quid agendum, existimem.* Porrò hic casus rarissimus erit in praxi. Nam in hisce solemnitatibus communiter copia adest Sacerdotum. Si verò desit, & vnicus adsit, celebrari assolet ad Templi ostium super aram portarilem, vt omnes valeant exaudire. Quod si commodè nequeat fieri sacrum extra Templum

plum, ob Leonis Papæ authoritatem poteris in praxi partem affirmatiuam sectari. Nam verè Pontifex de pluribus Missis (P. Suarij venia) ab eodem Sacerdote dicendis loquitur: quippe cum de pluribus dicendis à multis non erat dubitandi ratio, nec ad id requiritur populi multitudo.

PROBL. LII.

In die festo post factam consecrationem, & ante sumptam ablutionem, superuenit peregrinorum copia, vel Antistes, vel Magnates, qui non habent alium Sacerdotem, à quo Missam audiant: Tunc, ablutione non sumpta, potest & non potest Sacerdos alteram Missam celebrare.

337 *Potest quidem.* POtest profectò. Quia incommodum est, multos sine Missa peregrinos recedere, & Præsulis Magnatúmque authoritatem decet speciali eo priuilegio frui. Sic Toletus *lib.2. cap.3.num.4.* Henriq. *lib.9. cap.30. num.7.* Fagund. *præc.1. lib.3. cap. 16. num.6.* Coninch *quæst.83. num.215.* Monens, id minimè geri posse, si sit exigua peregrinorum multitudo. Nec enim tam incommodum est, paucos aliquos non audire sacrum etiam die festo, quam generalem Ecclesiæ consuetudinem non celebrandi bis, violari.

338 *Non potest.* Verè non potest. Quia parui refert, eo die sine Missa manere siue Præsulem, siue Magnatem, siue peregrinos, qui tam serò accessere, vt illis imputetur ad culpam, si se tali periculo probabiliter exposuerunt, quamuis postea Missam audiant: vel sine culpa sint, si prudenter existimarunt, se opportunè peruenturos. Nec Episcopi deuotio vel congruentia Missam audiendi tanto præcepto præponderat. Ità Salzedus *in pract. cap.42.* Manu. *in sum. tom.1. c.247. concl.7.* Martinon *dist.40. num.13.* Card. de Lugo *d.20. n.45.* & alij.

339 *Hæc mihi probabilius.* Hanc partem probabiliorem puto. Nam si ad obligationem audiendi Missam attendo, si ob negligentiam deliquere illi, etiam si Missam postea audiant, rei esse non desinunt: si non deliquerunt, sufficienter iam ob Sacerdotis impotentis celebrare defectum excusantur. Vnde non video vndenam tam celebris Ecclesiæ consuetudo possit omitti, quia deuotionem minimè sufficientem esse prorsus affirmo.

PROBL. LIII.

Concurrunt eodem die duæ Missæ dicendæ vna de festo, altera de Vigilia, vel Rogationibus, vel defunctis, & non est nisi vnicus Sacerdos: tunc ab eodem Sacerdote possunt, & non possunt duæ Missæ celebrari.

340 *Potest quidem.* POtest quidem. Quia nullus occurrit casus maioris necessitatis moralis, de quo procedat textus in Cap. *sufficit, de consecrat. dist.1* dicens, in casu necessitatis licere facere Missam vnam de defunctis, & alteram de die. Sic S. Antonin. Tabiena, quos sequitur Henriq. *li.9.c.30. num.7.* Fauet D. Thom. *3. part. quæst.83. art.2. ad 2.* Et quidem Suar. *d.80. sect.3.* & Filliuc. *tract.5. num.110.* id licere docent, si sit dies Paschæ, vel similis, in quo dici debeat Missa pro defunctis, & vnicus adsit Sacerdos.

341 *Non potest.* Minimè potest. Quia insufficiens causa hæc ad iterandam celebrationem est reputanda. Cum enim vnicus adest Sacerdos, sufficit Missam dici iuxta maiorem obligationem: minorem verò vel differri, vel omitti. Quod si dies sit valdè celebris, non decet fieri sacrum de Requiem, sed in sequentem diem erit differendum. Si verò dies festus non sit ita celebris, nullum est inconueniens, non fieri sacrum de festo, præsertim in tanto Sacerdotum penuria. Ità Vasquez *dist.232. n.49.* Laym. *lib.5. tract.5. cap.4. num.6.* Coninch *q.83. num.216.* Auersa *q.11. sect.15. §. Plures autem.* Card. de Lugo *d.20. n.45.*

342 *Idem asseruo.* Idem asserendum mihi existimanti, si textus in cap. *Sufficit* de tali casu loquatur, modernæ Ecclesiæ praxi repugnare. Vel ergò diuersus est casus illius Capitis, vt indicant illa verba, *si necesse fuerit*; vel olim erat facilior permissio, sæpius in die celebrandi, quam modo, vt Victoria *de Euchar. quæst.96.* annotauit. Quapropter iuxta præsentem Ecclesiæ morem hunc casum non admiserim.

PROBL. LIV.

Expectandum est, & expectandum non est Auroræ initium ad Missam inchoandam.

343 *Potest inchoari.* VIdimus *sect.1.* Missam priuatam quacumque hora ab Aurora vsq; ad meridiem dici posse ex Missalis Regula fante: Missa priuata quacumque hora ab Aurora vsque ad meridiem dici potest. Quæsierim autem, num possit Missa antè Auroræ initium inchoari, an sit expectandum eius initium? Expectandum quidem. Quia terminus incipiendi Missam iuxtà illam præscriptionem est Aurora. Non ergo poterit prius inchoari sine priuilegio, vel iuxta ex causa. Sic Vasq. *d.232. n.27.*

344 *Inchoari non potest.* Non expectandum. Quia res moralis haud est mathematicè mensuranda. Quare sufficit, vt aliqua pars Missæ post Auroram dicatur. Et si per semihoram fere fuerit anteà inchoata. Ita Victor. *num.97.* Reginald. *lib.29. num.173.* Bonac. *dist.4. quæst. vltim. punct.9. num.2.* Henriq. *lib.9. cap.24. n.5.* Suar. *dist.80. sect.4.* Card. de Lugo *d.20. n.33.*

345 *Cum hic opinor.* Profectò, me auctore, sufficit, vt pars aliqua Missæ post Auroram dicatur: & vt Missa inchoetur ante meridiem, etsi maior eius pars dicatur ante Auroram, & post meridiem. Sic assignantur isti duo termini, scilicet, Aurora, & meridies, vt non tota Missa, sed aliquid illius debeat intrà illos contineri.

PROBL.

PROBL. LV.

Natalis Dominici die omnes tres Missæ possunt, & non possunt, noctu celebrari.

346 Non possunt tribus dici. PRimam Missam dici posse mox post mediam noctem, praxis Ecclesiæ obfirmat. Rogas, an omnes tres Missæ possint noctu dici? Non possunt. Quia Rubrica Missalis præscribit, vt prima Missa dicatur in nocte, secunda in Aurora, tertia in die. Et quia in ipso Missæ Canone pro prima dicitur: *Communicantes, & noctem sacratissimam celebrantes*: pro aliis verò duabus: *Et diem sacratissimum celebrantes*. Sic Sylvest. Angel. Armil. Tabie. *v. Missa*. Sotus, Nauar. Richard. quos sequuntur Henriq. *lib. 9. cap. 24. num. 5.* Fagund. *præc. 1. lib. 3. cap. 16. n. 3. & c. 17. n. 2.* Bonac. *d. 4. q. vlt. punct. 9. n. 5.* Nunius *p. 3. q. 83. art. 2.*

347 Possunt in iure non prohibetur. Possunt sanè. Quia re huiusmodi Missarum in iure non prohibetur. Quin potius Thelesphor. Papa, cap. *Nocte sancta* in plurari dicit: *Nocte sancta Natiuitatis Missas celebrent Presbyteri*; quod non solùm referri potest ad plures Sacerdotes, qui singuli possint vnam Missam celebrare; sed etiam ad singulos, vt quilibet Missas celebrare valeat. Et Platina in vita Thelesph. sic ait: *Statuit, vt in Natali Iesu Christi noctu tres Missæ celebrentur.* Ità Suar. *disp. 80. sect. 4.* Vasquez *disp. 232. num. 32.* Laym. *lib. 5. tract. 5. cap. 4. num. 2.* Reginald. *lib. 29. num. 174.* Coninch *quæst. 83. num. 218.* Card. de Lugo *disp. 20. num. 25.* Diana *part. 2. tract. 14. resol. 35. & p. 4. tr. 4. resol. 236.*

348 Ab multis cernitur. Hoc certum habeo ex consuetudine sic iam recepta tam in Vrbe oculis summi Pontificis: quam in toto ferè orbe; vt non possit de huius sententiæ veritate nunc temporis dubitari. Congruentia iuuat. Nam in tanta multitudine Sacerdotum vix possent omnes ter in die celebrare, quæ tunc est breuissima, nisi per noctem etiam, quæ longior est, à multis plures Missæ celebrarentur.

PROBL. LVI.

Potest, & non potest Missa antè Auroræ initium integrè sine licentia celebrari, ad communicandum infirmum alioqui forsan sine viatico moriturum.

349 Nulla præceptum. VT possit quis ante Auroræ initium integrè celebrare, necessitas sufficit: scilicet, quoties necessarium id esset, ad præstandam moribundo Eucharistiam, alioqui fortasse sine viatico excessuro. Quia nec consuetudo nec præceptum Missalis obligare censetur cum tanto rigore, vt non sit maioris momenti succurrere moribundo, quàm ad celebrandum, lucem expectare, vti *sect. 1.* vidimus. Quæsieris verò num ad id gerendum, superioris licentia requiratur?

350 Omnia requirunt. Requiritur quidem. Quia res gerenda prorsus contrà Ecclesiæ consuetudinem: res autem huiusmodi haud debeat sine Præsulis facultate exeri. Sic Alexand. Angel. Sylvest. apud Vasq. *dist. 232. num. 29.* Porrò Nauar. *cap. 25. num. 85.* Moure *part. 3. cap. 5. §. 4. num. 1.* Manuel *tom. 1. sum. cap. 248. num. 1.* & Azor. *tom. 1. lib. 10. c. 25. quæst. 7.* asserunt adhuc superiore absente requiri epikeiam, argumento cap. *Quod non est, de regulis iuris.*

Nullatenus licentia requiritur; ob solam moribundi necessitatem potest Missa antelucana celebrari. Quia ipsa moribundi necessitas per se satis excusat. Ità S. Antonin. Palud. & Grabri. quos sequitur Vasquez citatus. Henriq. *lib. 9. cap. 24. num. 5.* 351 *Non requiritur.*

Scio hanc doctrinam ab aliquibus limitari, vt non liceat statim post mediam noctem, sed parum ante lucem. Fagund. *præc. 1. l. 3. c. 17. n. 15.* Bonac. *d. 4. q. vlt. punct. 9. n. 3.* At absolutè dicunt in hoc casu *nocte*, vel *ante lucem* celebrari posse Sylvest. *v. Missa. q. 6.* Nauar. vbi suprà. Et Card. de Lugo *d. 20. num. 26.* & Manuel *tom. 4. sum. de Missa, c. 51. concl. 17.* docent, quamcunque limitationem esse reiiciendam, quia nulla ratione fundatur. Ideò posse media nocte ob moribundi communionem celebrari affirmant Laym. *lib. 5. tr. 5. c. 4. n. 2.* & Diana *part. 2. tract. 14. resol. 33.* Tunc enim etiam præponderat moribundi necessitas, qui si diutius expecter, forsan sine viatici subsidio discedet. 352 *Auctoris iudicium.*

PROBL. LVII.

Licet, & non licet, post meridiem celebrare horam tertiam.

CIrca terminum meridianum D. Thom. *3. p. q. 83. art. 2. ad 3.* docet, diebus festis celebrari Missam hora tertia, qua Christus crucifixus fuit Iudæorum linguis; diebus profestis hora sexta, quia crucifixus fuit manibus militum; diebus ieiunij hora nona, qua expirauit in Cruce. Quæsieris itaque num post meridiem liceat celebrare. 353 *Supposito.*

Profecto tempus celebrationis vsque ad horam nonam potest extendi, id est, vsque ad horam tertiam post meridiem paulo magis aut minus, diuidendo tempus diurnum in horas duodecim. Quia sacrificium incruentum debet cruento respondere, quod hora nona Christi morte fuit consummatum. Et quia non est ratio nec textus prohibens ieiuno (quando sine scandalo potest) facere sacrum circa nonam horam; & generalis Ecclesiæ consuetudo contraria non videtur causa Religionis fuisse introducta, sed ob hominum fragilitatem non valentium tamdiu perferre ieiunium. Quare non censeri debet obligationem induxisse, sed fauorem, cui quilibet renunciare possit. Sic S. Antonin. Durand. Scot. Durant. Richard. Paludan. Pitigian. apud Auers. *de Missa. quæst. 11. sect. 5. §. Quinto ex.* Llamas *in Method. part. 3. cap. 5. §. 28.* Salzed. *in Practic. cap. 26. num. 4.* & Less. *3. part. quæst. 83. num. 75.* dicit, hanc sententiam haud esse improbabilem. 354 *Potest extendi vsque ad tertiam post meridiem.*

Non licet post meridiem hora tertia celebrare. Quia licet nullus Canon expressè prohibeat celebrationem post meridiem, extat tamen generalis Ecclesiæ consuetudo confirmata Rubricis Missalis, & per consequens per summos 355 *Extendi non potest.*

Pontifices approbata. Consuetudo verò vim legis habet, quando sic approbatur. Et quamuis ex hominum infirmitate cœperit introduci, continet reuerentiam sacrificij, cuius decentiæ congruit, vt antè prandium offeratur; sic enim tam ministrans, quàm audiens deuotius assistent. Ità Maior, Scot. Francolin. quos sequitur Fagund. *prac.* 1. *lib.* 3. *c.* 17. Suar. *dist.* 80. *sect.* 4. Vasq. *dist.* 232. *cap.* 4. Coninch *quæst.* 83. *num.* 219. Henriq. *lib.* 9. *cap.* 24. *num.* 6. Laym. *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 4. 3. Filliuc. *tract.* 5. *num.* 113. Bonac. *dist.* 4. *quæst. vlt. punct.* 9. *num.* 1. & 7. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 25. *q.* 2.

356 *Secundam eligo partem.* Existimo primam sententiam non esse admodum improbabilem, quia & ratione nititur, & fulcitur authoritate. At secundam iure præfero, quam hodie Missalis approbat, & communis sensus fidelium, quamque vberius confirmo. Nam Trident. *sess.* 22. *cap. de obseruand.* dum præscribit, ne Missæ celebrentur nisi debitis horis, planè per horas debitas intelligit eas, quas Missale præsignat, cum debeamus Missali conformari. Addo, priuilegia concessa Regularibus ad celebrandum per horam post meridiem, satis indicare, id sine priuilegio non licere. Non enim regulariter conceduntur ad sedandos dumtaxat scrupulos; sed ad aliquid vltra ius commune operandum; frustra quippe precibus impetratur, quod iure communi conceditur, *l.* 1. *c. de thesaur. cap. si Papa, de priuileg. in* 6.

CAPVT XX.

Circa celebrationis Missæ locum.

PROBL. LVIII.

Licet, & non licet, in mari, vel flumine celebrare.

357 *Licitum non est.* Licitvm non est. Quia licèt non inueniatur præceptum scriptum, quod prohibeat huiusmodi celebrationem, consuetudine tamen longi temporis est introductum. Et quia tanti sacrificij reuerentia postulat summam cautelam ad euitandum profundendi sanguinis periculum: quod quidem in aquæ motione tam facili, tamque frequenti vitari vix potest. In Rituali quodam approbato à Leone X. 1. *part. tract.* 4. *cap.* 35. dicitur, *In loco fluctuanti, vt in mari, & fluminibus celebrare non licet alicui.* Sic Syluest. Angel. Armil. Palud. Sotus, Turrecrem. quos sequitur. Henriq. *lib* 9. *c.* 27. *n.* 3. Tabie. Nauar. Tanner. Præpos. Lezana, Molphes. Homob. Pitigian. Chamero. Ledesm. Faust. & alij, quos refert Diana *p.* 5. *tr.* 3. *resol.* 40. Suar. *d.* 81. *sect.* 3. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 26. *q.* 6. Vasq. *d.* 232. *n.* 5. Filliuc. *tract.* 5. *num.* 106. Reginald. *lib.* 29. *num.* 168.

358 *Licitum est.* Licitum est. Nam olim in mari celebrari consueuit. S. Vualfranum in pelago celebrasse narrant Suri. *tom.* 2. die 20. Martij, & Baron. *tom.* 8. anno 700. Et quia celebrare Missam in mari contrà ius naturale non est, nec contra diuinum, quod solum exigit debitam in celebratione reuerentiam. Potest autem in nauibus satis reuerenter, ac decenter celebrari, vt experimento edidicimus: Ergo non est cur hoc ex capite non liceat. Nec est contra ius humanum, cum nullum prohibens talem celebrationem reperiatur. Nam illud Rituale non constat à Leone X. fuisse approbatum: sed ad summum cum licentia prodiit ferens doctrinam tunc magis communem, & receptam. Ita Durant. *in Ration. lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 21. Fatus, *Potest esse necessitas, vt Missa dicatur in mari.* Scort. *lib.* 2. *de Euchar. cap.* 13. ait, nunc in praxim esse deductum à Lusitanis, vt cessante periculo, Missam in mari celebrent. Laym. *tract.* 5. *cap.* 5. *n.* 6. Granad. 3. *p. controu.* 6. *tr.* 14. *d.* 13. *n.* 2. Hurtad. *de Missa, d.* 4. *diffic.* 5. Fagund. *prac.* 1. *lib.* 3. *c.* 10. Diana *part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 40. Card. de Lugo *d.* 20. *sect.* 3. Auersa *q.* 11. *sect.* 14. Et paucis retro annis consulti multi Doctores in celebrioribus Hispaniæ Academiis huic sententiæ subscripsere.

Et ego subscribo, ratus, in mari reuerentiam tantam seruari posse, imò maiorem, quàm in terrestri itinere (in quo iuxta communem Doctorũ sensum extra locum sacrũ licet in casu necessitatis celebrare) suppetit quippè communiter locus aptus, decenter ornatus, & dum à peritis naucleris non præuidetur tempestas, nunquam ita subitò furit, vt non prius Missa finiri queat; si verò præuideatur, monetur Sacerdos, ne Missam inchoet. Assolet simul adesse alter Sacerdos, qui post consecrationem calicem manu teneat, ne cadat, aut moueatur: quo periculum effusionis, aut irreuerentiæ prorsus caueatur. Vsus etiam & experimentum multorum iam annorum ostendit, nullum subesse tali celebrationi periculum ex eis, quæ timeri poterant, sed maxima inde commoda prouenire. Profecto Coninch *q.* 83. *n.* 228. putat, solùm Papam posse licentiam concedere, ad celebrandum in mari. Auersa citatus requirit vel Papæ vel Episcopi facultatem. At Fagund. *vbi s.* testatur præcessisse licentiam Clementis VIII. & Pauli V. Addit Granad. Cyrinensem Episcopum vidisse Breue summi Pontificis, in quo declarabat, posse sine scrupulo Missam in mari celebrari. Verisimile putarim, alios Episcopos tam Castellanis, quam Lusitanis eandem licentiam concessisse, nec talem vsum sine sufficienti cæpisse facultate. Rogatus verò summus Pontifex, vt eandem facultatem pro triremibus impertiret, illam abnegauit & meritò; quia nec triremes ità sunt aptæ sicut grandiores naues, nec ita indigent, cum frequenter ad terram accedant, vbi possint nautæ Missam commodius exaudire. Scio Dianam hanc licentiam ad dies festos limitare, reliquos absolutè loqui, praxim autem etiam dies profestos comprehendere.

359 *Ego subscribo.*

PROBL. LIX.

Mortale crimen est, & mortale crimen non est, extra locum sacrum sine necessitate celebrare.

Vbi non est vllus contemptus, vel scandalum lethale peccatum non est vel sine necessitate extra Ecclesiam Missam gerere. Quia dum habetur Altare consecratum, & debita seruatur reuerentia, sicut quælibet honesta necessitas

360 *Non est mortale.*

sitas excusat: sic etiam deuotio saltem excusabit à mortali, iuráque videntur cum hac moderatione esse recepta. Sic Sotus *in 4. dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 3. Sa etiam *in edit. correct. v. Missa, num.* 20. & alij Moderni.

361 *Venialis.* Lethale crimen est. Quia iura simpliciter prohibent talem celebrationem, & loquuntur tanquam de re graui: veréque materia secundùm se grauis est concernens reuerentiam tanto debitam sacrificio. Ideò in Cap. *Nullus, de consecr. dist.* 1. prohibetur sub comminatione depositionis, quæ pœna cum grauis sit, grauem culpam supponit. Ità Gabr. Alensis, Vualdensis, Bellarm. quos sequitur Henriq. *lib.* 9. *cap.* 27. *num.* 1. Villalob. Homobon. Sylui. Filliuc. quos sequitur Diana *p.* 2. *tr.* 14. *resol.* 34. Suar. *dist.* 81. *sect.* 3. Vasq. *dist.* 232. *n.* 8. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 16. *q.* 8. Laym. *lib.* 5. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 2. Coninch *q.* 83. *n.* 223. Bonac. *d.* 4. *q. vlt. punct.* 9 *n.* 9.

362 *Probabilior tutius sententia sed non tuenda est tuta.* Scio hanc secundam sententiam communem esse, veram, ac tenendum in praxi. Sed non facilè patiar primam absurdam, ac liberam ab aliquibus vocitari, cum habeat pro se præter Sotum & Sa viros planè doctos & pios. Azorius indicat esse probabilem. Sanè sicut rigor antiquorum Canonum moderatus fuit quoad Templorum consecrationem, vt iam sufficiat Templi benedictio, vel sola Prælati deputatio: Sic etiam videtur consuetudine temperari, quatenus non requiratur summa necessitas, sicut olim requirebatur in Cap. *Sicut non alij, de consecr. dist.* 1. Sed honesta commoditas sufficiat ad celebrandum extrà locum sacrum. Dum autem commoditas honestatur deuotione particulari frequenter celebrandi, vel audiendi sacrum, quod aliter rarò fieret: prima sententia probabiliter putat mortale piaculum excusari, quod secunda probabilius negat.

PROBL. LX.

Priuilegia Regularibus concessa, vt sine Episcopi consensu valeant cum altari viatico celebrare, sunt & non sunt per Tridentinum reuocata.

363 *Reuocatum et non reuocatum.* VIdimus *sect.* 1. Pontificem Cap. *In his de priuileg.* asserere, se concessisse Fratribus Prædicatoribus, ac Minoribus, vt vbicumque fuerint, sine Parochialis iuris præiudicio, cum altari viatico celebrare valeant, nec ad hoc requiri Episcoporum consensum. Quæstio autem excitatur, vtrum hoc priuilegium fuerit à Tridentino *sess.* 22. *c. de obseruand.* reuocatum? Reuocatum est. Quia Tridentinum in fine decreti subdit: *Non obstantibus quibuscumque priuilegijs, & exemptionibus.* Et licèt Pius V. viuæ vocis oraculo prædicta priuilegia confirmauerit pro foro interno quamuis essent Tridentino contraria: postmodum Gregorius XIII. ea renocauit, quatenus Tridentino repugnant. Sic Nauar. *cap* 25. *num.* 82. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *quæst.* 7. Suar. *dist.* 81. *sect.* 3. Coninch Fagund. *præc.* 1. *lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 16. De reuocatione autem à Gregorio facta. Petr. Ledesm. *tom.* 1. *sum. tr. de Euch. c.* 20. *concl.* 2. *dub.* 4. & Miran. *tom.* 1. *q.* 40. *art.* 9.

Reuocatum non est, quandiu Episcopus non contradicit. Quia Tridentinum dumtaxat iniungit Ordinariis, vt non obstantibus præfatis priuilegiis compellant Religiosos in foro externo, ne talibus facultatibus vtantur. Ergò dum Ordinarius id non impedit possunt sine scrupulo Regulares hoc vti priuilegio. Et quia saltem priuilegium contentum in Cap. *In his, de priuileg.* cum sit insertum iuri, non censetur derogari, nisi fiat expressa ipsius mentio. Ità Manu. *tom.* 1. *Regul. qq. quæst.* 28. *art.* 3. & *q.* 43. *art.* 5. Hieron. Rodrig. *resol.* 9. *num.* 4. Auers. *quæst.* 11. *sect.* 14. §. *Quarto videbitur.* Præpos. 3. *p. quæst.* 83. *art.* 3. *n.* 151. Portel. *in dubijs Regular. v. Altare, n.* 1. Diana *p.* 3. *tr.* 2. *res.* 80. & *p.* 4. *tr.* 1. *resol.* 106. Probabile hoc reputat Card. de Lugo *d.* 20. *n.* 51. 364 *Reuocatum non est.*

Ego quidem æquè probabilem vtramque partem reor. Moneo tamen post Tridentinum Gregorium XIII. nostræ Societati concessisse, vt domibus nostris, Oratorioque priuato approbato per Prouincialem Missæ dici possint sine alia Episcopi approbatione. Sic habetur in nostro Compendio *v. Oratoria.* Notant verò Suar. Laym. Manu. suprà, & Diana *p.* 6. *tr.* 8. *resol.* 40. hoc priuilegium esse locale, ac proinde Sacerdotes omnes in hisce Oratoriis licitè celebrare posse. Prætereà idem Gregorius nostræ Societati concessit, vt, non obstante Tridentini decisione, possint Presbyteri nostri, qui mittuntur a Superioribus ad Missiones, vbique cum Altari viatico celebrare. Ita in nostro Compendio *v. Altare.* Notántque Suar. Fagund. & Laym. suprà, hoc priuilegium esse personale; quapropter reliqui Sacerdotes, quamuis sint socij itineris non poterunt illo vti. Docet autem Vasq. *d.* 233. *n.* 7. posse vti hoc priuilegio cæteros Regulares, quibus post Tridentinum priuilegiorum sit concessa communicatio. 365 *Verumtamen reor esse probabile, & Societatis JESV circa hoc, priuilegium expensa.* *do.*

PROBL. LXI.

Incurrit, & non incurrit pœnam vllam, qui in Ecclesia violata celebrat.

VIdimus *sect.* 1. mortale crimen esse, in Ecclesia violata celebrare. Quæstio autem voluitur, an qui in Ecclesia violata celebrat, pœnam aliquam incurrat? Incurrit quidem suspensionem ab Ecclesiæ ingressu, quare celebrans in ea post talem suspensionem contrahit irregularitatem. Quia id expressè indicitur Cap. *Episcoporum, de priuileg. in* 6. Sic Sylvest. *v. Consecratio* 2. *q.* 9. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 26. *q.* 16. Graf. *lib.* 2. *c.* 28. *n.* 28. Nald. *v. Ecclesia, n.* 15. 366 *Pœnam incurrit.*

Suspensionem minimè incurrit. Quia textus ille non loquitur de celebrationibus in Templo violato, sed interdicto. Templum verò violatum propriè interdictum non est. Ita Henriq. *lib.* 9. *c.* 27. *n.* 5. & 6. Suar. *d.* 81. *sect.* 4. Laym. *lib.* 5. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 6. Card. de Lugo *d.* 20. *n.* 52. 367 *Non incurrit pœnam.*

Scio, Hostiensem ad Cap. *fin. de consecr.* asseruisse, contrahi irregularitatem. Sed oppositum planè decernitur in Cap. *Is qui, de sent. ex. com. in* 6. & meritò, quia Ecclesiæ violatio non est propriè Censura, pro cuius violatione irregularitas incurritur. Nulla itaque Censura, aut pœna irregularitatis mediatè vel immediatè contrahit, qui in Ecclesia violata celebrat. Consequenter infero cum Auila *part.* 5. *dist.* 7. *dub.* 3. 368 *Eiusdem sum.*

quando propter solemne festum iure suspenditur interdictum, non esse licitum, in Ecclesia violata celebrare; quia pollutio Templi non est propriè interdictum, sed inhabilitas quædam diuersa.

PROBL. LXII.

Violatur, & non violatur Ecclesia, quando causa mortis culpabilis datur intra Templum sine sanguinis effusione, per contusionem, aut confractionem, aut veneni propinationem, & mors extra contingit.

369 *Non violatur Ecclesia.* NOn violatur Ecclesia. Quia necessarium est ad Ecclesiæ violationem, (secluſa sanguinis effusione) vt mors in Ecclesia sequatur, alias enim non fiet in sacro loco homicidium, sed extrà illud. Sic Suar. *d.* 81. *sect.* 4. Reginald. *lib.* 29. *n.* 181. Præpos. 3. *p. q.* 83. *a.* 3. *dub.* 2. *n.* 152. Diana *p.* 6. *tr.* 6. *resol.* 26. Azor. *tom.* 1. *l.* 10. *cap.* 26. *quæst.* 13.

370 *Ecclesia violatur.* Violatur quidem. Quia licet homicidium consummatum fuerit extra locum sacrum: at causa mortis & completa malitia homicidij consummata fuit in illo: mors quippè post secuta naturaliter prouenit à tali causa, parumque refert ad irreuerentiam, ob quam Ecclesia violatur, quod anima separetur à corpore in loco sacro, vel extrà illum: si verè posita fuit in illo tota causa culpabilis, & exterior illius necis. Ità Card. de Lugo *dist.* 20. *n.* 53. Laym. *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 5. *n.* 8. Marchin. *de Ordine tr.* 3. *p.* 3. *c.* 10. *n.* 7. Nauar. *c.* 27. *n.* 256. Coninch *q* 83. *n.* 327.

371 *Hoc mihi probabilius.* Hoc probabilius mihi. Moneo tamen requiri, vt causa mortis, quæ apponitur in loco sacro, sit physica, nec moralem sufficere. Quare non violatur Ecclesia, quamuis in illa fiat mandatum, vel feratur sententia mortis, vel detur occidendi consilium. Rursus causa physica debet esse talis, vt per se sufficiat mortem inferre. & adhuc non violatur Ecclesia, donec fuerit secuta; quia nondum datur externum homicidium. Morte tamen secuta, quamuis extra Templum & post aliquot menses censetur Ecclesia tunc violata.

PROBL. LXIII.

Effusio sanguinis vber è naribus est, & non est sufficiens ad Ecclesiæ violationem.

372 *Non est sufficiens.* DVm parui pueri rixantes in Ecclesia cruorem sibi vicissim è naribus excutiunt, Ecclesiam non violant, quia iniuria est leuis, & iura grauem culpam requirunt. An hoc extendendum sit etiam ad grandiores, qui alterius nasum multi sanguinis profusione percutiunt. Certè extendendum est, asserendúmque Ecclesiam huiusmodi effusione cruoris non violari. Quia nasus est organum sanguinis, qui subinde facilè inde copiosè profluere assolet. Sic Victor. *de Euchar. num.* 99. Sa *v. Ecclesia, num.* 13. Graff. *lib.* 2. *cap.* 48. *num.* 25. Sotus & Capua, quos sequitur Fagund. *præc.* 2. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 18. Marchin. *de Ord. tr.* 3. *p.* 3. *c.* 11. *n.* 8. Diana *p.* 3. *tr.* 6. *resol.* 24.

373 *Sufficiens est.* Deliberata effusio sanguinis etiam ex naso quæ fiat in Ecclesia, & sit mortale peccatum, quatenus effusio sanguinis est, violat Templum. Quia ius nil aliud requirit ad Ecclesiæ violationem. Ita Sylui. 3. *p. q.* 83. *art.* 3. Coninch *q.* 83. *num.* 228. Bonac. *de Matrim.* 9. *punct. vlt. n.* 20. Franc. de Lugo *de Sacram. lib.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 8. *num.* 51.

374 *Hoc mihi probabilius.* Cum his opinor probabilius monens, requiri sanguinis effusionem, quia vocabulum *Effusio* significat copiam effusi sanguinis. Vnde licet percussio narium fiat cum mortali peccato, si sanguis copiosè non fluat, Ecclesia non violatur. Hæc autem quantitas proportionaliter sumi debet ad partem, vnde fluit; sunt enim partes corporis ex quibus leui vulnere inflicto, facilè copia cruoris defluit: ex aliis autem, v. gr. ex naso, etiam inflicto graui vulnere vix parum erumpit.

PROBL. LXIV.

Violatur, & non violatur Ecclesia, si quis in ea percussus, extrà eam sanguinem profundit.

375 *Non violatur.* TEmplum non violatur. Quia violatio Ecclesiæ pœna est, ideóque strictè interpretanda. Sed Canones imponentes hanc pœnam exprimunt sanguinis effusionem quasi requisitam, vt incurratur, Cap. *Ecclesiis semel, de consecr. dist.* 1. Cap. *si Ecclesia, de consecr. Eccles.* Cap. *vnico, eodem titulo in* 6. Ergo debent strictè capi de sanguinis effusione intra ipsam Ecclesiam facta; vnde non sufficit vulnus acceptum in Ecclesia, si cruor extrà profundatur. Sic Diana *part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 47. Persicus *de Officio Sacerd. lib.* 1. *cap.* 7. *dub.* 2. *n.* 43.

376 *Violatur.* Violatur Templum. Quia Ecclesia non tam polluitur per ipsum contactum sanguinis decidentis in pauimentum, quàm per actionem iniuriosam, qua causatur effusio, & omnis propriè malitia formaliter contingitur. Quare dum hæc tota ponatur in Ecclesia, quamuis sanguis colligatur in vase, vel percussus egrediatur ex templo, prius quam sanguis effluat, Ecclesia polluetur. Contra verò si quis percussus extra locum sacrum ingrediatur illud, & in eo sanguinem mittat, illum non polluet. Non enim attendendum est, vbi sanguis profluat, nam illa censetur materialis effusio; sed vtrum percussio fiat in loco sacro, hæc enim formalis effusio censebitur. Ita Suar. Graf. Sylueſt. Azor. Nauar. quos sequitur Fagund. *præc.* 1. *lib.* 3. *c.* 14. *n.* 16. Tolet. Auila, Reginald. Sayr. apud Dianam citatum. Card. de Lugo *d.* 20. *n.* 53.

377 *Hoc mihi probabilius.* Probabiliorem hanc reputo mentem, quia Cap. illo *Proposuisti de consecr. Eccl.* dicitur Ecclesiam violari per vulnera, nec mentio fit sanguinis effusionis. Vnde colligo, cæteros Canones capiendos esse de sanguinis effusione formali, seu morali, cuius tota materia formalis consistit in positione causæ physicæ: deinceps enim materiale quod est, effundi sanguinem intra vel extra Templum.

PROBL.

PROBL. LXV.

Polluitur, & non polluitur Ecclesia per copulam coniugalem ratione necessitatis in ipsâ habitam.

378 Polluitur. POlluitur quidem. Quia nulla subest sufficiens necessitas, vt talis actus in loco sacro habeatur. Sic D. Antonin. Palud. Caiet. & alij, quos refert Sanch. *de Matrimonio, lib. 9. d. 15. num. 9.*

379 Non polluitur. Quia non est credendum, Ecclesiam obligare coniuges ad abstinendum, cum vrget incontinentiæ periculum, vel similis necessitas. Ità Sanch. cum multis vbi supra *n. 12.* Suar. *d. 81. sect. 4.* Azor. *tom. 2. l. 9. cap. 5.* Lessi. *l. 4. c. 3. n. 85.* Coninch. *q. 83. n. 231.* Tolet. *l. 5. c. 12.* Fagund. *prec. 2. l. 4. c. 4. n. 21.* Diana *p. 1. tr. 7. resol. 19.*

380 Cum his opinantibus. Cum his opinor monens, à Doctoribus communiter assignari hanc necessitatem, quando coniuges diù manere coguntur intrà Templum, nec in cameram propinquam egredi possunt; Diuturnúmque tempus Sanchez vocare vnum mensem, Fagundez, & Lessium dies quindecim, Dianam quatuor, aut quinque, de quo *sect. 1.* Alios autem præter hanc moram etiam in altero saltem incontinentiæ periculum requirere.

PROBL. LXVI.

Licet, & non licet apud Templum coniugali copulæ operam dare, si breui in tempore quo inibi recluduntur coniuges, verè detur incontinentiæ periculum.

381 Similis supponitur. SI non sit reclusio diuturna, detur tamen vrgens incontinentiæ periculum in altero coniugum, non explicant Doctores, an liceat copulam coniugalem apud locum sacrum haberi. Suarius quidem *d. 81. sect. 4.* hanc regulam tradit: Quoties moraliter iuxta fragilitatem humanam vitari potest, aut alio in loco copula coniugalis haberi, mortale fore peccatum in loco sacro coire; secus quando necessitas, vel fragilitas humana compellit. Vnde colligit, si vnâ vel alterâ nocte duntaxat dormiant in Templo grauiter delinque recoeundo; quia facilè se possunt continere, separaréque thorum, vt morale periculum incontinentiæ virent. Adhuc vrgeo: si tali breui tempore verè detur intinentiæ periculum, an liceat?

382 Minimè licet. Minimè licet, quin requiritur longa mora. Quia breui tempore facilè contineri possunt. Sic Petr. de Ledesm. *tom. 1. tr. de Euchar. c. 20.* Lessi. *l. 4. c. 3. n. 85.* & alij.

383 Licet. Licet planè. Quia legitima est coeundi necessitas quando in aliquo coniuge periculum est incontinentiæ, nec alibi datur coeundi opportunitas. Verè hoc periculum exiguo potest in tempore incurri. Ita Sa *v. debitum coniugale n. 12.* Basil. Legion. *de Matrim. l. 10. cap. 10 n. 13.* cum aliis absolutè docet, copulam coniugalem in Ecclesiâ licere, nec Ecclesiam per illam pollui, qui nullo iure prohibetur.

384 Auctoris mēs. Ego quidem quidquid sit de Basilij Legion. sententia (de qua alibi) assero, copulam coniugalem in loco sacro mortale peccatum non esse, si fiat ad vitandum incontinentiæ periculum, aut alia iusta ex causâ. Hoc autem est certum, quoties effusio seminis in Ecclesiâ fuerit licita, vel solum venialis, Ecclesiam non violari. Quia non est, cur actu licito, qui cum summâ Dei reuerentiâ geri potest, Ecclesia polluatur. Cæterùm existimo, vix contingere huius necessitatis casum. Nam in Ecclesiis communiter sunt adhærentia cubicula, vel sacristia, vel turris, quæ nomine loci sacri non comprehenduntur quoad huiusmodi effectum.

PROBL. LXVII.

Violat, & non violat Ecclesiam excommunicati non vitandi Sepultura.

385 Violat sepultura excommunicati non vitandi. VIdimus *sect. 1.* Ecclesiam violari, si quis excommunicatus publicè in eâ sepeliatur. Cap. *Consuluisti, de consecr. Ecclesiæ.* Additur in Cap. *Sacris, de Sepulturis*, tale cadauer exhumandum esse, si discerni possit ab aliis, & proiiciendum: secus si discerni non possit, ne simul cum ossibus illius ossa fidelium non excommunicatorum abiiciantur. Quæsieris autem an post Concilium Constantiense sit hoc limitandum ad excommunicatum vitandum: Limitandum non est. Quia textus generaliter loquitur de quibuslibet excommunicatis. Sic Azor. *tom. 1. lib. 10. c. 26. q. 13.* Abbas & alij ad Cap. *Consuluisti*, Alterius *l. 1. d. 14. c. 1. col. 6.*

386 Violat minimè. Limitandum est. Quia post Concilium Constantiense non tenemur vitare toleratos. Ergo nec illos tenemur ab Ecclesiasticâ sepulturâ repellere. Ità Suar. *d. 81. sect. 4.* Laym. *l. 5. c. 5. n. 8.* Scortia *l. 2. c. 13.* Card. de Lugo *d. 20. num. 56.* Auila *part. 5. d. 7. dub. 1.* Filliuc. *tract. 5. num. 117.*

387 Hoc assero. Idem asseruerim, adiudicans toleratum excommunicatum habendum esse veluti excommunicatum occultum, vt Suarius edocet. Vnde aptè colligit Nauar. *l. 5. Consil. tit. de hæretic. cons. 10.* Layman. & Lugo citati, per sepulturam hæretici non denunciati nominatim locum sacrum non violari.

PROBL. LXVIII.

Violatur, & non violatur Ecclesia, si per Episcopum excommunicatum non toleratum consecretur, aut benedicatur.

388 Violatur Ecclesia. VIolatur quidem. Quia Ecclesia polluitur per excommunicati non tolerati sepulturam: Ergo violabitur etiam à fortiori, quando per Episcopum excommunicatum non toleratum consecratur, aut benedicitur. Valet tamen consecratio, aut benedictio, hæc enim non requirit iurisdictionem. Sed ordinis potestatem,

quam excommunicatio non tollit; indiget tamen reconciliatione. Sic Antonin. Tabie. quos sequitur Auila *p.5.d.7.dub.1.* Abbas Ioan. Andreas, & Hostiens. ad Cap. *Consuluisti.* Palud. *in 4.dist.18.q.8.art.4.* Sylvest. *v. Interdictum 4.q.3.* Nauar. *c.27.n.258.* Bonac. *de Matrim.q.4.punct. vlt.n.22.*

389 *Nō violatur.* Non solùm Ecclesia sic consecrata, aut benedicta validam retinet consecrationem, aut benedictionem: sed nec reconciliatione indiget, nam minimè fuit violata. Quia nullo iure decernitur talis violatio, nec in legibus pœnalibus valet argumentum à paritate rationis: cum odia restringi debeant ad casum duntaxat expressum. Ità Suar. *d.81. sect.4.* Coninch. *q.83. n.232.* Laym. *l.5.tr.5.c.5.n.8.* Card. de Lugo *d. 20.n.57.* Fagund. *præc.1.l.3.c.14.n.56.* Alterius *l.1.d.10.c.6.*

390 *Hoc mihi probabilius.* Hoc mihi probabilius, quia prius est, Ecclesiam consecrari, aut benedici, quam violari. Non ergo potest ipsamet consecrandi, aut benedicendi violari actione.

PROBL. LXIX.

Quando fuit Infidelis in Ecclesiâ sepultus, debent, & non debent eius abradi parietes.

391 *Debent abradi.* DEbent abradi. Quia Caput *Ecclesiam 2. de consecr.dist.1.* ita palam decernit. Sic Ioan. Andreas in cap. *Proposuisti, de consecrat. Ecclesia.*

392 *Abradi non debent.* Abradi non debent. Quia forma consecrationis tolleretur, si abraderentur parietes Ecclesiæ. Ita Abbas ad idem cap. Azor. *tom.1.l.10. cap.26. quæst.13.* Fagund. *præc.1. lib.3.cap.14.*

393 *Vtor distinctione.* Ego quidem distinctione ex horum Doctorum mente sic vtor: si fuerit consecrata, haud radendi parietes ob rationem secundæ sententiæ: si verò consecrata non fuerit debent abradi. Et sic intelligendum reor, cap. *Ecclesiam.* Modus autem radendi parietes est, illos de albare. Legendus Auila *part.5.d.7.dub.4. concluſ.4.*

PROBL. LXX.

Si totum Templum, vel maior eius pars per temporum interualla corruat, & instauretur: amittit, & non amittit consecrationem.

394 *Amittit consecrationem.* SI Templum consecratum secundùm longitudinem, vel amplitudinem extendatur ita, vt pars denuò facta reliquum corpus magnitudine superet, nouam requirit consecrationem; si verò superetur, Episcopus aspergit illam partem denuo factam aqua benedicta, iuxta Glossam ad cap. *Proposuisti, verbo, Reconciliatio.* Cæterùm si totum Templum vel maior eius pars per temporum interualla corruat, & instauretur, quæsierim, num consecrationem amittat? Amittit quidem. Quia in veritate non est eadem Ecclesia licet talis moraliter censeatur. At in rebus spiritualibus potius rei veritas, quam iuris fictio est consideranda. Sic Abbas *ad cap. Proposuisti numero 7.* Innocent. *in Rubr. de consecratione Eccles.*

395 *Non amittit consecrationē.* Non amittit consecrationem. Quia Ecclesia quæ paulatim reficitur, sicut & nauis, quæ reparatur, non solùm iuris fictione sed re verâ censetur eadem, eo quod partes sibi succedūt, & sacrum si maius est, trahit ad se non sacrum, iuxta legem *Quod in rerum, §. final. ff. de legat.1.* & Glossam *in cap. si motum, v. Altare de consecr. Eccles.* Ita Laym. *l.5.tr.5.c.5.n.16.* Azor. *to.1. l.10.c.26.q.12.* Fagund. *præc.1.l.3.c.14.n.59.* Coninch. *q.83.n.235.* & alij.

396 *Quid sentiā.* Scio Laymannum hanc amplecti sententiam quando Templi parietes (etiam omnes) per temporum interualla casu corruerunt, & instaurati sunt: si tamen ex intentione vel omnes, vel ferè omnes Templi parietes vnus post alium quasi continuatis operis diruantur, & reparentur valdè probabilem Abbatis sententiam reputare; quia in re morali multum valet operantis intentio. Ego autem vniuersaliter negarim, requiri nouam consecrationem, nisi vel omnes parietes, vel maior ipsorum pars simul diruantur. Quamvis itaquè talis adsit intentio, eadem manet Ecclesia; quia re vera Ciuitas eadem est, quamvis ex intentione illam pulchriorem reddendi paulatim omnes ædes destruantur, & reædificentur.

PROBL. LXXI.

Locus sacer est, & non est violatus per occultam causam, antè eiusdem manifestationem.

397 *Violatus non est.* VIolatus non est. Quia ius non exigit Ecclesiæ reconciliationem dum causa violationis est occulta. Ergo non vult Ecclesiam violari per occultam causam: alioquin vellet, vt in Ecclesiâ violatâ celebrarentur diuina officia, dum eius violatio aut violationis causa non manifestatur. Sic Vasq. *1.2.d.98.n.6.* Basil. Legion. *de Matrim.l.10.c.10.n.15.* Fauent Angles, Sotus, Vega, Manuel, Capua, Canedo, Lopez, quos citat Sanch. *de Matrim.d.15.n.10.* docentes, effusionem seminis occultam in loco sacro non habere malitiam lethalem sacrilegij necessariò confitendam, quia per illam non violatur Ecclesia.

398 *Est violatus.* Est planè violatus, post datam occultam causam violationis antequam publicetur, quamvis non egeat reconciliatione, nec à celebratione abstinere teneamur, dum causa manserit occulta. Quia copula (ex gr.) etiam occulta in loco sacro sacrilega est grauiter. At vbi primum de tali copula constiterit, sine nouâ culpâ, vel causâ, ceusetur locus violatus, & eget reconciliatione: sed non violatur per talem notitiam: Ergo supponitur per occultam causam violatus: & tunc eget reconciliatione, quando publicum scandalum debet publica satisfactione compensari. Sic Lessi. *l.4.c.3.n.87.* Azor. *tom.1.l.10. c.31.q.6.* Antonin. Palud. Tabie. Adrian. Nauar. quos sequitur Sanchez citat Nauar. *cap. 27. n.256.*

399 Profectò hi Doctores asserunt, per violationem

Dari violationem secretam non vetati celebrationem. Ergò planè supponunt, dari violationem secretam, quæ reconciliatione non egeat. Et sic intelligo Doctores, qui simpliciter asserunt, per occultum crimen Ecclesiam non violari; vel non censeri pollutam; solùm enim negare volunt, violationem actualem, quæ celebrationem impediat, & egeat reconciliatione; non verò negant violationem occultam, quam habitualem vocitarim.

PROBL. LXXII.

Post Concilium Constantiense ad violationem publicam Ecclesiæ, requiritur, & non requiritur Iudicis sententia declarans, sacrum locum esse violatum.

400 Requiritur. REquiritur planè. Quia Concilium Constantiense præscribit, vt nemo teneatur abstinere à quibuscumque diuinis prætextu cuiuscumque sententiæ, vel censuræ à iure vel ab homine generaliter promulgatæ, donec in particulari, seu nominatim declaretur. Ideò non tenemur Interdictum seruare, donec per Iudicem denuncietur. Sed hæc Ecclesiæ violatio, vel est quoddam Interdictum, vel saltem est sententia quædam iure lata. Ergò merito censeri potest sub illo decreto Concilij Constantiensis comprehensa. Sic Ioan. de la Peña 3. *p. q.* 64. Probabile reputat Suarius *disp.* 81. *sect.* 4. Fagund. *præc.* 1. *lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 34. Diana *p.* 6. *tract.* 6. *resol.* 27.

401 Non requiritur declaratio. Non requiritur, sed sufficit, causam violationis innotescere notorietate facti, vel iuris, vt Templum egeat reconciliatione. Quia violatio loci sacri non est propriè Interdictum nec intelligitur Interdicti nomine, vel censuræ. Quare decretum Concilij Constant. ad Ecclesiæ pollutionem non extenditur. Ità Suarez citatus, & *tom.* 3. *d.* 87. *sect.* 1. *num.* 28. Fagund. *præc.* 1. *lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 34. Card. de Lugo *distinct.* 20. *numero* 55.

402 Secus si non sit notorium. Scio Eminentissimum Cardinalem de Lugo citatum asseruisse, esse Romæ praxi receptum, vt Ecclesiæ reconcilientur, etiam si violatio denunciata non fuerit. Reor autem eandem esse aliarum Diœcesium praxim, vnde contrarium solvitur fundamentum. Quare secundam sententiam probabiliorem iudicarim.

PROBL. LXXIII.

Simplex Sacerdos ad reconciliandam Ecclesiam benedictam, indiget, & non indiget Episcopi facultate.

403 Hypothesis. QVando violatur Ecclesia, vel Cæmeterium, quæ solùm erant benedicta reconciliari potest per simplicem Sacerdotem cum aquâ benedicta communi. Sic habetur Cap. *si Ecclesiæ* iuxta Gloss. *de Consecrat. Eccl.* & docent communiter Doctores. Rituale Romanum præscribit huius reconciliationis ritum, & requirit aspergillum de herbâ hyssopo factum. Quæsierim autem an simplex Sacerdos ad huiusmodi reconciliationem Episcopi facultate indigeat?

Indiget quidem. Quia Rituale Romanum præscribit, Ecclesiam violatam, si nondum erat ab Episcopo consecrata, per Sacerdotem ab Episcopo delegatum esse reconciliandam. Sic Bonac. *de Matr. q.* 4. *punct.* vlt. *n.* 27. asserens, sic esse praxi receptum in Mediolanensi Diœcesi. 404 *Indiget facultate.*

Minimè indiget. Quia textus in eo cap. *Ecclesia*, id non exprimit, imò contrarium indicat, quatenus inquit, *Protinus lauetur*, quod præstari non posset, si Episcopi facultas esset expectanda. Ita Auila *part.* 5. *dist.* 7. *dub.* 4. *conclus.* 1. Fagund. *præcept.* 1. *libr.* 3. *capite* 4. *numero* 7. & 60. 405 *Non indiget.*

Ego verò cum Laymanno *l.* 5. *tr.* 5. *n.* 12. iudico, expedire quidem vt facultas ab Episcopo, vel ab eius Vicario (si facilè potest) impetretur, & peti alicubi solere: non tamen esse necessariam. Ne tamen querelæ suscitentur, monuerim in vnaquaque Diœcesi receptæ praxi hæresceret prudens esse consilium. 406 *Recepta praxi hæresceret.*

PROBL. LXXIV.

Episcopus potest, & non potest simplici Sacerdoti concedere facultatem reconciliandi Templum consecratum violatum.

SCio, Templum, vel Cæmeterium ab Episcopo consecratum si violetur, reconciliari debere per Episcopum proprium, vel per alium Episcopum de licentiâ proprij cum aquâ, quam ipse, vel alius Episcopus benedixerit, cinere immixtam. Habetur cap. *Proposuisti*, & cap. *Aqua, de consecr. Eccl.* Scio, posse Papam simplici Sacerdoti committere Ecclesiæ consecratæ reconciliationem. Quia per apicem potestatis Pontificiæ potest committere simplici Sacerdoti circà corpus Christi mysticum, quædam, quæ pertinent ad potestatem Ordinis Pontificalis. Quæsierim verò, num Episcopus possit etiam simplici Sacerdoti concedere facultatem reconciliandi Templum consecratum violatum? 407 *Nonnulla suppono.*

Potest equidem. Quia sic est praxi receptum non contradicente, sed potius annuente Pontifice. Sic Victor. *q.* 99. Sa *v. Ecclesia, n.* 20. Sylui. *3. p. q.* 83. *a.* 3. 408 *Potest concedere.*

Minimè id potest Episcopus. Quia cap. *Aqua*, Consuetudo Bracharensis Ecclesiæ, qua solebant Episcopi simplicibus Sacerdotibus committere Ecclesiæ reconciliationem consecratæ, corruptela vocatur. Et quia licet Episcopus committere valeat, quæ iurisdictionis sunt, quæ tamen Ordinis sunt Episcopalis, non potest inferioris gradus Clericis demandare. Consonat Rituale Roman. dicens: *Simplex Sacerdos tantum ex priuilegio Sedis Apostolicæ potest Ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare; & tunc vtatur ritu in Pontificali præscripto, cum aquâ per Episcopum ad hunc vsum benedictâ.* Ita Henriq. *l.* 9. *c.* 27. *n.* 6. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *q.* 14. Suar. *d.* 81. *sect.* 4. Fagund. *præc.* 1. *l.* 3. *c.* 14. *n.* 7. & 60. qui referunt alios. 409 *Non potest.*

Censuerim hanc sententiam communem esse præferendam. Si verò contraria praxis alibi 410 *Hanc præfero sententiam.*

cubi vigeat, damnanda non erit; quia ibi forsan consuetudo iuri communi ex tacito Pontificis consensu derogauit. Hoc certum assero Regulares posse ex priuilegio Pontificis Templum, vel Altare post consecrationem pollutum reconciliare cum aquâ (cui vinum ac cinis simul admiscetur) per Episcopum benedictâ, vel per Prælatum Regularem, si distet Episcopus duabus dietis, ideſt, leucis quatuerdecim.

PROBL. LXXV.

Per Missæ celebrationem reconciliatur, & non reconciliatur Ecclesia violata.

411 *Tollitur violatio.* PRæmitto illam Missalis Rubricam *de defectib. §. 10. n. 2. Si Sacerdote celebrante, violetur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa: si post Canonem, non dimittatur.* Quæsierim autem, an per hanc celebrationem, quando Missa non dimittitur, vel aliam similem, violatio tollatur, & Ecclesia reconcilietur? Tollitur violatio, & Ecclesia reconciliatur. Quia dignitas tanti sacrificij, sanctitas talis immolationis, præsentia Domini ci corporis & sanguinis censetur meritò non solùm sufficiens, sed profluens Templi violati reconciliatio. Sic Henriq. *l. 9. c. 27. n. 5. & 6.* Auila *p. 5 d. 7. dub. 3.* Bonac. *de Matrim. q. 4. pun. vlt. n. 27.* Sa *v. Ecclesia, n. 19.* Diana *p. 2. tr. 14. resol. 69. & p. 6. tr. 6 resol. 28.* Limitat Castro *de lege pœn. l. 2. c. vlt.* & Naldus *v. Ecclesia, n. 24.* Si celebratio fiat bonâ fide. Sa verò dicit, etiam si malâ fide celebratum sit, quod Diana amplectitur; quia efficacia celebrationis ad reconciliatam Ecclesiam pollutam, non potest pendere ab ignorantiâ, vel bonâ fide celebrantis, quæ solùm conducit ad excusandum eius peccatum.

412 *Non tollitur.* Non tollitur violatio, nec reconciliatur Ecclesia. Quia eodem modo Templum nondum consecratum, aut benedictum, semel inibi celebrata Missa, non egeret alia consecratione, seu benedictione. Nam sicut Missæ dignitas æquiualet reconciliationi, pariter æquiualet, imò præponderat consecrationi, vel benedictioni. Et quia tam Ecclesiæ violatio, quàm eius reconciliatio iure Canonico fuit introducta; quare sicut non violatur nisi per causas ab Ecclesiâ designatas: ita nec potest reconciliari nisi verbis, & ritibus ab Ecclesiâ præscriptis. Sed nullum ius Canonicum tribuit Missæ vim reconciliandi Templum violatum: Ergo nullo in casu celebratio Missæ vim habet tollendi violationem. Ita Laym *l. 5. tr. 5. c. 5. n. 13.* Fagund. *præc. 1. l. 3. c. 21. n. 15.* Card. de Lugo *d. 20. n. 62.* Portel. *in addit. ad dub. Regular. v. Ecclesia. num. 5.* Sayr. *de consecr. l. 5. c. 16. n. 11.*

413 *Hanc sententiam amplector.* Scio Episcopum, vel eius Vicarium posse dare licentiam faciendi sacrum in Ecclesiâ violatâ, nimirum donec reconcilietur. Quare supponi videtur, per illam celebrationem non reconciliari. Ego quidem sententiam primam non auderem in praxi sectari, quia illam probabilem per locum intrinsecum vix reor. Per locum autem extrinsecum illam tot Doctoribus munitam esse tutam existimo.

PROBL. LXXVI.

Heremitoria quædam, Hospitalia, oratoria, vel similia loca, quæ nec consecrata, nec benedicta sunt, erunt, & non erunt violationis periculo obnoxia.

HIusmodi loca ab Episcopo deputata ad celebrandum, quæ nec consecrata, nec benedicta sunt, nec in eis fidelium cadauera sepeliuntur, non sunt violationis capacia. Quia hæc res est odiosa, & pœnalis, vnde restringi debet ad Ecclesiam propriè dictam, quoties iura dicunt, vel supponunt locum sacrum, aut Ecclesiam violari: sed Ecclesia propriè non dicitur, quæ non est consecrata, vel benedicta, & diuinis Officiis destinata: Ergo talis locus non est capax violationis. Sic Henriquez *libro 9. capite 27. numero 5.* Manuel. *in summâ tomo 1. capite 154. numero 13.* Sa *v. Ecclesia, numero 13.* Suarez *distinctione 81. sectione 4.* Graff. *1. parte libro 1. cap. 20. num. 28. & libr. 2. cap. 83. num. 10.* Coninch. *quæst. 83. num. 236.* 414 *Nō sunt violationis capacia.*

Sunt capacia violationis. Quia hæc loca gaudent immunitate tauquam sacra: Pariter ergo sunt violationis capacia. Et quia Episcopi deputatio talem locum perpetuò diuino cultui, & Missarum celebrationi destinantis est veluti consecratio quædam supplens benedictionis effectum. Vnde iam dicitur locus religiosus, nec ad vsus profanos potest redire, vt habetur capite *Ad hæc, de religios. domibus.* Ità Sanchez *de Matrimonio, libro 9. distinctione 15. numero 39.* Suarez (qui videtur mutasse sententiam) *tomo 1. de Religion. tractatu 2. libro 3. capite 9. numero 3.* Cardinal. de Lugo *dist. 20. num. 6.* 415 *Sunt capacia violationis.*

Video huic sententiæ fauere Gregor. VIII. *capite fin. de consecratione Eccles.* generaliter asserens, Ecclesiam non consecratam si polluta fuerit sanguine, vel semine, debere reconciliari. Et Glossa *ibi* reddit rationem. Quoniam ille locus authoritate Episcopi diuino cultui dicatus sit, ita vt ad profanos vsus redire non debet. Vnde censeo hanc sententiam iure communi valdè probabilem apparere, contrariam verò nunc in praxi seruari. Vnde monuerim, seruandam esse Regionum consuetudinem. Sed quoniam in rariis euentibus, sicut non potest praxis esse frequens, ita constans esse assolet: vbi non constiterit praxis recepta, vtramque sententiam reputo probabilem, & securam. 416 *Auctoris iudicium.*

CAPVT

CAPVT XXI.

Circa Altare, & eius Ornatum.

PROBL. LXXVII.

Pyxis, in quâ recipienda est Eucharistia, debet, & non debet esse benedicta.

417 Non debet necessariò benedici Pyxis. Quia nullo iure huiusmodi præscribitur benedictio. Nec sufficit, quod in Pontificali ponatur; nam plures ibi apponuntur benedictiones pro certis ornamentis, pro reliquiarum vasis, pro campanis, cum tamen hæc omnia non sit necessum benedici. Nec Rubrica Missalis vrgere videtur: quia forsan non continet præceptum, sed consilium, aut instructionem pro decentia. Sic Palud. Tabie. Sotus, Sylvest. quos sequitur Henriq. *l.9.c.28.num.3.* Vasq. *d.233.c.2.* Nuñus *3.p.q.83.a.3.dub.5.* Coninch. *q.83.n.245.* Bonac. *disp.4.quæst.vltim. puncto 9.num.25.* Diana *parte 2.tract.15.resol.2.* Fagund. *præc.1.l.3.cap.21. num.23.*

418 Debet necessariò benedici. Quia tam Pontificale, quàm Missale Clementis VIII. specialem pyxidis apponunt benedictionem: & Rubrica Missalis *de ritu celebr. §.2.n.3.* Sic ait: *Si consecraturus est plures Hostias pro communione faciendas, locet eas super corporale, vel in aliquo calice, aut vase mundo consecrato.* Vbi per consecrationem intelligit proculdubio benedictionem, quam in fine Missalis assignat. Irà Suarez *d.81.sect.7.* Reginald. *l.29.n.201.* Petr. de Ledesm. *sum.tom.1.tr.de Euch.c.21.* Moure *p.3.c.5. §.12.n.9.*

419 Equidem valdè decet, pyxidem benedici, priusquam Eucharistiam excipiat, ita enim partis vtriusque Doctores profitentur, & hoc saltem probare existimo partis affirmantis fundamentum. Asserо tamen non esse necessariam huiusmodi benedictionem; quia non extat ius illam præscribens. Addiderim, consuetudinem, etiam post Missale Clementis VIII. generalem non esse. Licèt enim Clerici timorati, & exacti Pyxide vtuntur benedictâ, qui minus sunt sacrorum rituum vestigatores, hanc non curant geri benedictionem. Ego monerem, Rubricam obseruari, quia obligare saltem sub veniali iudico.

PROBL. LXXVIII.

In Arâ consecratâ debent, & non debent Sanctorum reliquiæ reponi.

420 Debent profectò. Quia in Cap. *Placuit 26.de consecr. dist.1.* præcipit Concilium Africanum, vt Altaria, quæ sine reliquiis, euertantur. Idem habetur in Concil. Carthagin. 5. *c.14.* Consonat Concilium septimum generale quod est Nicenum 2. *Canon.9.* Accedit Ecclesiæ consuetudo, quam satis indicant illa verba Sacerdotis ad Altare post Confessionem accedentis: *Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hîc sunt.* Sic Canonistæ ad Caput *Placuit.* Sylvest. *v.Altare, q.1.* Armil. *ibi, n.5.* Scortia *l.2.c.14.n.4.* Azor. *tom.1. l.10.c.27.q.8.* addens, ità Sanctorum reliquias ad consecrationem Altaris pertinere, vt sine reliquiis appositis consecratio non valeat. Censet verò sufficere, si subtus Altare fixum reliquiæ Sanctorum sint conditæ.

Minimè apponi necessariò debent, vel ad 421
substantiam consecrationis Altaris, vel ad ali- *Non debent apponi.*
cuius Ecclesiastici præcepti obseruantiam. Quia ex vsu constat moderno, & arguitur constare ex antiquo, Canones namque contrarium non conuincunt, vt ex contextu Conciliorum facilè deducitur. Et si olim præceptum fuit apponendi reliquias in Altaris saltem fixi consecratione, certè iam cessauit, per contrariam consuetudinem, quæ præcipuè videtur inducta, quoniam in tantâ Templorum & Altarium multitudine certæ Sanctorum reliquiæ vix possent omnibus adhiberi. Ita Hugo, & Astien. apud Sylvest. citat. Angel. *v.Altare n.3.* D.Thom. *3.p.q.83.art.3.* Sotus *in 4.dist.13.q.2. art.3.*

Censuerim, ad Ecclesiæ attinere Præsules, 422
prouidere, si commodè possit, vt antiqua con- *Quid opinor.*
suetudo reponendi reliquias in singulis Altaribus perseueret, si quidem perseuerat Sacerdotis Oratio, *Per merita Sanctorum, quorum reliquiæ hîc sunt.* Quamvis enim sufficienter verificentur illa verba, quoniam aliquando vel in Altari, vel in Templo verè reliquiæ sunt, etsi quandoque desint; tamen magis formaliter, & propriè verificabuntur, vbi re verâ reliquiæ fuerint repositæ. Asserо tamen nullatenus esse de substantiâ consecrationis Altaris, si omninò desint.

PROBL. LXXIX.

Quoties in ligno, quo claudùtur Ara consecrata, fuerit paruus ille lucellus, quo reliquiæ conduntur; amoto ligno à lapide, tollitur, & non tollitur consecratio.

Altare viaticum, quando consecratur cum 423
reliquiis diuersimodè solet habere sepul- *Nonulla supra ponc.*
chrum, & sigillum, (sepulchrum dicitur paruus lucellus, in quo reliquiæ conduntur: sigillum verò vocitatur operimentum sepulchri aut lucelli.) Nam interdum lignum ipsum est sepulchrum, & lapis sigillum; interdum in ipso lapide sepulchrum apponitur & sigillum: & tunc vel non additur lignum, vel additur solum ad conseruationem, & augmentum Altaris.

Igitur quoties in ligno fuerit sepulchrum, 424
per amotionem lapidis à ligno ipsius tollitur *Tollitur consecratio.*
consecratio. Quia præterquam quod ex cap.1. & 3. *de consecrat. Eccles.* constat, reliquiarum sepulchrum (saltem quando consecratur Altare cum reliquiis) est de substantia consecrationis: Vnde quando sepulchrum est in ipso lapide ac dimouetur ab ipso, consecratio perdi

perditur, quamvis lapis non sit in ligno: & quando sepulchrum in ligno adest, & ab ipso lapis amouetur. Sic Sylvest. *v. Altare, n.* 6. Angel. *ibi, n.* 2. Armil. *n.* 11. Sa correctus *n.* 1. Henriq. *l.* 9. *c.* 18. *n.* 1. Azor. *tom.* 1. *l.* 10. *c.* 27. *q.* 12. Laym. *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 3. Reginald. *lib.* 29. *num.* 192.

425 *Non tollitur.* Altare portatile vel fixum per amotionem, aut fractionem sepulchri, vel sigilli, non amittit consecrationem. Quia nec illud sepulchrum vel sigillum est de consecrationis essentia, vel substantia, sicut nec reliquiarum appositio: nec in eo forma consecrationis, vel Altaris consistit, nec id vllo iure cauetur. Ita Suar. *d.* 21. *sect.* 5. Coninch. *q.* 83. *n.* 240. Auersa *quæst.* 11. *sect.* 13. Franc. de Lugo *de Sacrament. libr.* 5. *cap.* 8. *qu.* 3. *n.* 25.

426 *Idem assero.* Idem assero. Nam in *cap.* 1. & 3. relatis solum deciditur, Altare consecrationem amittere, si tabula ipsius, seu mensa, in quâ est sigillum, frangatur; non quia sigillum frangitur; (potest enim ea fractio contingere, quamvis sigillum maneat illæsum) sed quia mensa lapidea frangitur, quæ per se immediatè consecratur.

PROBL. LXXX.

Quoties Altaris cornua, quæ assolent vngi, franguntur, perditur, & non perditur Altaris consecratio.

427 *Peritur consecratio.* PErditur planè. Quia in cornibus Aræ per vnctionem consecratio recipitur. Quare sublatis per fractionem, seu diminutionem consecratio deficiet. Sic Sylvest. *v. Altare, n.* 6. *q.* 8. Armil. *ibi num.* 10. quos sequuntur Bonac. *dist.* 4. *q. vlt. punct.* 9. *n.* 15. & Henriq. *l.* 9. *c.* 28. *num.* 1. *lit. K.*

428 *Non perditur.* Minimè perditur. Quia contraria sententia nullo iure fulcitur. Quamvis enim vnctio fiat in omnibus, tota tamen mensa seu Ara consecratur: ideóque dum debitæ quantitatis formam retinet, quæ scilicet capiendo Calici cum patenâ sufficiat, consecrationem non amittit, cum adhuc maneat apta consecrationi. Ita Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *cap.* 6. *num.* 5. Card. de Lugo *dist.* 20. *num.* 75. Suar. *dist.* 81. *sect.* 5. Coninch. *quæst.* 83. *n.* 239. Fagund. *præc.* 1. *l.* 3. *capite* 22. *num.* 4.

429 *Cum his opinor.* Cum his opinor. Nam in dubio nec execratio præsumi debet, nec iteranda est consecratio. Quidquid igitur sit de cornuum fractione consecratio Altaris non amittitur, quoties vna eius pars Calicem cum patenâ capit.

PROBL. LXXXI.

Parua Palla, qua Calix cooperitur, est & non est de essentia ornamentorum Altaris.

439 *Non est de ornamentorum essentia.* VIdimus *sect.* 1. requiri paruam pallam seu filiolam, qua Calix cooperitur. Hæc quidem non est de essentia ornamentorum Altaris, potestque proindè serica esse, ac non benedicta, Quia si necessaria esset ex lineâ telâ esset elaboranda sicut corporale: at vsus obtinuit paruas hasce pallas elaborare serico, vel auro, vel in modum retis. Quiquidem mos ideò receptus est, quia parua palla non tangit immediatè species consecratas sicut corporale. Sic Sotus *in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 5. Moure *part.* 3. *c.* 5. §. 11. *num.* 10. & 12. Manuel *in sum. tom.* 1. *cap.* 247. *num.* 18.

Quandoquidem iuxta præsentem Ecclesiæ morem corporale non sufficit ad Calicem operiendum, hæc parua palla tàm necessaria est, quam corporale ipsum, ideóque benedicta, & linea saltem quoad interiorem partem, quæ Calicem attingit: nam in exteriori potest esse, vel auro, vel serico, vel in modum retis elaborata. Quia sic Missale præscribit *in ritu celebrandi* §. 1. Ita Suar. *d.* 81. *sect.* 6. Filliuc. *tr.* 5. *n.* 125. Reginald. *l.* 29. *n.* 195. Fagund. *prac.* 1. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 2. & *c.* 22. *n.* 11. Vasq. *d.* 233. *c.* 4. 431 *Est de essentia ornamentorū.*

Certè iuxta præsentem praxim communiorem parua palla pars est corporalis & per consequens necessarium ornamentum, & eandem materiam, ac benedictionem requirit. Cuius omissionem mortale ex suo genere esse peccatum reor, oppositamque sententiam vix esse probabilem. 432 *Idem opinor.*

PROBL. LXXXII.

Purificatorium, ad abstergendum Calicem, debet, & non debet esse benedictum.

BEnedictum esse non debet. Quia id nullo iure cauetur, nec in Missali præscribitur, nec vllibi eius benedictio apponitur. Sic Bonac. *d.* 4. *q. vltim. punct.* 9. *n.* 22. Card. de Lugo *d.* 20. *n.* 76. Reginald. *l.* 29. *num.* 203. Suar. *d.* 81. *sect.* 8. Gauant. *in Missal. p.* 2. *tit.* 1. *lit. I.* Auersa *qu.* 11. *sect.* 13. 433 *Nō debet necessariò esse benedictum.*

Purificatorium debet esse benedictum. Quia quod de corporalibus generaliter præscribitur, de Purificatoriis etiam est capiendum, scilicet ob ministerij reuerentiam, ac puritatem. Et quia vt edocet D. Thom. 3. *p. q.* 82. *a.* 3. Eucharistia ob reuerentiam ipsi debitam à nullâ re tangitur, quæ non sit consecrata. Vnde corporale, Calix, & manus Sacerdotis consecrantur, ad tangendum hoc Sacramentum: At etiam Purificatorium tangit illud, quando scilicet eius reliquiæ in patenâ manent, vel in Calice: debet igitur benedici. Ità Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 12. Fagund. *prac.* 1. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 30. Franc. de Lugo *de Sacram. l.* 5. *c.* 7. *q.* 7. *n.* 36. 434 *Debet esse benedictum.*

Hic hæreo, ratus, haud consequenter à Missali præscribi benedictionem mapparum Altaris, quæ minus attingunt Eucharistiam si nollet Purificatorium benedici. Vnde cum in fine Missalis ponitur benedictio tobalearum, seu linteaminum Altaris, reor ibi comprehendi Purificatorium, quod primo cooperit Calicem, deinde patenam, & ipsis abstergendis deseruit. Quare tutius erit illud, sicut reliqua linteamina benedici. *Tutius* dixi, quia oppositam sententiam tutam esse existimo. 435 *His hæreo.*

PRO

PROBL. LXXXIII.

Præter Corporale requiruntur, & non requiruntur tres Mappæ in Altari ad Missæ celebrationem.

436 Tres mappæ requiruntur.

DVæ solùm mappæ præter corporale requiruntur vna totum operiens mensam, altera breuior supra Aram: imò sufficit vna plicata. Quia sic vsus habebat. Sic Palud. Innocent. quos sequitur Sylvest. *v. Missa, n.* 2. Armil. *ibi, n.* 6. Suar. *d.* 81. *sect.* 6. Fagund. *præc.* 1. *l.* 3. *c.* 22. *n.* 12. Henriq. *l.* 9. *c.* 28. *n.* 3. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 11. Filliuc. *tr.* 15. *n.* 124.

437 Tres mappæ requiruntur.

Tres Mappæ præter Corporale requiruntur. Quia Pius V. in suo Missali, dum §. 10. *de defect. occurrent. in Missâ* agit, inter alios numerat, *Si Altare non sit tribus mappis ornatum.* Et Clemens VIII. *in suo Missali in Rubricis generalibus* §. 10. inquit: *Altare operiatur tribus mappis seu tobaleis mundis, ab Episcopo, vel alio habente potestatem benedicendi, Superiori saltem oblonga, quæ vsque ad terram pertingat, duabus aliis breuioribus, vel vna duplicata.* Ità Ang. *v. Missa, n.* 35. Card. de Lug. *d.* 20. *num.* 76. Auers. *quæst.* 11. *sect.* 13.

438 Tres mihi non sufficiunt.

Iam quidem duæ Mappæ non sufficiunt præter corporale. Quia illa Rubrica saltem obligat sub veniali. Quare non possunt non mirari Doctores aliquos scribentes post Clementem VIII. hanc obligationem non aduertisse.

PROBL. LXXXIV.

Mortale peccatum est, & mortale non est peccatum, sine Mappis celebrare.

439 Mortale est.

ESt mortale. Quia est contra communem totius Ecclesiæ consuetudinem grauiter cõducentem ad huius sacrificij reuerentiam. Sic Sylvest. Nauar. Medina, Sotus, & alij, quos sequitur Fagund. *præc.* 1. *l.* 3. *c.* 22. *n.* 13. Suar. *d.* 81. *sect.* 6.

440 Mortale non est.

Mortale non est, ne secundo linteo celebrare. Quia res non est tam grauis. Ita Azor. *tom.* 1. *l.* 10. *c.* 28. *q.* 8. Moure *p.* 3. *c.* 5. §. 11. *n.* 8. Angel. *v. Missa.* & alij asserentes, si necessitas celebrandi vrgeat, tres mappæ non suppetant, vnam sufficere, vel saltem, secluso contemptu, & scandalo, non esse mortale. Imò Moure adiicit, etiam si non vrgeat necessitas, veniale solùm esse piaculum.

441 Quid sentiam.

Ego autem existimo, si qua adsit necessitas, excusari mortale peccatum, si verò nulla sit necessitas, & adhibeatur duplex solummodo mappa, forsan esse veniale: si apponatur vnica, forsan esse mortale. Nec enim est facilè materiam grauem à leui circa singula præcepta discernere.

PROBL. LXXXV.

Mappæ Altaris debent, & non debent esse benedictæ necessariò.

442 Benedictæ esse debent.

NEcessariò benedictæ esse non debent. Quia id in iure non cauetur, nec consuetudine asseruatur. Sic Suar. *d.* 81. *sect.* 6. Fagund. *præc.* 1. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 10. & 13.

443 Non debent.

Benedictæ debent esse. Quia sic expressè Missale præscribit. Ita Card. de Lugo *dist.* 20. *num.* 76. Auersa *quæst.* 11. *sect.* 13. Gabr. *in Canon. lect.* 13. Sylvest. 9. *Benedictio, n.* 5. Azor. *to.* 1. *l.* 10. *cap.* 28. *quæst.* 8. Bonac. *dist.* 4. *quæst. vltim. punct.* 9. *num.* 25. Qui tamen addunt, in casu necessitatis, vt cum aliæ non habentur, posse mappas laicorum adhiberi, & deinde sicut prius vsibus applicari profanis; quia non fuêre nisi ad tempus sacro ministerio deputatæ.

444 Auctoris placitum.

Equidem à peccato non excusarem, citra vllam necessitatem mappas non benedictas adhibere, vel ipsarum non curare benedictionem. Non tamen reor, id fore mortale; quia talis benedictionis omissio non habet coniunctam magnam sacrificij irreuerentiam. Si qua verò necessitas subesset, nimirum celebrandi die festo, (quin etiam profesto,) nec haberi possent mappæ benedictæ, putarim excusari veniale peccatum, ne sacrificium ob illum defectum omittatur. Mappas verò semel celebrationi adhibitas rursus profanis vsibus applicare non auderem.

PROBL. LXXXVI.

Corporale potest, & non potest ex Cannabe fieri.

445 Non potest fieri.

NOn potest. Quia c. *Consulto*, purum, lineum vel linteum terreno lino procreatum exigit: sed Cannabis specie differt à lino iuxtà peritorum existimationem: Ergo Corporale fieri non potest ex Cannabe. Sic Sylvest. *v. Benedictio, n.* 5. Suar. *d.* 81. *sect.* 6. Filliuc. *tr.* 5. *n.* 125. & alij.

446 Fieri potest.

Potest Corporale ex Cannabe fieri. Quia licet Cannabis specie à lino differat, tamen vsus communis tam ex Cannabe, quàm ex lino conficit vestes etiam intimas, & albas, quæ quidem indifferenter vestes lineæ reputantur. Quin telæ Byssinæ tenuissimæ (Hispanè *olandas*) fieri dicuntur ex cannabe. Ità Tabie. *v. Missa, n.* 10. Armil. *ibi n.* 6. Reginald. *lib.* 29. *num.* 195. Azor. *tom.* 1. *l.* 3. *c.* 28. *quæst.* 8. Bonac. *d.* 4. *q. vlt. punct.* 9. *num.* 24.

447 Cum his opinor.

Ego quidem, vsu receptum existimo, Altaris pallas, imò Corporalia ex cannabe, apud Oppida illa, vbi cannabis germen magis quàm lini profluit, elaborari. Cui praxi cap. *Consulto* non repugnat. Quoniam in antiquâ lectione dicebat. *In puro lineo*, vel *linteo*, sub disiunctione: quasi significans, sufficere quodlibet linteum propriè dictum. Et idem de Mappis Altaris à fortiori asserendum.

PROBL. LXXXVII.

Corporalia, reliquæque Altaris mappæ possunt, & non possunt ex Gossipio (Hispanè, Algodon, *perfici.*

448 *Non possunt.* NOn possunt. Quia cap. *Consulto* præscribitur Corporalia elaboranda esse ex *lineo puro*, vel *linteo*, quod vocabulum à lineo etiam ducit originem: sed Gossipium linum non est: Ergo ex Gossipio fieri non possunt Corporalia, nec Mappæ, quæ elaboranda ex lino sunt. Moure *p.3.c.5.§.11.n.8.* & alij.

449 *Possunt.* Fieri Corporalia, & Mappæ possunt ex Gossipio. Quia Plinius *lib.19.c.1.* narrat ex Gossipio fieri linea xylina, quibus nulla vel in candore, vel in mollitie sunt præferenda. Ita Azor. *to.1. l.10.c.28.q.8.*

450 *Auctoris sententia.* Scio, tam in finis, quàm in Philippinis *Tela fit Xylina*, seu *Gossipina* (*sinabafa* vocitant) vestibus etiam intimis deseruire. At cum Plinius indicet, aliique doceant, Gossipium esse lini genus candidissimi, ac mollissimi, non putarim improbabilem Azoris sententiam, præsertim vbi praxis cœperit induci.

PROBL. LXXXVIII.

Peccat, & non peccat venialiter qui sine causâ duas saltem candelas in Missæ celebratione non accendit.

451 *Non peccat venialiter.* VNam sufficit candelam accendi, vt sine veniali piaculo quis celebrare valeat. Quia non datur præceptum rigorosè cogens ad accendendas duas; præceptum namque illud Rubricæ Missalis Clementis VIII. §. 20. maiorem solummodo respicit decentiam. Sic Suarez *distinct.81.sect.6.* Graff. *lect. 2. cap.43. num.1.* Filliuc. *tract. 5. num. 126.* Tolet. Chamerota, Coninch. Azor. Manuel. quos sequitur Bonac. *distinction.4. quæstion. vltim. puncto 9. numero 31.* Fagund. *præc. 1. lib. 3. capit. 22. num. 18.*

452 *Venialiter peccat.* Non sufficit vnicam succendi candalam, vt sine veniali culpa Missa celebretur. Quia verè in re licet leui, Missalis, Rubrica violatur. Ità Nuñus *3.p.q.83. art.4. dub. 3.* Franc. de Lugo *de Sacram. lib. 5. cap.7. quæstion. 7. numero 25.* & alij.

453 *Idem confirmo.* Ego crediderim, satis obligare Missalis Rubricam (duas *saltem* candelas requirens,) iuxta subiectam materiam: & per consequens illum qui sine causâ candelam vnicam adhiberet, venialiter deliturum. At ratione necessitatis, vel ob causam etiam non valdè grauem nullam esse culpam, vti Laym. *l.5.tr.5.c.6.n.17.* & Diana *p.2.tr.14.resol.67.* asseruêre.

PROBL. LXXXIX.

Mortale est peccatum, & non est peccatum mortale sine cereo lumine celebrare; licet enim, & non licet lumen Olei adhiberi, vel in necessitate.

454 *Mortale peccatum est.* MOrtale peccatum est, vel in necessitate sine lumine cereo Missam celebrare. Quia violatur vniuersalis Ecclesiæ consuetudo, quam approbat Missalis Rubrica *de defectib. occurrent. in Missâ §.10. n.1.* vbi ponitur inter alios defectus, si non sint luminaria cerea. Vnde Acolyti *Ceroferarij* dicti sunt, cap. *Cleros, dist. 21.* Sic Henriq. *l.9.c.26. n.3.* & *c.29.n.7.* Fagund. *prac.1.l.3.c.22.n.17.* Suar. indicat, *d.81.sect.6.*

455 *Mortale peccatum nõ est.* Peccatum mortale non est in necessitate olei lumine celebrare, quod adhberi coram Eucharistia assolet, dum absit contemptus, & scandalum. Quia hæc Ecclesiæ consuetudo non censetur in necessitate obligare: nec indecens valde est, lumen olei, Missæ celebrationi adhiberi, quod sine indecentia Eucharistico tabernaculo continuò fulgurat. Ità Suar. & Fagund. citati Vasq. *3.p.d.233. n.25.* & *26.* Nuñus *3.p. q.83. art.4. dub.3.* Bonac. *d.4.q.vlt. punct.9.n.31.* Diana *p.2.tr.14.resol.67.*

456 *In necessitate licere, licèt nõ grauis existimo.* In necessitate licere putarim. Sed requiris, qualis debeat esse necessitas. Manuel *in summ. tom.1.c.247. n.12.* grauissimam requiri putat, vt violetur præceptum, quod ipse grauissimum arbitratur. Suar. Fagund. *supra*, & Reginald. *l.29. n.196.* sufficere existimant, quod cerea candela non possit haberi, quamvis Missa ex deuotione dicatur. Sed addunt, hoc antèquam fiat, non esse consulendum: tolerandum verò, si factum fuerit. Ego quidem simpliciter reor in necessitate licere; quoniam illa vetustissima Ecclesiæ consuetudo, quamvis non sit grauis necessitas, me iudice non vrget, dum alio ex capite tot exurgant, si Missa ideò omittatur, incommoda.

PROBL. XC.

Licet, & non licet in necessitate cum lumine sebaceo vel ex adipe, vel simili ex materiâ celebrare.

457 *Minimè licet.* MInimè licet. Quia id esset indecentissimum, & ab Ecclesiæ more prorsus alienum. Vndè in quacumque necessitate mortale erit cum tali lumine Missam dici. Sic Suar. *d.81. sect.6.* Reginald. *l.29. n.195.* Fagund. *prac.1.l.3. c.21.n.25.* Filliuc. *tract.5.n.126.* Villalob. *tom.1. tr.8. diffic.26.n.4.*

458 *Licet planè.* Licet planè. Quia id nec iure veretur, nec vsus Ecclesiæ videtur in necessitate obligare. Ità Azor. *to.1.l.10.c.28.q.8.* Nuñus *3.p. q.83. a.3. dub.3.* Card. de Lugo *d.20.n.77.* Auersa *q.11. sect.13.* Bonac. *d.4.q.vlt. punct.9.n.24.* Zanard. Pitigian. & Homob. quos sequitur Diana *p.2. tr.14.resol.45.* Laym. *d.5.tr.5.c.6.n.11.*

Existimo

Existimo, ob causam etiam non valdè grauem celebrari licere cum igne ardente in sebo, modo absit scandalum. Sed primæ sententiæ libenter magis adhæserim. 458 Sic Suar.

PROBL. XCI.

Mortale crimen est, & mortale non est, sine Cruce celebrare.

459 Mortale est. Mortale est. Quia magnam eius omissio irreuentiam continet, cum Missalis Rubrica sæpè præscribi caput inclinandum esse Cruci super Altaræ collocatæ. Sic quidam Doctores apud Fagund. *præc. 1. l. 3. c. 21. n. 32.*

460 Mortale non est. Mortale non est. Quia nec in iure præcipitur, nec res secundùm se seclusoconteptu, grauis esse videtur. Ità Suar. *d. 81. sect. 6.* Regin. *l. 29. n. 197.* Villalob. *tom. 1. tract. 8. diffic. 26. n. 6.* Homobon. *in exam. p. 1. tract. 4. c. 15. q. 143.* Diana *p. 2. tr. 14. resol. 45.* Filliuc. *tr. 5. n. 123.* Bonac. *d. 4. q. vlt. pun. 9. n. 30.* Vasq. *d. 233. n. 27.*

461 Sic etiam. Sicut aliæ Rubricæ non inducunt in lesui materia grauem obligationem, sic in præsenti solam admittere existimo obligationem sub veniali. Imò cum quælibet causa excusat, à peccato veniali, nunquam Sacerdos venialiter delinquet sine Cruce celebrando, quia ipsa sola Missæ celebratio sufficit ad excusandum à veniali piaculo, nè scilicet tanto sacrificio priuetur Ecclesia.

PROBL. CXII.

Liber deest, & Sacerdos adeò est instructus, & sic de suâ memoriâ confidit, vt moraliter non dubitet, se cuncta perfectè recitaturum: sine Missali hic poterit, & non poterit celebrare sine lethali culpa.

462 Non potest sine lethali culpa. Quia in re tam graui non est ita memoriæ fidendum cum aliquo labendi periculo, quod prudenter semper est formidandum. Et quidem circa Canonis verba periculum obliuionis, aut omissionis subire graue est piaculum. Sic Fagund. *præc. 1. l. 3. c. 21. n. 23.* Coninch. *q. 83. n. 251.*

463 Potest sine culpa lethali, imò absolutè licet, quando moraliter non subest errandi periculum, & abest contemptus, & scandalum. Quia tunc non fit sacrificio irreuerentia, nec morale errandi periculum. Vnde communiter excusantur Sacerdotes illi, qui cum legere non possint ob visus debilitatem, adhuc celebrant, memoriter Missam recitantes, & videntes quantum satis sit, ad reliquas Missæ actiones ritè peragendas ita Auersa *quæst. 11. sect. 13.* Laym. *lib. 5. tract. 5. c. 6. num. 17.* Vasq. *d. 233. num. 27.* Diana *p. 2. tract. 14. resol. 46.* Card. de Lugo *d. 20. num. 78.* Petr. de Ledesm. *sum. to. 1. tr. de Euchar. c. 20.*

464 Ego quidem hanc sententiam probabilem admodum existimo. Monuerim autem cum Dianâ, si Missale desit, librum alium adhibendum eius loco propter adstantes, vt scandalum vitari possit. Certè facilius permitti potest, celebratio sine libro coram solo ministro, quàm coram multis adstantibus, vbi timor ipse labendi Sacerdotem in maiori lapsus periculo fortassè constituit.

CAPVT XXII.

Circa Vasa, ac Sacras Vestes.

PROBL. XCIII.

Bonâ sine Sacerdos celebrat in Calice, & Patenâ non consecratis: eo ipso manent, & non manent Vasa eiusmodi consecrata.

465 Manent consecrata. MANENT quidem consecrata. Quia Ecclesia polluta alia reconciliatione non eget, si quis in eâ celebrauit: Ergo Calix, & Patena consecratione aliâ aut benedictione non indigebit, postquam in illis est celebratum. Certè per contactum sanguinis Dominici sanctificatur Calix, & per contactum corporis sanctificatur patena: Ergo aliâ consecratione seu benedictione non indigent, cum nullâ possit tali contactui æquiualere, per quem iam non manet materia profana, sed sacra. Sic Celest. *in compend. Theol. tr. 8. c. 5. q. 9.* Trimarch. & Peyrin. quos sequitur Franch. de Nigro *in addit. ad Ruiz p. 6. animaduers. 8. n. 4.* Diana *p. 2. tr. 14. resol. 69. & p. 5. tr. 13. resol. 68.*

466 Consecrata non manent. Consecrata ea vasa non manent. Quia tam consecratio Calicis, & patenæ, quam benedictio mapparum, corporalium vestiúmque sacrarum fuit per Ecclesiam introducta, designatis scilicet certis ritibus & verbis per determinatas personas adhibendis ad hæc validè consecrandum, seu benedicendum: Ergo dum talis ritus, & talis forma verborum per idoneam personam non adhibentur, non erunt verè consecrata. Ita Fagund. *præc. 1. l. 3. c. 21. n. 15.* Card. de Lug. *d. 20. n. 91.* & Doctores, qui edocent, Ecclesiam pollutam per celebrationem Missæ non reconciliari.

467 Idem asserit. Idem asserueriem. Nam Ecclesia non celebrationi Missæ, sed præscriptis à se ritibus & verbis adscribit veram consecrationem, quam ipsamet in vasis, linteis, ac vestibus requirit. Fateor, Calicem, & patenam per contactum illum aliquam dignitatem moralem acquirere, ob quam ipsis aliqua veneratio debeatur: non tamen acquiruntillam sanctificationem, seu consecrationem, quam Ecclesia requirit in eis, vt ritè sacris ministeriis deseruiant. Quare secundam sententiam reputo in praxi tutam. Primam autem non ita per locum intrinsecum. De probabilitate quidem per locum extrinsecum mihi addubitandi pungit stimulus.

PROBL. XCIV.

Si Calix & Patena deaurata sint, & per vsum deauratio tollatur: amittunt, & non amittunt consecrationem.

458 *Consecrationem amittit.* QVando tota deauratio simul tollitur consecrationem amittunt. Quia tollitur subiectum immediatum consecrationis. Sic Paludan. *in 4. dist. 13. quæst. 2.* Azor. *tom. 1. lib. 10. c. 28. q. 6.*

469 *Non amittit consecrationē.* Nec quando tota deauratio simul tollitur, consecrationem amittunt. Quia non inauratio sola, sed Calix totus ac Patena consecrata censentur, quando materia est apta consecrationi, licèt suprema solum superficies inungatur. Ita Sylvest. Angel. Armil. Tabien. *v. Calix.* Henriq. *l. 9. cap. 28. n. 2.* Suar. *d. 81. sect. 7.* Coninch. *q. 83. n. 245.* Laym. *l. 5. tr. 5. c. 6. n. 6.* Fagund. *prac. l. 3. c. 21. n. 24.* Filliuc. *tr. 5. n. 132.* Bonac. *d. 4. q. vlt. punct. 9. n. 19.*

470 *Cum his opinor.* Cum his opinor, hanc esse communem praxim existimans. At certè non video, quonammodo solo vsu tota simul tolli possit Calicis, aut Patenæ deauratio. Quid si tollatur per artificem, non per vsum relicto solo argento? Consecrationem non amittere consequenter assero, quam cum inauratione simul receperat. Diuersa namque est ratio quando tollitur tota crusta Templi consecrati, quod ideò reconciliari debet, quia consecratio Templi soli crustæ adhæresci. Secus autem in Calice, cuius consecratio soli superficiei non inest. Vnde sicut manet idem absolutè Calix, sic etiam eandem absolutè consecrationem retinet.

PROBL. CXV.

Calix, & Patena argentea, vel stannea sine auro consecrantur, & inaurantur interius post consecrationem: Indigent, & non indigent nouâ consecratione.

471 *Indiget nouâ consecratione.* NOuâ consecratione indigent. Quia horum vasorum consecratio præcipuè fit ob Dominici corporis ac sanguinis contactum: ac subindè præcipuè in superficie fieri censetur, secundùm quam ille contactus fit: sed quando denuò inaurantur qua parte corpus, & sanguinem Domini contingunt, additur noua superficies illi contactui proxima: Ergo noua requiritur consecratio. Sic Angel. Sylvest. Armil. *v. Calix.* Manuel *in sum. to. 1. c. 147. concl. 21.* Moure *p. 3. c. 5. §. 12. n. 7.* Azor. *tom. 1. l. 10. c. 28. q. 4.*

472 *Non indiget.* Non indigent nouâ consecratione. Quia cum res semel consecrata nunquam amittat consecrationem quandiu manet eadem, & integra, (vt docet D. Thom. *3. p. q. 83. a. 3. ad 3.* & communiter Doctores, edifficilè videtur, quod Calix consecrationem amittat per nouam inaurationem, si quidem nec frangitur, nec ita mutatur, quin absolutè maneat idem. Quare retinere debet suam consecrationem, sicut illam retinet Ecclesia quando paulatim reficitur, in quâ pars noua censetur consecrata hoc ipso, quod consecratæ additur. Ità Durant. *in Ration. l. 1. c. 6. 36.* Coninch. *qu. 83. n. 246. & 247.* Diana *p. 2. tract. 1. resol. 3.* Card. de Lugo *d. 20. n. 95.* Probabiliùs reputat Laym. *lib. 5. tract. 5. cap. 6. num. 7.* Vasq. *d. 233. c. 3. n. 32.* primam sententiam vocat probabiliorem, subindéque secundam censet esse probabilem.

473 *Hoc probabiliùs reor.* Ego verò probabiliorem puto secundam, quia cum execratio Calicis odiosa sit, in casu dubio admitti non debet, vel sine textu manifesto. Nec vrgere iudico quod aduersarij dicunt, superficiem internam, quæ per nouam inaurationem fit, esse partem principalem, quia continet & contingit immediatè Dominicum corpus & sanguinem. Inde enim sequeretur, Calicem recens inauratum quoad vsum sacrificij diuersum esse moraliter à præcedente, si quidem nouam ideò requirit consecrationem. Vnde fieret vlterius idem esse cum inauratio Calicis consecrati deperditur, si quidem quoad vsum sacrificij principaliorem partem amittit, dum interius aurum immediatè contingens Dominicum sanguinem omnino detritum est, ac subindè quando Calix, aut Patena consecrantur inaurata, posteáque inaurationem perdunt, amitterent consecrationem: quod esse contra communem Ecclesiæ vsum quis non videat?

PROBL. CXVI.

Calix per cuppæ separationem à pede amittit, & non amittit consecrationem.

474 *Amittit consecrationem, etiam si tornatilis sit iunctura.* AMittit quidem. Quia amitti videtur forma seu figura Calicis: si quidem cuppa sine pede non est Calix aptus ad sacrificium, & ideò consecrari non potest: Ergo nec consecrationem ante receptam retinere etiam quando iunctura cuppæ cum pede tornatilis est. Sic Antonin. *3. p. tit. 13. §. 5.* Palud. *in 4. dist. 13. q. 2. a. 5. concl. 2.* Barthol. ab Angelo *de Missâ dial. 4. §. 323.* Sylvest. *v. Calix, q. 2.*

475 *Non amittit, cum iunctura est tornatilis.* Non amittit, quando cuppa separari potest à pede sine fractione, quia iunctura tornatilis est. Quia per huiusmodi separationem Calix non frangitur, sed solo nexu seu vinculo soluitur, quo cum pede cohæret: ideóque fit tornatilis, vt scyphus separatus à pede melius detergatur, aut transportetur: nec ita fieret si necessarium esset toties reconsecrare Calicem, quoties dissolueretur. Ita Suar. *dist. 81. sect. 7.* Filliuc. *tract. 5. n. 132.* Bonac. *d. 4. q. vltim. punct. 9. num. 20.* Moure *p. 3. cap. 5. §. 12. n. 8.* Coninch. *d. 83. n. 28.* Card. de Lugo *d. 20. num. 93.* Auersa *quæst. 11. sect. 13.* Henriq. cum aliis *l. 9. c. 28. n. 2.*

476 *Hanc eligo sententiam.* Hanc eligo sententiam, cuius rationem à priori sic reddo. Quia artificialis forma non solùm manet eadem quandò partes retinent eandem positionem localem physicè, seu distantiam in ordine ad se: sed etiam quando aptæ sunt ad retinendam eandem distantiam absque nouo artificio. Quapropter artefacta, quorum partes

tes nexu tornatili coniunguntur, eadem semper manere censentur.

PROBL. XCVII.

Cingulum debet, & non debet necessariò esse benedictum.

477 Non debet. Quia licet in capite *Vestimenta* Pontifex dicat, *Vestimenta Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, & sacrata esse debent, & honesta*: tamen Cingulum propriè non est vestis, sed vestium ligatura. Quapropter in quibusdam locis non solet Cingulum benedici. At si necessariò benedicendum foret, vbique benediceretur. Nec obstat, quod in Pontificali seu Missali habeatur benedictio Cinguli: nam etiam habetur benedictio Ecclesiasticorum librorum, & tamen nec sunt necessariò benedicendi, nec solent benedici. Sic Richard. *in 4. distinctione 13. art. 3. quæst. 4.* Scot. *ibi, quæst. 2. §. ad quæstionem.* Sylvest. *Missa 1. quæst. 2.* Sa *v. Missa, n. 10.* Moure *p. 3. c. 5. §. 13. n. 2.*

Tñ debet quidã. 478 Debet plane. Quia ius in præfato Cap. *Vestimenta* generaliter iubet, omnes vestes sacras benedici. At inter sacras vestes communiter Cingulum annumeratur, cuius si forsan olim non habebatur benedictio, iam nunc specialis habetur communi quidem praxi recepta: Ergo non minus requiritur benedictio Cinguli, quàm aliarum sacrarum vestium. Ita Nauar. *cap. 25. num. 84.* Azor. *tom. 1. lib. 10. c. 28. q. 9.* Molfes. *in sum. p. 1. tr. 3. c. 12. n. 31.* Ioan. de la Cruz *in Direct. p. 2. de Missâ, q. 3. dub. 4. concl. 2.* Vasq. *d. 233. c. 4. n. 49.* Villalob. *p. 1. tr. 8. diffic. 28. n. 8.*

Hæreticũ pro. 479 Scio, plures ex hisce Doctoribus asseruisse, oppositam sententiam non esse probabilem. At tam graui censura dignam esse non censeo. Sufficiat, si secundam probabiliorem esse fateamur.

PROBL. XCVIII.

Cingulum ita rumpitur, vt neutra pars diuisa ad cingendum sufficiat. Porrò retinet, & non retinet benedictionem.

480 Retinet profectò. Quia partes Cinguli, quæ renodari possunt facillimè videntur sufficienter aptæ ad cingendum, ideóque dum retinent eam aptitudinem, cur benedictionem retinere non censeantur. Sic Sa *v. Missa num. 12.* Morfes. Celest. Marchant. & Niger, quos sequitur Diana *p. 1. tr. 14. resol. 57. & tr. 15. resol. 4. & p. 5. tr. 13. resol. 92.*

Non retinet. 481 Non retinet, nec licet partibus illis iterum nexis vti. Quia per talem ruptionem cinguli amittit formam aptam suo muneri cingendi: Ergo pariter amittit benedictionem. Hanc autem semel amissam per iteratam partium connexionem non recuperat. Ergo licèt partes iterum connectantur, talis Cinguli vsus licitus non erit. Ita Reginaldus. *lib. 29. num. 160.* Coninch. *q. 83. num. 251.* Pitigian. *in 4. dict. 13. quæst. 2. art. 4.* Tanner. & Hurtad. quos sequitur Auersa *q. 11. sect. 13.* Card. de Lugo *d. 20. n. 100.* & alij.

His hæreo, & fundamentum huius sententiæ roboro, illud probans antecedens, scilicet Cingulum per ruptionem benedictionem amittere. Nam ita se habet hæc Cinguli fractio, sicut scissio Planetæ vel Stolæ in partes, & magis quam scissio manicarum ab Alba: sed hæ scissiones tollunt benedictionem: Ergò & illa. Quapropter hanc sententiam ita veram existimo, vt primam per locum intrinsecum probabilem esse non sentiam. Aliquando vidi Cingulum ruptum adhibita connexione deseruire, quod non improbaui ad locum extrinsecum referens iudicium. 482 *His hæreo.*

PROBL. XCIX.

Dimittens aduertenter vnam, aut alteram sacram vestem, scilicet Manipulum, vel Cingulum: peccat, & non peccat lethaliter.

483 *Nõ peccat lethaliter.* Non peccat mortaliter ex materiæ leuitate. Quia in quolibet præcepto, præsertim humano, materiæ leuitas à mortali excusat. Ergo excusabit in isto quod humanum est, & non ad substantiam sacrificij, sed ad ornatum pertinet. Sic Palud. *in 4. dist. 13. quæst. 2. articul. 5.* Richard. *articul. 3. quæst. 4.* Sylvest. *v. Missa 1. num. 2.* Henriq. cum aliis *l. 9. cap. 29. num. 5.* Diana *p. 2. tract. 14. resol. 86. & p. 5. tr. 5. resolut. 62.* Qui consequenter asserunt, celebrare cum Cingulo, vel Manipulo non benedicto, veniale peccatum esse ob materiæ leuitatem. Quod non improbabile censent Cardin. de Lugo *dist. 20. numero 202.* & Auersa *q. 11. sect. 13. §. communiter.*

484 *Mortaliter peccat.* Mortaliter peccat. Quia hoc præceptum directè cadit super celebrationem cum vestimentis debitis ob reuerentiam, & cultum ministerij tam sublimis, & quolibet deficiente, deficit cultus debitus tali celebrationi: sicut minimo cibo, vel potu sumpto, soluitur ieiunium sub mortali requisitum ad communionem. Ità Suar. *d. 82. sect. 3.* Bonac. *d. 4. q. vlt. punct. 9.* cum multis Vasq. *dist. 233. cap. 4.* Filliuc. *tract. 5. n. 150.*

485 *Idem censeo.* Censeo cum communi Doctorum, omissionem cuiuslibet sacræ vestis sufficientem esse peccati lethalis materiam. Quare celebrare sine Cingulo, vel Manipulo non benedicto grauem præcepti putarim violationem. Fateor tamen, primam sententiam satis esse probabilem. Nam cum grauitas obligationis circa hanc materiam, vel illam multum pendeat ab arbitrio prudentum, & tot viri prudentes arbitrentur obligationem gerendi Cingulum, vel Manipulum esse leuem; probabiliter quis potest ipsorum arbitrio adhærescere.

PROBL. C.

Licet, & non licet, ob metum mortis sine sacris Vestibus cunctis celebrare.

486 *Nonulla suppono.* COnueniunt Doctores, si metus incutiatur in Christianæ Religionis contemptum, non licere. Porrò hinc infero, moraliter non posse casum occurrere, quo sine vestibus sacris celebrare liceat. Quia moraliter non continger, vt aliquis alium adigat, incusso metu mortis ad celebrandum sine vestibus sacris, nisi ob Ecclesiæ vel Religionis contemptum, vt Conjnch. *q.*83.*n.*250. & Laym. *l.*5.*tr.*5.*c.*6.*n.*17. annotarunt.

487 *Non licet.* Quid si huiusmodi contemptus secluso, casus posset accidere? Certè nec ob mortis metum quis sine cunctis sacris vestibus celebrare non potest. Quia quamvis ex omissione vnius sacræ vestis præsertim ex minoribus, qualis est Stola, Manipulus, aut Cingulum, non sequatur tantum scandalum, aut irreuerentia tanta resultet, quæ periculo mortis præponderet. At ex omissione vestium omnium tanta resultat irreuerentia tantum scandalum generatur, vt etiam præponderare mortis debeat periculo. Sic Caiet. 1.2.*q.*96.*art.*4. Filliuc. *tract.*5.*num.*149. Fagund. *præc.*1.*l.*3.*c.*23.*n.*17. & 19. Hentiq. *l.*9.*c.*29. *n.*25.*lit.C*, Suar. *d.*82.*sect.*3. Granad. *cont.*7.*tr.*3. *p.*1.*d.*8.*sect.*5. Castro Pal. *tom.*1.*tr.*2.*d.*1.*p.*13. *num.*9.

488 *Licet planè.* Ob mortis metum potest quis sine cunctis vestibus, imò sine Ara, Corporali, Calice, Patenâ, lumine, aquæ mixtione cum vino: vel vel quod idem est vasa non sacra adhibendo celebrare. Quia humanæ leges etiam Ecclesiasticæ per se non obligant cum mortis periculo, vel alterius grauissimi damni. Nam vel Ecclesia non habet potestatem obligandi cum tanto rigore saltem regulariter, & communibus legibus; vel quia licet illam habeat, ex suaui, prudentique regimine ea non vtitur, nec quidem expedit vt vtatur communiter tam acri potestate. Ita Nauar. *c.*25. *n.*84. Salas *de legib.d.*11.*sect.*1. Vasq. 1.2. *d.*161.*c.*3. Becan. *tom.*2.*tract.*3.*cap.*6.*quæst.*4.*num.*8. Valent. *tom.*2. *d.*7. *quæst.*5. *punct.*6. *quæstiunc.*4. Azor. *tom.*1. *lib.*1.*cap.*11. *quæst.*1. Laym. *l.*1. *tract.*4. *cap.*14. *num.*9. Bonac. *de Decal.d.*2.*q.*8.*punct.*2.*num.*9. Sa *v. Missa, num.*13. Diana *p.*3. *tract.*6. *resol.*48. *&* 83.

489 *Hanc sententiã puto probabiliorem.* Ego quidem hanc sententiam probabiliorem existimo, cuius tamen praxim credo fore rarissimam. Quando enim contingit, vt secluso Christianæ Religionis contemptu per celebrationem sine vestibus sacris, aut aliis requisitis, grauissimum damnum euitetur? Quod si detur occasio, illud scandalum non erit actiuum, nec irreuerentia illa tanta vt iudicio virorum prudentum, non præponderet vitæ discrimen, dum abest contemptus.

PROBL. CI.

Licet, & non licet operto capite celebrare.

LIcet planè. Quia id nullo iure prohibetur specialiter, sed generaliter tantùm, nimirum quatenus iubemur, diuina Sacramenta reuerenter tractare. Sic Nauar. *consil.libr.*3.*tit.de celebr.Missar.cons.*4. 490 *Nõ est licitũ.*

Non licet. Quia in cap. *Nullus Episcopus, de consecratione, distinctione* 1. Sic ait Pontifex: *Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus ad solemnia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite assistere & qui temerè præsumpserit, communione priuetur.* Quibus verbis præceptum continetur. Ità Filliuc. *tractatu* 5. *numer.* 152. Fagundez *præc.*1.*lib.*3.*capit.*21. *num.*53. Azor. *lib.*10.*c.*28. *quæstion.*16. Sylueст. *v. Missa* 1.*num.*2. Angel. *ibi, num.*8. Armil. *numero* 7. Tabie. *num.* 17. Homobon. *in examine part.*1.*tractatu* 4.*cap.*15. *quæstione* 145. Zerola *in Praxi Episcop.part.*2. *v. Missa* §.11. Scort. *libro* 3. *capite* 4. *numero* 2. Diana *parte* 2. *tractatu* 14. *resolut.*58. Auerſ. *quæst.*11.*sect.*13. 491 *Licitum est.*

Existimo illis præfatis Pontificiis verbis contineri præceptum, ideóque per se loquendo peccaturum Sacerdotem, qui sine iusta vel rationabili dispensatione operto capite celebrauerit. Vnde miror Nauarrum aut non legisse, aut oblitum esse illius cap. præscriptionem. 492 *Cum his opinor.*

PROBL. CII.

Mortale peccatum est, & mortale peccatum non est, capite operto, Missæ celebrationi darè operam.

MOrtale profectò est. Quia materia satis grauis apparet contra tali mysterio debitam reuerentiam, & contra cap. *Nullus Episcopus* Problemate proximo relati testimonij præceptum. Sic Angel. *v. Missa, num.*8. Armil. *ibi, num.*7. 493 *Mortale est.*

Mortale non est, secluso scandalo; & contemptu. Quia huiusmodi materia parua reputatur, & insufficiens ad lethale delictum. Ita Petr. de Ledesm. *in sum.tom.*1.*sum.*1.*tract.de Euchar.cap.* 21.*concl.*7. Diana *p.*2. *tr.*14. *res.*58. Nec refellit Auersa *q.*11.*sect.*13.§.*Tandem.* 494 *Mortale non est.*

Equidem si tota Missa operto capite celebretur, mihi videtur, grauem esse materiam, cui graue piaculum respondebit. At si vsque ad Canonem excluſiuè caput sit opertum, & deinceps aperiatur, forsan venialis culpæ metas non transiliet actio, vt innuit Villalob. *tom.*1.*tr.*8.*dub.*29. *n.*11. & Franc. de Lugo *de Sacram.l.*5.*c.*9.*n.*48. asseruit. 495 *Auctoris resolutio.*

PRO

PROBL. CIII.

Licet, & non licet, tegere caput sacro Amictu celebrantem.

496 *Licet quidem.* Licebitne saltem, celebrâtem sacro vti Amictu ad caput operiendum? Licebit planè. Quia Amictus institutus fuit ad caput operiendum, ideóque *Galea salutis* vocitatur: & sic olim Sacerdotes, Amictu super caput posito, celebrabant; postmodum vsus obtinuit, vt Amictum collo obuoluamus, non tamen vetuit, quin etiam possimus ad vsum veterem remeare. Sic Nauar. *in Consil. lib. 3. tit. de celebrat. Missar. consil. 4.*

497 *Non licet.* Non licebit. Quia textus in cap. *Nullus*, omne capitis velamen videtur inhibere, & Doctores etiam generaliter loquuntur, & vsus introductus sub obligatione retinendus, quia sic censetur receptus, & oppositum non parum dissonaret. Ita Azor. *tom. 1. lib. 10. cap. 28. qu. 16.* Ledesm. *in sum. tract. de Euchar. cap. 21. concl. 5. dub. 3.*

498 *Difficillime non.* Si suppetat causa iusta cooperiendi caput, scilicet infirmitas, vel caluitium, quod nimium frigus lædit, non est cur ad Amictus protectionem accurras, licebit enim tibi, capite cooperto celebrare. Quia tunc non *temere præsumis*, (quod in eo textu cauetur) sed necessitate cogeris. Si autem volueris Amictus operculo vti vsus ridiculè forsan præscripta violabis.

PROBL. CIV.

Vt quis coactus necessitate possit cooperto capite celebrare, est, & non est necessaria dispensatio.

499 *Non est necessaria.* Necessaria non est. Quia cum subest causa palam excusans à præcepto, dispensatio minimè requiritur. Sic Nauar. *in Consil. lib. 3. tit. de celebr. Missar. consil. 4.*

500 *Necessaria.* Necessaria est. Quia Cæremoniale Romanum & Missale reformatum à Clemente VIII. semper exigunt dispensationem. Ità plures Auctores, quos presso nomine Franciscus de Lugo *de Sacrament. libr. 5. cap. 9. numero 50.* memorat.

501 *Dubium.* Ego quidé assero, si causa sit manifestè iusta, v.gr. grauis infirmitas, aut nimia frigiditas nec possit facilè dispensatio postulari, te posse sine licentia capite celebrare operto: secluso tamen scandalo, si vel sacrum secretò fiat, vel adstantibus causa sit nota. Si verò causa non sit manifestè sufficiens ad excusandum, sed in sufficiens ex se vel saltem dubia: requiritur dispensatio, seu facultas superioris. Plura *sect. 1.* ex Doctoribus dedimus.

CAPVT XXIII.

Circa Missæ Ritus.

PROBL. CV.

Missalis Rubricæ, quæ præscribunt accidentales Missæ ritus, obligant, & non obligant sub mortali.

502 *Sub mortali non obligant.* VIDIMVS *sect. 1.* præter ritum essentialem, in quo huius sacrificij substantia consistit, à Domino institutum, plures alios addidisse Ecclesiam, qui dici *Accidentales* possunt, & merè cæremoniales ad maiorem decentiam, & reuerentiam talis actionis pertinentes. De his ergo quæsierim, num obligent sub mortali? Minimè sub mortali obligant. Quia Pontifex dum in Bulla Missali præfixa districtè præcipit sub præcepto sanctæ obedientiæ, Missam iuxtà ritus eius Missalis dici, solum intendit generaliter obligare ad vtendum illis ritibus, ita vt alij omninò diuersi non introducantur: non tamen intendit obligare sigillatim ad cunctas sub mortali Rubricas obseruandas Missali præfixas, quæ quidem in particulari non tam sunt præcepta, quàm instructiones quædam, atque consilia. Sic Fagund. *prec. 1. lib. 3. cap. 21. n. 7. 8. & 32.* Posseuin. *de offic. Cura. cap. 2. n. 16.* Diana *p. 2. tr. 14. resol. 55.*

503 *Obligat sub mortali.* Obligat planè sub mortali. Quia tam Tridentinum *sess. 22. decr. de seruan. in Missa*, quam Pontificum Bullæ serió præcipiunt, & cunctos huiusmodi ritus seruari, & nullos admitti: nec verba sonant solam instructionem, aut consilium, sed præceptum suo ex genere grauiter obligans. Ità Filliuc. *tract. 5. num. 155. & 159.* Bonac. *d. 4. q. vlt. punct. 7. §. 3. n. 3. & punct. 10. num. 19.* Coninch *quæst. 83. numer. 266.* Suar. *dist. 83. sect. 3. & dist. 84. sect. 2.* Henriq. *lib. 9. cap. 35. num. 5.* Azor. *tom. 1. lib. 10. cap. 29. q. 6.* Petr. de Ledesm. *tom. 1. summ. tract. de Euchar. cap. 24. conclus. 8.*

504 *Hoc mihi probabilius.* Hanc sententiam probabiliorem puto, quam ratione confirmo. Nam hæc res per se grauis est, & ad debitum Dei cultum spectat; vt tota Missa constans ex variis actionibus, & verbis, integrè ac ordinatè celebretur. Quapropter omissio rituum voluntaria horumce per se lethale piaculum erit, nisi vel per inaduertentiam, vel ex materiæ leuitate, veniale reddatur, vti in aliis præceptis accidere assolet.

PROBL. CVI.

Mortale peccatum est, & peccatum mortale non est, preces omnes omittere, quas Missale præscribit dicti tandas, dum sacris vestibus Sacerdos induitur.

505 *Est mortale.* PEccatum est lethale. Quia Pius V. iussit seruari ritus, ac cæremonias sui Missalis: sed

in hoc habentur Orationes singulæ pro singulis vestibus recitandæ, quasi quædam sacris vestibus accessoria. Ergo sicut esset mortale peccatum sine sacris vestibus celebrare, sic omnes illas Orationes omittere. Et quia immemorabilis Ecclesiæ totius id seruat consuetudo. Sic Sylui. 3.*part.quæst.*83.*art.*6. Azor. *tom.*1.*lib.*10.*c.*29. *quæst.*5. Nauar. *in consil.lib.*3.*tit.*41. *de celebr. Missar.cons.*2.

506 *Mortale non est.* Non est lethale peccatum. Quia nulla datur lex præcipiens, illas Orationes à Sacerdote, dum induitur, sub mortali piaculo recitari. Quędam enim in Missali posita pertinent ad decentiam, instructionem, & consilium, nec obligant eorum Rubricæ, nisi contineant essentiam, vel quasi substantiam sacrificij, quam istæ preces non concernunt. Et quia non datur vniuersalis consuetudo has preces recitandi; nonnulli enim dicere assolent eo tempore Psalmum *Miserere*, vel aliquid aliud; sicut nec illæ preces positæ pro præparatione ad Missam communiter dictitantur. Ergo consuetudo obligationem in hac materia non inducit. Ità Card. de Lugo *disp.*20. *num.*106. Auersa *qu.*11.*sect.*12. Manuel *tom.*1. *cap.*244. *vel* 247. *num.*12. Bonac. *disp.*4.*quæst. vlt.punct.*9.*n.*32. Diana *part.*2. *tract.*14. *ref.*41. Secutus Vegam, Homobonum, Pitigianum, & Scortiam Henriq. *lib.*9.*cap.*24.*num.*7.*lit.Q.* Fagund. *præc.*1.*lib.*3.*cap.*21.*n.*9. Henriq. *lib.*9. *cap.*24.*num.*7.

507 *Quid Auctor?* Ego autem asseruerim, si huiusmodi preces ex contemptu omittantur, fore mortale; quia contemptus præcepti vel Regulæ, vel etiam consilij particularem inuoluit irreuerentiam contra superiorem. Si non omittantur ex contemptu, censuerim, non esse mortale, quamuis non vna vel altera oratio, sed omnes scienter relinquantur. Quia verè leuis materia appareret, nec grauis communiter à Doctoribus reputatur.

PROBL. CVII.

Veniale peccatum est, & nec veniale est peccatum, scienter omnes orationes omittere, quæ in Missali dicendæ, dum Sacerdos induitur, præscribuntur.

508 *Veniale non est.* NEc veniale piaculum est, secluso contemptu hasce à Sacerdote preces omitti. Quia nulla lex obligat ad huiusmodi preces recitandum, nec enim sunt materia præcepti, sed consilij solummodò. Sic Diana cum aliis *p.*2.*tr.*14. *resol.*41.

509 *Veniale est.* Veniale plane est piaculum. Quia vsu communi receptum est, vt dicantur. Et quia iam in Missali (quidquid olim fuerit) serio præcipiuntur. Rubr. *de ritu celebr.* §.1. *num.*1. Sic *Sacerdos lauat manus*, (scilicet antequâ induatur) *dicens orationem inferius positam.* Et *num.*2. ait. *Induit se dicens ad* paramenta *singula singulas orationes inferius positas.* Eodémque verborum tenore omnes Missæ ritus præscribit. Ergò sicut obligant reliqui saltem sub veniali circa materiam leuem, sic ritus ille ità præscriptus obligabit ad illas orationes dicendas sub veniale ob materiæ leuitatem. Ità Auersa *quæst.*1.*sect.*12. Moure *part.*3.*cap.*5.§.13.*num.*4. Henriq. *lib.*9. *cap.*35.*num.*5. Bonac. *disp.*4. *quæst.vlt. punct.*9. *num.*32. Laym. *lib.*5. *tract.*5. *cap.*6. *numero* 12. Zerola *in Praxi Episcop. parte* 2. *v. Missa, vers.*8.

Cum his opinor, nec amplius probare contrariæ sententiæ fundamenta reor. 510 *His hæret.*

PROBL. CVIII.

Cantans Missam solemnem, tenetur, & non tenetur voce submissa legere Introitum, Epistolam, Euangelium, & reliqua, quæ alij cantitant ministrantes.

NOn tenetur id recitare. Quia nullo iure præcipitur, nec est vllus Canon id præscribens, nec in Missali Pij V. habetur. Consuetudo autem legentium illa submissè, dum solemniter celebratur, non inducit obligationem. Sic Nauar. *tract.de Orat.cap.*10.*num.*41. Vega *tom.*2.*sum.cap.*41.*casu*7. Barthol. à S. Fausto *de Euchar.lib.*2.*quæst.*278. Petr. de Ledesm. *tom.*1. *summ.tract. de Euchar.cap.*24. *concl.*5. Villalob. *tom.*1.*tract.*8.*diffic.*31.*num.*4. Trimarch. Nigro, Ludou. de S. Iuan. quos sequitur Diana *part.*2. *tractat.*14. *resolut.*42. *& parte* 5. *tractat.*5. *resolut.*45. 511 *Non tenetur, id recitare.*

Tenetur ea submissè recitare. Quia licèt id nullo Canone iuris præcipiatur, nec in prioribus editionibus Missalis Pij V. fuerit præscriptum, iam in Missali reformato Clementis VIII. expressè præscribit Rubrica *in ritu celebrandi* §.4.*num.*7. *&* §.5. *num.*4. *&* 5. vt cantans Missam solemnem legat submissa voce Introitum, Kyrie eleison, Epistolam, Graduale, Tractum, (quando dicendus est) & Euangelium. Sed Rubricæ Missalis circà ritus etiam accidentales obligant: Ergò pariter hæc obligat iuxta materiæ qualitatem, aut quantitatem. Ità Manu. *to.*1. *sum. cap.*244. *de Missa, num.*9. Card. de Lugo *disp.*20. *num.*107. Auers. *quæst.*11. *sect.*12. Sa Correctus *v. Missa, n.*51. Victorel. *ibi.* Moure *p.*3.*c.*5.§.12.*num.*15. 512 *Tenetur quidem.*

Eiusdem sum mentis, & adiicio, culpam omittentis vnam partem, aut aliam ex iis, quæ cantant alij, veniale piaculum non excedere. Si tamen omittat omnia simul, quæ chorus & Ministri cantant, scilicet Introitum, Kyrie eleison, Epistolam, Graduale, Euangelium, Offertorium, Postcommunionem: materia mihi grauis appareret, quam quidem sine causa vel subreptione à lethali non excusarem. 513 *Eiusdem sum mentis.*

PROBL. CIX.

In omissione verborum Canonis Missæ datur, & non datur materiæ leuitas.

TOtus Missæ Canon ita cadit sub obligatione peccati mortalis, vt vel minimam eius particulam aduertenter omittere, nempe nomen vnius sancti, vel quid simile, sit mortale peccatum. Quia Canon pars est Missæ principalissima. 514 *Non datur leuitas materiæ.*

lissima. Sic Nuñus 3. *parte quæst.* 83. *artic.* 4. *dub.* 2.

515 Totus Canon non ita cadit sub peccati mortalis obligatione, vt vel minimam eius particulam aduertenter omittere, sit lethale piaculum. Quia sicut in aliis grauissimis Religionis præceptis, voto, Iutamento &c. datur materiæ leuitas, sic in Canone Missæ, cum par sit omnium ratio. Ita Card. de Lugo *dist.* 20. *num.* 104. Auers. *quæst.* 11. *sect.* 12. Celest. & Nigro, quos sequitur Diana *part.* 2. *tract.* 14. *resol.* 45. Petr. de Ledesm. *tom.* 1. *summ. tract. de Euchar. cap.* 24. *post* 4. *conclus.* Suar. *dist.* 84. *sect.* 2. Filliuc. *tr.* 5. *num.* 159.

516 Equidem alicuius sancti, v. gr. omissionem, vel similis verbi quantumuis voluntariam leuem esse iudico. Fateor tamen, minorem partem Canonis sufficere, ad inducendam grauem culpam, quàm extra Canonem; quia planè res est admodum grauis, vnde proculdubio lethale esset, integram orationem aliquam omittere, scilicet *Communicantes*, vel *Hanc igitur, &c.* vel similem. Quin etiam Auersa supra censet, esse mortale, omittere periodum illam quæ solet addi pro festorum instantia quibusdam Canonis Orationibus. Hoc melius negant Suar. & Filliuc. Quia illa periodus non pertinet ad vsitatam Missæ integritatem, siquidem sæpissimè non dicitur, & adhuc Missa integra celebratur.

PROBL. CX.

Potest, & non potest per annum dici Missa Natiuitatis, Assumptionis, vel alterius Festi Deiparæ.

517 DIci non potest. Quia iam assignatæ sunt pro diuersis temporibus anni quinque votiuæ Missæ Deiparentis. Igitur debet sumi ex illis, quæ tempori respondet. Dedecet enim vel dicere, *Gaudeamus omnes in Domino diem festum celebrantes, &c.* vel mutare *Diem festum*, in *Commemorationem celebrantes*. Nec deuotionis causa violandæ sunt Rubricæ. Sic Gauant. *tom.* 1. *p.* 4. *tit.* 17. *n.* 8.

518 Potest dici. Quia non dedecet immutare verba *Festiuitatis*, vel *Diei festi*, in *Commemorationem*, *aut* in *Memoriam*, & omittere vocem *Hodie*, sicut fit in Missis Sanctorum, aut Angelorum, quoties extra proprios dies dicuntur votiuæ. Ità Castald. *in praxi Cæremon. lib.* 2. *sect.* 6. *c.* 4. *n.* 1. Alcocer *tract. Cæremon. glossa* 4. Auers. *quæst.* 11. *sect.* 12. §. *Item.* Diana *part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 101.

519 Eiusdem mentis sum, & reddo rationem. Quia Missæ votiuæ Beatissimæ Virginis desiguantur etiam pro Sabbathis non impeditis. Vnde sunt quoque quasi propriæ talis temporis, & talis diei. Cum autem præter hæc Sabbatha celebret Ecclesia plura festa Deiparæ, consequens sit, vt etiam talium festorum dici possint Missæ votiuæ sicut aliorum Diuorum, quod praxis confirmat.

PROBL. CXI.

Mortale est, & mortale non est, in festis Dupliciubus vel similibus diebus, in quibus Missæ votiuæ non permittuntur, aliam Missam dicere.

520 MOrtale peccatum est. Quia videtur notabilis mutatio, totam Missam dici illius propriam omittere, aliamque prorsus ab eo die alienam assumere. Sic Angel. *v. Missa, n.* 33. Barthol. ab Angelo *dial.* 5. §. 466. *Mortale peccatum est.*

521 Non est mortale peccatum. Quia sicut liberum est Sacerdoti dicere Missam, vel non dicere tali die: sic etiam liberum erit, dicere Missam illius diei, vel aliam, quam maluerit: dum in illa seruetur suus ritus, & dicatur priuatim, vel ita submissa voce, vt absit scandalum. Ità Sylvest. Medina, Sotus, & alij, quos sequitur Henriq. *lib.* 9. *cap.* 23. *num.* 5. Suar. *dist.* 83. *sect.* 3. Filliuc. *tract.* 5. *num.* 156. Reginald. *lib.* 29. *num.* 208. Bonac. *dist.* 4. *q. vlt. punct.* 7. §. 3. *n.* 2. & 3. Diana *p.* 2. *tr.* 14. *resol.* 30. *Non est mortale peccatum.*

522 Ego censeo, saltem esse veniale peccatum sic Missam immutare; quia verè fit contra Missalis Rubricas, quas Pius V. strictè iubet in virtute sanctæ obedientiæ seruari, tam in Missis priuatis, quàm solemnibus. Attamen quamuis in communibus festis, ac Dominicis demus non esse mortale peccatum, quoniam in illis non apparet inuersio, vel peruersio notabilis; verum in festis solemnibus, videlicet primæ Classis, valde dissonat Missa defunctorum, vel alia votiua etiam priuata; quare per locum intrinsecum mihi lethale piaculum videtur: per extrinsecum verò authoritate negantium absolutè culpam grauem, veniale posse reputari censuerim. *Auctorum istius dictum.*

PROBL. CXII.

Quilibet Sacerdos potest, & non potest celebrare Missam de Sancto beatificato, cuius celebrationem Pontifex alicui Religioni, vel Prouinciæ concessit.

523 POtest quidem. Quia fauores sunt ampliandi Cap. *Olim, de verbor. significat. leg. Benefic.* de *const. Princ. l. Cum quidam. ff. de libert. & posth.* vbi Glossa plura congerit. & Azeu. *tom.* 6. *lib.* 9. *tit.* 18. *leg.* 10. *num.* 5. Et quia cum Missa quæuis in vno loco dicta paris æstimationis sit, ac plures Missæ pluribus in locis dicæ, quando Papa concedit, vt in honorem alicuius aliqua Missa dicatur: simul declarat, illum esse dignum, in cuius honorem omnes dici possint. Sed hac declaratione posita tollitur prohibitio iuris, qua cauetur, neminem esse venerandum sine Romanæ sedis authoritate; siquidem iam hâc interuenit Romanæ sedis authoritas, quæ iudicauit, illum Beatum tali veneratione dignum. Ergo possunt omnes Sacerdotes in eius honorem Missas saltem votiuas celebrare. Sic Castro Pal. *tom.* 1. *tr.* 4. *dist.* 1. *punct.* 5. §. 5. Megala *in Prompt. Theol. v. Canonizatio. num.* 1. & Salmanticenses *Potest quia dem.*

Docto

Doctores, qui Palao teste, huic sensui subscripsêre.

524 *Non potest.* Minimè potest. Quia Alexander III. *in c.* 1. *de Reliqui. & vener. Sanct.* prohibet, aliquem coli publico cultu sine sedis Apostolicæ facultate: sed talis facultas in nostro casu non conceditur Sacerdotibus cunctis, siquidem expressè restringitur ad vnam Religionem, seu Prouinciam: & inclusio vnius iuxtà communem Doctorum proloquium est exclusio alterius ex *l. Cum Prætor, ff. de iudic. & leg. Mart. Cod. de Procurat.* Ergo non omnes Sacerdotes possunt de tali Beato Missam celebrare. Et quia in Bullis Pontificiis pro dicenda Missa Sanctorum, qui solum beatificati sunt, assignantur personæ, locus, & dies: sed (vt Congregatio Rituum respondit) Missa talis Beati dici non potest extrà diem assignatum: Ergo nec ab aliis personis præter ibi designatas. Ita Ludou. de Torres 2.2. *tom.* 1. *dist.* 17. *dub.* 8. Molfes. *in sum. tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 6. *n.* 51. Granad. 2.2. *controu.* 1. *tr.* 7. *dist.* 4. *sect.* 2. Auersa *quæst.* 11. *sect.* 12. Diana *part.* 2. *tract.* 15. *resol.* 55. *& p.* 3. *in Addit.* 2. *resol.* 2. Castellin. *de Canoniza. c.* 2. *punct.* 1. §. 6. *n.* 6.

525 *Quid opinor, expone.* Quando Bulla Beatificationis exprimit, vt personæ designatæ tantum possint dicere Missam de tali Beato, nullus alius potest. Nam priuilegia censentur concessa solum iis personis, quas exprimunt: sed in nostro casu priuilegium exprimit Sacerdotes dumtaxat talis Religionis, aut Prouinciæ: Nullus ergo præter illos potest de tali Beato Missam dicere. Minor constat ex Bullis. Maiorem probant Bonac. *de leg. dist.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 7. §. 2. & alij, quia priuilegia solum extenduntur ad eos ad quos concedentis intentio extenditur: At hæc non censetur extendi nisi ad expressos in priuilegio: Ergo solum modo ad illos priuilegium extenditur. Hanc sententiam in praxi tenendam omninò iudicarim præsertim post decreta Congregationis Rituum affixa Missali, nec contrariam ausus fuerim admittere. Legendus Barbosa *de offic. Parochi, cap.* 11. *num.* 34. Profectò si in Bulla non apponatur particula *Tantum*, vel alia similis, valdè probabile cum Granado reputo, posse Sacerdotes alios talis Beati Missam dicere, petentibus quidem illis, quibus talis facultas fuit concessa; quia ex Regula 27. *de Reg. iuris in* 6. qui facit per alium perinde est, ac si per se ipsum gereret.

PROBL. CXIII.

De sanctis Canonizatis, qui non habentur in Kalendario Breuiarij, vel Missalis, potest, & non potest Officium diuinum, aut Missa celebrari.

526 *Potest celebrari.* POtest quidem. Quia Bulla Canonizationis cuiuslibet sancti statuitur, vt in die obitus festum & officium ipsius possit celebrari, sic plures Doctores (auctore Franc. de Lugo *de sacram. lib.* 5. *cap.* 9. *quæst.* 5. *num.* 48.) affirmauêre in Hispania: & plures Ecclesiæ decreuerunt sua ex deuotione solemniter celebrare festa Sanctorum, quæ nondum erant instituta generaliter, nec ad libitum concessa.

527 Non potest. Quia hoc prohibent Congregationis Rituum decreta: & ideò quidam sancti in Breuiario apponuntur, de quibus recitari possit Officium, ac dici Missa solemnis in die Obitus ad libitum, ita vt satis fiat obligationi illius diei, cui non posset ita fieri satis nisi talis facultas ad libitum fuisset concessa. Ita ex communi praxi tàm Romæ, quàm totius Italiæ comprobata Franciscus de Lugo citatus, & alij. *Celebrari non potest.*

Hanc esse veram sententiam reor, nec audeo applaudere contrariæ. Itaque asseruerim, de talibus sanctis posse quidem dici Missas votiuas per annum sicut de cæteris; & in die obitus ipsorum posse dici Missam & Officium ex deuotione: non tamen satisfacere per hæc obligationi recitandi illius diei Officium, Missamque solemnem iuxta Missalis, ac Breuiarij Rubricas. 528 *Vera hæc mihi sententia.*

PROBL. CXIV.

Sacerdos sub mortali tenetur, & non tenetur, saltem Matutinum Officium antè celebrationem Missæ recitare.

TEnetur profecto. Quia in Ecclesia viget consuetudo non dicendi Missam nisi saltem post Matutinum Officium persolutum. Consuetudo verò vim legis habet, cap. *In his rebus, dist.* 11. Cumque materiæ grauitas prudentum iudicio sit decernenda, & plures Doctores censeant, hanc esse grauem materiam, & sufficientem ad mortale, talis debet censeri. Et quia Missale præscribit, vt Missa dicatur recitato saltem prius Officio Matutino, & postea inter Missæ defectus hunc enumerat: *si celebrans non dixit Matutinum cum laudibus.* Non videntur autem ibi annumerari nisi graues defectus & qui culpam mortalem inducant. Sic Tolet. *lib.* 2. *cap.* 1. Barthol. ab Angelo *dial.* 6. §. 240. Zechius *de sacram. cap.* 16. Graff. *lib.* 2. *decis.* 40. *par.* 1. *casu* 54. Francolin. *de tempor. horar. cap.* 42. D. Antonin. Hostien. Gabri. Armil. Angel. Palud. Nauar. Tabie. Marti. de Ledesm. Maiol. & alij, quos sequitur Henriq. *lib.* 9. *cap.* 24. *num.* 7. Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 28. *quæst.* 17. Cenedus *in qq. Canonic. quæst.* 3. *num.* 7. citans ferè triginta Doctores. Pitigian. *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 10. Zanard. *in director. part.* 1. *de Euchar. cap.* 9. *quæst.* 7. 529 *Tenetur plane.*

Non tenetur. Quia nullum datur ius obligans sub mortali ad præmittendum Matutinum celebrationi, vt ex toto Iuris corpore constat. Rubrica autem Missalis etiam præscribit, vt Sacerdotes ante Missam aliquantulum orent, quod nemo censet sub mortali obligare: Ergo similiter non obligabit quod circa præmittendum Matutinum ante Missam simul ibi non maiori attentione præscribitur. Et quia non datur consuetudo grauiter obligans. Et quidem in primis dari generalem consuetudinem recitandi Matutinum ante Missam, abnego, multi namque docti viri sine scrupulo ante recitatum Matutinum celebrant. Deinde non omnis consuetudo vim habet obligandi sub mortali, nec vim legis; requiritur enim, vt sub intentione talis obligationis inducatur à subditis, & à Principe approbetur. Hæc autem consuetudo non sic 530 *Non tenetur.*

sic videtur introducta, vel approbata; sed potius ex decenti exigentia rerum, vt singulæ suo tempore fiant: vnde regulariter resultet, prius Matutinum recitari, quàm Missa celebretur. Ità Sotus, Atag. Nuñus Raphaël de la Torre, Carbo, Barbos. Ioan. de la Cruz, Conrad. Manu. Petr. de Ledesm. Nald. Villalob. Chamer. Bonac. Lessi. & alij, quos sequitur Auersa *quæst.* 11. *sect.* 12. Valent. *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 10. §. 5. Sa *v. Missa num.* 22. Suar. *disp.* 82. *sect.* 1. Vasq. *in opusc. tract. de Benef. cap.* 4. *num.* 65. Coninch *quæst.* 83. *num.* 200. Filliuc. *tract.* 5. *num.* 141. Diana *part.* 2. *tract.* 14. *resol.* 36. Laym. *lib.* 5. *tr.* 5. *cap.* 4. *n.* 5. Scortia *de Missa, lib.* 2. *cap.* 6. qui referunt alios.

531 *Missa sententiam præcedit.* Ego existimo, in iis Ecclesiis, in quibus est obligatio diuinum Officium in choro canendi, Missam solemnem seu Maiorem decantari non posse ante decantatum in choro Matutinum, imò etiam Primam sine graui piaculo. Nam in hoc Officio publico valdè est necessarium, vt Horæ Canonicæ dicantur suis definitis temporibus, & bonum Ecclesiæ regimen postulat, vt hic publicus Dei cultus debito Ordine præstetur: quem sine causa legitima notabiliter inuertere contrà receptum Ecclesiæ morem, graue erit piaculum. At notabiliter inuertitur talis ordo, si Missa solemnis cantetur ante decantatum Matutinum, vel Primam, & communiter generabit scandalum: Ergo graue peccatum erit. Porrò si rationabilis causa subsit, sine culpa etiam veniali dici potest Missa priuata, nondum recitato Matutino. Sic sentiunt vtriusque partis Doctores, quamuis Auctores primæ sententiæ grauiorem causam requirant, Auctores secundæ leuiorem. Toletus postulat causam rationabilem, Filliucius mediocrem, Sotus, Suar. Azor. Sanch. Fagund. Laym. hasce causas assignant: si tempus instet, vel occasio celebrandi: vel opportunitas elabatur. Si populus, vel aliqua grauis persona expectet. Si superior præcipiat. Si aliquis stipendium offerat, vt illico fiat sacrum. Si funus deferatur, nec adsit Sacerdos, qui Matutinum recitarit, & similes. Reddo rationem. Quia sicut Horarum inuersio, quando rationabilis causa subest etiam à veniali excusatur: sic etiam excusabitur celebratio antè Matutini recitationem. Denique affirmo, celebrare Missam ante recitatum Matutinum etiam sine vlla causa, nullatenus esse mortale. Hoc mihi persuadent secundæ sententiæ fundamenta; quæ pariter probant, etiam cantantem Missam solemnem, antequam ipse Matutinum dixerit, dum iam sit in choro cantatum, mortaliter non delinquere.

PROBL. CXV.

Veniale per se est, & per se veniale non est peccatum, celebrare Missam antè recitatum Matutinum.

532 *Per se veniale non est.* PEr se loquendo veniale peccatum non est. Quia non est præceptum obligans ad præmittendum Missæ Matutinum; non enim obligamur ratione connexionis, cum nulla sit inter Horas & Missam; non ratione consuetudinis, quæ non videtur in præsenti sufficiens ad vllam obligationem inducendam; non demùm ratione Rubricæ: nam hæc vel loquitur de Officio publico, & Missa solemni, vel solum indicat, quod fieri deceat. Sic Suar. *disp.* 82. *sect.* 1. Fauet Bonac. *disp.* 4. *quæst. vlt. punct.* 9. *n.* 8. Vasq. *in opusc. tract. de Benef. cap.* 4. *num.* 65. & alij, dicentes, aliunde fore veniale peccatum tandiu sine causa differre recitationem Matutini contra præceptum recitandi Horas Canonicas statutis temporibus. At hoc peccatum idem erit, siue celebretur antè persolutum Matutinum, siue non celebretur.

Per se loquendo peccatum est veniale. Quia 533 licèt nullum sit præceptum naturale, vel diuinum, vel humanum in corpore iuris obligans in hac materia sub mortali, vel veniali peccato: & licèt consuetudo non induxerit talem obligationem: at Rubricæ Missalis obligant per se iuxta materiæ capacitatem. Quapropter in præsenti non indicant solam indecentiam, nec planè loquuntur de sola Missa solemni, vel Officio publico, vt ipse contextus satis prodit. Ità Valent. *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 10. §. 5. Fagund. *præc.* 3. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 9. Auersa *q.* 11. *sect.* 12. Sanch. *in consil. lib.* 7. *c.* 2. *dub.* 40. *Per se est veniale.*

Censuerim, celebrare Missam ante recitatum 534 Matutinum sine vlla causa, peccatum esse veniale per se contra Rubricæ præceptum, quod tamen ex qualibet causa rationabili facilè possit excusari. Quamuis enim videatur, hoc præceptum olim vsurpatum fuisse cum maiori rigore, vt communis antiquorum sensus ostendit: iam successu temporis, & Doctorum consensu iuniorum, minor est redditus, & non excedens per se leuem obligationem. Certè iudicio veterum præponderat nunc recentiorum arbitrium, quod potuit & præcepti rigorem, & consuetudinis vim, & Rubricæ præscriptum quoad priuatam recitationem mitigare. *Idem asseroit.*

CAPVT XXIV.

Circa Missæ Defectus.

PROBL. CXVI.

Si Calix fuerit sine vino consecratus, debet, & non debet simul noua Hostia consecrari.

SI post consumptam Hostiam, vini 535 defectus deprehendatur, non solum reponendum est vinum, & consecrandum: sed denuò alia Hostia consecranda est. Quia in Concilio Toletano 7. *cap.* 1. dicitur, non esse perfecta sacrificia, nisi Ordine perfecto compleantur. At si solus sanguis postea consecraretur, non seruaretur debitus ordo, quia non possent conuenienter repeti quæcumque dicuntur in Missa post Calicis consecrationem, cum multa fiant, & dicantur non solùm circà sanguinem, sed etiam circa corpus: Ergo debet vtraque species iterum consecrari. Sic D. Thom. 3. *part. quæst.* 83. *art.* 6. *ad* 4. Sylvest. *v. Euchar.* 2. *quæst.* 10. *num.* 14. Paludan. *in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 1. *artic.* 2. Petr. de Ledesm. *Debet simul noua consecrari Hostia.*

Ledesm. *tom.1.sum.tr.de Euch.c.25.* & Pius V. *in Missali* iussit ita seruari.

536 *Solus sanguis est consecrandus.* Solus sanguis est consecrandus & illico sumendus sine repetitione reliquorum, quæ ad substantiam sacrificij non pertinent. Quia hic modus est aptior, ad euitandum scandalum; & sufficiens ad supplendum talem defectum: quia sufficit ad integritatem & perfectionem sacrificij, supplere partem illam, in qua defectus accidit sine repetitione partis alterius, quæ ritè fuerat peracta: sicut in Sacramentis esse faciendum præscripsit Innocentius III. *cap.1. de sacram.non iteran.* dicens, nil iterandum esse, sed supplendum, quod incautè fuerat prætermissum. Cur autem non sufficiat in sacrificio, quod est sufficiens in sacramento? Ità Bonac. Vasq. Reginald. Manu. Angel. Nauar. Scotus, quos sequitur Auersa *quæst.11.sect.16.* Suar. *disp.85. sect.1.* Filliuc. *tract.5.num.161.* Coninch *q.83. num.277.* Tolet. *lib.2. cap.9.* Fagund. *præc.1. libr.3.cap.19. numero 11.* Laym. *libr.5.tract.5. cap.7.*

537 *Cum his opinor.* Cum his opinor, quia consecrare denuò Corpus & sanguinem sub vtraque specie, non tam esset, sacrificium inceptum perficere, quàm nouum & integrum facere priori relicto imperfecto. Profecto per consecrationem, & sumptionem alterius speciei, quæ sola deerat, perfectè completur, & integratur sacrificium, quod inchoatum, & dimidiatum erat per consecrationem & sumptionem vnius speciei.

PROBL. CXVII.

Sacerdos post consecrationem moritur, aut graui morbo corripitur: potest & non potest altera die sacrificium ab alio Sacerdote perfici.

538 *Nonnulla suppon.* VIdimus *sect.1.* si defectus substantialis Missæ non possit ab eodem Sacerdote suppleri, quia scilicet vel moritur, vel morbo corripitur, omninò supplendum esse per alium, ne maneat sacrificium imperfectum, quod in tanti mysterij dedecus cedere videatur. Porrò si nullus Sacerdos tunc adsit, sacramentum in sacrario reponendum vt altera die à Sacerdote sumatur. Nec licet laico quantumuis iusto, nec etiam Diacono sacrificium inchoatum perficere; quia solus Sacerdos habet sacrificandi potestatem. Quæsieris igitur, num Sacerdos die sequenti possit prosequi Missam, sacrificiúmque perficere?

539 *Potest die altera perficere Missam.* Potest quidem reseruatas species consecratas die altera assumere, & Missam perficere sicut in ipsa consecrationis die. Quia ei potest dici ab his qui aderant, vel à Ministro, vel à Sacerdote ægrotante, vnde prosequi debeat. Sic Henriq. *li.9.c.40.n.2.* Fagund. *præc.1.lib.3.c.20. n.17.* Sa *v. Missa, n.38.*

540 *Non potest.* Non potest reseruatas species consecratas die altera assumere, & Missam perficere, sicut in ipsa consecrationis die. Quia sacrificium heri ceptum hodie compleri non potest: tanta enim distantia temporis tollit vnitatem etiam moralem celebrationis. Ita Auersa *de Euch.q.11.sect.12. & sect.16.* Nec Missale dicit oppositum vt refert Henriq. *lib.9.c.36.n.2.*

Crediderim oppositæ sententiæ Auctores solùm asserere, Sacramentum esse seruandum, vt die sequenti sumatur, non vt sacrificium consumatur, quod etiam asserit Sa correctus, & expressit Coninch *quæst.83. num.271.* Igitur si non adest Sacerdos qui eodem die sacrificium perficiat, nec Diaconus aliúsve Clericus, aut laicus qui absumere possit, seruandæ species consecratæ in diem sequentem, vt à Sacerdote vtraque sumatur species. At si asseruari non possint sine periculo corruptionis, vt quia vinum cœpit acescere, vel notabilis irreuerentiæ, debet Clericus inferior, aut laicus vtramque speciem sumere. Nam quæ pro reuerentia tanti mysterij sunt instituta, non debent cum tanta ipsius irreuerentia obseruari.

541 *Auctorum placitum.*

PROBL. CXVIII.

Tenetur, & non tenetur Sacerdos sacrificium ab alio ceptum perficere.

AD quæstionem affero, an non solum possit, sed etiam teneatur Sacerdos, sacrificium ab alio inceptum perficere, cum qui illud inceperat, vel ægritudine irruente, vel oppetente obitu, consummare, facta consecratione, non potuit? Secluso scandalo non debet. Quia in cap. *Nihil 7.quæst.1.* non imponitur obligatio, sed tantum facultas conceditur. Sic Henriq. *lib.9.cap.40.num.1.* Sotus *in 4. dist.13. quæst.2. art.6.* Tolet. *lib.2.cap.9.* Fatentur tamen hi Doctores, si nullum subesset impedimentum, & Sacerdos facilè posset, teneri propter rei grauitatem.

542 *Non tenetur perficere Missam.*

Absolutè tenetur, quamuis non sit ieiunus, si ieiunus non adsit. Quia maior est obligatio perficiendi sacrificium, quàm quæuis alia, cum ad tanti mysterij reuerentiam spectet, ne imperfectum maneat: & Sacerdotum munus sit, attendere cultum, & complementum ipsius. Ita Filliuc. *tract.5.num.168.* Fagund. *præc.1. lib.3. cap.18.num.22.* Auersa *quæst.11. sect.16.* Suar. *disp.85.sect.1.* Consonat D.Thom. *3.part.q.83. art.6.ad 1.*

543 *Tenetur omninò.*

Cum his opinor ratus, vocem illam *liberum sit* in præfato textu solum significare, inesse Sacerdoti potestatem perficiendi sacrificium ab alio cœptum, quia potest cum alio velut idem Minister reputari: dataque potestate, dignitas sacrificij postulat, vt perficiatur, quamuis non sequatur scandalum ex omissione, superandáque sit aliqua difficultas.

544 *Eiusdem mentis sum.*

PROBL. CXIX.

Secluso graui scandalo, debet, & non debet Sacerdos in mortali existens, sacrificium ab alio cœptum perficere, contritione præmissa.

SI quando instat perficiendi sacrificium ab alio inceptum occasio Sacerdos adsit cum lethalis peccati conscientia, dolere debet, ac confiteri, si possit: vel si confiteri nequeat, disponi

545 *Nonnulla præmitto.*

disponi per contritionem; quia magis vrget præceptum perficiendi sacrificium, quàm Confessionis præmittendæ. Sic censet Sotus *in 4. dist. 13. q. 2. art. 6. ad 4.* quando magnum scandalum sequeretur ex omissione sacri nondum completi. Quæsierim autem, an secluso graui scandalo debeat Sacerdos in mortali existens perficere sacrificium ab alio cœptum, præmissa solùm contritione?

346 *Non debet.* Minimè debet. Quia necessitas eiusmodi complementi non cogit ad rem ità difficilem, qualis est plerumque peccatoribus contritio. Sic Tolet. *lib. 2. c. 9.* Azor. *tom. 1. lib. 10. c. 23. quæst. 1.* & Sotus vbi suprà.

347 *Non omnino.* Debet omnino. Quia grauissimum est incommodum contra institutionem Christi, & tanti mysterij reuerentiam, Sacrificium imperfectum sic relinquere. Quare quicumq; sine grauissimo inconuenienti possit hoc impedire, planè tenetur. Peccator autem nullum incommodum, imò maximum commodum accipit, dum conteri cogitur. Debet ergo per contritionem disponi ad rectè perficiendum sactificium. Ita Suar. *d. 85. sect. 1.* Filliuc. *tr. 5. n. 168.* Bonac. *d. 4. q. vlt. punct. 10. n. 20.* Coninch *q. 83. n. 260.* refellens Sotum.

348 *Esse affirm.* Ego quidem hanc sententiam probabiliorem esse reor nulla addita limitatione. Vnde existimo non audiendum Sotum asserentem solummodo debere Sacerdotem id gerere, quando ex omissione sacri imperfecti magnum oriretur scandalum.

PROBL. CXX.

Solus adest Sacerdos excommunicatus, aut suspensus ab officio, aut irregularis, qui cœptum sacrificium perficere valeat: Hic nec debet, nec potest: hic potest & debet perficiendæ Missæ operam dare.

349 *Nec debet nec potest.* NEc debet, nec potest. Quia non adesse Ministrum idoneum in hoc casu, perindè censetur ac si nullus Sacerdos adesset. Sic Henriq. *l. 9. c. 40. n. 1.* Sa *v. Missa. n. 38.*

350 *Potest & debet.* Potest, & debet sacrificium ab alio substantialiter inchoatum perficere. Quia cuncta Censuracum, & irregularitatis præcepta humani sunt iuris: Ergo postponenda sunt præcepto diuino perficiendi sacrificium. Ita Fagund. *præc. 1. lib. 3. c. 18. n. 22.* Coninch *q. 83. n. 269.* Suar. *d. 85. sect. 1.* Filliuc. *tract. 5. n. 168.* Bonac. *dist. 4. q. vlt. punct. 10. num. 20.*

351 *Non affirm.* Consentit Azor. *tom. 1. lib. 10. c. 33. q. 3.* quoties alioquin grauis offensio sequatur. Ego quidem existimo, quatis offensione secluſa posse, & debere talem Sacerdotem illud sacrificium perficere propter solam illius dignitatem, & ob reuerentiam tanto mysterio debitam. An non si Sacerdos post consecrationem meminerit, se vel excommunicatum, vel suspensum, vel irregularem existere, debet nihilominus sacrificium perficere, vt Missale præscribit *de defectib. §. 8. n. 5.* & docet D. Thom. *3. p. q. 83. art. 6. ad 2.* Ergo similiter si post consecrationem Sacerdos impediatur, debet alter etiam censura vel irregularitate ligatus sacrificium perficere. Nam vtrobiq; militat eadem ratio, nimirum quod sacrificij perfectio cuicunque ligamini præponderat.

PROBL. CXXI.

Si celebrans ante Consecrationem deficiat, alter Sacerdos debet, & non debet Missam perficere Canone incepto.

552 *Debet perficere.* ALius debet perficere Missam, quando prior cœperat Canonem, vel Hostiæ consecrationem, nec perfecerat. Quia iam censetur sacrificium inchoatum per dispositionem materiæ, quæ verbis Canonis redditur habilior ad transsubstantiationem. Sic Armil. *v. Missa, n. 11.* Fagund. verò *præc. 1. lib. 3. c. 18. n. 22.* citans Albertum magnum, censet, si Canon sit inceptus, & sequatur scandalum ex omissione, debere perfici Missam etiam per Sacerdotem non ieiunum, vel excommunicatum. Quia communis sententia docet si Sacerdos ante consecrationem meminerit peccati mortalis non confessi, vel se illigatum esse censura, vel non esse ieiunum, & graue timetur scandalum: Missam esse prosequendam: Ergo similiter in nostro casu debet Sacerdos præsens perficere deficientis, ante consecrationem Missam ob euitandum scandalum, quod ordinariè sequetur, quando sacrum fit coram aliis, & non perficitur.

553 *Non debet alius Missam perficere.* Si celebrans deficiat ante consecrationem, potest quidem alius non ieiunus, sed non debet Missam perficere, etsi Canon esset incœptus. Quia cum antè consecrationem essentia sacrificij non sit inchoata, non magni refert, quando celebrans deficit relinqui Missam accidentaliter solùm incœptam. Ità D. Thom. *3. part. q. 83. art. 6. ad 1.* Nunus *ibi* cum aliis *dub. 1. ad 1.* Bonac. *dist. 4. q. vlt. punct. 10. num. 21.* Coninch *quæst. 83. num. 169.* & alij. Hanc sententiam sequitur Missale *§. 10. num. 3.* dicens: *Si Sacerdos ante consecrationem grauiter infirmetur, vel moriatur, prætermittitur Missa.* Et infrà, *si semiprolata forma Corporis, cum nondum sit per acta consecratio, non est necessarium, ab alio perfici Missam.*

554 *Cum his opinor.* Asseruerim, Rubricam hanc esse seruandam, & vbi necessitas non cogit, non esse Missam à duobus successiuè dicendam. Et certè vix vnquam dabitur tantum scandalum, vt tolli non possit, monito populo, nondum fuisse cœptum substantialiter sacrificium: ideóque necessarium non esse, vt ab alio perficiatur, consultiúsque forè Missam aliam integram celebrare, qua panis & vinum idem offerantur, & consecrentur.

PROBL. CXXII.

Si post consumptam Hostiam, relicto Sanguine, celebrans deficiat: alter debet, & non debet Missam perficere.

555 *Non debet perficere.* NOn debet. Quia iam celebrans recepit Sacramenti gratiam, cum secundùm probabilem sententiam non conferatur noua gratia per alterius speciei sumptionem. Iam ille, pro quo sacrificium offertur, recepit eius fructum, cum essentia sacrificij secundùm aliquos saluari possit in vnius speciei sumptione. Quare sanguis relictus sumi debet ab altero denuo celebrante simul

simul cum sanguine denuò consecratæ. Sic Henriq. *lib.9.cap.40. num.3.* Bonac. *d.4.q.vlt. punct.10.num.22.*

554 *Perficere debet.* Debet perfici sacrificium. Quia vtriusque speciei sumptio pertinet ad constitutionem essentialem, vel saltem integralem huius sacrificij. Ita Suar. *dist.85 sect.1.* Filliuc. *tr.5.n.167.* Fagund. *præc.1. lib.3.c.19.num.5.* Franc.de Lugo *de Sacram.lib.5.c.10.q.3.n.47.*

555 *Idem assero.* Quamuis vna species conferat totam gratiam Sacramenti, vtraque tamen est de substantia, vel integritate sacrificij: & in casu nostro sumens Calicem, & perficiens Missam, recipiet gratiam, quia verum recipit Sacramentum. Fructus verò pro aliis oblatus saltem erit perfectior integraliter, si sacrificium solum integraliter compleatur, quo complemento carere non debet, quoties compleri potest.

PROBL. CXXIII.

Qui temerè Missam inchoatam relinquit, incurrit, & non incurrit maiorem excommunicationem.

556 *Incurrit excommunicationem.* EXcommunicationem maiorem incurrit. Qua in cap. *Nihil 7.q.1.* absolutè ponitur excommunicatio, quæ planè sonat maiorem: separatio verò à corpore Christi, quæ apponitur in cap. *Nullus Episcopus*, sæpè vocatur in iuribus *Anathema*, quæ vox sonat excommunicationem maiorem. Capitis *Nihil* hæc clausula: *Si quis hoc temerè præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.* Capitis verò *Nullus Episcopus*, hæc est comminatio: *A sacro corpore & sanguine Domini Domini nostri Iesu Christi sit suspensus.* Sic Alterius *tom.2.dist.11.c.13.* Maiol. *lib.2.cap.16.*

557 *Non incurrit.* Non incurrit excommunicationem maiorem. Quia nulla pœna præsertim Censura incurritur ipso iure, nisi ius id palam exprimat, iuxta Glossam receptam cap. *fin. de iurepatron.* sed nullum ius exprimit, propter dimissionem inchoatæ Missæ excommunicationem latæ sententiæ incurri. Ergò non incurritur. Minor probatur. Nam illa verba cap. *Nihil, sententiam excommunicationis sustinebit*, sunt futuri temporis, quæ per se se non important pœnam ipso iure latam, iuxta Glossam receptam cap. *In pœnis, de regul.iuris in 6.* Ideò Glossa in dicto cap. *Nihil* dixit, *Excommunicetur*, quæ vox sonat excommunicationem ferendam, non latam. At cap. *Nullus Episcopus* nullam facit excommunicationis mentionem, sed solius suspensionis ab Eucharistiæ receptione, quæ nec sonat excommunicationem maiorem, nec minorem; nam hæc etiam non solùm remouet ab Eucharistia, sed ab omnibus Sacramentis recipiendis. Ità Henriq. *lib.9.cap.40.num.3.* Bonac. *dist.4.quæst. vltim.punct.10. num.22.* Filliuc. *tract.17.* & alij communiter.

558 *Nullam excommunicationem incurrere assero.* Scio quidem Archidiaconum in cap. *Nihil* asseruisse minorem incurrere excommunicationem, qui temerè Missam inchoatam relinquit. Nam non esse maiorem colligi, ait, ex cap. *Nullus Episcopus.* Proprium enim est excommunicationis minoris, à sola Sacramentorum receptione remouere. Attamen ob secundæ sententiæ, cui hæreo fundamentum reor, nec maiorem nec minorem excommunicationem incurri.

PROBL. CXXIV.

Qui temerè Missam inchoatam relinquit, incurrit, & non incurrit suspensionem.

SVspensionem incurrit. Quia cap. *Nullus Episcopus de consecrat.dist.1.* dicitur: *A sacro corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi sit suspensus.* Colligitur autem suspensionem esse partialem, quæ solam impedit executionem Ordinis Sacerdotalis circa sumptionem corporis & Sanguinis Domini: non autem communionem more laicorum, quia suspensio fertur in Clericos, ac subinde repellit illos à propriis Clericorum functionibus. Sic Bonac. *to.3. d.3.q.3.punct.2.* Manuel *tom.1. sum.c.244. concluſ.8.* Petr.de Ledesm. *tom.1.sum.tr.de Euchar. cap.24.concl.7.* cum aliis. 559 *Incurrit suspensionem.*

Suspensionem ipso iure minimè incurrit. Quia illud cap. *Nullus Episcopus*, quod dumtaxat loquitur de suspensione partiali, non significat suspensionem latam, sed ad summum ferendam. Nec enim illa verba secundùm se maiorem vim habent, nec vsus interpretatur ibi Censuram ipso iure latam, sed ad summum, illum Sacerdotem esse remouendum ab Officio celebrationis, vt in eo puniatur, in quo deliquit. Ità Filliuc. *tract.17.num.103.* Azor. *tom.1.lib.10. cap.32.q.2.* Moure *p.3.c.5.§.15.num.11.* Henriq. *lib.9.cap.30.n.5.lit.A.* 560 *Suspensionem non incurrit.*

Profectò iuxta probabilem intelligentiam aliquorum, & praxim communem in eo cap. *Nullus Episcopus*, solùm reor imponi suspensionem ferendam partialem quidem, & cum limitationibus, quas adhibet Bonacina citat. addens *n.6.* eius absolutionem nullibi reseruari. 561 *Quid sentiam.*

PROBL. CXXV.

Si incæpto Missæ Canone excommunicatus vitandus eidem velit assistere: relinquenda, & non relinquenda est à Sacerdote imperfecta protinus.

VIdimus *sect.1.* causam relinquendi Missam incæptam esse, si excommunicatus vitandus eidem velit assistere. Quæsieris, an incæpto Canone relinquenda sit? Minimè relinquenda. Quia verba Canonis ita propinqua consecrationi sunt, vt ab illis iam videatur inchoata consecratio. Quare Canone incæpto seruandum est, quod post inchoatam consecrationem, scilicet progredi Missam cum solo Ministro, reliquis recedentibus. Sic Sylvest. *v. Excommunicatio 5.n.3.* Moure *p.3.c.5.§.15.n.12.* Fagund. *præc.1.lib.3.c.18.n.6.* Regin. *lib.32.n.71.* Bon. *de Cens.d.2.q.2.pun.3.§.1.n.13.* 562 *Non est relinquenda.*

Relinquenda planè est. Quia verè sacrificium non incipit antè consecrationem: maior verò Canonis propinquitas parui refert, si nondum peruentum sit ad consecrationem. Ità Sayr. *de Censur.* 563 *Relinquenda est.*

Censur. lib. 2. c. 3. n. 19. Alterius *tom. 2. d. 11. c. 3. & dist. 12. c. 5.* Auila *de Censur. part. 2. cap. 6. d. 9. dub. 8.* Porrò Laymanus *lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 6.* asserit, si dici cæperint illa verba: *Qui pridie, quàm pateretur*, non posse relinqui Missam; quia iam est quasi cœpta consecratio.

564 *Sint probabiliores partem affirmantes.*

Rem existimo dubiam esse, & vtrimque probabilem; quia nullum extare video circa eam ius expressum, & duo præcepta concurrunt, vnum de vitando non tolerato, aliud de perficienda Missa incœpta, quod per se quidem obligat etiam antè consecrationem, & eò grauius, quo magis ad consecrationem acceditur. Cum autem Canon sit propinquissimus consecrationi, post illum incœptum non facilè discernam, vtrum maior sit obligatio vel perficiendi Missam, vel vitandi non toleratum: & cum vtrimque sint Doctores, vtramlibet poteris partem eligere. Lege Dianam *p. 5. tr. 9. resol. 92.*

PROBL. CXXVI.

Infidelibus irruentibus post consecrationem, Sacerdos debet, & non debet propter mortis periculum sacrificium imperfectum relinquere.

565 *Non debet relinquere.*

SCio si post inchoatam Missam irruant hostes, Missale præscribere, vt antè consecrationem Missa relinquatur, post consecrationem verò Sacerdos acceleret sacramenti sumptionem, aliis omissis. Quæsierim verò an instante admodum iam iam irruptione debeat Sacerdos sumptioni operam dare, vel an possit ablato, vel dimisso sacramento aufugere? debet quidem spreto periculo, dare operam, nè sacrificium relinquat imperfectum. Quia satius mori, quàm tantum sacramentum vlla irreuerentia violare. Sic Suar. *dist. 85. sect. 1.* Ledesm. *tom. 1. sum. tr. de Euchar. c. 25.*

566 *Non tenetur expectare.*

Non tenetur expectare Sacerdos spreto mortis periculo. Quia nulla ratio vel textus obligat celebrantem ad mortem eo in casu subeundam. Quare si nequeat Eucharistiam statim consumere, posse licitè cum Corporalibus illam complicatam secum arrepto etiam Calice deferre. Si neque hoc fieri possit, sacramento relicto, licet discessus. Ita Tolet. Franc. de Lugo de Sacram. *lib. 5. c. 10. q. 4. n. 67.*

567 *Hanc teneo sententiam.*

Hanc approbo, & teneo sententiam. Quia si Sacerdos manet, & occiditur, adhuc manebit sacrificium imperfectum, & Sacramentum irreuerentiæ expositum. Vnde melius iudico Sacramentum sic manere, & saluari Sacerdotem. Attamen si quis in contemptum fidei vellet celebrantem occidere, nisi deferat Missam, prosequi debet, & mori non solùm post consecrationem, sed etiam antè illam.

PROBL. CXXVII.

Potest, & non potest licitè incœpta Missa repeti, si Princeps, aut Episcopus, aut supplicatio solemnis aduentet.

568 *Possit repeti Missa.*

SI Princeps aut vir illustris, aut Episcopus, aut populus, seu supplicatio solemnis multorum aduenias post Missam incœptam, & non sit alius Sacerdos: potest celebrans antè factam oblationem ab initio Missam repetere. Quid id postulat vel personarum dignitas, vel populi supplicantis solemniter deuotio. Sic Nauar. *de Orat. c. 16. n. 55.* dicens, semet ita fecisse. Henriq. *lib. 9. c. 30. n. 30.* testans, se vidisse praxim. Sa *v. Missa n. 21.* Azor. *to. 1. li. 10. c. 31. q. 3.* Laym. *l. 5. tr. 5. c. 7.*

Repetere Missam minimè potest. Quia talis repetitio est contra reuerentiam tanto mysterio debitam, & regulariter parit scandalum, & offensionem. Ita Fagund. *præc. 1. lib. 3. c. 16. n. 6.* Salsed. verò *in Praxi crimin. c. 42.* & Manuel *tom. 1. sum. c. 247. concl. 7.* asserunt talem repetitionem esse mortale peccatum. 569 *Repeti non potest.*

Ego quidem non video cur sit talis repetitio necessaria, siquidem quamuis dicta sit Epistola (quin etiam Euangelium, vel saltem eius pars) satisfaciunt audiendi præcepto, qui tunc aduenium: & licet Missæ nullam partem exaudiant, non delinquunt, cum nullus alius Sacerdos adsit. Assero tamen non esse mortale peccatum, Missam repetere, sed nec esse consulendum cum non sit in vsu. Saltem enim erit peccatum veniale contra debitam Missæ continuationem sine sufficienti causa transuersam. 570 *Auctoris iudicium.*

CAPVT XXV.

Circà obligationem faciendi sacrum pro aliis.

PROBL. CXXVIII.

Quando Beneficium simplex habet onus adiunctum dicendi, vel cantandi Missam in assignato Templo: Beneficiarius debet, & non debet applicare Missam pro intentione, vel obligatione talis Ecclesiæ: sed potest, & non potest alteri, accepto stipendio, applicare.

NOn potest Beneficiarius hic ab allio stipendium accipere, pro quo Missam offerat. Quia cap. *Cum creatura, de celebr. Missar.* decernitur, in Collegiatis funeris occasione celebrandas esse duas Missas, vnam iuxtà Officium, alteram de defunctis: quasi Missa Capitularis non sit aliis applicanda, sed obligationi Capituli. Et quia Missa solemnis seu Conuentualis, seu Capitularis primario respicit obligationem Conuentus, vel Capituli, vel illius Ecclesiæ, cui debeat ipsius fructus applicari. Et quia stipendium Missæ datur ad sustentationem Sacerdotis, vnde si Sacerdos accepit pro dicenda vel cantanda tali Missa redditus Beneficij, vel salarium, vel stipendium, vel æquiualens emolumentum: iam non habet ius accipiendi rursus stipendium ad sui sustentationem ab alio pro eadem; cessat enim titulus exigendæ sustentationis. Sic Barbos. *de Offic. Parochi c. 11. n. 11.* Diana *p. 2. tract. 14. res. 80. & p. 4. tr. 4. resol. 16. & 232.* Bonac. *dist. 4. q. vlt. punct. 7.* citans alios. Gauant. *in Rubric. Missal. p. 3. tit. 17. n. 5.* 571 *Non potest alteri applicare.*

Quando Beneficiatius solum obligatur ad 572

Potest quidem.

celebrandum in tali loco tali stipe, taliquè modo pro commoditate populi, vel decore Ecclesiæ sine obligatione applicandi Missam titulo Beneficij : potest fructum aliis applicare, ac ab eisdem stipendium accipere. Quia diuersa est obligatio dicendi Missam hic & nunc v.gr.duntaxat, vt populus audiat ; & obligatio dicendi Missam pro tali populo,vel pro intentione determinata. Dum ergò constat, vel fructus Beneficij, vel salarium, vel aliud emolumentum dari pro prima dumtaxat obligatione, vel pro diuino culto, vel Templi authoritate:poterit sacerdos Missæ fructum applicare, cui voluerit, & pro hac secunda obligatione distinctum stipendium accipere. Ità Ludouic.de Torres,Ludouic.à Cruce Barthol. à S. Fausto, Suar. Vasq. Alfons. de Leon, Fraxinel. Homobon.quos sequitur Card. de Lugo *d.* 21.*n.*21. Posseuin.Bordon.Peyrin. & alij, quos sequitur Auers. *q.*11.*sect.*17.

573 *Idem assero.*

Idem assero, ratus primæ obligationi non præiudicare per secundam: nec è contrà. Nec enim Ecclesiæ præiudicat applicans Missæ fructum alteri, & ab eo stipem accipiens; nec huic præiudicat applicans ei totum fructum Missæ, quam alio titulo tenebatur dicere, sed non applicare. Textus verò in cap. *Cum creatura*, & aliæ, quas Doctores primæ sententiæ asserunt Cardinalium declarationes intelligi debent de Missis, quas Sacerdos dicere tenetur, & simul applicare pro persona, vel intentione determinata. Nam intentio talium constitutionum est, nè pro applicatione fructus vnius Missæ duplex stipendium recipiatur. Quare totam difficultatem consistere reor in discernendo, quando separentur obligationes istæ, quando verò non, vel in Missis priuatis, vel in solemnibus. Hoc autem discerni,me auctore, debet,ex institutione Beneficiorum, aut Capellaniarum, aut ex Ecclesiæ fundatione, seu dotatione considerando circunstantias & verba talium impositionum. Quod si clarè constet intentio petentis Missam, non manet quæstioni locus. Si verò non omnino constet ad præsumptionem prudentem erit recurrendum.

PROBL. CXXIX.

Si omninò non constat de voluntate petentis Missam circa eius fructus applicationem : debet, & non debet præsumi voluisse sibi soli applicari.

574 *Præsumenda est obligatio applicandi Missam.*

PRoblema hoc à proximè prælapso dependet. Quæstio est,an si clarè non constet intentio petentis Missam Beneficij vel Capellaniæ debeat præsumi eum voluisse sibi dumtaxat fructum applicari ? Certè prudenter præsumenda est obligatio applicandi ei Missæ fructum. Quia petens dici Missam in tali loco, vel tempore,data stipe, vel assignato redditu, censetur sibi velle meliori modo quo potest, consulere, præsertim in his,quæ ad animæ salutem conducunt, cuius vnusquisque præsumitur habere debitam & solicitam curam. Ergo præsumitur velle, Missæ fructum sibi, vel intentioni suæ applicari. Sic Alphons.de Leon *de Iubil. part.*3. *quæstion.* 20. *numero* 27. Auersa *quæstion.*11. *sect.*17.

Non est obligandus Sacerdos ad applicandam Missam, quam in tali loco dicere tenetur, ei, qui instituit,nisi manifestè constet talis obligatio verbis, vel circunstantiis fundationis, aut petitionis. Quia in dubio melior est possidentis conditio : sed in hoc casu Sacerdos possidet suam libertatem ad applicandam Missam, cui voluerit : Ergo non est in dubio tali libertate priuandus. Et quia nulla lex etsi iusta obligat subditum,nisi sit ei sufficienter intimata per claram sui notitiam : sed obligatio Missam applicandi contrahitur per legem quasi priuatam, seu contractum quendam onerosum, qui perficitur expressa contrahentium voluntate : Ergo Sacerdos non est obligandus ad applicandam Missam, nisi claram habeat talis notitiam obligationis. Ità Marchinus *de Ordin.tract.*2.*par.*2. *cap.*27.*num.*5. 575 *Non est præsumenda talis obligatio.*

Censuerim,præscribi non posse regulam generalem,sed ex particularibus circunstantiis sumendam esse prudentem præsumptionem. Vnde in Beneficiis simplicibus præsumi potest regulariter peti Missam ob solum Ecclesiæ decorem, vel ob audientium commoditatem: vnde putarim posse Beneficiarium Missam,cui voluerit,applicare. In Capellaniis præsumo obligationem Missam applicandi fundatori, vel eius intentioni, quando constat, Capellanum debere celebrare tot diebus, quamuis institutio Capellaniæ non reperiatur. Quia Capellaniæ regulariter solent institui, vt Missæ fundatoribus applicentur. In his verò,qui dant manuales pro Missis eleemosynas celebrandis, semper præsumitur voluntas exigendi fructum integrum, vt sibi, vel intentioni suæ applicetur. Quia hæc est communis dantium Missarum stipem, nisi contrarium exprimant. Legendus Card.de Lugo *d.*21.*n.*23.*&* 24. 576 *Auctoris mens.*

PROBL. CXXX.

Beneficia Curata inducunt, & non inducunt obligationem dicendi pro aliis Missam.

OBligationem inducunt.Quia Tridentinum *sess.*23.*cap.*1.*de reform.* Sic ait : *Cum præcepto diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, &c.* Quibus verbis satis indicat dari diuini iuris obligationem, qua Parochus teneatur, pro suis ouibus Missam offerre ; & cum non sit iure diuino præscriptum, quibus diebus, Parochus teneatur Missam applicare, dum constitutio Synodalis,vel consuetudo id non determinat, Doctores variè desygnant. Et quia tam decimas,quàm omnes alios Beneficij redditus recipit Parochus non solùm pro ministeriis reliquis, sed etiam pro Missis populo sibi commisso applicandis. Sic Sotus *de iust.lib.*9.*quæst.*3.*art.*1. Nunus 3.*part.q.*83. *art.*1. *dub.*9. *concluf.*2. Bonac. *dist.*4.*quæst. vlt. punct.*7.*num.*5. 577 *Obligationem inducunt.*

Præcisè ratione Beneficij Curati Parochus nunquam tenetur Missam suis ouibus applicare: quamuis teneatur diebus Dominicis, & festis dicere, vel prouidere Missam, quam audiant. Quia hæc obligatio distinguitur ab illa, nec vna 578 *Non inducunt obligationem.*

vna colligitur ex alia; quoniam ex diuersis non non fit illatio, leg. *obligationum substantia* §. 1. *ff. de action. & obligat.* Quare licèt Parochus ratione sui muneris teneatur, ministrare suis ouibus sacramenta, pro ipsis orare ipsorum spiritualem procurare salutem, prouidere Missas, quas audiant saltem in festis; non inde colligitur obligatio Missas eisdem applicandi. Sicut etiam interdum tenetur Parochus celebrare pro communicandis infirmis: & tamen non inde colligitur teneri iisdem illam Missam applicare. Ità Suar. *d.86. sect.1.* Vasq. *d. 232. c.2. & d.234. c.4.n.27.* Filliuc. *tr.5.n.174.* Hurtad. *de Missa d.4. disse.16.* Card.de Lugo *d.21.n.19.* Auersa *quæst.11. sect.17.* Quorum aliqui adiiciunt: Nisi detur contraria consuetudo.

179 *Quid dicendum.*

Profectò si consuetudo Diœcesis, vel constitutiones Synodales decernant, quoties Parochus debeat suis ouibus applicare Missam, id seruandum existimo. At si nec institutio Beneficij, nec Ecclesiæ fundatio, nec consuetudo recepta, nec constitutio Synodalis, nec præceptum, aut lex aliqua particularis Parochos obligat ad determinatam pro suis ouibus applicationem: ego eos sub mortali non obligarem, nec obligatione iustitiæ nec charitatis ad huiusmodi applicationem. Quia tam grauis obligatio non est imponenda sine patenti fundamento, quod in præsenti non apparet. Nam decimæ, vel fructus Beneficij satis aliis Parochorum oneribus compensantur.

PROBL. CXXXI.

Quando Capellaniæ fundator præscripsit, vt Capellanus tot Missas celebret: debet, & non debet necessariò eas per semetipsum celebrare.

180 *Debet celebrare.*

DEbet celebrare eas per semetipsum. Quia eo ipso, quod fundator voluit, vt Capellanus diceret tot Missas, voluisse videtur, vt eas per se ipsum celebret. Sic Barbantia, Lambert. & Ioan. Gutier. apud Garciam *de benefic. part.7. cap.1.num.89.* Vnde colligunt, ad huiusmodi Capellaniam esse præsentandum Sacerdotem actu. Scio tamen, quosdam apud eundem Garciam asseruisse, debere saltem esse Sacerdotem aptitudine, quatenus habeat legitimam ad Sacerdotium ætatem.

181 *Non debet celebrare semetipsum.*

Non debet necessariò celebrare Missas per semetipsum, sed potest per alios celebrare, vt voluntatem fundatoris illis verbis explicatam adimpleant. Quia qui per alium quid agit, per se facere censetur, quoad obligationis sibi iniunctæ substantiam, nisi personalis industria expressè requiratur. Ità Homobon. Sa, Bonac. Zerola, Felin. Mandos. & alij, quos sequitur Garcia citatus, *num.86.* Fagund. *præc.1. lib.3. cap.9.num.3. & 5.* Lara *cap.7. num.7. & cap.8. num.42.* Barbosa *de potest. Episcop. part.2. allegat. 24. numero 29.* Riccius *in praxi decis. 399.*

182 *Hoc mihi verius.*

Hoc verius existimo, quod scio declarationibus Cardinalium, & Rotæ decisionibus, quas Garcia refert *num.88.* & sequentibus confirmari.

PROBL. CXXXII.

Capellanus, qui sine iusta causa mutauit locum designatum à fundatore ad celebrandam Missam, tenetur, & non tenetur an restitutionem.

NOn solùm ille peccat, sed ad restitutionem tenetur. Quia non seruauit pactum, nec debitum persoluit; debebat enim designato Templo, vel Altari cultum celebrationis, & ibi facere sacrum, vbi fideles ad preces pro fundatore profundendas excitarentur. Sic Sotus, Zerol. Manuel, Henriquez, Nauar. Azor. & alij, quos sequitur Fagund *præc.1.lib.3.c.9.n.2.* 583 *Tenetur ad restitutionem.*

Minimè tenetur ille, ad restitutionem. Quia non priuat fundatorem Missæ fructu, dum alibi celebrat: Ergo non tenetur ad restitutionem, nec ad denuò celebrandum in loco designato; simpliciter enim adimpleuit obligationem celebrandi, variata solùm loci circunstantia; si tamen hæc variatio damnum aliquod intulisset, nempè quia defunctum suffragiis fraudauit, quæ in designato loco retulisset ex vberiori fidelium concursu, debet hoc Capellanus aliis precibus, ac subsidiis compensare. Si verò commutauit Altare priuilegiatum designatum cum alio non priuilegiato, verè non satisfecit, vndè tenetur, iterùm in Altari designato celebrare. Ità Posseuin. *cap.2. num.25.* Fraxinel. *sect.4. conclus.4.§.9.num.3.* Bordon. *resol.25.quæst.17.* Diana *part.2.tract.14.resol.29.* Auersa *quæst.11. sect.18.* Bonac. *dist.4. quæst. vltim. punct.7. §.4. num.2.* 584 *Non tenetur.*

Hanc magis approbo sententiam, quam à rationis paritate confirmo. Nam debitor, qui non soluit creditori pecuniam in loco designato, sed alibi, non tenetur ad restitutionem, nisi quatenus interest creditoris sibi non fuisse satisfactum in tali loco. Ergo similiter Capellanus, qui in loco sibi designato non celebrauit, sed alibi, ad restitutionem non tenetur, nisi quatenus interest fundatoris, Missas ibi non fuisse celebratas. Item Capellanus, qui tenetur quotannis quinquaginta (v. gr.) Missas celebrare, si hoc anno earum celebrationem prætermittat, celebrétque centum anno sequenti, non tenetur ad fructuum restitutionem, cum ad æqualitatem debitum persoluat: quamuis in dilatione, seu circunstantia temporis deliquerit, vti Suar. *tom.1. de Relig. tract.4. lib.4. cap.29.* [illegible] edocuit. 585 *Hanc veligo partem.*

PROBL. CXXXIII.

Capellanus, qui tenetur celebrare quotidie potest, & non potest singulis hebdomadis vnam & alteram Missam omittere.

QVoties institutio Capellaniæ dirigitur ad Capellani personam, qui per se ipsum teneatur quotidie celebrare, conueniunt Doctores, non teneri rigorosè celebrare quotidiè, sed quanto frequentius possit, salua scilicet honestate, ac debita sacramenti veneratione. Sic habetur 586 *Nonnulla supponuntur.*

habetur cap. *Quotidie, de consecr. dist. 2.* cap. *Significatum, de præbend.* Quia ita fert conditio rerum humanarum, vt nemo possit ad rem valdè difficilem tàm frequenter præstandam strictè cogi. Lege Fagund. *præc. 1. lib. 3. cap. 15. num. 11.* Azor. *tom. 1. libr. 10. cap. 24. quæst. 7.* Quæsieris autem, quot diebus possit hic Capellanus licitè vacare?

587 *Potest duplex Missa omitti.* Potest duplex Missa hebdomadis singulis omitti. Quia satis videtur, fragilitatem humanam obligari iugiter ad quinquies dignè singulis hebdomadis celebrandum. Sic Nauar. *in consil. tom. 1. libr. 3. titul. de præbend. consil. 6. num. 5.*

588 *Non potest.* Non potest duplex omitti Missa, sed singulis hebdomadis sufficit vnum diem vacationis habere. Quia hæc intermissio sufficit, vt Capellanus regulariter possit cæteris dignè diebus celebrare. Ità Nald. *v. Missa, numero 7.* Nanard. *part. 1. de Missa, cap. 13.* Bonac. *dist. 4. quæst. vlt. punct. 7. §. 2. n. 16.* Diana *p. 2. tract. 14. resol. 28.* Auersa *q. 11. sect. 18.*

589 *Idem asserens monitionem adhibeo.* Idem asserò, sed cum citatis Doctoribus monuerim, non licere Capellano die vacationis ob honestatem sibi concessò, pro alio celebrare, vel stipendio recepto, vel non recepto. Nam ea vacatio solum conceditur ob reuerentiam, seu iustam causam abstinendi. Quare si reuerenter ac deuotè celebrare potest, debet fundatori, non aliis Missam applicare, alioqui pactum non obseruat. Nisi forte consuetudine, seu praxi sit aliud receptum, tunc enim annuum stipendium censuerim iustum, & adæquatum ad celebrandum cum tali hebdomadaria vacatione. Vnde Capellano liceret hisce diebus pro aliis, etiam stipendio accepto, celebrare. Examinanda tamen cautè praxis ista, seu consuetudo sicubi dicatur existere, nè forsan sit abusus aliquorum imperitorum: siquidem Doctores talis consuetudinis haud meminère.

CAPVT XXVI.

Circa Missæ stipendium.

PROBL. CXXXIV.

Sacerdos dives potest, & non potest stipendia pro Missis accipere.

590 *Nõ potest accipere.* Non potest. Quia cap. *Pastor*, cap. *si quis 2. quæst. 1.* & cap. *Illi autem 12. quæst. 1.* innuitur. Ex hisce enim iuribus Patres significant, non posse Sacerdotes diuites Ecclesiasticis prouentibus frui, aut vti. Et quia Missæ stipendium solum accipi potest in celebrantis sustentationem: (vti *sect. 1.* vidimus) sed Sacerdotes diuites illa non egent: Ergo non possunt stipendium accipere, nè in pretium operis præsumatur. Sic D. Thom. *in 4. dist. 25. q. 3. art. 2. quæstiunc. 1. ad 4.* Caiet. *2. 2. q. 100. art. 2.* Graff. *l. 21. decis. c. 96. n. 32.* Sylvest. *v. Simonia, q. 3.*

591 *Accipere potest.* Potest quidem. Quia tam Sacerdos dives, quàm pauper confert operam suam in gratiam alterius, à quo potest exigere sicut panem, vinum, & ceram, sic etiam sui sustentationem non minus celebrationi necessariam: & ita ius habet, vt de Altari viuat, qui seruit Altari, siue sufficiens habeat patrimonium, siue pinguibus Ecclesiasticis redditibus potiatur, dum his talium Missarum non sit onus annexum: tunc enim per accidens se habent Beneficiorum reditus ad stipendium, quod datur præcipuè Missæ ratione. Ità Henriq. *l. 9. c. 22. n. 1.* Suar. *d. 86. sect. 3.* Vasq. *d. 234. n. 2. & 18.* Coninch. *q. 83. n. 198.* Fraxinel. Arag. Reginald. Nauarra, Nauarrus, Sotus, quos sequitur Bonac. *d. 4. q. vlt. punct. 8. n. 7.* Fagund. cum aliis *præc. 1. l. 3. c. 8. n. 2.* Card. de Lugo *d. 21. n. 18.*

592 *Eiusdem mercedis sum.* Quamvis diues Sacerdos sustentatione non egeat à Missæ stipendio acquisita, nihilominus ius habet sustentandi se ex Altaris ministerio, si velit, siquidem in sacris ministeriis ob aliorum commodum occupatur. Allata iura loquuntur de tempore, quo tam Ecclesiæ Ministri, quàm pauperes ex bonis in communi positis alebantur: tunc enim non poterant sustentari diuites in pauperum præiudicium. Fateor tamen, posse Sacerdotem diuitem auaritiæ incurrere notam, stipendia hæc accipiens, quam præcipuè primæ sententiæ Auctores reprehendunt.

PROBL. CXXXV.

Episcopus potest, & non potest, ita taxare Missarum stipendium, vt nec maius dari, nec minus accipi possit.

593 *Non potest.* Minimè potest. Quia talis taxa non congruit eleemosynæ, quæ voluntariè dari debet pro Missâ, & magis redolet pretium, quo non debet sacrificium æstimari. Sic Sotus *de Iust. l. 9. q. 6. art. 1. ad 2.* Nauar. *cap. 23. n. 106.* Bartol. ab Angelo *dial. 5. §. 526.*

594 *Potest plures.* Missarum stipendium ita taxari potest per Episcopum, vt Sacerdoti non liceat, maius exigere, nec fidelibus dare minus, obligando Sacerdotem ad celebrandum proipsis. Quia sæpè conuenit, huiusmodi taxam præscribi, vt vitentur vel scandala, vel sacrilegia, quæ committi possunt in iniquis stipendiorum exactionibus, vel retributionibus. Ita Suar. *dist. 86. sect. 2.* Fagund. *præc. 1. l. 3. c. 7. n. 6.* Bonac. *d. 4. q. vlt. punct. 8. n. 9.* & alij.

595 *Eiusdem sententiæ sum.* Idem asserò ratus, primæ sententiæ Auctores solum intendere, prohiberi non posse, vt fideles dent maiora stipendia, si velint sponte: vel Sacerdotes minoribus sint contenti, si velint gratis suo cedere iuri. Lex iustitiæ non impedit opus misericordiæ, vel liberalitatis, vel Religionis: & nemo cogi potest, ne donet vltra debitum, vel ne partem debiti remittat, cum possit vsum vtique gratis exhibere. Crediderim autem præfatam legem non posse fieri ab Episcopis verbis negatiuis, bene tamen affirmatiuis, quæ non tollunt, quin gratis valeant fideles dare magis, & Sacerdotes minus accipere.

PRO

PROBL. CXXXVI.

Æqualitas stipendij iusti sumenda est, & sumenda non est ex congrua Sacerdotis sustentatione.

196 sumenda est. EX sustentatione congrua est sumenda. Quia Sacerdos seruiens Altari, de Altari viuere debet: vt autem viuat, indiget alimentis, sub quorum appellatione comprehenditur, quidquid ad vitæ sustentationem est necessarium. Vbi alij victum intelligunt; alij victum, vestitum, habitationem, & medicamenta; alij addunt familiam, & illorum alimenta, scilicet, parentum, fratrum, nepotum, quos dedecet mendicare; alij sustentationem extendunt ad emendos libros necessarios spiritualibus ministeriis. Profectò æquitatem stipendij sumendam esse ex congruâ sustentatione generatim affirmant Caiet. 2.2.*q.*100.*art.*3. Sotus *de Iust. l.*9. *q.*3. *art.*1. & in 4. *dist.*15. *q.*2. *art.*1. Canus *de locis l.*12. *c.*13. *ad* 10. Henriq. *l.*9. *c.*22. *n.*1. Aragon 2.2. *q.*85. *art.*3. Angel. *v. Missa n.*52. Manu. *summ. tom.*1. *c.*251. *n.*4. Angles *in* 4. *de valore Missæ art.*2. *concl.*2. Graff. *l.*11. *decis. c.*96. *n.* 13. Nauarra *l.*2. *c.*2. *num.*315. Nuñus 3. *p. q.*83. *art.*1. *dub.*9. *concl.*4.

197 Sumenda non ex congrua sustentatione. Non est sumenda ex congruâ sustentatione æquitas stipendij. Quia Missæ sacrificium non est institutum ad sustentationem Sacerdotis, cum hic nequeat ad Sacerdotium promoueri, nisi Beneficium habeat, aut patrimonium sufficiens suæ sustentationi possideat. Cap. *Non licet*, cap. *Episcopus, de præbend.* Trid. *sess.*21. *c.*2. *de reformat.* Ergo stipendium Missæ non debet congruæ celebrantis sustentationi commensurari. Et quia celebratio Missæ non consumit integrum diem, nec maiorem partem illius: sed vnam horam ad summum. Ergo æquum non est, celebrantem integram totius diei sustentationem accipere ab illis, quibus Missæ fructum applicat. Ita Suar. *d.*86. *sect.*2. Vasq. 234. *n.*19. Fagund. *præc.*1. *l.*3. *c.*8. *n.*5. Fraginel. Posseuin. Lessi. Miranda Nald. Molfes. Petr. de Ledes. Ioan. de la Cruz, Filliuc. Pitig. Azor. & Nauar. quos refert, & sequitur Diana *p.*2. *tr.*14. *res.*8.

198 Iustum ex superiorius. Equidem iusta æqualitas stipendij commensuranda non est integræ celebrantis sustentationi, nedum eius familiæ, cum aliis adhærentibus quæ innuimus; quia Sacerdos non solùm habet ministerium celebrandi, sed alias quoque functiones sacras, ratione quarum ali possit, nempe largitionibus fidelium, vel aliis redditibus Ecclesiasticis. Nec per Missæ celebrationem impeditur ab aliis operibus vel industriis, quibus honestè possit sibi sustentationis partem prouidere, cap. *Clericus victum.* Non ergo debet stipendium esse tantum, vt ad omnia vitæ necessaria victum, vestitum, habitationem, medicinam, familiam, ac libros sufficiat. Nec tamen ideò commensurandum est stipendium illi soli tempori, quod celebrationi impenditur; vt sicut illud vix est vigesima quarta pars dici, sic stipendium sit vigesimâ quarta pars necessariæ sustentationis. Quoniam per hoc officium impeditur planè Sacerdos ab aliis industriis, & exercitiis etiam honestis, quibus alij possunt, & assolent sibi facilius, & vtilius alimentum comparare. Debent igitur hæc omnia perpendi simul, vt prudenter ac iustè Missarum stipendia taxentur. Legendus Card. de Lugo *d.*25. *n.*25. Cæterum mea doctrina confirmatur ex recepta Diœcesum consuetudine. Nec enim Episcoporum taxa, seu communis fidelium, ac Sacerdotum æstimatio tantam assignat Missæ stipem quanta sufficiat integræ celebrantis sustentationi, multoque minus toti Sacerdotis familiæ; nec item tam exiguam, vt illi soli tempori correspondeat, quo Missa celebratur, sed communiter taxatur media quantitas iuxta prudens Superioris arbitrium, & fidelium æstimationem, & praxim, quæ quidem assolet pro locorum, ac temporum diuersitate variari. Vnde nunc in pluribus locis vnus regalis assignatur, in aliis vnus cum nimidio, in aliis duo regales: & aliquid amplius in oneribus perpetuis Beneficiorum, vel similium; quia oneris perpetuitas mercedem exauget.

PROBL. CXXXVII.

Possunt, & non possunt accipi pro vnâ Missâ plura iusta stipendia.

599 Possunt pro eodem. POssunt quidē. Quia Missa oblata pro multis ita prodest singulis, ac si pro vna duntaxat offerretur. Vnde Sacerdos accipiens à pluribus stipendia potest sufficienter omnibus vnica Missa satisfacere. Hoc autem est verum quoad iustitiæ obligationem, non tamen satisfit fidelium deuotioni, qui dum stipendia largiuntur, intendunt, vt cultus diuinus augeatur: & eo modo valde minuitur. Sic Viguer. *in institutionib. c.*16. *& c.*5. §. 3. *n.*16. & alij.

600 Non possunt. Nullus Sacerdos potest vnius Missæ plura iusta stipendia recipere. Quia Missæ fructus pluribus applicatus non ita prodest singulis, ac si vni duntaxat applicaretur, non quia Missa infiniti valoris non sit, sed quia iuxta Dei beneplacitum pars solum valoris applicatur. Peccat igitur contra iustitiam, qui debens vni pro iusto stipendio totum Missæ fructum ei solam partem applicat. Ità Nauar. Cordub. quos sequitur Suar. *distinctione* 84. *sectione* 4. Vasquez *distinctione* 234. *capite* 3. Henriquez, Fraxinel. Posseuin. quos sequitur Bonac. *distinctione* 4. *quæstione vltimâ puncto* 8. *numero* 14. Fagund. *præc.*1. *libro* 3. *capite* 6. *numero* 8. & *capite* 8. *numero* 10. Azor. *tomo* 1. *libro* 10. *capite* 29. *quæstione* 8. & *tomo* 3. *libro* 12. *capite* 6. *quæstione* 2.

601 Cum his opinor. Cum his opinor, imò reor, illos, qui putant Missæ fructum pluribus applicatum ita prodesse singulis, ac si vni tantùm applicaretur: adhuc negare, posse pluribus stipendijs iustis vnica Missa satisfieri. Quia cum stipendium certum accipiatur, debet vtique certus fructus integer applicari non autem applicaretur certus ob multitudinem opinionum, si pluribus stipendiis integris vnica Missa responderet. Vnde audiendum non esse Viguerium existimo.

PROBL. CXXXVIII.

Sacerdos pauper potest, & non potest, pro vnâ Missâ plura iusta, stipendia recipere.

602 *Potest planè.* POtest profectò. Quia necessitas caret lege ac subinde inopiæ titulus dat Sacerdoti ius sumendi ab Altari, cui seruit, quidquid sibi necessarium est ad congruam sustentationem, quamvis sit opus vna Missa pluribus satisfacere stipendiis. Sic Nunus 3.*p.q.*83.*art.*1.*part.*3.*dub.*9.*concl.*4.*&* 5. Vbi propterea distinguit duplex iustum Missæ stipendium: vnum per se, quod per legitimum Superiorem, vel more recepto taxatum est: alterum per accidens ratione necessitatis Sacerdotis, cui congrua sustentatione succurratur. Consonat Orellana, quem sequitur Vega *tom.*2.*sum.c.*41.*casu* 1. Fauet Angel. *v. Missa, numero* 52. & alij citantur.

603 *Non potest.* Sicut Sacerdos diues, ita & pauper non potest vnius Missæ plura iusta stipendia recipere. Quia paupertas sine graui admodum necessitate nemini dat ius vendendi rem carius, quam valeat, nec supra taxam iustam, vel à Superiore, aut æstimatione communi præscriptum. Nec miles, aut mercenarius potest aliquid vltra mercedem iustam paupertatis ratione repetere: Ergo nec Sacerdos ob paupertatem potest vltra iustum stipendium Missæ quidquam ab inuitis accipere, seu potius extorquere. Ita Bonac.*d.*4.*quæst. vltim.punct.*8. *numer.*9. Fagund. *prac.* 1. *lib.*3.*cap.*8. *num.*7. Auersa *qu.*11.*sect.*17. Tolet. *lib.*2.*c.*8.

604 *His hæreo.* His adhæreo, sed moneo, si Sacerdos pauper extrema necessitate prematur, posse plura stipendia iusta singularum Missarum accipere, quotquot scilicet ad subueniendum tali necessitati fuerint opus: quamvis pro singulis stipendiis singulas Missas pactus sit. Quia extrema necessitas omnia facit communia, nec vllius pacti vinculis coarctatur. Sicut enim possumus in extremâ necessitate cibum vndequaque abripere: sic etiam possumus quibusliber artibus, ac fraudibus extorquere. Nec decreta Cardinalium anni 1625. in hoc casu loquuntur, cum non intendant iuri naturali derogare. Lege Suarium *distinct.*86.*sect.*4. & Filliucium *tr.*5. *n.*188.

PROBL. CXXXIX.

Sacerdos potest, & non potest vnius Missæ duplex stipendium iustum accipere, quoties applicat vni fructum medium, & alij suum fructum specialissimum.

605 *Potest quidē.* POtest quidem. Quia iste fructus specialissimus, qui competit Sacerdoti, quatenus offert sacrificium, est eiusdem rationis cum valore medio, qui competit illis, pro quibus sacrificium offertur, & ob cuius applicationem stipendium recipitur; & potest pariter applicari, cui Sacerdos voluerit. Ergo Sacerdos applicans alteri fructum istum sibi proprium, poterit ab illo recipere distinctum stipendium ab eo, quod accipit pro medij fructus applicatione. Confirmatur, quia Sacerdos potest applicare sibi fructum medium, & ita duplicem Missæ fructum accipere. Poterit ergo pariter alteri suum applicare fructum specialissimum, & consequenter accipere duplex stipendium. Sic Molfes. *sum. tom.*1. *tract.*3.*cap.*15.*n.*40. Barthol. ab Angelo *dial.*5. §.507. Marchin. *de Ordin. tr.*3. *p.*2.*cap.*16.*n.*7. Barthol. à S. Fausto *de Euch.d.*2. *q.*58.*&* 158.*& lib.*1. *de Indulg. q.*83. Bordon. *variar. tom.*1.*resol.*25. *quæst.* 8. Probabilem reputat hanc sententiam Diana *p.*2.*tract.*14.*resol.* 14. & Gauant. *in Rubr. Miss.tom.*1. *p.*3.*tit.*12. *n.* 29. quatenus oppositam vocat probabiliorem.

Sacerdos applicans suum fructum specialissimum non satisfacit danti simpliciter stipendium pro Missa. Quia iustè non potest accipi pro re, vel actione dubiâ pretium, vel stipendium certum: sed quamvis sit probabile, competere celebranti talem fructum specialissimum, & hunc aliis applicare posse: tamen vtrumque dubium est, cum à multis probabiliter abnegetur. Incerta simul est talis fructus quantitas, an scilicet fructum medium adæquet. Non igitur potest certum stipendium accipi pro fructus ita dubij applicatione. Ita Gauant. supra, Bonac.*d.*4. *q.vlr.punct.*8.*num.*16. Card. de Lugo *d.*21.*n.*33. Auersa *q.*11.*sect.*17. Fraxinel. & Persic. quos sequitur Diana *p.*5.*tr.*14. *resol.*45. *& p.*6.*tr.*6. *resol.*8. 606 *Non potest.*

Idem asseruerim, quia fructus medius est certissimus vel aliis applicatus, vel ipsimet celebranti: fructus autem ille specialissimus incertus est quoad ipsum celebrantem, & multo magis incertus quoad alios. Vnde celebrans non potest pro huiusce dubij fructus applicatione peculiare stipendium accipere. Fateor, hunc casum non exprimi in decretis Cardinalium authoritate Vrbani VIII. anno 1625. editis: sed tamen sub generalibus ipsorum verbis comprehendi censuerim. 607 *Idem asserv.*

PROBL. CXL.

Sacerdos potest, & non potest vni satisfactionem Missæ, alteri impetrationem applicare, vt vnica Missa duplici promissioni, vel stipendio satisfaciat.

608 *Potest quidē.* VNus à te petit Missam pro defuncto, qui non eget impetratione: alter pro felici successu, cui inutilis satisfactio: Poteris quidem vnica Missa vni, & alteri petitioni satisfacere, duplicémque recipere stipem. Quia hi duo fructus satisfactionis, & impetrationis sunt distincti realiter, & ab inuicé separabiles. Ergo Sacerdoti licebit obligare se ad vnum, & non ad aliū: & per consequens offerens impetrationem pro vno, & satisfactionem pro alio, poterit duo stipendia recipere. Et quia in tali casu non recipitur duplex stipendium, quasi pretium, duplicis fructus vnius Missæ: sic enim simonia esset: sed accipitur propter obligationem applicandi satisfactionem vni, & impetrationem alteri; quæ quidem

quidem obligatio cum sit duplex, & præstita diuersis personis ob diuersos fines, & vtráque stipendium mereatur: poterit duplici stipendio compensari. Sic viri doctissimi, quos refert Nauarra *l.2.c.2.n.342.* & non omnino refellit, Bordon. *variar.tom.1.resol.25.q.9.* Marchin. *de Ordin.tr.3.p.2.c.16.n.17.* qui testatur, sic praxi apud valde doctos, ac timoratos Religiosos esse receptum.

609 *Impetrans.* Si petentes Missam offerant singuli iustum stipendium, non potest Sacerdos applicans vni impetrationem, & satisfactionem alteri vtrique vnica Missa satisfacere. Quia petens simpliciter Missam, censetur petere non solam partem fructus, sed totum illud, quod exhibentibus stipem applicari consueuit. Etenim qui petit Missam, intendit obligare Sacerdotem quantum licitè potest ad id, quod vtilius sibi fuerit: & dans integrum Missæ stipendium, iure postulat totum Missæ fructum sibi conferri: suppositóque communi sensu fidelium, vsúque recepto, satis exprimit intentionem huiusmodi, qui petit simpliciter sibi, vel iuxta mentem suam Missam applicari. Hoc etiam Cardinalium decreta confirmant, quibus generaliter prohibetur, Sacerdotem vnica Missa pluribus stipendiis satisfacere, & restituendi onus imponunt. Ità Nauarr. citat. Manuel. *in sum. tom.1. c.250. num.6.* Vega *tom.1.cap.41. de Missâ, casu 35.* Posseuin. *de offic. Curati c.2.quæst.7.n.25.* Nald. *v.Missa.n.13.* Bonac. *d.4. q.vlt. punct.8. n.15.* Auersa *q.11.sect.17.* Diana *p.6. tract.6. resol.9.* Graff. *de celebr. Missa tom.2.cons.3.*

610 *Contra opinionem.* Fateor quidem, duos illos fructus, nempè impetrationem, & satisfactionem esse realiter separabiles. Hoc verò non tollit, quin vterque petenti Missam absolutè dato stipendio iusto, ex iustitiâ debeatur. Quippè communi sensu fidelium sub tali pacto fructus vterque comprehenditur. Addiderim tamen, si duobus petentibus Missam Sacerdos illam gratis promittat intendens impetrationem vni, & alteri satisfactionem applicare: licitum esse sic vnius Missæ fructum diuidere. Quia comitas, & liberalitas in promissionibus gratuitis non obligant ita rigorosè, ac iustitia. Quare sufficiet, in aliquo proprio sensu verba verificari, & cum animo promittentis conuenire. Proprius autem sensus verborum est, petenti Missam ad impetrandum, promittere Missam quoad impetrationem: & postulanti Missam pro defunctis quoad satisfactionem promittere.

PROBL. CXLI.

Quandò dantur pro Missæ celebratione stipendia minora iusto, potest, & non potest Sacerdos, pro vnâ Missâ plura accipere.

611 *Potest planè.* POtest profectò. Quia manifesta fieret Sacerdoti iniuria, si pro tam exiguo stipendio cogeretur, totum Missæ fructum applicare. Potest igitur tot stipendia recipere, quot sufficiat ad integram Stipem: & pro rata diuidere Missæ fructum, vt se seruet indemnem & iustam singulis æqualitatem tribuat. Sic Sotus, Canus, & Cordub. quos sequitur Suar. *d.86. sect.4.* Vasq. *d.234. c.2.* Angl. Scot. Nuñus, quos refert Diana *p.2. tr.14. res.7.* Filliuc. *tr.5.n.188.* Azor. *to.3.l.12. c.6.q.3.* Reginal. *l.23.n.234.* Posseuin. *c.2.n.23.* & 24. Miranda *to.1.q.41. art.23. concl.3.* & alij.

Non potest. Quia Sacerdos acceptans eleemosynam, exterius promittit integrum Sacrum, si tamen solum dimidium applicare intendit, vix excusatur à mendacio: nam in mutuis contractibus, seu promissionibus onerosis verba capienda sunt secundùm communem intelligentiam, & sicut nouimus hìc & nunc ab altero capi. Dans autem stipem, vt dicas pro alio sacrum intendit, vt integrum eidem applices: & dum stipem acceptas, secundùm communem sensum hoc ei promittis. Sicut igitur promittens tibi nummum argenteum, vt applices illi sacrum, te deciperet, si solum intenderet dare dimidium; sic pariter illum decipis, dum acceptas stipem ipsi promittens integrum sacrum, & applicans dimidium. Ita Nald & Barth. ab Angelo, quos sequitur Bonac. *d.4.q. vlt.punct.7.§.2.num.8.* Coninch. *q.83.n.193.* Diana *p.2.tr.14.res.8.* & *p.5. tr.13.resol.25.* Card. de Lugo *d.21.n.34.* Auersa *q.11.sect.17.*

612 *Non potest.*

Profectò sententia hæc in praxi tenenda est quæstio enim iam decisa est, nec datur Problemati locus post decretum Cardinalium approbatum per Vrbanum VIII. & editum 21. Iunij anno 1625. Nam §.2. Sic ait: *Vbi pro pluribus Missis etiam eiusdem qualitatis celebrandis plura stipendia quantumcumque incongruâ, & exiguâ, siue ab vnâ, siue à pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis &c. Sacra Congregatio sub obtestatione diuini iudicij mandat, ac præcipit, vt absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint. Ita vt alioquin ij, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciat: quinimo grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur.* Nihilominus tamen asseruauerim, Sacerdotem pauperem, acceptis pluribus stipendiis minoribus iusto, posse paucioribus Missis ad ratam stipis iustæ satisfacere. Quia acceptat iniustè coactus minorem stipem dum premitur egestate, nec inuenit stipendia iusta. Si tamen Sacerdoti diuiti detur stipendium minus iusto, quod acceptat, debet totum Missæ fructum applicare danti, quippe tali pacto sic inito, iam renunciat iuri suo, nec habet ex vnâ Missâ ius paupertatis vt alter, ad congruam sibi sustentationem conquirendam. Ita docet Henriq. *l.9. c.22.n.4.* & 5.

613 *Auctorū iudicium.*

PROBL. CXLII.

Sacerdos pro Missâ diei festi potest, & non potest duplum stipendium accipere.

614 *Potest sanè.* POtest quidem. Quia festiua solemnitas confert ad celebrationis stipem augendam. Sic concessit Synodus Mediolanens. 3. & ita declarauit Congregatio Pœnitentiariæ Mediol. annuente Bonac. vt ipse testatur *de contract. d.4.q. vlt.pun.8.n.14.* Docent Homob. *in exam.p.1.tr.4. c.3.q.120.* Alf. de Leon. *de Iubil.p.3.n.12.* & alij.

615 *Non potest.* Minimè potest in praxi. Quia sententia hæc iam est damnata decretis Cardinalium supra relatis §.3. Ita Diana *p.2.tr.14.resol.9.*

Equi

616 *Primam sententiam approbo.*

Equidem non reperio in hisce decretis verbum vllum de dierum festorum Missis: nec inueni quidquam, quo prima sententia reprobetur, vel praxis contraria decernatur. Quare eius Doctorib. morem gerens, seruandam esse iudico locorum consuetudinem, ac Synodales constitutiones, sicut in Mediolanensi Diœcesi ritè seruari existimo.

PROBL. CXLIII.

Religiosi suorum priuilegiorum vi possunt, & non possunt, pro vnicâ Missâ pluribus stipendiis satisfacere, vel maius stipendium exigere: quia Papa potest, & non potest huiusmodi impendere priuilegium.

617 *Non possunt satisfacere.*

NOn possunt satisfacère. Quia Papa non potest concedere facultatem accipiendi plures stipes, quibus vnica Missa satisfiat. Cũ enim non habeat potestatem in destructionem, sed in ædificationem: nec sit Dominus, sed dispensator bonorum temporalium quatenus ad finem supernaturalem aliquo modo possunt condicere: non potest humanus contractus inuertere, nec in quorundam præiudicium aliis bona temporaria tribuere. Sic Azor. *tom. 3. lib. 12. c. 6. q. 5.*

618 *Satisfacere possunt.*

Satisfacere possunt. Quia Papa potestatem, habet ad dispensandum ex causâ rationabili cum aliquibus, vt possint vnica Missa pluribus stipendiis etiam iustis satisfacere, ac subinde recipere seu exigere pro Missis singulis stipendia iusto maiora: Papa enim potest iustis de causis commutare voluntatem offerentium stipem, sicut & testatorum circa pias causas. Potest etiam ex Ecclesiæ thesauro supplere quidquid satisfactionis demitur his, qui Missarum stipendia dedêre, vnde nullum detrimentum patiantur, quamvis Missarum numerus minuatur; nam quoad impetrationem vna Missa multis æquiualet. Ergo potest ex causâ rationabili concedere, vt multis stipendiis vnica Missa satisfaciat. Ita Cordub. Sylvest. Fraxinel. Reginal. quos sequitur Bonac. *d. 4. q. vlt. pun. 8. n. 3.* Suar. *d. 86. sect. 4.* Filliuc. *tr. 5. n. 189.* Manu. *tom. 1. Regul. qq. q. 43. a. 16.* Auersl. *q. 11. sect. 17.* Molfes. *tr. 3. c. 17. n. 29.*

619 *Hoc teneo, & expono.*

Eiusdẽ omninò sum mentis. Fateor tamen non posse summum Præsulem hoc ex merâ suâ voluntate sine causâ præstare, quod probat fundamentum oppositum, & non amplius. Causam verò iustam talis dispensationis crediderim fore magnam Sacerdotum inopiam, vel eorum raritatem, vel tot Missarum onera, vt moraliter impossibile sit omnibus ad æqualitatem satisfacere, vel quid simile. Cæterùm de facto tale priuilegium, esse concessum minimè dubito. Leo X. apud *Corrend. Mendic. v. Missa, §. 14.* Concessit Minoribus, vt vnica Missa satisfacere posset plurib. commendatis, donec vnus Iulius seu Regalis singulis Missis correspondeat. Item Iulius II. *Bulla 28.* concessit Generali minorum, vt reperiens in Conuentu copiosum numerum Missarum, quibus Fratres ad æqualitatem satisfacere nequeant, dispensare possit, vt dicendo in qualibet Missa nouem collectas pro nouem Missis satisfaciat: & septem collectas pro septem Missis, & sic descendendo. Legendus Manuel. *supra*, Hieron. Rodrig. *in compen. resol. 25. n. 15. & 16.* Diana *p. 2. tr. 14. res. 6.* Henr. *l. 9. c. 22. n. 7.* Profectò quidquid de his, aut similibus priuilegiis, iam Congregatio Concilij Pontificia authoritate §. 3. & 17. reuocauit omnia priuilegia quibuslibet ob quamlibet causam concessa, quibus indulgetur, vt certarum Missarum celebratione, vel aliquibus collectis plurium Missarum oneribus satisfiat: & ita seruandum.

PROBL. CXLIV.

Qui pinguiora recepit pro Missis stipendia, potest, & non potest aliis dare tenuiora.

620 *Potest quidẽ.*

POtest planè, dummodo stipendia dentur ei, pro Missis ab eo celebrandis, ac per consequens ipse dominium illarum acquirat, & non sit simplex dispensator; & celebranti iustum conferat stipendium. Quia Sacerdos accipiens stipendium pro Missa à se celebranda acquirit dominium illius sub obligatione faciendi sacrum pro dantis intentione, quam certè potest per se, vel per alium implere. Quare dum postea dato iusto stipendio satisfacit obligationi suæ per alium Sacerdotem, etsi partem pecuniæ receptæ sibi retineat, nulli facit iniuriam: non celebranti, cui iustum impendit stipendium: non petenti Missam, cui totus Missæ fructus applicatur. Ergo nullam perpetrat iniustitiam, ac proinde probe id gerere potest. Sic Suar. *d. 86. sect. 3.* Filliuc. *tr. 5. n. 186.* Vasq. *d. 234. c. 4. n. 30.* Nald. *v. Missa n. 4.* Homob. *in exam. p. 1. tr. 8. c. 14. q. 131.* Sa *v. Missa, n. 45.* Manu. *in sum. tom. 1. c. 250. n. 9.* Regin. *l. 23. n. 240.* Posseu. *c. 2. n. 19.* Bonac. *d. 4. q. vlt. pun. 8. n. 18.*

621 *Non potest.*

Minimè potest, Quia voluntas dantis stipendium est, vt totum illud tribuatur Sacerdoti celebranti pro dantis intentione, nè dans stipem fraudetur fructu, qui crescit ex eleemosynâ maiori celebrantibus collata, quatenus honorat Deum de substantiâ suâ Ministrum eius vbertim sustentando. Et quia qui sedulò conquirunt plures & pingues Missarum stipes, quas minoribus stipendiis licèt iustis per alios faciant celebrari: saltem præ se ferunt speciem quandam lucri turpis, & sordidi, quatenus rem sacerrimam faciunt materiam negotiationis, quæ propterea meritò detestanda sit ac nullatenus permittenda. Ità Maior. *in 4. d. 45. q. 3. dub. 2.* Nauar. *c. 25. n. 91.* Cordub. *l. 1. q. 4. dub. 1.* Aragon. *2. 2. q. 85. a. 3. dub. vlt.* Molfes. *tr. 3. c. 16. n. 25.* Petr. de Ledesm. *to. 1. Sum. tr. de Euch. c. 8. concl. 13.* Moure *p. 3. c. 5. §. 9. n. 6.* Diana *p. 2. tr. 14. res. 10.* Card. de Lugo *d. 21. n. 29.* Auersl. *q. 11. sect. 17.*

622 *Secundã teneo sententiã imò primam non posse iam sustineri affirmo.*

Profectò, quamvis iuxta ius naturale posset prima sententia sustineri, si iusta causa cohonestetur, v. gr. si quis Sacerdos multas accepetit pinguiores stipes, & non possit omnes Missas dicere, nec habeat, vnde commodè restituat, posset aliis Sacerdotibus, data minori stipe, commendare: Verum post decreta sacræ Congregationis, quæ videntur in hâc parte nouum ius præscribere: tenendam in praxi secundam sententiam iudicarim cum Doctoribus, qui post illa decreta scripsêre, & cum limitationibus, quas eadem Congregatio subtexuit, ad quædam dubia sibi

sibi proposita respondendo: quas videre licet apud Ft. de Lug. *de Sacr. l. 5. c. 12. q. 7. n. 71. &c.*

PROBL. CXLV.

Sacerdos, cui interdum offertur manuale stipendium maius solito pro Missis, quas ipse celebrare posset, si velit tamen aliquas aliis Sacerdotibus commendare: debet, & non debet illis integrum stipendium exhibere sub lethali peccato.

623 *Tenetur sub mortali.* DEbet profectò ex nouo Congregationis sacræ iure, & nouo Vrbani VIII. præcepto: sub mortali scilicet. Quia decretum sic. §. 4. *Volens omne damnabile lucrum ab Ecclesiâ remouere, prohibet, &c.* Quippè quamlibet occasionem lucri turpis ab Ecclesiâ remouere, materia sufficiens est, vt grauiter præcipiatur: & seria voluntas obligandi grauiter satis ex motiuo proposito indicatur. Sic Auersa *q. 11. sect. 17.* Diana *p. 2. tr. 14. resol. 10. & p. 6. tr. 8. resol. 10. & p. 8. tr. 7. resol. 75.*

624 *Videtur sub mortali.* Debet quidem decretis obedire, sed non sub mortali. Quia decretum Pontificis non damnat contrariam sententiam, cum talis reprobatio in decretis non constet; sed solùm eius vsus vsum vetat. Ex hac autem prohibitione contra rem aliàs licitam, non colligitur sub mortali obligatione. Nam ad talem obligationem requiritur materia grauis, & voluntas legislatoris, vt ex communi sententia tradit Sanch. *l. 6. Decal. c. 4. n. 29.* Sed in prohibitione hac non exprimitur voluntas grauiter obligandi, quoniam illa verba *Prohibet*, & *Debere*, quibus talis obligatio imponitur, non inducunt ex se magis obligationem grauem, quàm leuem: nec materia videtur ex se grauis, cum non inferat alicui graue damnum. Ita Bordon. *in constit. resol. 25. n. 28.*

625 *Opinio sententiam.* Præfero quidem primam sententiam. Quia in re præsenti attendendum non est damnum iniustè illatum alicui, sed tam sordidæ negotiationis indecentia, quæ satis est capax præcepti grauiter obligantis secundùm se, quamvis in aliquo casu particulari possit esse veniale peccatum ex paruitate pecuniæ, vel etiam indecentiæ secutæ. Colligo hinc cum Diana, & Auersa, Sacerdotem, qui vel ignoranter, vel cum opinione sibi probabili præfata decreta violauit, teneri, vel Missas reficere, vel stipendia restituere sicut ille, qui bonâ fide rem accepit alienam quam putauit se iusto titulo acquisiisse, teneri dicimus ad restitutionem quando comperit, se fuisse deceptum.

PROBL. CXLVI.

Decretum Concil. Trid. circa Missarum reductionem loquitur, & non loquitur de Missis in fundatione Ecclesiæ, Capellæ, Beneficij, seu Capellaniæ positis.

626 *Decretum Trid. circa* CONcil. Trident. *sess. 25. c. 4.* concedit, vt vel propter multitudinem Missarum celebrandarum ex variis defunctorum relictis, quibus Sacerdotes satisfacere non valent, vel ob stipendij tenuitatem: possint Episcopi cum Synodo, & Abbates, ac Generales Ordinum in suis Capitulis Generalibus statuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem, & Ecclesiarum vtilitatem viderint expedire. Circa decretum hoc dubitarim, an Concilium loquatur de Missis positis in fundatione Ecclesiæ seu Capellæ, vel Beneficij, siuè Capellaniæ? *Missarum reductionem.*

627 *De his loquitur Tridentinum.* De his profectò loquitur. Quia cum eadem ratio militet in his Missis, ac in aliis similibus, & Concilium generaliter loquatur: æquum est, vt tam Episcopi, quàm Generales pariter possint omnes reducere ad minorem numerum, stante iusta causa, recipiendo semper Concilij intentionem, & procurando maximam in re tanti momenti circumspectionem adhibere. Sic Miranda *tom. 1. q. 41. art. 24.*

628 *Non loquitur de his.* De his certè non loquitur. Quia Trident. fatur de numero Missarum in quibusdâ Ecclesiis celebrandarum ex variis defunctorum relictis, scilicet Anniuersariis, vel rotationibus: vbi non comprehenduntur Missæ positæ, vel in Ecclesiæ, vel in Beneficij fundatione. Ac sic declarauit Congregatio Concilij die 3. Martij anno 1597. Ita Nald. & Posseu. quos sequitur Bonac. *d. 4. q. vlt. pun. 7. §. 2. n. 10.* Garcia *de Benefic. p. 7. cap. 1. n. 131.* Ricc. Homob. Vgol. & alij, quos sequitur Diana *p. 2. tr. 14. resol. 1.*

629 *Idem asserit.* Cum his assero reductionem Missarum, quæ positæ sunt in Ecclesiæ vel Capellaniæ fundatione tanquam casum omissum à Trident. relinqui iuris communis dispositioni leg. *Commodissimè ff. de liber. & posth.* Addit Garcia *n. 136.* in praxi fieri per Episcopum sine Synodo talem reductionem, iuxta potestatem iure communi Episcopis cõpetentem. Lege Azor. *to. 2. l. 6. c. 24. q. 6.*

PROBL. CXLVII.

Tridentini decretum circa Missarum reductionem extenditur, & non extenditur ad Missas dotationum post Concilium relictas.

630 *Extenditur sanè.* EXtenditur profectò. Quia Concilium generaliter loquitur, & eius ratio limitat non solùm in Missis ante Tridentin. relictis sed etiam post illum. Sic Nald. *v. Missa, n. 9.* Garc. *de Benef. p. 7. c. 1. n. 132.* Nauar. *in Consil. l. 5. tit. de priuil. cons. 3.* Posseuin. *c. 2. n. 25. q. 9.* qui testatur, sic esse praxi receptum.

631 *Non extenditur.* Non extenditur. Quia sic declararunt Cardinales die 7. Februar. anno 1573. vt refert Passarel. *tract. priuileg. Can. 60. de remed. Missar.* Ita Ricc. & Sorbus, quos sequitur Diana *p. 2. tr. 14. resol. 2.* Barbos. *de potest. Episcop. p. 2. alleg. 29. n. 5.* Bonac. *d. 4. q. vlt. punct. 7. §. 2. n. 11.* Azor. *tom. 1. l. 12. c. 18. q. 61.*

632 *Consentio.* Existimo cum Bonacinâ citato, hanc Cardinalium declarationem esse praxi receptam. Vndè ei praxi, potiusquàm oppositæ nos standum esse censeo. Itaque assero, ex vi Tridentini reduci posse, dumtaxat Missas antè Tridentinum, non post illud relictas.

PRO

PROBL. CXLVIII.

Possunt, & non possunt Episcopi sine Synodo Missas, de quibus Concilium loquitur, reducere.

633 *Non possunt eas sine Synodo reducere.*

NOn possunt eas sine Synodo reducere. Quia Tridentinum expressè concedit Episcopis facultatem reducendi Missas dotatas, vel Anniuersaria in Synodo Diœcesana. Quarè circa Missas, de quibus Concilium loquitur, eius forma debet asseruari: ac per consequens, stante Tridentino, non valebit Synodi Salmantinæ constitutio (quam refert Henriq. *l.9.c.22.n.6.*) committens Episcopo, vt hanc reductionem cum Capituli consilio perficiat. Sic Bonac. cum aliis *d.4.q.vlt.punct.7.§.2.n.9.* Garcia *de Benef. p.7.c.1.n.134.*

634 *Possunt sine Synodo.*

Possunt eas reducere sine Synodo. Quia etsi Tridentini decretum indicat ius nouum quoad Abbates, & Generales Ordinum, non illud inducit quoad Episcopos, qui iure communi poterant reducere Missas sine Synodo: nec hanc ipsis Concilium abstulit potestatem, cum ipsis concesserit facultatem cumulatiuam, non priuatiuam. Possunt igitur Episcopi etiam vbi Tridentini decretum est receptum, vti sua veteri potestate Missas sine Synodo reducentes. Ita Nauarr. *c.25.n.138.* Reginald. *l.23.n.134.* Azor. *tom.2. l.6.c.24.q.6.* Laym. *l.5.tr.5.n.5.* Barbos. *de potest. Episc.p.2.alleg.29.n.12.* Molfes. *sum.tom.1.tr.3. c.37.num.29.* Ricc. *in praxi decis.406.* Fagund. *præc.1.l.3.c.7.n.15.*

635 *Vrgente necessitate posse existimo, doctrinamque vberius expono.*

Profectò dum vrget necessitas posse Episcopum sine Synodo quaslibet Missas ad minorem numerum reducere reor, (si non prohibetur summi Præsulis decreto, de quo mox.) Nam in hac reductione Missarum agitur vtilitas defunctorum, & conscientiæ viuorum; vnde quævis dilatio potest valdè esse noxia, præsertim cum hæredes grauati, vel Sacerdotes obligati sæpè sint ita pauperes, vt Apostolicam sedem adire non possint, & vix ad Episcopum recurrere. Quare Tridentinum non est sic intelligendum, vt vrgente causa nequeat Episcopus redicere Missas, ad opportune succurrendum præsenti necessitati viuorum, ac vita functorum. Scio Salmanticæ factam fuisse de consensu doctissimorum virorum illam constitutionem, qua facultas reducendi Missas committitur Episcopo cum consensu Capituli. Scio aliquos ex præfatis Doctores asseruisse id gerendum esse ab Episcopo non adhibito Capituli consensu, sed literatorum consilio. At cum videam tot Doctores simpliciter asserere, posse sine Synodo Missas per Episcopum ob causas adductas reduci: nec meminisse Capituli, vel literatorum consilij, quod magis pertinet ad prudentem potestatis vsum, quàm ad formam facultatis, quam Synodus Salmantica aliis Diœcesibus præscribere non potuit: censeo, dum vrget necessitas, Episcopos posse reducere Missas sine Synodo. Verum si necessitas non nimis vrgeret, & citò Synodus esset cogenda, tutius esse expectare: sed oppositum adhuc probabile esse, nisi nouum extaret Vrbani VIII. decretum. Congregatio enim Concilij anno 1625. summi Pontificis authoritate, §.1. decernit, ne Episcopi in Diœcesanâ Synodo, aut Generales Ordinum in suis Capitulis reducant onera vlla Missarum celebrandarum, vel post Tridentinum imposita, vel in limine fundationis; sed præ his omnibus ad Apostolicam sedem recurratur; alioquin reductiones eiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas ac inanes decernit. Vbi annoto, non auferri facultatem reducendi Missas ante Trident. & quæ impositæ non sunt in limine fundationis. Vnde circa tales Missas retinent Episcopi facultatem quam expressi. Item ipsa Congragatio declarauit, non auferri potestatem Episcopis reducendi Missas, etiam in fundatione positas, quoties ipse fundator id expresè concessit. Certum demùm est, Generales Religionum non posse sine Capitulo Missas ad minorem summam reducere. Quia Tridentinum quoad Abbates, & Generales condidit ius nouum, quo concessit, vt in Capitulis id possent & non aliter. Lege Marchinum apud Dianam *p.6.tr.6.resol.10.* & Nauarrum; Miranda, Barbos. quos ipse Diana sequitur *p.2.tr.14. resol.4.*

PROBL. CXLIX.

Secluso priuilegio, aliquandò Sacerdos sæcularis, vel Superior Regularis potest, & non potest Missas ad minorem reducere numerum.

636 *Non potest.*

QVando redditus ita decrescunt (v. gr.) aut augetur stipendium Missarum, vt iam singulis æqua compensatio non respondeat: poterit ne Sacerdos sæcularis, aut Regularis Superior, priuilegio secluso, Missas minorem adducere? ad numerum Minimè. Quia Missarum reductio non attinet ad priuatam authoritatem; sed ad Papam, vel Principem, cuius est, ex iustâ causâ posse commutare voluntatem testatoris, aut fundatoris. Sic Azor. *tom.2.l.6.c.24.q.6.& tom.3.l.12.c.6.q.4.*

637 *Potest plane.*

Potest sanè. Quia talis esse videtur mens testatoris, seu fundatoris, vt scilicet celebranti congruum stipendium impendatur, nec grauetur ad celebrandum sine debitâ compensatione. Quare si totum capitale Capellaniæ sine culpâ Sacerdotis periisset, vel Cõuentus, cui Missarum onus incumbit, potest prorsus à celebratione cessare. Nam talis præsumitur fundatoris intentio: & cum Beneficium detur propter officium: destructo Beneficio cessare debet officium, id est, onus eidem annexum. Ita Bordon. *tom.1. variar.resol.25.q.26.* Auersa *q.11.sect.18.*

638 *Consentiens, sententiâ expono.*

Cum his opinor. Quia in humano locationis contractu non tenetur conductor integram soluere pensionem, quando propter grandinem, vel alluuionem, vel similem causam fructus agri depereunt. Ergò similiter Sacerdos non tenetur dicere Missas omnes impositas, quando redditus notabiliter decrescunt. Verùm dupliciter Missarum reductionem considero: primo quatenus earum numerus minuitur authoritatiuè, seu per dispensationem, in quo sensu loquuntur iura, seu decreta Tridentini, & Vrbani: & sic solus Pontifex, & qui habent ab illo facultatem, reducere possunt. Secundo modo quatenus numerus

Missarum

Missarum ex æquitate, seu iustitiâ minuitur, quæ non patitur, vt Sacerdos gerat gratis, aut minori pretio, quod faciendum sub stipendio iusto suscepit: & in hoc non requiritur Pontificis aut Principis potestas: sed quisque potest in suo contractu iustitiæ medium à contrahentibus intentum seruare; nec hoc est testatoris commutare voluntatem, sed iuxta ipsius mentem operari, qui noluit, aut gratis, aut stipe minori cogere Sacerdotem ad celebrandum, cum ab initio congruam stipem designauerit: alioquin eius voluntas esset iniusta, quæ seruari non debet.

CAPVT XXVII.

Circa necessarium Missæ Ministrum.

PROBL. CL.

Sufficit, & non sufficit vnus Missæ Minister.

639 *Vn sufficit.*

NOn sufficit. Quia ita videtur decreuisse Anacletus Pontifex *Epist.* 1. & Soter *cap. Hoc quoque, de consecr. dist.* 1. iussit, vt nullus Presbyter Missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus ipse tertius habeatur. Nam cum pluraliter ab eo dicatur, *Dominus vobiscum*, & *Orate Fratres*, aptissimè conuenit, vt ipsius salutationi per duos saltem respondeatur. Adde, Sacerdotem sæpè pluraliter populum alloqui fatum: *Benedicat vos Omnipotens Deus: Misereatur vestri: Vobis fratres.* Sic Hugo Victor. relatus ab Azor. *to.* 1. *l.* 10. *c.* 23. *q.* 1.

640 *Vnus sufficit.*

Vnus sufficit. Quia Pontifices locuti sunt de Missis solemnibus, vel etiam de Missis priuatis, quibus olim ob paucitatem Sacerdotum poterant facilè bini ministrare. Postea verò ob maiorem Sacerdotum numerum, & maiorem frequenter celebrandi obligationem, vbi vix reperitur vnus aptus minister, vsus in hac parte veteri Canoni derogauit. Ita D. Tho. 3. *p. q.* 83. *a.* 5. *ad* 12. Sotus *in* 4. *d.* 13. *q.* 2. *a.* 5. Bellarm. *l.* 2. *de Missa. c.* 9. Henriq. *l.* 9. *c.* 30. *n.* 1. Coninch. *q.* 83. *n.* 264. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 13. Fagund. *prac.* 1. *l.* 3. *c.* 21. *n.* 1.

641 *Vn sufficit.*

Certum est, vnum iam Ministrum sufficere, qui quidem nomine Ecclesiæ respondet. Vnde Sacerdos pluraliter loquitur, quoniam loquitur Ecclesiæ cuius nomine minister etiam pluraliter respondet: *Habemus ad Dominum.* Itaque distinxerim de Missâ solemni, quæ cum Diacono, Subdiacono, ac Acolythis celebratur: & de Missâ priuatâ, quæ sine tali dicitur apparatu. In Missâ solemni plures ministri requiruntur, nam in hoc eius solemnitas consistit. In Missis priuatis vnum sufficere communis testatur vsus.

PROBL. CLI.

Præceptum adhibendi saltem vnum Ministrum ad Missam celebrandam habetur, & non habetur ex Iure.

642 *Non habetur ex iure.*

NOn habetur ex Iure, sed ex solâ Ecclesiasticâ consuetudine. Quia nullũ ius id præscribens reperitur. Sic Suar. *d.* 87. *sect.* 1.

643 *Ex iure habetur.*

Habetur ex Iure. Quia c. *Proposuit. de fil. Presbyt.* dixit Alexander III. non posse solum Presbyterum Missarum solemnia sinè Ministri suffragio celebrare. Ita Auersa *q.* 11. *sect.* 9. Potest addi Concilium Mogunt. *t. c.* 43. dicens: Nullus Presbyter solus Missam rectè valet cantare. Quomodo enim dicet, *Dominus vobiscum*, vel *Sursum corda* monebit habere, & alia multa his similia profabitur, cum alius nemo cum illo sit.

644 *Primã teneo sententiam.*

Dixerim tamen cum Card. de Lug. *d.* 20. *n.* 103. præceptum hoc magis ex consuetudine, quàm ex iure expresso colligi. Nam illud c. *Proposuit*, & Concil. Moguntinum loqui videtur de Missâ solemni: & quamvis ratio Concilij communis etiam sit Missis priuatis, cum Concilium Prouinciale sit, non potuit totam Ecclesiam obligare.

PROBL. CLII.

Licet, & non licet, aliquando sine Ministro celebrare.

645 *Absolutè licet.*

ABsolutè licet sine Ministro Missæ dare operam. Quia sic gessêre Diui interdum in desertis & speluncis, præsertim in persecutionibus per crytas, domósque priuatas. Sic Gloss. in cap. *Hoc quoque de consecrat. dist.* 1. Nauar. *in Consil. l.* 1. *tit. de corpor. vitiatis, cons.* 6. Zerol. *in præxi Episc. p.* 2. *v. Missa* §. 3. Et Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *cap.* 6. *n.* 13. ait: *In quibusdam locis apud nos consuetudo viget, quæ ab Episcopis toleratur, ideó que damnari non potest, vt Sacerdotes, præsertim in pagis sine Ministro respondente celebrent.* Consonat Sa *v. Missa, n.* 18. fatus: *Potest quis, si desit Minister, ipse sibi respondere.* Scio Sa correctum contrarium asserere. Sed correctoris hæc non Manuelis opinio.

646 *Absolutè non licet.*

Non licet, sine Ministro celebrare. Quia violatur Missalis præscriptio, Ecclesiæque consuetudo. Quare cum in re graui fit violatio, grauis erit transgressio. Ita Barth. ab Angelo *dial.* 5. *n.* 408. Bonac. *d.* 4. *q. vlt. p.* 9. *n.* 34. Franc. Anton. *l.* 1. *de Missâ, c.* 17. Moure *p.* 3. *c.* 5. §. 4. *n.* 6. Auersa *q.* 11. *sect.* 9.

647 *Vrgente necessitate graui censeo licere.*

Si absolutè loquamur, nullus me actore, dissentiet. At vrgente graui necessitate asseruerim licitum esse, sine Ministro celebrare. Quia præceptum Ecclesiasticum, & Ecclesiæ consuetudo non videntur ad casum grauissimæ necessitatis extendi, præsertim si tunc vrgeret aliud præceptum celebrandi opposito præualens. Censent autem Doctores adesse sufficientem celebrãdi sine Ministro necessitatẽ, quoties in periculo mortis Sacerdos est sumpturus viaticum, vel alteri moribundo præbiturus, nec habentur præconsecratæ hostiæ, Quia præceptũ diuinũ recipiendi viaticum

ticum in mortis articulo Ecclesiastico præcepto non celebrandi sine Ministro prævalet. Rursus si post incæptam Missam Minister recedat, & expectatus post moram non redeat, debet celebrãs solus sacrificium perficere sibique respondere: quia maior est obligatio perficiendi sacrificium, quàm non celebrandi sine Ministro. Denique inclusus in carcere propter fidem, aut patiens propter iustitiam, videtur habere sufficientem causam celebrandi sine Ministro, quoties eget solamine vel iuuamine Missæ. Sic Glossam, Nauarrum, ac Zerollam intelligo. Legendus Fagund. *præc. l. 3. c. 21. n. 5.*

PROBL. CLIII.

Diebus Dominicis, ac Festis si Sacerdos non possit audire Missam, nec habeat Ministrum: licet ei, & non licet sine Ministro celebrare.

648 *Non licet.* NOn licet. Quia magis obligat præceptum adhibendi Ministrum, quàm in festis, aut Dominicis Missam exaudiendi. Sic Franc. Anton. *l. 1. de Missâ, c. 17.* Bonac. *d. 4. q. vlt. pun. 9. n. 34.* Moure *p. 3. c. 5. §. 4. n. 8.* Barthol. ab Angelo *dial. 5. n. 401.*

649 *Licet quidem.* Licet equidem ob solùm adimplendum præceptum audiendi Missam quolibet die festo, sine Ministro celebrare. Quia magis obligat præceptum audiendi Missam, quàm sine Ministro non celebrandi. Ita Pitigian. Graff. Nuñus, Durand. Sotus, Coninch, quos sequitur Auers. *q. 11. sect. 9.* Less. *3. p. q. 83. n. 66.* At Sylu. *3. p. q. 83. a. 5.* dicit, se sic celebrantem minimè damnare. Suarius verò *d. 87. sect. 1.* inquit se non damnare peccati mortalis.

650 *Vtrãque sententiam aquè probabilẽ esse reor.* Censuerim hanc sententiam sic esse probabilem, vt prima quoque probabilis sit, & vtramque posse ad praxim pro libito Sacerdotis reduci. Quia præceptum audiendi Missam omnibus festis æquale saltem apparet cum præcepto non celebrandi sine Ministro. Vnde prudenter eligetur alterutrius obseruatio, quando vtrumque impleri non potest. Scio, Martinon. *tom. 4. d. 40. sect. 3. n. 36.* distinxisse, asserendo, in festis solemnioribus, sine Ministro posse celebrari, secus in minus solemnibus. Sed quidem cum præceptum audiendi Missam pariter vrgeat in omnibus festis, maior, vel minor solemnitas parui referri reor ad licitam aut illicitam sine Ministro celebrationem.

PROBL. CLIV.

Cum adest vir, qui ministrare queat, sed nesciat respondere, aut mutus sit: viro ministrante vrceolos, v. gr. & librum mutante, fœmina poterit, & non poterit respondere.

651 *Minimè potest.* MInimè poterit. Quia nimis indecorum esset, Sacerdotem dicere fœminæ, *Confiteor, Deo: & vobis fratres:* & ab illâ formam deprecationis accipere verbis illis, *Misereatur tui, &c.* Sic Vasq. *q. 83. a. 5. in comment.*

652 *Potest planè.* Potest planè. Quia sicut fœminæ respondent ex choro cantando; possunt etiam communi voce, quando Missa priuata dicitur, respondere. Nec indecens est, quod ad fœminas in confessione Sacerdos, *Et vobis fratres*, nam de facto verbis istis non alloquitur solum viros, sed omnes adstantes: sicut dicens, *Orate fratres*, & viros, & fœminas adstantes hortatur, vt exorent. Illa autem verba *Misereatur tui* solam continent deprecationem, necapparet, cur fœminæ non possint deprecari Deum pro Sacerdote, sicut de facto cum dicunt, *Et cum spiritu tuo*, deprecantur. Ita Card. de Lugo *d. 20. n. 103.*

653 *Idem assero.* Ego quidem existimo, in casu proposito, solam responsionem posse suppleri quoad confessionem etiam & reliqua omnia per fœminam dum illa ad Altare non accedat, non ad presbyterium: sed ex loco remoto respondeat: sic enim & iuris præceptum seruatur, & necessitati occurritur: nec aliud ab Auctoribus concedi reor. Legi Fagundez *præc. l. 3. cap. 21. n. 3.* & Henriq. *l. 9. c. 30. n. 1.* asseruisse, à Pontifice concessum fuisse priuilegium, vt Monialis vrgente necessitate, per fenestellam Altari propinquam celebranti ministret. Non tamen ostendunt, vbinam priuilegium adsit. At dum hoc priuilegium latitat, nec de eo magis constans testimonium habemus, in praxim reduci non posse iudicarim.

LIBER

LIBER XXII.

EXTREMA-VNCTIO.

TRIDENTINVM hoc Sacramentum appellauit Pœnitentiæ consummatiuum, *quia consummat, ac perficit pœnitentiam delens peccatorum reliquias, & Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, finem imponit. De eius institutione, ac naturâ, materiâ remotâ, ac proximâ sermonem geram. Formam Effectum, Subiectum, Ministrum aperiam. Et de obligatione suscipiendi, ritibúsque in eius administratione obseruandis disseram.*

SECTIO PRIMA.

De Sacramento Extremæ-Vnctionis receptiores sine lite sententiæ.

CAPVT I.

De Nomine, Institutione, ac Naturâ Extremæ-Vnctionis.

1 Extrema-Vnctionis nomen.

HOc Sacramentum *Extrema-Vnctio* appellatur, quia omnium Vnctionum sacrarum, quæ fidelibus conferuntur, extrema est: & quia constitutis in extremo vitæ confertur. Castro Pal. *tom. 4. tr. 26. punct. 1. n. 1.*

2 Christus Dominus Extremæ-Vnctionis Sacramentum instituit.

Certum ex fide est, tum ex Tridentino *sess. 14. c. 1.* tum ex *Iacob. 5.* Epistola, dari Extremæ-Vnctionis Sacramentum quod institutum fuit à Christo Domino, sicut reliquorum Sacramentorum auctor fuit. Quandonam fuerit institutum hoc Sacramentum, non constat. Sed perpetua Ecclesiæ traditione & vsu apud Græcos, & Latinos indubitatum est, Extremam-Vnctionem esse Sacramentum à Christo Domino institutum: & secundùm Tridentinum insinuatum fuisse *Mar. 6.* vbi Apostoli à Christo immissi ægros oleo inungebant, & restituebant sanitati: commendatúmque fuisse, & promulgatum à D. Iacobo illis verbis: *Infirmatur quis in vobis &c.* Suar. *tom. 4. d. 39. sect. 1.* Sylui. *in supplem. q. 29. art. 1. & 3.*

3 Extremæ-Vnctionis definitio.

Extremæ-Vnctionis Sacramentum est *signum rei sacræ, quo aliquæ partes corporis infirmi* Exunguntur *oleo benedicto, sub præscripta verborum forma iuxta Christi institutionem ad salutem animæ, & corporis.* Comprehendit hæc definitio tum genus, quia dicitur *signum rei sacræ*, in quo conuenit cum reliquis Sacramentis; tùm differentiam, cum dicitur. *Quo aliquæ partes corporis, &c.* Quia per has particulas Extrema-Vnctio ab aliis differt Sacramentis. Nauar. *c. 22. n. 12.* Reginald. *l. 28. n. 44.* Filliuc. *tr. 3. n. 68.* & alij communiter.

Escob. & Mend. Theol. Moral. T. III.

CAPVT II.

De Materiâ Extremæ-Vnctionis.

MATERIA remota Extremæ-Vnctionis est Oleum oliuarum ab Episcopo benedictum. Quia Oleum optimè significat huius Sacramenti effectum. Lenit dolorem, vnde aptè significat infirmi alleuationem. Curat vulnera, & ad intima penetrat: vnde innuit remissionem peccatorum, & perfectam vulnerum animæ curationem. Significat misericordiam, qua maximè tunc æget ægrotans: & gratiam Spiritus sancti qua anima ægrotantis inuisibiliter inungitur, vt Trid. fatur. D. Tho. *in 4. d. 23. q. 1. a. 3.* Coninch. *d. 19. dub. 2.* Henr. *l. 3. c. 8.* Lorich. *v. Sacram Extr. Vnct. n. 3.* Sylu. *supplem. q. 29. a. 4.* 4 *Materia remota Extremæ Vnctionis.*

Hoc infirmorum Oleum quotannis renouandum est, & vetus comburendum in Ecclesiâ, vel in piscinam immittendum. Si verò non sit aliud Oleum, nisi vetus, potest instante morte fieri cum illo Extremæ-Vnctio, & ad hunc finem vetus asseruari debet, quousque nouum habeatur apud regionem præcipuè, vbi de defectu olei dubitatur. 5 *Quotannis hoc Oleum innouandum.*

Non potest loco Olei benedicti per sacrum Chrisma hoc Sacramentum conferri. Quia Ecclesia huiusmodi vsum non habet. Attamen si Sacerdos per errorem Chrismate Sacerdos infirmum inungeret, minimè inunctio repetenda: sed res Domino commendanda: tùm quia inibi est verum oliuarum oleum: tùm quia plerumque non posset fieri iterata vnctio sine scandalo: tùm quia valdè probabile est, Sacramentum 6 *Nó potest hoc Sacramentũ Sacro Chrismate perfici.*

hoc in materiâ sacri Chrismatis validè conferri de quo *sect.*2.Laym.*lib.*5.*tr.*8.*c.*2.*n.*3.

7 *Materia proxima Extremæ Vnctionis.* Materia verò proxima est Vnctio ex oleo facta. Quia hoc Sacramentum non consistit in ipsâ materiâ permanente, sed in vsu: sola enim Eucharistia id habet. Confirmatur à simili in aliis Sacramentis, nam proxima materia semper est vsus remotæ. Sic in Baptismo est ablutio, in Confirmatione vnctio.

8 *Vna gutta olei sufficit ad Vnctionē cuiuslibet sensus.* Quævis olei benedicti guttula ad veram aliquantæ partis corporis inunctionem sufficit. Quia quod de quantitate aquæ circa Sacramentum Baptismi asseritur, hoc etiam de quantitate olei circa hoc Sacramentum est asserendum. Sed vna gutta aquæ sufficit ad Baptismum; Ergo etiam vna olei gutta sufficit ad Vnctionem. Gutta aquæ dicitur lauare, gutta olei dicitur vngere. Tanner. *tom.*4. *dist.*7. *q.*1.*dub.*1. *n.*16. Diana *p.*3.*tr.*4.*resol.*177.

9 *Non est necessum ad validitatem, quod sit oleum eo anno benedictum.* Ad validitatem huius Sacramenti non est necesse, vt oleum sit eo anno benedictum: ex consuetudine tamen, & ex præcepto debet esse benedictum eo anno; & extra necessitatem oleum alterius anni adhibere, piaculum est. Cap. *Litteris, de consecr. dist.*3.

10 *Debet oleum esse simplex, nec simplicitati non obstat modica pars alterius liquoris.* Debet oleum esse simplex. Modica tamen ad mixtio liquoris alterius, non efficit, vt oleum propriam exuat naturam. Imò ex Ecclesiæ vsu in necessitate oleum non consecratum miscere ri consecrato potest. Quia vtrumque per admixtionem consecratum censetur, modò quantitas olei adiuncta sit minor consecratâ; nam extrema olei non consecrati ita cum extremis consecrati permiscentur, vt simul vtrumque consecratum censeatur. Posseu.*c.*9.*n.*1. Nauar.*c.*22. *n.*13. Reginald. *l.*28.*n.*50. Diana *p.*3. *tr.*4. *resol.* 176.*& p.*5.*tr.*3.*resol.*90.

11 *Debet vnctio in modū Crucis fieri.* Vnctio ex consuetudine debet in modum Crucis fieri: non est tamen de necessitate Sacramenti, cum in Conciliis, & scriptura fundamentum non habeat. Sylvest. *v. Vnctio* §.2. Diana *p.*3.*tr.*4.*resol.*178. Henriq. *l.*7.*c.*8.*n.*2.

12 *Debet esse saltem quintuplex vnctio.* Ex præcepto debet esse saltem quintuplex vnctio in quinque sensibus. Quia sic fert vniuersalis Ecclesiæ consuetudo, ac Doctorum assertio. D. Tho.3.*p.q.*32.*art.*5. Suar. *tom.*4.*d.*40. *sect.*2. Valent.*tom.*4.*d.*8.*q.*2. Reginal.*l.*28.*n.*52.

13 *Quare debeat quintuplex necessariò fieri saltem?* Ideò autem in quinque sensibus necessaria est inunctio. Quia hoc Sacramentum est institutum ad tollendas sordes ac reliquias peccatorum: & ibi congruè adhibetur, vbi est radix peccati. Porrò in quinque sensibus peccatorum adsunt origines. Vnde si aliquis ex quinque sensibus oculis, auribus, naribus, ore, ac manibus, non inungatur repetita forma, inualidum erit Sacramentum. Quid si aliquis aliquo corporis membro careat, v. gr. auribus, vel est Cæcus? Vngenda est pars magis propinqua sensui. Quia licèt exterius non peccauerit in eâ parte ægrotus, fieri tamen potest, quod deliquerit per potentias illi membro respondentes, vt per voluntatem. Doctores communiter.

14 *De vnctione in renibus ac pedibus.* Duæ aliæ vnctiones in renibus, ac pedibus quibusdam in locis adhibentur, licet vnctio in renibus vel vmbilicò in fœminis sit vbique prætermittenda propter decentiam, & honestatem Filliuc.*tr.*3.*n.*77. Posseuin.*c.*9.*n.*15.

15 *Sacerdos non vngendus in palmâ.* Profectò Sacerdotes non vnguntur in palmâ, sed in superiori versâ parte. Quia semel in palmâ fuerunt inuncti in Ordinis Sacerdotalis susceptione. Suar.*d.*39.*sect.*2.*&* 3. Bonac. *de sacr. d.*7. *punct.*5.*n.*19.

In inungendis verò 5. sensibus, non est necessarium Sacramenti necessitate, seruari ordinem. Quia ordine mutato adhuc completa significatio manet. Sa *v. Extr. Vnct.n.*12. Filliuc.*tr.*3.*n.*79. 16 *Non est necesse, seruari ordinē in sensuum vnctione.*

Saluatur item significatio huius Sacramenti per vnius organi vnctionē, vnde necessariò non est vngendum vtrumque organum sensus vnius, v.g. vtraque auris, vel manus. Ex præcepto autem seruanda est locorum consuetudo, quæ in multis inoleuit vt in duplici organo duplex Crux sub vnicâ formâ adhibeatur. Suar. *d.* 40. *sect.*2.*n.*5. Nald. *v. Extr. Vnct.n.*2. 17 *Nec vngi organum vtrumque.*

CAPVT III.

De Sacramenti Extremæ-Vnctionis Forma.

18 *Forma extremæ vnctionis.* FORMA Sacramēti huius tradita in Cōciliis Florent. *in instr. Armen.* & Trid. *sess.*14.*c.*1.est, *Per istam S. Vnctionem, & suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum &c.* si quæ autem diuersæ referantur omnes ad hanc quoad sensum substantialem sunt reducendæ.

19 *Proferēda est modo deprecatiuo.* Forma hæc proferenda est modo deprecatiuo. Quia datur infirmis, qui egēt oratione, & transeunt ex Ecclesiæ foro ad forum superius diuinæ Maiestatis: & ideò diuinę clemētiæ cōmendātur. D. Tho. *in* 4.*d.*23.*q.*1.*a.*4. Philiarc.*to.*1.*d.*12.*c.*12.

20 *Quem modū de fide est, sufficere.* Scio controuersiam inter Doctores esse, an de necessitate huius Sacramenti sit, vt forma illius proferatur per modum deprecatiuum, nec sufficiat proferre per modum indicatiuum, dicendo: *Vngo hos oculos oleo sanctificato in nomine Patris, &c.* de quo *sect.*2. Pro praxi autem annoto, de fide esse, formam deprecatiuam ad Sacramenti valorem esse sufficientem: indicatiuam autem meritò esse dubiam, cum vnius Sacramenti non sint duæ formæ totales non æquiualentes. Suar.*d.*40.*sect.*3.& alij.

21 *De essentia huius formæ est vt explicetur materia proxima illius Sacramenti.* De essentiâ formæ huius Sacramenti est, vt explicetur materia proxima illius, quæ continetur his verbis: *Per istam vnctionem*: reliqua autem verba, *Per suam pissimam misericordiam*, item *per visum, auditum, &c.* non sunt de essentiâ formæ, cum sensus verborum sit completus, subsistátque illis omissis. Sunt tamen de præcepto, ita vt sine lethali peccato omitti non possint. Filliuc.*tr.*3.*n.*80. Laym.*l.*5.*tr.*8.*c.*3. Regin. *l.*28.*n.*55. Diana *p.*3.*tr.*3.*resol.*175.

22 *In casu necessitatis potest Minister vnica actione ungere quinque sensus sub vnica forma prolatione.* Etsi ad singulas quinque sensuum inunctiones præceptum sit repetendi formam; tamen in casu necessitatis quando scilicet esset vel periculum contagij, vel vt infirmus ante moriatur, sub conditione mente concepta, posset Minister vnicâ actione quinque sensus attingere, vngendo vnum oculum, vnam aurem, vnam manum, nares, & os, & super hanc totam vnctionem formam proferre, quæ omnes quinque comprehenda, dicendo: *Per has sacras Vnctiones indulgeat tibi Deus, quidquid per visum auditum, odoratum, gustum, & tactum peccasti.* Quia sic agendo, non fit iniuria Sacramento, & proximo potest maximus conferri beneficium, cum de attritio valeat fieri contritus,

tus, si à parte rei Sacramentum subsistat. Attamen in praxi haud est facile à communi vsu recedendum, nisi aliter postulet euidens necessitas. Quia quamvis hæc opinio sit probabilis, non caret etiam magna dubietate an hæc forma sit sufficiens ad Sacramenti valorem: Vnde vti forma dubia, certa relicta, in Sacramentorum collatione, graue peccatum est, nisi excusêt necessitas. Victorel. *de Extr. Vnct.* Suar. *distinct.*40.*sect.*3. Tambur. *de Iure Abbat. tom.* 2. *distinctione* 7. *quæstion.*1. Posseuin. *capite* 9. *numero* 19. Diana *parte* 2. *tractatu de Sacram.resol.*168.& *p.*5.*tr.*3.*resol.*89.

23 *In tempore pestis virgâ aureâ vel argentea inungitur.*

Sacerdos pestis tempore ad contagionem vitandam, potest infirmum inungere virgula aurea, argentea, vel lignea mediante, verè tamen Oleo intincta, sic vt perficiatur vnctio. Peracta verò vnctione virgam huiusmodi aut purgabit ac in similem vsum seruabit si aurea, vel argentea sit ob Sacramenti reuerentiam: vel si sit lignea, igne absumetur. Sylui. *in supplem.*3. *p. q.*32.*art.*3.

CAPVT IV.

De huius Sacramenti Ministro.

24 *Solus Sacerdos minister extremæ vnctionis.*

MINISTER Extremæ-Vnctionis necessarius est solus Sacerdos quamvis excommunicatus, vel degradatus, Iacob. 5. *Inducat Presbyteros Ecclesiæ.* Et in nullo casu etiam extremæ necessitatis inferior Sacerdote habet potestatem administrandi hoc Sacramentum. Quia in rebus spiritualibus fundatis in institutione Christi non licet addere exceptionem sine auctoritate, aut ratione euidenti. Non potest tamen quilibet Sacerdos licitè Sacramentum hoc administrare nisi habeat iurisdictionem & ab Ecclesiâ non impeditam. Vnde qui non est proprius Sacerdos, hoc Sacramentum sine Parochi licentia administrans, grauiter delinquit. D. Thom. *in supplem.q.*31.*a.*2. Suar. *d.*43.*sect.*1. *n.*5. Reginald. *lib.*28.*n.*60. Coninch. *d.*19.*dub.*9. Sylui. *in supplem.q.*31.*a.*1.& 2.

25 *Religiosus exemptus administrans sine Parochi licentia, non peccat cum periculo mortis infirmi, si proximus sit morti cum ratihabitione Parochi.*

Religiosus exemptus administrans sine Parochi licentia Extremam-Vnctionem, vel sine Sedis Apostolicæ priuilegio in Clement. 1. *de priuil.* excommunicationem incidit. In necessitate tamen, v.g. quando infirmus est mortis proximus cum ratihabitione Parochi posset Religiosus, hoc conferre Sacramentum absque excommunicationis periculo. Quia tunc præsumitur consensus Episcopi, vel summi Præsulis. Henriq. *l.*3.*cap.*13.*n.*4. Nauar. *cap.*27.*n.*101. Diana *p.*5.*tr.*3.*resol.*82. Valent. *tom.*4. *d.*8.*q.*1. *punct.*2.

26 *Si Parochus nolit expresse nec per se, nec per alium hoc Sacramentum ministrare in extremâ necessitate, dummodo scandalû vitetur, & consulat Regularis Sacerdos, vel ipso repugnante id gerere in extrema necessitate.*

Si Parochus nolit expresse nec per se, nec per alium hoc Sacramentum ministrare in extremâ necessitate dummodo scandalû vitetur, & consulat Regularis Sacerdos, vel ipso repugnante id gerere. Quia eo casu non censetur, ius alterius vsurpari, sed defendi innocentiam. Suar. *d.*44.*sect.*2. Sotus *in* 4.*dist.*23.*q.*1.

27 *Necessitate vrgente, valide confertur hoc Sacramentum à pluribus Sacerdotibus partialiter concurrentibus.*

Necessitate vrgente, validè confertur hoc Sacramentum à pluribus Sacerdotibus partialiter sic concurrentibus, vt vnus vnam partem, alius aliam inungat independenter ab alio, prolata ab illis in singulis vnctionibus debita forma. Quia cum hoc Sacramentum habeat plures partiales materias & formas, quarum singulæ habent suam specialem significationem per ordinem ad suum effectum, quamvis à pluribus conferatur, ideò non requirit necessariò vnitatem Ministri. Talis autem necessitas est, si Sacerdos post peractas aliquas vnctiones moriatur, aut propter aliquod impedimentum omnes persequi nequeat. Extrà necessitatem verò non potest absque peccato lethali hoc Sacramentum à pluribus administrari. Quia esset contra vsum Ecclesiæ in re graui. Imò quia est tantum probabile, & non certum, validum esse hoc Sacramentum à duobus collatum, tutius erit ab altero vnctiones repeti, perinde ac si prior ille nihil earum inchoasset: & præcipuè si mora inter singulas vnctiones factas à duobus interposita tanta esset, vt obstare posset Sacramenti validitati. Quia id infirmo multò est vtilius, cum sic Sacramentum certissimè recipiat. D. Tho. apud Suar. *distinct.*44.*sect.*2.*n.*5. Filliuc. *tract.*3.*num.*91. Sa *v. Extr. Vnct. n.*11. Bonac. *d.*7.*punct.*4.*n.*7. Tolet. *l.*7.*c.*2. Præpos. *3.p.q.vni. de Sacram. Extr. Vnct. dub.*5.*n.*37.

Extra necessitatem non potest fieri à pluribus.

28 *Parochus ex iustitia tenetur administrare.*

Minister ex officio huius Sacramenti est Parochus & tenetur ex iustitia fidelibus sibi subditis illud administrare. Quia tenetur oues suas pascere, ordinaria remedia salutis exhibendo, quando opportuno tempore requiruntur. Vnde si circa hoc sit notabiliter negligens cum infirmi periculo, mortaliter delinquit. Nauar. *c.*25.*num.* 131. Suar. *d.*44.*sect.*2. Filliuc. *tr.*3.*n.*96.97.& *c.* Sylui. *q.*32.*a.*3.*concl.*3.

29 *Deficiente Parocho, ex iustitia tenetur Episcopus, alij ex charitate.*

Deficiente verò Parocho, tenetur Episcopus id per se ipsum præstare, vel de alio Ministro ouibus prouidere. Alij autem ratione necessitatis infirmi, deficiente Parocho, tenentur ex charitate etiam sub mortali. Quia fratri in extremis constituto hoc fortè necessarium subsidiû Christiana debet pietas. Doctores citati.

30 *Quid debeat Parochus circa hoc tempore pestis.*

Pestis tempore magis obligatur Pastor, quàm alius non habens tale munus: & non potest fugere, sed adesse tenetur per se vel per suum Vicarium, vt Sacramentum confessionis & Eucharistiæ etiam cum mortis periculo administret. Extremam autem Vnctionem tenetur etiam administrare, si id possit sine morali, vitæ discrimine: aliàs non tenetur. Quia non est Sacramentum necessitatis, & sufficienter prouidetur necessitati infirmi per Confessionem & Eucharistiam. Suar. *d.*44.*sect.*3. Diana *p.*5.*tr.*3.*resol.*83.& *p.*3.*tr.*4.*resol.*174.

31 *Si ægrotus non possit aliud Sacramentû recipere, tenetur vel cum vitæ periculo.*

Attamen si contingat, infirmum non potuisse recipere Sacramentum Pœnitentiæ, nec Eucharistiæ: tunc Parochus debet etiam cum certo vitæ periculo Extremam Vnctionem administrare. Quia fieri potest vt infirmus habens attritionem percepto hoc Sacramento saluetur, qui alioqui esset damnandus. Sylû. *quæstione* 52. *concl.* 2. & 4. Sanctius *in select.distinct.* 27. *numero* 16.

CAPVT V.

De suscipiente Extremam-Vnctionem.

32 *Homo viator baptizatus, rationis particeps, de vita periclitans corpore infirmus solus est Extrema-Vnctionis capax.*

SVSCIPIENS hoc Sacramentum solus est homo viator, baptizatus, & ratione vtens, de vitâ periclitans corporéque infirmus. Vndè parientes fœminæ cum periculo mortis capaces sunt huius Sacramenti, sicut & lethaliter vulnerati, aut qui venenum epotauêre, peste percussi, morsu viperarum læsi, rabidi homines, decumbentes periculosè ob senectutem. D. Thom. *in 4. dist. 23. q. 2. a. 2.* Coninch. *d. 19. dub. 7.* & alij communiter.

33 *Potest ministrari omnib. qui habuêrint intentionẽ interpretatiuã illud recipiẽdi.*

Omnibus illis conferri potest hoc Sacramentum, qui habuêre intentionem saltem interpretatiuam illud suscipendi, qualem habent Christicolæ. Non est autem necessarium, vt actualiter aliquando peccauerint, sed tantum vt peccare potuerint. Quia peccatum actuale non est materia proxima vel remota huius Sacramenti, sicut est Pœnitentiæ: & ideò quamvis non præcesserit, poterunt omnia essentialia Sacramenti adhiberi, & suum præstabit effectum. Riginald. *l. 28. c. 11.* Lorichi. *v. Extr. Vnct. n. 8.* Filliuc. *tr. 3. n. 101.* Henriq. *l. 3. cap. 11.*

34 *Quinam sint huius Sacramenti incapaces.*

Infantes, perpetuò amentes, mortui, infideles, sani, imò & infirmi, qui nondum existunt in periculo mortis, gerentes bellum aut existentes in mari cum lethali periculo, damnati ad mortem per supplicium à Iudice, mulieres in partu existentes sine periculo sunt huius Sacramenti incapaces. Quia ægrotis in periculo constitutis hoc subsidium agnatum. Suar. *d. 42. sect. 2.* Nauar. *c. 22. n. 13.* Sylui. *q. 32. a. 1. 2. 3. & 4.*

35 *Potest dari pueris, qui peccare possint licet nõdũ receperint Eucharistiam.*

Omnibus pueris Sacramenti Pœnitentiæ capacibus, licèt non sint idonei adhuc ad Eucharistiam recipiendam, Extrema-Vnctio est ministranda. Quia ad abolendũ peccatũ, cuius potest esse reus puer Pœnitentiæ capax, est instituta. Vnde per se loquendo peccat Parochus, qui puero vsus rationis capaci eam non administrat; quamvis ratione aut contraria consuetudine, si alicubi sit, possit per accidens excusari. Ego quidem puerum, licèt nunquam suscepisset Eucharistiam, si non posset Pœnitentiæ Sacramentum recipere, non auderem absque Extrema-Vnctione forsan necessaria tunc ad salutem relinquere. Laym. *l. 5. tr. 8. c. 4. n. 2.* Præpos. *3. p. q. vnic. de Extr. Vnct. dub. 7. n. 57.* Diana *p. 3. tr. 4. resol. 181. & p. 5. tr. 3. resol. 85. & 86.*

36 *Sit illius capaces adulti mox post Baptismum susceptum.*

Adulti statim post Baptismum in mortis periculo constituti sunt huius Sacramenti capaces. Quia habet duplicem proprium, ac infallibilem effectum, vnus est auxilia, quibus homo possit in illâ extremâ luctâ corroborari: alter remissio peccati, ita vt hi effectus sint disparati, & vnus ab altero non dependeat, possitque vnus conferri ei, qui non sit alterum recepturus. Quisquis autem est capax alterutrius, est capax Sacramenti. Cum ergo his, qui nunquam peccauit potest tamen peccare, per intrinsecam dispositionem possit recipere auxilia, quibus corroborari valeat, potest hoc Sacramentum suscipere. Ergo simililiter qui mox recepto Baptismo est iam omninò à prælapsis peccatis dilutus, poterit ad illum effectum recipiendum inungi. Mercer. *tr. de Extr. Vnct. in supplem. 3. p. q. 32. a. 4.* Diana *p. 3. tr. 4. resol. 172.*

37 *Administrari debet, si fieri potest, quando infirmus adhuc pollet vsu rationis.*

Administrari, debet, si fieri possit, quando infirmus adhuc rationis vsu pollet, & ideò non expectandum extremum vitæ periculum, quo omninò eius sit desperata salus. Quia rationis adhuc compos magis se ad fructum huius Sacramenti disponet. At si inungitur obeat infirmus debet Sacerdos ab vnctionibus desistere. Quia Sacramentum est viatoris, non mortui. Si autem sit dubium, an sit mortuus, sub conditione si adhuc viuit, est ministrandum, ne subiecto incapaci conferatur. Catechis. Roman. *c. 8.* Sylvest. *v. Extr. Vnct. n. 5.* Sa *ibi n. 15.* Diana *p. 5. tract. 3. resol. 95.*

38 *Dispositio ad Extremam-Vnctionẽ dispignè recipiendam.*

Dispositio ad recipiendum cum fructu hoc Sacramentum non eadem sufficit, cum recipitur ab eo, qui est compos rationis, ac cum recipitur ab eo, qui ratione iam caret. Quia infirmus compos mentis, & habens peccati lethalis conscientiam, tenetur actum contritionis elicere, aliàs enim poneret obicem ad gratiam: in priuato autem rationis vsu attritio sufficit. Henr. *l. 3. capite 10. numero 2.* Nunus *quæstione 32. articulo 3.* Sylui. *quæstione 32. articulo 4. quæsito 2.*

39 *Non est peccatum mortale, non recipere ex negligentia hoc Sacramentũ.*

Non est per se loquendo peccatum mortale, scandalo, & contemptu excluso, ante mortem naturalem Extremam-Vnctionem non accipere. Quia nullum extat præceptum obligans sub mortali, ad hoc Sacramentum recipiendum. Vnde qui ex negligentiâ illud omittit, lethaliter non peccat. Suar. *d. 44. sect. 1.* Sa *v. Extr. Vnct. num. 5.* Sylui. *quæst. 32. art. 4. quæsi. 1.* Coninch. *d. 19. dub. 10.* Diana *part. 5. tractat. 3. resol. 97.*

40 *Potest recipi ante Pœnitentiam & Eucharistiam.*

Licet vsu receptum sit vt ante administrationem Extremæ-Vnctionis conferantur infirmis Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ: non videtur tamen mortale peccatum talem ordinem immutare, si id minimè ex contemptu fiat. Quia aliquando fieri potest, vt quis Extremam-Vnctionem recipere possit, non verò Pœnitentiam, aut Eucharistiam. Ast in praxi retinenda est consuetudo, qua prius infirmo Pœnitentia & Eucharistia ministratur, quàm Extrema-Vnctio. Si quem autem sic opprimat ægritudo, vt nulla dans signa confiteri non valeat, & multò minus Eucharistiam sumere. At quando timetur non futurum tempus pro omnibus tribus Sacramentis accipiendis, primo facienda est integra omnium peccatorum Confessio, postea præmittenda est Eucharistiæ sumptio Extremæ-Vnctioni. Quia præceptum suscipiendæ Pœnitentiæ, & Eucharistiæ obligat in mortis articulo. Suar. *d. 42. sect. 2. n. 8.* Filliuc. *tract. 3. num. 114.* Henriq. *lib. 3. cap. 10.* Barbos. *de officio Paroch. capite 22. numero 36.* Reginald. *l. 28. n. 74. & 75.* Diana *part. 5. tract. 3. resol. 92.*

41 *Regulares possũt ex priuilegio familiaribus hoc Sacramentũ ministrare.*

Ex priuilegiis Pontificum licet Regularibus Sacramentum hoc ministrare familiaribus, seruitoribus, & aliis degentibus intra suorum Monasteriorum sepia. Ita Eugenius IV. Fratribus Minoribus obseruantibus Regni Castellæ.

Castellæ. Idem concessit Clemens IV. eisdem Fratribus Minoribus, cuncta liberè ministrare his, qui in eorum obsequio morantur, Ecclesiastica Sacramenta, & ipsos cum decesserint, in eorum Monasteriis sepelire. Familiares autem regulariter dicuntur, qui eis aliquo modo inseruiunt, & commensales sunt, cum eisque habitant. Rodrig. *tom.2.qq.Regul.q.67.art.1.* Compend.priuileg. Mendicant. *v. Familiares*, §.10. Tamburin. *de Iure Abbat.tom.2.disp.7.quæst.3.* & alij.

CAPVT VI.

De Extremæ-Vnctionis Effectibus, & Ritu.

42 *Triplex huius Sacramenti effectus.*

EFFECTVS Sacramenti Extremæ-Vnctionis est triplex. Primus, tollere reliquias peccatorum, id est, peccata lethalia, vel venialia, quæ interdum relinquuntur post alia Sacramenta: vel quia sunt post illa, & non aduertuntur; vel quia non sunt expiata per præcedentia Sacramenta malè susceptа, & hoc ignoratur. Secundus, subleuare infirmum à corporali ægritudine, sanitatémque ei conferre, si animæ saluti expedierit. Tertius est gratia habitualis non solùm sanctificans, verumetiam habens adiuncta specialia auxilia ad expellendas habitudines, ac procliuitates ad malum ex peccato originali exortas. Præterea proprius huius Sacramenti effectus est corroborare infirmum contrà omnia mala, quæ mortis tempore solent occurrere. D. Thom. *in 4. dist.23.quæst.1. art.2. & 3. & 3. part. quæst.30. art.2.* Suar. *disp.41.sect.1.* Valent. *tom.4.disp.8. q.1.punct.3.* Reginald. *lib.28.57. & 58.* Filliuc. *tract.3.num.124.*

43 *Quando perficiatur essentialis effectus huius Sacramenti.*

Huius Sacramenti effectus impenditur, quando perficitur vltima vnctio cum sua forma essentiali. Quia peccatum vnius sensus non remittitur sine peccato alterius: & omnes vnctiones institutæ sunt ad eundem effectum complectum, & ad vnam integram totius hominis vnctionem ordinantur. D. Thomas, Sotus, & Paludanus apud Filliuc. consentientem *tr.3. n.126.* Diana *p.3.tr.4.resol.179.*

44 *Est Sacramentum iterabile, vel in eadem infirmitate.*

Hoc Sacramentum est iterabile, cum non imprimat characterem, & ex vsu fidelium patet. Ratio est, quia est medicina non solùm contra animi infirmitatem, sed etiam, si expediat, contra corporis ægritudinem. Quocirca periculo mortis recurrente, repetenda est medicina: non tantum in morbis diuersis, sed etiam in eodem diuturniore, si morbi mutetur status; v.gr. si postquam inunctus æger mortis periculum euaserit, in idem rursus incidat, potest secundò inungi. Quia potest denuo roborari contra diaboli insultus, & ad egressum ex hac vita feliciter præparari. Non est autem necessum, vt infirmus recuperet sanitatem, & postea in similem incidat morbum, ac periculum; sed satis est, si manente infirmitate euadat periculum mortis, & post aliquot tempus iterum incidat in periculum; quod viri prudentis iudicio relinquitur. Tunc enim quoties hoc accidit, toties hoc Sacramentum poterit iterari, vt æger obiturus cœlesti leuamine potiatur. Quando verò infirmitas diuturna non est, & vnum solummodò mortis adest periculum, haud debet hoc Sacramentum iterari. D. Thom. *in suppl.33.a.1. & 2.* Sylui. *ibid.* Conc. Trid. *sess.14.c.3. de Extr. Vnct.* Suar. *d.40.sect.4.n.4.* Tanner. *tom.4.disp.7. q.1.n.54.* Henriq. *lib.3.c.9.n.4.*

45 *Ritus, & cæremoniæ ad huius Sacramenti administrationem.*

Ritus, ac cæremoniæ quibus hoc Sacramentum est ministrandum, peti debet ex cuiusque Diœcesis rituali. Tria hîc annotarim. Primum est, non opus esse adhiberi alium Ministrum, qui respondeat, si aliter per perscripta Episcoporum sit constitutum. Secundum, extrà periculum peccare Sacerdotem, qui prætermissis orationibus assignatis hoc Sacramentum administrat. Nam orationes hæ necessariæ sunt ex Ecclesiæ præcepto: licèt septem Psalmi Pœnitentiales de præcepto non sint, nisi aliter alicubi decernatur. Tertium, dum periculum est, in mora posse Sacramentum hoc conferri nondum recitatis Psalmis, & orationibus. Supplendæ tamen erunt postea orationes prætermissæ, si administrato Sacramento adhuc superstes maneat ægrotus. Posseu. *c.9.n.11.* Suar. *d.44.sect.2.* Henr. *l.3.c.8.n.12.* Tanner. *to.4.d.7.q.1.n.85.*

SECTIO SECVNDA.

De Extrema-Vnctione, Problemata.

CAPVT VII.

Circa Extremæ-Vnctionis institutionem, & necessitatem.

PROBL. I.

Sacramentum Extremæ-Vnctionis fuit, & non fuit immediatè à Christo Domino institutum.

46 *Non fuit immediatè a Christo Domino institutum.*

INTER Catholicos nonnulli negarunt hoc Sacramentum fuisse immediatè à Domino institutum, ex quo consequebatur non esse verum Sacramentum: ipsi verò consequens non admittunt, quia existimant posse esse Sacramentum ab Apostolis institutum. Ratio suæ conclusionis est: Quia Sacramentum hoc non ex Euangelio, sed ex Epistola Iacobi *cap.5.* colligitur. Sic Hugo Vict. *lib.2. de Sacram. part.15. cap.2.* Magist. *in 4. dist.23.* Bonauent. *ibi, art.2. quæst.2.* Alens. *4.part.q.8.membr.2.art.1.* Ioan. Ekius *apud Pesant. in addit. ad 3.p.q.33.d.1.* Altisiodor. *apud Palac. dist.22.*

47 *Fuit immediatè institutum à Christo.*

Sacramentum hoc fuit à Christo Domino immediatè institutum. Quia omnia Sacramenta nouæ legis sunt immediatè instituta à Domino: sed vnum ex his Sacramentis est Extrema-Vnctio: Ergo. Et quia si ab alio quàm à Christo Domino institutum fuisset, maximè ab Apo-

ſtolo Iacobo. Sed hoc non eſt, cur dicatur; licet enim ipſe ſolus illius geſſerit mentionem, potuit tamen loqui non vt auctor Sacramenti, ſed vt prædicator, & Doctor. Ita Suar. *tom.4. in 3.part. diſt.39.ſect.2.num.2.* Nauar. *cap.24. num.12.* Angl. *quæſt.3. de ſacr.in gen.art.5.* Iauel. & alij communiter apud Henriq. *lib.3.c.7. num.1.* Coninch *quæſt.71. a.2.* & alij, quos ſequuntur Dicaſtil. *tract.7. dub.2.* Trullench. *de Sacram. lib.5.c.vnic.n.3.*

48 *Hoc iam de fide eſt.* Hoc olim problematicè defendi potuit, licet ſecunda ſententia receptior ſemper fuit. Aſt hodie de fide eſt definita in Tridentino *ſeſſ.14. can.1.*

PROBL. II.

Vnctio illa, qua vtebantur Apoſtoli Mar.6. *ad ægrorum ſanitatem, fuit, & non fuit verum Extremæ-Vnctionis Sacramentum.*

49 *Fuit verum Sacramentum.* DIcitur *Mar.6.* Chriſtus Apoſtolos immiſiſſe ad prædicandum, & de iis ſubditur: *Et vngebant oleo multos ægrotos, & ſanabant.* Illa Vnctio fuit verum Extremæ-Vnctionis Sacramentum. Quia Sacramentum nil aliud eſt, quàm cæremonia à Chriſto inſtituta tanquam Ordinarium remedium ſalutis animæ, quæ tota definitio illi Apoſtolicæ inunctioni conuenit. Et quia ſi vnctio in hoc loco Sacramentum non eſt, nec alibi eſt: nulla eſt enim ratio, cur hic negetur eſſe Sacramentum, alibi verò affirmetur. Sic Vuald. *tom.2. de Sacram.c.163.* Caſtro *contra hæreſ.v. Extrema-Vnctio.* Petr. Soto *lect.1. de hoc Sacram.*

50 *Verum Sacramentum non fuit.* Vnctio illa, qua ad curanda corpora Apoſtoli vtebantur, non fuit Extremæ-Vnctionis Sacramentum verum, licet fuerit veluti quoddam lignum ſeu adumbratio eius. Quia in textu illo Euangelico nullum eſt indicium ſacramentalis vnctionis, ſed tantum medicinalis, ſeu curatiuæ: ſolum enim dicit Marcus vngebant ægros, & ſanabant. Matthæus autem *c.10.* refert, dixiſſe Chriſtum Apoſtolis, *Infirmos curate.* Marcus ergo inſinuauit, etiam modum docuiſſe: veriſimile enim non eſt, eos vſuros fuiſſe oleo, niſi Chriſtus id ſignificaſſet. Et quia tunc Apoſtoli non erant ordinati Sacerdotes, vt poſſent hoc Sacramentum miniſtrare. Antecedens ſumitur ex Tridentino *ſeſſ.22.cap.1.* vbi volens explicare inſtitutionem ſacrificij Miſſæ ait, Chriſtum in Cœna nouiſſima, qua nocte tradebatur, Corpus ſuum, & Sanguinem ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtuliſſe: & ſubdit ſtatim: *Ac ſub earundem rerum Symbolis, Apoſtolis, quos tunc noui Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, vt ſumerent tradidit.* Si ergo tunc conſtituebat, certum eſt, non prius Sacerdotes extitiſſe. Ita Suar. *diſt.39.ſect.1.num.4.* Hugo Vict. Magiſt. Bonau. & Alenſ. apud ipſum. D. Thom. *in 4. diſt.23. q.1.art.1. quæſtiunc.3. ad 1.* Ianſen. *in Concord. c.55.* Bellarm. *hic, c.2.*

51 *Hoc verius exiſtimo.* Hoc verius exiſtimo, cum ſciam, Apoſtolos non ſolùm baptizatos vnxiſſe, ſed quoſlibet: cum tamen hoc Sacramentum ſolis baptizatis validè poſſit impertiri. Verùm nec vngebant tantùm infirmos decumbentes, & in mortis periculo conſtitutos, ſed quoſlibet: cum hoc Sacramentum eis eſt inſtitutum, qui extremum ſubire periculum reputantur. Chriſtus, ais, in hoc diſpenſauit. At qua facilitate id ſine fundamento aſſeris, eadem aſſertum contemnendum exiſtimo.

PROBL. III.

Conſtat certò, & certò non conſtat de tempore, quo hoc Sacramentum fuerit inſtitutum.

CErtò conſtat. Quia inſtitutum planè fuit, quando Dominus Apoſtolos ad prædicandum immiſit: tunc enim illos inſtruxit, vt per olei vnctionem miraculosè, ac ſupernaturaliter infirmos curarent; nec quidem auſi fuiſſent Apoſtoli, illo medio vti ad ſanitatem conferendam, niſi à Chriſto edocti fuiſſent, & in virtute, ac fide verbi illius id facerent. Putandum namque non eſt, Apoſtolos curaſſe, & ſanaſſe ægrotos naturali olei virtute, aut id ſolum modò intendiſſe; quid enim opus illud ad doctrinam confirmandam contuliſſet? aut quomodò poſſet medium illud omnibus ægris indifferenter prodeſſe, & non multis noceret? Ergo ſicut tunc inſtituit Chriſtus illam vnctionem ad ſananda corpora, ita credendum eſt inſtituiſſe eam in ratione Sacramenti, cum non habeamus in Euangelio aliud huiuſce inſtitutionis indicium. Sic aliqui Doctores, quos preſſo nomine memorat. Suar. *6.39.ſect.2.n.3.* 52 *Certò conſtat.*

Certò non conſtat de tempore inſtitutionis huius Sacramenti. Quia licet admittamus Chriſtum Dominum tunc præcepiſſe Apoſtolis, vt corpora infirmorum ad ſanitatem præſtandam inungerent: non tamen inde infertur Sacramentum inſtituiſſe; quia nec illos tunc docuit de Sanctificatione, ſeu benedictione olei præmittenda per Epiſcopum: nec de forma verborum vllum eſt veſtigium, nec de ſpirituali effectu, vel eius promiſſione. Ita Suar. *citatus.* 53 *Non certò conſtat.*

Aſſeruerim equidem mei Doctoris hærens veſtigio hoc Sacramentum ibi minimè fuiſſe inſtitutum, neque aliquo alio tempore antè Cœnam nouiſſimam. Non ſolùm quia nullum eſt in Euangeliſtis veſtigium (hæc enim ratio per ſe non ſufficeret, nec enim neceſſe eſt, vt Euangeliſtæ omnia narrauerint) ſed etiam quia nulla eſt neceſſitas, vel aliqua alia coniectura talis inſtitutionis, cum in vſu hoc ſit omnium Sacramentorum ſupremum. De nocte autem Cœnæ, in qua alij volunt à Chriſto fuiſſe inſtitutum, dixerim, veriſimile eſſe, in ea docuiſſe Chriſtum Apoſtolos inter alia myſteria ritum in hoc Sacramento obſeruandum. Quia verò in illa nocte non fecit Apoſtolos Sacerdotes quoad poteſtatem in Corpus Chriſti myſticum, ſed hanc dedit poſt reſurrectionem *Ioan.20.* ideò probabilius exiſtimo, etiam non dediſſe eis poteſtatem miniſtrandi hoc Sacramentum in ea nocte, ſed *Ioan.20.* Quia ſicut hoc Sacramentum eſt quaſi annexum Sacramento Pœnitentiæ: ita poteſtas illud miniſtrandi ſupponit, & quodammodo includit poteſtatem remittendi peccata: ideóque conſummatum non fuit à Chriſto Domino ante reſurrectionem plena huius 54 *Idem exiſtimo, & quid coniiciam circà id aperio.*

Sacra

Sacramenti institutio. Indubitanter autem crediderim, fuisse consummatam ante ascensionem. Quia plenè & perfectè fundauit Ecclesiam priùs quàm ex hoc mundo decederet, ideóque omnia Sacramenta priùs perfectè instituit.

PROBL. IV.

Est, & non est præceptum recipiendi hoc Sacramentum.

55 Est quidem sub præcepto. Quia peccatum est, hoc Sacramentum omittere, vel ex contemptu, vel ex negligentia: & ita iudicandum de Extrema-Vnctione, sicut iudicatur de Sacramento altaris. Ergo vel negandum est de Sacramento altaris, quod non est fas dicere: vel affirmandum de hoc Sacramento. Igitur si peccatum est, hoc Sacramentum omittere, etiamsi per negligentiam omittatur, colligitur dari præceptum: necenim peccatum esset, nisi sub præcepto recipi deberet. Sic Petr. Soto *lect.2. de Extr.Vnct.Magist. in 4. dist.23.* Bonauent. *ibi, in expos. textus.* Fauet huic sententiæ Concil. Coloni. anni 1536. *part.7. cap.50.* dicens: *Est autem vnctio impendenda cum expositsone vnctionis, & mandati Apostolici, qui sic habet: Infirmatur quis vestrum, &c.*

56 Nullum est affirmatiuum præceptum de suscipiendo hoc Sacramento etiam in extremo vitæ discrimine. Quia tale præceptum neque ex natura rei sequitur ex huius Sacramenti institutione: nec inuenitur à Christo, vel ab Ecclesia traditum: ergo asserẽdum non est. Maiorem probo, quia Sacramentum hoc non est medium necessarium ad salutem; sed tantum vtile, & ad melius esse, ergò ex vi suæ institutionis non affert secum præceptum. Minor verò patet, quia nec tale præceptum inuenitur scriptum: Iacobus enim promulgans hoc Sacramentum, nullum verbum apposuit vim præcipiendi habens; sed simpliciter dixit: *Infirmatur quis vobis, inducat presbiteros, &c.* Neque etiam in Conciliis reperitur. Ita D.Thom. *in 4. dist.23. art.1. quæst.3. ad 1.* Palud. *ibi quæst.3.* Sotus *q.1. art.1.* Gabri. *quæst.1.* Sylues. *hic, q.9.* Nauar. *c.22. num.16.* Caiet. *v. Vnctio-Extrema, n.219.* Ruard. *art.12.* Couar. cap. *Alma, part.2. §.2. num.6.* Armil. *num.2.* Victor. *num.219.* Suar. *dist.44. sect.1. num.4.*

57 Cum his opinor. Quia quod hoc Sacramentum sit per se vtilissimum, & interdum ex accidenti possit esse necessarium: non satis ostendit præceptum per se annexum huic Sacramento ex vi Religionis, aut Charitatis Dei; hæ namque virtutes non obligant sub præcepto ad id, quod melius est: neque etiam Charitas propria, vt per se constat. Neque ex consuetudine Ecclesiæ potest colligi tale præceptum. Quia licèt regulariter omnes, qui possunt, hoc Sacramentum illo in articulo recipiant: non est sub ratione obligationis necessaria; sed quia in illo momento, à quo æternitas, omnes cupiunt, securissimam adire viam salutis quoad possunt, præsertim in re, quæ sine difficultate aliqua geri possit. Denique Concilium Colonense loqui latè existimo de mandato, vt includit quamcumque admonitionem: vel loquitur de mandato explicante ritum & modum Sacramenti, non verò præcipiente simpliciter eius vsum.

PROBL. V.

Peccatum est, & peccatum non est, hoc Sacramentum recipere nolle.

58 NVllum peccatum est, seclusо contemptu, & scandalo. Quia nullum præceptum est hoc Sacramentum recipiendi: ergo nullum peccatum est, illud omittere; nec enim ad ea, quæ vltronea sunt sub piaculi pœna tenemur. Sic Suar. *d.44. sect.1.* Villalob. *tom.1. tr.10. diffic.5. num.1.* & alij. *Nullum peccatum est.*

59 Si nulla iusta causa interueniat saltem est pecatum veniale. Quia est quædam rei spiritualis admodum prodigalitas. Ità Nuñus *to.2. q.23. art.1.* Coninch *d.19. dub. vlt. num.30.* Tolet. *l.7. c.3. num.5.* & me citato, Diana *part.8. tract.1. resol.38.* *Veniale peccatum est.*

60 Crediderim, intrinsecè ac per se non esse peccatum mortale, (vt aliqui affirmant) quamuis videatur spiritualis prodigalitas, sine cogente causa perdere tãtum spiritualem fructum. Quia sine illo fructu potest diligi Deus super omnia, & salus æterna obtineri. Attamen in triplici casu scio, posse in hac omissione mortale peccatum interuenire. Primus est ratione scandali, quæ ratio generalis, & accidentalis est. Secundus est, quando ex contemptu hoc Sacramentum omittitur. Tertius verò, quando infirmus non potest aliud Sacramentum recipere; nam tunc videtur esse medium ad salutem maximè necessarium. Non tamen audebo eos, qui ex negligentia omiserint à veniali piaculo liberare; quia vtilissimum augendi gratiam modum relinquunt, quem possent magna cum facilitate inire. *His haereo.*

PROBL. VI.

Infirmus tenetur, & non tenetur, prius suscipere Viaticum, quàm Extremam-Vnctionem.

61 TEnetur prius suscipere Viaticum. Quia consuetudo Ecclesiæ hunc Ordinem obseruat, vnde videtur, sub præcepto cadere. Et quæ circa hoc extant Concilij Vormatien. *c.27.* & Innocentij *epist.1.* decreta. Sic quidam Doctores, quos presso nomine memorat Suar. *d.44. sect.1. num.8.* *Tenetur, prius suscipere Viaticum.*

62 Non tenetur, Viaticum Extremæ-Vnctioni præmittere ægrotus, nec Parochus illud ministrare. Quia Viaticum non est dispositio per se loquendo requisita ad hoc Sacramentum: nam vtrumque per se supponit iustitiam: & illa est dispositio ex natura rei sufficiens ad dignam cuiuscumque Sacramenti susceptionem: vnum verò non est dispositio ad aliud ex natura sua, nec ex speciali ordinatione, cum de hoc nullum præceptum inueniatur. Vnde propter rationabilem causam certum est, posse dari Vnctionem sine Viatico, quando scilicet vel illud haberi non potest, vel non sine vomitu, aut alia irreuerentia sumi. Ita Suar. *citatus.* *Non tenetur.*

Existi

63 *Auctoris placitum.* Existimo, secluſa aliqua ex his cauſis, Extremam Vnctionem poſt Viaticum eſſe recipiendam propter conſuetudinem, & quia ille ordo videtur conſentaneus vtriuſque Sacramenti inſtitutioni: illud enim vt cibus ad confortandum in via præbetur, & ideò vt detur, non eſt expectandum vltimum vitæ periculum: hoc verò Sacramentum exeuntium eſt, quaſi in vltimum ſubſidium inſtitutum. Non opinor autem, hunc ordinem adeò eſſe rem grauem, vt ſi abſque contemptu præmittatur, ad peccandum mortaliter ſufficiat. Quia non extat adeò clarum præceptum de hac re. Nam decreta ex Concilio, & Innocentio falsò citari puto. Conſuetudinem verò non conſtat eſſe ſub hac apprehenſione obligationis, & præcepti de ipſo Ordine; ſed quia ipſa rerum diſpoſitio id poſtulat. Addo antiquum morem fuiſſe, & nunc etiam ferunt graues Doctores, alicubi eſſe conſuetudinem ſeruandi viaticum in poſtremum locum; quia eſt finis Sacramentorum, & omnia ad illud quodammodo referuntur, vt loquitur D. Thom. 3. *part. quæſtion.* 63. *artic.* 3. *dub.* 3.

PROBL. VII.

Cum vitæ periculo, verbi gratia, tempore peſtis, Parochus tenetur, & non tenetur hoc Sacramentum infectis miniſtrare.

64 *Tenetur quidem.* TEnetur quidem. Quia Parochus tenetur ex iuſtitia, miniſtrare Sacramenta ſubditis, quando timeri poſſit æterna infirmi damnatio. Poteſt verò dari caſus, in quo adhuc poſt receptum Viaticum, ſit ex accidenti neceſſaria ad ſalutem Vnctionis receptio. Sic nonnulli, quos nomine preſſo memorat, Filliuc. *tractat.* 3. *numero* 97.

65 *Non tenetur.* Non tenetur, cum vitæ periculo. Quia non eſt Extrema-Vnctio Sacramentum neceſſitatis. Ita Nauar. *cap.* 24. *num.* 10. & *cap.* 25. *n.* 133. Suar. *diſt.* 44. *ſect.* 3. *num.* 30. Filliuc. *citat.* Villalob. *tom.* 1. *tractat.* 10. *diffic.* 6. *num.* 7. Diana 5. *part. tractat.* 3. *reſolut.* 83. & 93. Hurtad. *hîc diffic.* 12.

66 *Non teneri, exiſtimo communiter.* Exiſtimo non teneri, niſi in caſu, quo infirmus abſque vllo Sacramento decederet, & timeretur eius æterna damnatio. Quia tunc iam eſſet illi hoc Sacramentum ad ſalutem neceſſarium. Cum autem infectus ægrotus iam eſt Confeſſione & Communione munitus haud datur cauſa vnde poſſimus de eius iniqua adhuc diſpoſitione ſuſpicari, vnde neceſſarium Vnctionis ſubſidium iudicemus. Lege Dicaſtillo noſtrum *hîc*, *dub.* 11. *numero* 191.

CAPVT VIII.

Circa Materiam, & Formam Extremæ-Vnctionis.

PROBL. VIII.

Neceſſarium eſt, & neceſſarium non eſt, vt oleum ſit ab Epiſcopo benedictum Sacrament. ex neceſſitate.

67 *Non eſt neceſſarium.* VIdimus *ſect.* 1. Materiam remotam Extremæ-Vnctionis eſſe oleum oliuarum: quia ſicut oleum lenit dolorem, emollit, penetrat ad intima, affert hilaritatem, reſtituit interdum ſanitati, ſignificat pinguedinem, ac robur gratiæ, & ſpiritus contra luctam: ſic hoc Sacramentum hæc omnia ſpiritualiter efficit. Quæſierim verò, num tale oleum neceſſariò ab Epiſcopo benedictum eſſe debeat? Neceſſarium id non eſt. Quia Iacobus ſolùm dicit, *Vngentes eum oleo*, nec addit, *benedicto*: Ergò tantùm oleum ſimplex, & naturale eſt eſſentialis materia. Sic Paludan. & Durand. apud Victoriam *q.* 216. Maldonat. *hîc*, *q.* 1. Molfeſ. *tr.* 4. *c.* 2. *n.* 22. & *cap.* 3. *num.* 25.

68 *Eſt neceſſarium.* Neceſſarium eſt. Expreſsè id habetur in cap. vnic. *de Sacrament. Vnct.* & in Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. Ratio autem eſt, quia vbi eſt materia extrinſeca Sacramentorum, qua Chriſtus non eſt vſus, requiriritur benedictio. Ita D. Thom. 3. *part. quæſtion.* 72. *artic.* 3. Ledeſm. *quæſt.* 31. *art.* 5. Sotus *art.* 5. Henriq. *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 3. *lit. F.* Reginald. *lib.* 28. *num.* 50. Suar. *diſt.* 40. *ſect.* 1.

69 *Cum his ſentio.* Cum his ſentio, quia cum materia Sacramenti eleuanda ſit ad munus adeò ſacrum, & ſuper naturale, per ſe maximè decet, vt conſecretari ac benedici prius debeat: & ideò talem benedictionem à Chriſto poſtulatam fuiſſe exiſtimare debemus, vbi ratio aliqua ſpecialis non obſtat, vt in Baptiſmo non eſt requiſita vt eſſentialis benedictio aquæ, ob illius Sacramenti neceſſitatem: in Euchariſtia verò non prærequiritur alia præconſecratio; quia ipſa Sacramenti confectio in materiæ conſecratione conſiſtit: in Confeſſione, & Matrimonio, quia materia eſt omninò tranſiens, & conſecrabilis non eſt: in Ordine verò ſuo modo hoc ſeruatur, quia res ipſæ, quæ traduntur, factæ ſunt. Clarius verò, & expreſſius in hoc Sacramento, & Confirmatione, quia illorum materia accommodatiſſima eſt: & ipſa Sacramenta non ſunt tantæ neceſſitatis, vt oportuerit, materiam omnino communem, ad illa perficienda admittere. Fateor itaque, ex nuda loci Iacobi litera non colligi euidenter hanc neceſſitatem; mihi verò ſufficit Eccleſiæ traditio, quæ circa hanc rem eſt adeò clara, vt cogar aſſerere, ad minimũ temerarium eſſe, illi repugnare. Quamuis autem Iacobus ſimpliciter locutus de oleo fuiſſet, Eccleſia à Chriſto per Apoſtolos edocta poruiſſet verum illius ſcripturæ ſenſum, & de quo oleo ſermo eſſet, nobis aperire. *Cum his opinor.*

PRO

PROBL. IX.

Ex Pontificis commissione potest, & non potest simplex Sacerdos hoc oleum benedicere.

70 Potest equidem. Quia Presbyteri in Orientali Ecclesia id solent præstare ex antiqua consuetudine, etiam ante chisma. Non est autem existimandum, totam illam Ecclesiam erraſſe in re tanti momenti, præsertim cùm ea in parte non noterur ab Ecclesia Latina, quin potius ille vsus ab ea approbetur. Nam Clemens VIII. *in suainstit. sup. ritib. Græcor.* anno 1595. vltimo Augusti ità loquitur: *Non sunt cogendi Presbyteri Graeci præter Chrisma ab Episcopis Latinu Diœcesanis accipere, cum huiusmodi olea ab eis in ipsa oleorum & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur.* Quibus verbis tacitè permittit, vt Græci in suo ritu pergant, nimirum circa materiam conficiendam eo tempore, quo Sacramentum Extremæ-Vnctionis administrant: non verò necessariò debeant vti oleo ab Episcopo benedicto in die Cœnæ, vt faciunt Latini. Ergo Presbyteri possunt ex commissione Pontificis, & potestate extraordinaria Sacramenti huius oleum benedicere. Sic Henriq. *lib. 3. cap. 8. num. 2.* Valent. *dist. 8. q. 1. punct. 2.* Probabile putat Nugn. *3. part. tom. 2. quæst. 29. art. 6. diffic. vnic. concl. 2.* Præpolit. *3. part. quæst. vnic. dub. 3. num. 15.* citans Victoriam, & Vivaldum. Petr. Arcad. *de concord. Eccles. Orient. & Occid. in Sacram. administr. lib. 5. cap. 2.*

71 Minimè potest. Quia Concilia, quæ diffiniunt materiam huius Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum, simul innuunt, non posse ab alio, quàm ab Episcopo benedici: nam cum absolute & sine vlla limitatione hoc asserunt, nullum relinquunt fundamentum contrarium opinandi. Dicere autem, quod Concilia solum definiant materiam, quæ de facto ex vsu Ecclesiæ huic Sacramento supponitur, est Conciliorum authoritatem enervare, ad materiam huius Sacramenti stabiliendam. Nam pari ratione quis diceret, cum Concilia definiunt, materiam huius Sacramenti esse oleum benedictum, non definire materiam, quæ essentialiter ad id requiritur: sed qua de facto Ecclesia vtitur: & sic tolleretur omnis benedictio tanquam aliquid non necessarium aut essentialiter requisitum ex parte materiæ, quod nullus cordatus Theologus admitter. Ita Diana *p. 8. tr. 1. resol. 30.* Bellarm. Suar. Coninch. Layman, Filliuc. Nugn. quos citat, & sequitur Amicus *cursu Theol. tom. 8. d. 19. sect. 3. num. 45.*

72 Primam sententiam probabilem reor, secundam verò probabiliorem. Quia dum Concilia huius Sacramenti materiam tradunt, non dicunt, illam *Ordinariè* esse oleum ab Episcopo benedictum, vti dicunt, cum assignant Ministrum Sacramenti Confirmationis, sed absolutè pronunciant, esse oleum ab Episcopo benedictum: quod non leue argumentum est, in secundum dispensationem cadere posse, non in primum. Probabilem verò dixi primam sententiam. Nam si Pontifex non posset concedere simplici Sacerdoti, vt oleum Extremæ-Vnctionis benedicat, sequeretur, Ecclesiam Græcam vsque adhuc caruisse, & carere hoc Sacramento, quod meritò amico meo Antonino Diana asserere videtur absurdum.

PROBL. X.

Oleo infirmorum deficiente, posset, & non posset Parochus, Sacramentum hoc cum Chrismate ministrare.

Minimè potest. Quia saltem nunc Ecclesiæ consuetudo repugnat, quæ proprium oleum, idque simplex, non mixtum pro vngendis infirmis consecrat. Et quia materia hæc non tantum diuersam consecrationem habet, sed etiam, saltem morali æstimatione diuersum vsum, & appellationem sortitur, cum sit mixtura aliqua artificialis. Sic Laym. *libr. 5. tract. 8. cap. 12. num. 3.* Lugo *de Sacram. in gener. c. 12. num. 1.* Viuald. *de mat. Confirm. num. 7.* Esti. *in 4. dist. 23. §. 9.* Barth. de Ledes. *diffic. 3. concl. 3.* 73 *Minimè potest.*

Potest planè, si non esset aliud oleum, quàm Chrisma Confirmationis. Quia potest vti oleo veteri anni præcedentis, si non supperat nouum benedictum: vtilitas enim, quam ex hoc Sacramento capit ægrotus, est præferenda: Ergò sicut in hoc non violatur Ecclesiæ præscriptio, nec in illo violabitur. Ita Amicus *tom. 8. d. 19. sect. 3.* Suar. *dist. 40. sect. 1. n. 10.* Dicastil. *de Sacram. tom. 1. tr. 7. d. 1. dub. 3. n. 38.* 74 *Potest omnino.*

Existimarim, si non esset aliud oleum, quàm Chrisma Confirmationis, non esse peccatum de facto illo inungere ægrotum. Quia si præceptum solùm est positiuum Ecclesiæ, credi potest, illam non velle in eo casu ità strictè prohibere, vt non liceat inungere eo Chrismate infirmum: cum ex alio capite nulla secundum se Sacramento in huiusmodi Vnctione fiat irreuerentia. In vna autem & altera sententia asseruerim, si Sacerdos per errorem hoc Sacramentum cum sacro Chrismate ministrauit, haud esse repetendum. 75 *Auctoris resolutio.*

PROBL. XI.

Minor pars olei non benedicti cum benedicto admixto, præbet, & non præbet sufficientem pro Extrema-Vnctione ministranda, materiam, licèt sæpè admixtio iteretur.

Præbet omnino. Quia ideò minor quantitas olei non benedicti addita maiori quantitati olei à principio consecrati efficitur benedicta, quia additur maiori parti olei benedicti, & dignius trahit ad se minus dignum: sed etiam in sequentibus vicibus quantitates minores successiuè adduntur maiori quantitati olei benedicti: Ergò omnes manent benedictæ: licèt omnes simul efficiant maiorem quantitatem, quàm fuit illa, quæ à principio fuit ab Episcopo benedicta. Sic Petr. de Ledesm. *c. 2. diffic. 3.* Angel. Rosel. & alij, quos refert, & sequitur Marsil. *lib. 3. de aqua bened.* Sylvest. *v. Aqua benedicta, q. 3.* Henr. *lib. 3. cap. 8. num. 2.* 76 *Præbet sufficientem materiam.*

Minimè

77 *Sufficientem non præbet materiam.*

Minimè præbet. Quia subiectum huius benedictionis est oleummet illud, quod à principio fuit consecratum ab Episcopo; ergo necessarium est, vt benedictio conseruetur quod idemmet maneat; benedictio enim non potest esse sine subiecto, nec ad aliud absolutè diuersum transire: sed quando olei quantitas etiam in diuersis vicibus addita peruenit ad tantam ex additis factam, vt sit maior illâ, cui facta est additio, & initio fuit consecrata, iam non manet absolutè idem indiuiduum physicum olei, & à principio consecratum: cum vix maneat aliqua pars exigua illius, ob quam dumtaxat dici possit non simpliciter, sed secundùm quid idem: Ergo in eo non potest manere benedictio, quæ conseruari non valeat, nisi seruata subiecti physici identitate. Ità Quintanad. *tom. 1. singul. tract. 5. sing. 1. n. 5.* Zambr. *cap. 5. de Extr. Vnct. dub. 5. num. 5.* citans Armillam. Posseuin. *de Paroch. cap. 9. num. 2.* Bonac. *dist. 7. punct. 2. num. 8.* Zauard. *tom. 1. cap. 8. n. 2.* Ludou. de San Iuan *art. 2. diffic. 6.* Leand. *tom. 1. tr. 4. q. 9.*

78 *Hoc teneo, & expono.*

Hisce Doctoribus annuens, affirmo, quantitatem minorem addendam, commensurandam semper esse cum oleo à principio benedicto: v. gr. oleo vnius benedicto non posse fieri additionem olei non benedicti nisi in quantitate minori libra, duodecim scilicet aut quatuor decim vnciarum, vbi libra sexdecim constat. Profecto si oleo consecrato addatur simul seu vna vice maior pars consecrati, nullum manet consecratum; quia non manet idem physicum indiuiduum: sed idem est, cum diuersis vicibus additur maior pars non benedicti: Ergo nec benedictio manet. Dixeris; licèt non maneat idem subiectum in ratione indiuidui physici, manet idem in ratione indiuidui moralis & benedicti; quia totum illud, cui qualibet vice fit additio, semper est benedictum, & in maiori quantitate, quàm quod additur. Sed contrà, quia non potest manere idem in ratione benedicti, nisi maneat idem in entitate physica; cum hæc sit ratio retinendi benedictionem: etsi hæc identitas amittatur in indiuiduo, illud ita notabiliter immutatum est, vt secundùm maiorem sui partem sit diuersum, & consequenter nec moraliter idem.

PROBL. XII.

Est, & non est de necessitate grauis præcepti, quod oleum sit eo anno benedictum.

79 *Est ut grauis præcepti necessitate.*

CErtum est, non esse id de necessitate Sacramenti, cum nullum ius hoc requirat. Est autem de præcepti grauis necessitate: ideóque non excusatur Parochus à peccato lethali si oleum alterius anni adhibeat, nisi aliud necessitas suadere videatur. Quia ex consuetudine Ecclesiæ, & Clementis VIII. præscriptione, singulis annis hoc oleum consecratur, vt veteri combusto, nouum Vnctionis Sacræ cedat in ministerium. Sic Posseu. *de Offic. Paroch. cap. 9. num. 1.* Bonac. *dist. 7. punct. 2. n. 6.* Zambr. *de Extr. Vnct. cap. 5. dub. 4. num. 5.* Trullench *hic dub. 2. num. 2.*

80 Non est de grauis præcepti necessitate, & ideò non peccat lethaliter Parochus, qui veteri oleo ægrotos inungeret. Quia non est præceptum obligans ad mortale, vt oleum annis singulis renouetur; nam de solo id Chrismate grauiter præcipitur, in cap. *Si quis de alio, de consecrat. dist. 4.* Ità Sa *v. Extr. Vnct. num. 9.* Ledesm. *hic, tom. 1. c. 2.* Lublin. *ibid. num. 19.* Ludou. de San Iuan *sum. parua, a. 5. de Extr. Vnct. n. 2.* Henriq. *lib. 3. cap. 8. n. 2.* *Non est.*

Hoc teneo, quod post longam consultationem vtriusque Iuris peritos, ac Theologos Salmanticenses sensisse à non vulgaribus testibus oculatis audiui. 81 *Idem asseru.*

PROBL. XIII.

Vna sacri olei gutta sufficit, & non sufficit, ad ministrandum hoc Sacramentum.

MInimè sufficit. Quia vnicam guttam olei stillare, vel non est vngere, vel certè est res aliquo modo dubia: sed oportet partem corporis oleo linire aliquod oleum per illam diffundendo; hoc enim est propriè & in rigore vngere. Sic Suar. *dist. 40. sect. 2. num. 4.* Filliuc. *tr. 3. num. 78.* Reginald. *lib. 28. num. 53.* Granad. *dist. 2. num. 4.* Marchi. *de peste part. 3. cap. 6. n. 14.* Trull. *lib. 5. de Sacram. cap. vnic. de Extr. Vnct. dub. 2. num. 7.* 82 *Non sufficit.*

Sufficit planè. Quia qui vna stilla olei inungit, verè dicitur vngere: oleum enim pluſquam reliquorum liquorum materia diffunditur. Ità Diana *part. 5. tract. 3. resol. 88.* Tanner. *dub. 1. quæst. 2.* Dicastil. *d. 1. dub. 3. n. 44.* Hurtad. *hic, diffic. 4.* & alij. 83 *Sufficit quidem.*

Si ex probabili admodum sententia vna aquæ gutta sufficit ad Baptismum conferendum, cur vna olei gutta ad Vnctionem conferendam non sufficiet, maximè cùm ablutio difficilius quam vnctio præstetur? 84 *Cum his ofnor.*

PROBL. XIV.

Est, & non est de Sacramenti necessitate, vt Vnctiones in Crucis formam fiant.

SIcut in aliis Sacramentis forma consistit in verbis, & opere: sic & in hoc: v. gr. in Baptismo forma consistit in his verbis: *Ego te baptizo, &c.* & in trina in aqua immersione: sic & in hoc Sacramento forma consistit in his verbis: *Per istam vnctionem & suam pissimam, &c.* & in hoc opere, scilicet in signatione membrorum per modum Crucis, dum liniuntur. Quia de necessitate Confirmationis est, vt eius inunctio fiat per modum Crucis: ergo similiter in Vnctione extrema de essentia Sacramenti erit. Sic Iauel. *tom. 2. tract. 6. de Extr. Vnct. cap. 3.* Nunius *in addit. ad 3. part.* Probabilem putat hanc sententiam Petr. de Ledesm. *cap. 2. de Extr. Vnct. diffic. 2. concl. 2.* 85 *Est de Sacramenti necessitate.*

Non est de essentia Sacramenti, vt in formam Crucis inunctio fiat. Quia nullo textu, aut sufficienti ratione hoc potest probari. Iacobus enim 86 *Non est de necessitate Sacramenti.*

enim simpliciter dixit: *Vngentes eum oleo*; modum autem vel signum Vnctionis non definiuit. Porrò licet Glossa ad cap. *Nunquid, de consecr. dist. 5.* id videatur significare: nec tamen contrarium asseruit, sed potius hoc sensit apertè, si attentè legatur. Ita Suar. *dist. 40. sect. 2. num. 3.* Dicastil. *dist. 1. dub. 3. num. 42.* & penès ipsum Tanner. Bayni. *de Extr. Vnct. qu. 3. dicto 5.* Henriq. *lib. 3. cap. 8. num. 2. lit. M.* Possevin. *hic, num. 5.*

87 Non iubetur. Hoc mihi certum, cum videam, Concilia circa hoc nihil definiisse. Quin potius Concilium Florentinum solum indicat Vnctionem per modum Crucis esse in Confirmatione necessariam; quia in forma illius Sacramenti exprimitur: *Signo te signo Crucis:* at hîc nil huiusmodi interuenit; nam in forma simpliciter dicitur: *Per istam Sanctam Vnctionem.* Congruam autem reddiderim differentiam inter vtrumque Sacramentum; quia in Confirmatione vngitur quis vt Christi miles ad portandam & proferendam eius Crucem coram Regibus, & tyrannis: per Vnctionem verò extremam solùm vngitur per modum medicinæ ad salutem recuperandam.

PROBL. XV.

Est, & non est de necessitate præcepti, quòd inunctio in forma Crucis perficiatur.

88 Vbi præscribitur. ESt de præcepti necessitate. Quia vsus seu consuetudo Ecclesiæ id planè præscribit. Sic Sylvest. *v. Extr. Vnct. num. 2.* Bonac. *dist 7. punct. 2. num. 9.* Nunus *3. part. quæst. 29. art. 6.* Petr. Ledesm. *tom. 1. cap. 2. de Extr. Vnct. concl. 1.* Moure *3. part. cap. 1. §. 7.* Innuit Torrebl. *lib. 2. cap. 11. num. 21.*

89 Non est de præcepto. Non est de necessitate præcepti. Quia nullum est expresè latum de hac re præceptum: & de consuetudine non constat sub hac existimatione esse introductam. Ità Suar. *distinct. 40. sect. 2. numero 3.* Filliuc. *tractat. 3. numero 75.* Zambr. quem sequitur Diana *part. 3. tract. 4. resolut. 168. & 178.* Coninch *dist. 19. numer. 7.* Rodrig. *de Vnct. cap. 191. num. 2.* Castro Palao *tractat. 26. punct. 3. num. 2.* Reginald. *lib. 28. num. 51.*

90 Non est peccatum. Existimo signum Crucis non videri esse hîc de necessitate præcepti saltem sub culpa graui, secluso scandalo, & contemptu. Quare si ex iusta causa omittatur, vt breuius, vel securius geri possit nullum reor esse peccatum. Regulariter verò id magis pium est, ideóque debet obseruari. Dixi, nullum esse peccatum, quia licèt legerim Granado nostrum *dist. 2. num. 4.* asseruisse, culpam esse venialem, sine necessitate Crucis signum omittere: de eo autem meritò addubitarim, cum nec adsit Conciliorum determinatio, nec traditio Ecclesiæ, nec aliquod præceptum signum Crucis in Vnctione præscribens.

PROBL. XVI.

De necessitate præcepti est, & non est de necessitate præcepti, quòd inunctio hæc fiat immediata Sacerdotis manu.

91 Non est de necessitate præcepti. DE necessitate præcepti non est. Quia in Regionibus, vbi Catholicæ fidei præscriptorum viget obseruantia immediatum manus sacerdotalis ministerium huic Sacramento ministrando non adhibetur. Testor Hispaniam, in cuius Ecclesiis hæc viget consuetudo, vt Sacerdos inungens aurea, vel argentea virgula vtatur: nec tamen circa hoc vllus vnquam emersit scrupulus. Sit pro authoritate experimentum.

92 Est quidem. De necessitate præcepti est. Quia sic præscribitur in Rituali, ac Cæremoniali Romano. Ita Diana *p. 3. tr. 4. resol. 22. & 167. & p. 6. tr. 3. res. 79* citans Sylui. Chapeau. Præpos. & Barbos. Torrebl. *de iure spirit. lib. 2. c. 11. n. 22.*

93 His hæresco. Cum his opinor asserens, solum tempore pestis licitè administrari posse hoc Sacramentum non digito, sed aliquo decenti instrumento mediante. Hoc, inquam, verum puto, nisi alias obsteterit contraria consuetudo, vt in Hispaniæ Regnis obstare non dubito. Nec tamen etiam vbi non viget lethalis culpæ reum esse decernerem illum, qui Ritualis præscriptum leue quidem violaret.

PROBL. XVII.

Verba illa: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, *sunt, & non sunt de Sacramenti, aut præcepti necessitate ad huius Sacramenti Formam.*

94 Sunt de Sacramenti necessitate. SVnt de Sacramenti essentia. Quia eis semper Ecclesia vtitur, sicut in Baptismo & Confirmatione: sed si in duobus hisce Sacramentis omittatur Trinitatis expressio essentia lædituri: Ergò & lædetur, si in Vnctione omittatur. Sic Angelus, *hic, n. 2.* Armil. *n. 2.* Cañedo, *cap. 10.* Sunt saltem de præcepti necessitate. Quia non constat, vnquam ab Ecclesia omitti. Sic Bayni. *q. 5.* Palud. & Angel. apud Suarium citandum. Igitur si omittantur præfata verba, validum erit Sacramentum, sed præceptum Ecclesiæ violabitur.

95 Non sunt de Sacramenti, aut præcepti necessitate. Non sunt verba illa de Sacramenti, præceptiue necessitate, vnde vel adimplendũ ritè Vnctionis ministerium, sufficiet formæ expressio sine Trinitatis mentione. Quia neque ex verbis Iacobi vel Conciliorum, neque ex Ecclesiæ vsu aliquid contrarium habetur, neque ex ratione aut coniectura aliqua colligitur. Vnde nullam aut ex essentia Sacramenti, aut præcepto reor esse necessitatem; neque enim hoc Sacramentum est professio fidei, sicut Baptismus: neque occurrit aliqua specialis ratio inuocandi Trinitatem in forma. Ità Suar. *d. 40. sect. 3. n. 15.* Henr. *lib. 3. c. 8. n. 4. lit. A.* Coninch *d. 19. n. 15.* Filliuc. *tr. 3. n. 86.* Pitigian. Barth. ab Angelis quos citat, & sequitur Bonac. *d. 7. punct. 3. n. 2.* Regin. *l. 28. n. 54.* Castr. Pal. apud Leandr. *p. 1. tr. 4. q. 18.*

96 *Idem affirmo.* Certum mihi, inuocationem Trinitatis necessitate Sacramenti non requiri. Nam si benè attendatur, modus formæ deprecatiuæ non rectè ei accommodatur. Iuxta veriorem autem sententiam neque ex præcepto necessariam esse reor. Quia neque in Conciliis, neque in Rituali Romano cauetur, Trinitatem esse inuocandam.

PROBL. XVIII.

Si quis omitteret illam particulam Formæ: Et suam piissimam misericordiam, *conficeret, & non conficeret validè Sacramentum.*

97 *Non validè conficeret Sacramentum.* NOn validè conficeret omittens particulam adeò essentialem. Quia per illam declaratur virtus diuina, quæ principaliter in hoc Sacramento operatur, & qua nititur deprecatio, quæ per hanc formam fit. Itaque misericordia miseriam respicit: vndè quia hoc Sacramentum datur homini quasi in vltima miseriæ necessitate constituto: ideò in illa quasi confugimus ad diuinam misericordiam, quæ proindè in forma expressè declaratur. Præterea sicut diximus, modum deprecatiuum esse de substantia huius formæ, ita est de substantia explicare diuinam misericordiam, ad quam homo ægrotus confugit, tanquam destitutus viribus ad satisfaciendum. Denique cum Ecclesia interponat hæc verba inter alia substantialia, viderur verisimile, etiam ipsa substantialia esse. Sic D.Thom. apud Suarium citandum. Nuñus *quæst.* 29. *art.*6. *concluſ.* 4. Hurtad. autem *hic, diſſic.*7. & Coninch *diſt.*19. *num.*15. huic sententiæ fauent, dum hic se dubium valde hærere fatetur, ille verò opinionem contrariam solummodò vocitat verisimilem.

98 *Cõficeret validè.* Validè conficeret illam particulam omittens. Quia his verbis omissis, integer adhuc manet sensus formæ: ergo patet illa de substantia formæ non esse. Ità Suar. *diſt.*40.*ſect.*3.*num.*13. Reginald. *lib.*28.*num.*56. Filliuc. *tract.*3.*n.*85. Coninch *citat.* Layman & Pitigian. quos refert, ac sequitur Diana *part.* 3. *tractat.* 4. *reſolut.*175. & 180. Henriq. *lib.*3.*cap.*8. *num.*3. Dicastil. *diſt.*1.*dub.*4.*n.*68. Trull. *lib.*5. *cap. de Extr.Vnct.dub.*2.*n.*10.

99 *Quid opinor, expono.* Profectò primæ sententiæ rationes vt minimum persuadere reor, esse necessarium sub graui culpa illam particulam non omittere, ne à communi Ecclesiæ consuetudine recedatur, & vt omne periculum, ac dubium vitetur. Reor tamen essentialem non esse; quia ipsamet forma deprecatiua ex se includit Ordinem ad diuinam misericordiam, seu inuocationem eius. Præterea de illa particula *Piiſſimam* clarius videtur non esse essentialem; & si quis loco misericordiæ poneret *bonitatem*, validam fore formam existimarim. Denique hoc ipso, quòd dicitur, *Indulgeat tibi Deus*, actus misericordiæ satis expressè postulatur: ergo in actu exercito per misericordiam petitur, quamuis in actu signato non proferatur. Assero igitur particulam illam essentialem non esse, sed sine graui piaculo non fore omittendam.

PROBL. XIX.

Sacramentum validè conficit, & non conficit validè Sacramentum, qui verba illa omiserit: Per visum, per auditum, *&c.*

100 *Validè ministrat Sacramentum.* OMittens verba hæc validè Sacramentum ministrat. Quia per alia verba, & Vnctionis actionem in visu, vel auditu &c. expositam, satis sensus formæ significatur. Sic Reginal. *lib.*28.*n.*56. Aureol. *in* 4.*diſt.*23.*art.*1. asserens, hanc esse huius Sacramenti formam: *Per istam sacram Vnctionem parcat tibi Dominus.* Petr.à S. Ioseph. Præposit. & alij, quos refert, & sequitur Diana *p.*10.*tr.*12.*reſol.*32.

101 *Validè non ministrat.* Omittens verba hæc Sacramentum non peragit. Quia præfata verba sunt de substantia formæ, per illa enim Sacramenti Extremæ-Vnctionis explicantur effectus. Ità Nuñus *q.*29. *a.*6.*concl.*4. Bauny *q.*5. Auersa *hic, ſect.*4. Castro Pal. *hic punct.*4.*n.*4. Leand. *tom.*1.*tr.*4.*q.*21.

102 *His morem gero.* Hisce Auctoribus morem gero, cum videam, illis particulis ablatis, integrum formæ sensum auferri: nec enim debet formæ significatio per actionem suppleri.

PROBL. XX.

De necessitate huius Sacramenti est, & non est, vt eius forma modo deprecatiuo proferatur.

103 *Non est de necessitate Sacramenti.* NOn est de necessitate Sacramenti, formam eius modo deprecatiuo proferri. Quia ad valorem Sacramenti sufficit, formam modo indicatiuo vel optatiuo proferri. In quibusdam enim Ecclesiis forma hæc est indicatiua, nempè: *Per istam Sanctam Vnctionem parcit tibi Dominus, &c.* In aliis est imperatiua; at Iacobi verba formam optatiuam habere videntur. Ideò dicendum est, formam verborum indifferenter posse esse indicatiuam, vel optatiuam: sicut de forma Baptismi, quæ est apud Latinos indicatiua, sed apud Græcos optatiua alibi expressimus. Sic Becan. *hic, c.*27.*q.*7.*n.*3. Richard. *in* 4.*d.*23. *art.*1.*q.*4. Palud. *q.*1.*art.*2. Albert. *art.*4. Tanner. *dub.*1. Aureol. *in* 4.*diſt.*23.*art.*1.

104 *Est de Sacramenti necessitate.* Est de Sacramenti necessitate, formam eius modo exponi deprecatiuo. Quia id clarè colligitur ex illo *Iacobi* 5. *Orent super eum, & oratio fidei alleuiabit infirmum.* & ex Florentino, & Tridentino *sess.*14. *cap.* 1. Et quia duæ formæ non possunt esse institutæ pro vno Sacramento, nisi sint æquipollentes in sensu: at forma deprecatiua in omnium opinione est sufficiens: ergo indicatiua, si non habet æquiualentem sensum, non sufficiet. Ita D.Thom. *in* 4.*diſt.*23. *quæſt.*1.*art.*4.*ad* 3. Henriq. *lib.*3.*cap.*8.*num.*5. Nugn. *quæſt.*33.*art.*6. Suar. *diſt.*40.*ſect.*3.*n.*6. Filliuc. *tract.*3.*num.*80. Coninch *diſt.*19.*dub.*4. Hurtad. *hic, diſſic.*7.

105 *Auctoris sententia.* Certum de fide est, formam deprecatiuam esse sufficientem; ita enim planè definiunt Concilium Florentinum, ac Tridentinum, fuitque semper communis Theologorum sententia, funda

fundatúrque sufficienter in traditione Ecclesiæ Romanæ, quam impossibile est decipi, in his præsertim, quæ pertinent ad Sacramentorum substantiam. Constat autem, vniuersalem Ecclesiam vti forma deprecatiua: Ergo vt minimùm certum est, illam esse sufficientem. Vnde probabilius admodum esse iudico, ita esse necessariam hanc formam, vt solum indicatiuum verbum sine formali deprecatione non sufficiat. Lege Suarium citatum, qui à *num.* 8. diserte contrariorum argumenta diruit.

PROBL. XXI.

Forma, qua ad Vnctionis Sacramentum nunc Ecclesia vtitur, est, & non est de Sacramenti necessitate.

106 *Non est de Sacramenti substantia.*

NOn est de Sacramenti necessitate forma, qua nunc vtimur ad Vnctionis ministrationem. Quia potest Ecclesia mutare formam huiusmodi deprecatiuam in aliam non deprecatiuam, vel in aliam deprecatiuam sensu immutato: Ergo forma, qua nunc vtimur non est de necessitate Sacramenti. Sic Vinald. & Victor. Palud. Durand. & alij, quos memorat Leander. *tom.* 1. *tract.* 4. *quæst.* 26. Illi quidem Auctores difficile entimematis antecedens probabunt.

107 *Ipsidem.*

Est de necessitate Sacramenti forma, qua nunc vtimur. Quia non potest Ecclesia mutare hanc formam in aliam non deprecatiuam, aut in aliam deprecatiuam, si eundem sensum substantialem non seruet: Ergo forma, qua nunc vtimur, de Sacramenti necessitate est. Antecedens probo: quia hoc Sacramentum debet iure diuino formam habere determinatam: at non habet aliam, quàm illam, qua nunc ex Conciliis tradita Ecclesia vtitur. (Si quæ enim aliæ referuntur omnes reducendæ sunt ad hanc quoad sensum substantialem.) Ergò non potest Ecclesia huiusmodi formam mutare. Ità Henriq. *libr.* 3. *cap.* 8. *numero* 2. Nauar. *capite* 22. *numero* 35. Tolet. *libro septimo, capite* 1. & alij communiter.

108 *Quid circa hoc possit Ecclesia.*

Cum his sentiens, addiderim, posse Ecclesiam mutare formam, qua nunc vtitur in aliam similem, seruato tamen eodem sensu. Quia verba formaliter, quibus administrandum sit hoc Sacramentum non sunt iure diuino præscripta.

CAPVT IX.

Circa Extremæ-Vnctionis subiectum.

PROBL. XXII.

Infantes sunt, & non sunt huius Sacramenti capaces.

SVNT capaces. Quia his peccati originalis adsunt reliquiæ, contra quas etiam hoc Sacramentum datur. Et quia adest eis mortis periculum, vnde Extrema-Vnctio potest eis esse vtilis ad sanitatem corporis recuperandam, ac denique ad augmentum gratiæ acquirendum. Sic Maior *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 1. Bellarm. *de Vnct. cap.* 9. Posseuin. apud Didac. de Narbona *tom.* 1. *anno* 7. *q.* 8. 109 *Capaces sunt.*

Sunt incapaces. Quia sicut non sunt capaces Pœnitentiæ, ita nec huius Sacramenti, quod est consummatiuum Pœnitentiæ, vt dixit Concil. Trident. *sess.* 14. *in principio.* Et quia in illis nondum est Christiana vita inchoata, vita enim hæc ex Concilij mente in rationali actione consistit. Tandem id patet ex fine huius Sacramenti, & ab ipso Concilio declarato; institutum enim est propter luctam, & grauissima tentamina articuli mortis ad confirmandum infirmum hominem, & exhilarandum illum, ac recreandum eius animum ægritudinis molestiis oppressum: atque adeò ad superandam debilitatem ex peccato relictam, vel conferendam etiam actualium, si necessaria sit, remissionem; quorum omnium non est capax infans; quia nec tentari potest, nec resistere, &c. Non est ergò huius Sacramenti recipiendi capax. Ita Nauar. *cap.* 22. *num.* 13. Sotus *in* 4. *dist.* 23. *qu.* 2. *art.* 2. Angel. Sylvest. Armil. Ledesm. & alij, quos citat, & sequitur Henriq. *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 9. Filiuc. *tract.* 3. *num.* 101. Sanci. *in sel. dist.* 27. *num.* Tolet. *lib.* 7. *cap.* 13. Suar. *dist.* 42. *sect.* 1. Regin. *lib.* 28. *num.* 64. 110 *Sunt incapaces.*

Existimo primæ sententiæ Auctores id sine firmo fundamento contra Ecclesiæ consuetudinem, & contra rationem asseruisse. Hoc enim Sacramentum non tollit reliquias peccati originalis in se, seu radicaliter; sed per auxilia spiritualia confortando animum, ad superandam debilitatem ex peccato illo contractam: infantes verò non sunt huius remedij capaces. Sanitas autem corporis non est effectus primarius, sed secundarius huius Sacramenti, qui cessat, cessante primario: vndè propter illum solum non est dandum hoc Sacramentum, maximè cum infallibilis non sit. Augmentum verò, vel infusio gratiæ est generalis effectus Sacramentorum, qui per singula Sacramenta non datur nisi vt coniunctus propriis effectibus Sacramentorum ipsorum: & ideò vbi non est capacitas primarij ac proprij effectus nec est capacitas Sacramenti, nec effectus communis Sacramentorum, quatenus per tale Sacramentum est conferendus. Vt autem hanc sententiam firmiter teneam, contrariam verò improbabilem existimem, suffi- 111 *Hoc mihi certissimũ, quod amplius expono.*

cit mihi locus Iacobi. Ait ille: *si in peccatis est, dimittentur ei*, vbi apertè loquitur de peccatis actu alibus: supponit ergò hominem vngendum debere peccati actualis esse capacem. Item dum addit *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ*. significat, ipsummet infirmum debere hoc Sacramentum postulare, vel eius susceptioni consentire: quod agere non potest, nisi qui ratione vtitur.

PROBL. XXIII.

Potest, & non potest conferri hoc Sacramentum pueris, de quorum rationis vsu dubitatur.

112 *Conferri non potest.* CONferri non potest. Quia si verè rationis vsus participes non sint, magna Sacramento irrogatur iniuria: Ergo ad collationem Sacramenti, cuius receptio necessaria ad salutem non est, non debemus ex dubio allici. Sic Zambr. *hic, c.5. dub.1. n.7.* Sotus *in 4. dist.23. q.2. art.2.* Aureol. *in 4. dist.23. art.1.* & alij.

113 *Conferri potest.* Potest conferri sub conditione, *si capax es.* Quia hoc modo administrando Sacramentum, nulla ei iniuria irrogatur: & potest aliàs puero si vsu rationis polleat, lucrum maximum euenire: Ergo potest illi administrari. Ità Sanci. *in select. dist.27. n.17.* Diana *p.3. tr.4. res.169.* Dicastil. *dub.10. n.142.* Leand. *tom.1. tr.4. dist.3. q.3*

114 *Idem tenet.* Addit Leander, *Imò & debet illi administrari*, de quo dubitarim. Non autem dubito posse sub conditione huiusmodi conferri. Negotia enim (cum Ioanne Sanctio loquor) in quibus nihil admittendum timetur, sed potius lucrum speratur, audacter tractanda sunt.

PROBL. XXIV.

Pueris, qui annos discretionis attigerint, etiam ob ætatis defectum Eucharistiæ recipiendæ incapacibus: est, & non est hoc Sacramentum ministrandum.

115 *Non est eis ministranda.* NOn est ministrandum pueris statim, ac annos discretionis attigerint, Extremæ-Vnct. Sacramentum, si capaces non sint recipiendi Viatici. Quia hoc fert communis Ecclesiæ consuetudo. Et quia indecens est puero ei ministrare Sacramentum, de cuius mysterio, efficacia, & dignitate ob vim morbi instrui vix potest. Sic Sotus *in 4. dist.23. q.1. art.2.* Viuald. *de extr. vnct. c. de susceipientib. num.7.* Summa Corona *hic n.8.* Aureol. *in 4. d.23. art.1.* Synodus Hispal. anno 1586. vt refert Torrebl. *l.2. pract. c.11. num.34.* Nald. *n.7.* Lublin. *hic, num.2.*

116 *Ministranda est eis.* Extrema-Vnctio neganda non est pueris cum primum rationis vsum attigerint, tametsi sacram Eucharistiam nondum recipiant. Quia pueri hac in ætate possunt peccare: ergo capaces sunt susipiendi Sacramenta instituta ad delicta delenda, qualia sunt Pœnitentia, & Extrema-Vnctio. Ità Nauar. *c.22. n.13.* Angles *hic, art.4. concl.2.* Sa *hic. n.2.* Valent. Durand. Antonin. & alij, quos sequitur Sanci. *in select. d.27. num.10.* Laym. *l.5. tr.8. c.4. n.2.*

A prima sententia iustè recedo cum Zambrano minus rationabilem contrariam existimans esse consuetudinem. Quia inter Sacramentum Eucharistiæ & Extremæ-Vnctionis nulla est ordinis connexio: ergo etsi aliquis dispositus non sit ad Eucharistiam susipiendam: si tamen dispositus videatur ad vnctionis Sacramentum, non debet eo priuari. Verùm dùm talis consuetudo ab Episcopis toleratur, excusantur Parochi, si pueris antè annum ætatis decimum quartum, vel decimum quintum iuxtà cuiusuis diœcesis consuetudinem, Extremam-Vnctionem denegent: excepto tamen casu necessitatis, si puer (v. gr.) quem rationis vsum assecutum esse constat, aliud autem Sacramentum in morte non possit susipere. Videndus Chapeauilla *capite 5. quæst.17.*

117 *Hanc eligo sententiam.*

PROBL. XXV.

Infirmus qui sufficienti vsu rationis præditus nunquam deliquit actualiter, est, & non est huius capax Sacramenti.

NOn est capax. Quia Extrema-Vnctio est consummatiuum Pœnitentiæ vt ait Trident. *sess.14. in proœmio*: sed qui nunquam actualiter deliquit, non est Sacramenti Pœnitentiæ capax: Ergo nec Extremæ-Vnctionis. Et quia illi, qui nunquam actualiter peccauit, nequit applicari forma Extremæ-Vnctionis, nempe. *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti*, &c. Ergo. Sic Nugn. *quæst.32. art.2.* & 4. Vasq. *d.119. cap.8.* Sanci. *in select. d.27. n.18.* Granad. *d.6. n.11.* Videtur significasse D. Thom. *in 4. dist.23. q.2. art.2. quæstiunc.1.* dicens, hoc Sacramentum non esse contra reliquias peccati originalis, nisi quatenus sunt per actualia peccata confortatæ, & ideo non esse dandam pueris.

118 *Capax non est.*

Hoc Sacramentum dari potest etiam illi, qui nunquam actualiter peccauit. Quia neque ex verbis Iacobi, neque ex aliquo Concilio, neque ex forma vel materia huius Sacramenti, neque ex fine eius potest colligi necessitas huius conditionis: & alioqui effectus primarius Extremæ-Vnctionis locum habet in eo, qui nunquam actualiter deliquit: ergo & ipsum Sacramentum. Ita Carthus. *in sum. fidei, lib.5. c.149.* Viguer. *in Institut. cap.16. §.4. ver.6.* Astens. *in sum. lib.5. tit.41. art.5. ad 3.* Guillelm. de Rub. *in 4. dist.23. q.1. dub.3.* Bonau. *ibi, part.2. art.1. q.2.* Richard. *art.2. quæst.4.* Maior. *quæst.1. ad 2.* Palac. *dist.1.* Suar. *dist.42. sect.3. num.8.* Filliuc. *tract.3. n.108.* Reginald. *lib.28. n.69.* Villalob. *tom.1. tr.10. diffic.4. n.6.*

119 *Capax est.*

Hanc sententiam probabiliorem iudico, eamque & exponam, & roborabo, si fundamenti eius verum esse ostendero Antecedens quoad singulas partes. Nam Iacobus solùm dixit: *Si in peccatis est, dimittentur ei*, quæ verba non supponunt necessariò peccatum: conditionalis enim nihil ponit in esse; sed ad summum supponunt peccandi possibilitatem. Concilium Florent. & Trident. in hoc nihil addunt his, quæ Iacobus explicauit. Forma iuxta verba Iacobi est intelligenda, scilicet, conditionaliter, seu potentialiter: *Ignoscat tibi Deus quidquid peccasti*, id est, si quid

120 *Hanc sententiam probabiliorem puto, vimque fundamenti esse do.*

quid peccasti, vel quidquid solet per visum auditum, &c. peccari. Ex materia verò clarum est, nihil posse colligi; quia licèt Vnctio significet curationem spiritualem, & hæc videatur animi ægritudinem supponere: non tamen aliam necessariò præter eam, quam homo lapsus ex se habet ad resistendum tentationibus dæmonum, præcipuè in mortis articulo, & adiuncta debilitate corporis ex morbo proueniente. Ex fine nihil in contrarium colligitur; quia vnus ex principalibus finibus huius Sacramenti est roborare infirmũ eo in articulo contra diaboli insidias, & athletam ad pugnã inungere: quo subsidio indiget etiam ille, qui nunquam deliquit. Atque hac ratione locum habet in huiusmodi homine auxilium huius Sacramenti contrà reliquias peccati: nam satis ad hoc sunt reliquiæ peccati originalis, nempè ipsa corporis ægritudo, vel debilitas, vel quilibet dolor, aut tristitia, quæ possit hominem à deuotionis feruore, & hilaritate mentis in eo articulo maximè necessariis, retardare. Denique ille etiam, qui nunquam actualiter peccauit, de se est debilis, & infirmus ratione originalis peccati, vel reliquiarum eius, & ægritudinis ad superandas dæmonis insidias: ergò non solùm est capax proprij auxilij huius Sacramenti; sed etiam illo maximè indiget: præter quam quod gratiæ Sanctificantis augmentum recipiet, & ad ingressum gloriæ perfectius præparabitur.

PROBL. XXVI.

Adultus mox post Baptismum acceptum lethali morbo corripitur: Potest, & non potest ei hoc Sacramentum ministrari.

121 *Ministrari non potest.*

Ministrari non potest, nisi constet, post Baptismum peccatum nouum commisisse. Quia cunctæ prælapsorum reliquiæ sacro fuêre abstersæ lauacro, nec quid remanet, quod Extrema-Vnctio possit operari. Sic Sanci. *in select. d.27.n.18.* Nugn. *3.p.q.32.art.4.concl.2.* innuit esse probabile.

122 *Potest ministrari.*

Potest equidem ministrari. Quia licèt recens Baptismo dilutus fuerit omnium peccatorum veniam assecutus quoad culpam, & pœnæ reatum: adhuc reliquiæ aliquæ manent, nempè tarditas ad bonum sectandum, ad malum torpitudo. Ità Molfes. *in sum. tom. 1. tr. 4. c. 3. n. 42.* Ludou. à S. Iuan *q. vn. art. 6. de Vnct. dub. 3. concl. 4.* Præpolit. *3.p.q.vn. de Sacr. hoc, dub. 7. n. 61.* Diana *p. 5. tract. 3. resol. 86.* Nald. *hic num. 9.* Suar. *dist. 42. sect. 3. num. 9.*

123 *Debetur.*

Cum his opinor adiiciens, non solùm posse, sed & deberi ministrari. Quia hoc Sacramentum habet duplicem proprium, ac infallibilem effectum: vnus est auxilia, quibus potest homo in illa extrema lucta corroborari; alter est remissio peccati, ita vt hi effectus sint disparati, & vnus ab altero non dependeat, possitque vnus conferri ei, qui non sit alterum recepturus: quisquis autem est capax alterutrius, est capax Sacramenti. Cum ergo is, qui nunquam peccauit, potest tamen peccare, per intrinsecam dispositionem potest recipere auxilia, quibus corroborari valeat, potest hoc Sacramentum recipere: ergo.

PROBL. XXVII.

Deiparæ fuit, & non fuit Extremæ-Vnctionis Sacramentum ministratum.

124 *Non fuit ei ministratum.*

NOn fuit hoc Sacramentum Mariæ Deiparenti ministratum. Quia nullius fuit peccati actualis originalisve rea: ergo non potuit verificari forma illa: *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti, &c.* Diuersa verò est de receptione Baptismi ratio, quia Ostium est Sacramentorum, debebat autem Deipara Baptismum recipere, vt posset Eucharistia refici. Sic Sanci. *in select. d.27.n.20.* Vasq. *tom.2.d.119.c.8.n.74.* Granad. *d.6.n.7.* Card. de Lugo *de Sacram. in gen. disp.2. num.37.* Victor. *quæst.224.* Nugn. *q.32.art.2.*

125 *Fuit Deiparæ ministratum.*

Hoc Sacramentum fuit Deiparæ ministratum. Quia forma Extremæ-Vnctionis verè potes applicari ei, qui nunquam deliquit; cum illa verba: *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti*, possint habere sensum conditionatum, ita vt significet, dari gratiam remissiuam peccati, si illud inueniat in subiecto. Ità Albert. Magn. *in Mariali, cap.74.* D. Antonin. *3.p.tit.15.c.16.* Henriq. *lib.3.cap.11.n.7.* Suar. *d.46. sect.2.n.8. & 11.* Filliuc. *tract.3.n.108.* Reginald. *lib.28.n.69.* Trull. *lib.6.c.vnic.dub.4.n.6.* & alij.

126 *Hoc reor probabilius, quod vberius exponam.*

Probabilius arbitror Deiparam hoc Sacramentum recepisse. Quia nihil inuenio, quod obstiterit: & alias decuit, tùm propter fructum, tùm propter exemplum, tùm propter ipsum Sacramentum, ne despici videretur. Neque hoc mihi maiorem indecentiam exponit, quam quod Beatissima Virgo Sacra vndà diluta fuisset: quandoquidem etiam Baptismus datur in peccati remissionem: & ipsa ablutio non quamcunque sanctificationem, sed illam, quæ à sorde peccati lauat, significat: Tamen quia non significat illum vt necessariò actualiter faciendum, sed solùm quoad collationem gratiæ de se sufficientis, & ordinatæ ad illud malum expellendum: ideo in Deipara etiam locum habere potuit: idem ergo dicendum est de forma, & effectu, seu gratia huius Sacramenti. Magis dubitare poteram ex eo, quod Virgo beatissima corporaliter non ægrotauit, nec ex propria infirmitate corporali decessit. Dixerim tamen, licet non fuerit passa infirmitatem ex inordinatione humorum prouenientem: habuisse nihilominus quandam corporis debilitatem ab intrinseco prouenientem, quæ ad eum statum peruenit, in quo iam naturaliter non poterat anima in corpore conseruari: atque huiusmodi dispositio est sufficiens infirmitas corporis ad hoc Sacramentum recipiendum. Sicut si quis senili confectus ætate ex ipsius naturæ defectu morereturabsque alia ægritudine, nihilominus vngendus esset: quia illa est sufficiens infirmitas hominem constituens in huius Sacramenti necessitate: ita ergo de Deipara est sentiendum.

PROBL. XXVIII.

Necesse est, & necesse non est, hominem pollere actuali vsu rationis, quando hoc est Sacramentum suscepturus.

127 *Necesse est.* Necessarium est, vsum rationis tunc habere, quando Extremam quis suscipit Vnctionem. Quia hoc Sacramentum suum confert effectum, mediante motu, ac deuotione suscipientis, & ideò non potest dari illi, qui non est capax talis motus secundum præsentem statum, in quo hoc Sacramentum recipit. Confirmatur, quia hoc Sacramentum peti debet ab ipso suscipiente, vel saltem requirit consensum, & intentionem eius: Hanc autem habere non potest, qui vsu rationis caret: Ergo. Sic nonnulli Theologi, quos presso nomine memorat Suar. *d.* 42. *sect.* 1. *num.* 5. & D. Thom. *in* 4. *dist.* 23. *q.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. hoc significat: ait enim Sacramentum hoc non esse dandum furiosis, aut amentibus, etiam si in periculo mortis sint; neque distinctionem facit de amentibus perpetuis, & de temporariis. Imò locutus de illis, qui habent lucida interualla, inquit, eis dari posse in eo statu, in quo ratione vtuntur.

128 *Necesse non est.* Non est necesse, vt qui hoc recipit Sacramentum tunc sit sui compos, aut habeat rationis vsum: satis enim est, quod aliquando habuerit, & peccare actualiter potuerit, quantum est ex parte vsus rationis, quodque sufficientem consensum susceptioni huius Sacramenti præstiterit. Quia ad substantiam Sacramenti, & vt persona absolutè sit capax illius, sufficit, quod fuerit capax peccati actualis, deuotionis, tentationis, & resistentiæ, fiduciæque in Deum: quod verò hic & nunc sit impeditus, ne hosce actus valeat exercere, per accidens est, ideóque non est contra Sacramenti substantiam. Ita Theologi communiter, *in* 4. *dist.* 23. vbi Paludan. *quæstion.* 3. *numero* 14. Sotus *quæst.* 2. *art.* 2. Sylvest. *v. Vnctio extrema, quæst.* 5. Nauar. *cap.* 22. *num.* 13. Suar. *vbi supra.*

129 *Hanc sententiam veram adstruo, primam verò expono.* Distinxerim quidem id quod sufficit ad substantiam Sacramenti, vel quod necessarium est, vt honestè, ac rectè ministretur. Vt valide valeat ministrari, non est necesse, vt qui recipit sit tunc compos sui, sed satis est aliquando habuisse, vt fert secunda sententia. Quamuis autem hoc ad substantiam Sacramenti sufficiat, Ministri tamen huius Sacramenti curare debent, vt detur fidelibus eo tempore, quo sui compotes sunt, & agnoscere valeant quid circa eos agitur, & ad deuotionem, ac fiduciam per ipsum Sacramentum valeant excitari. Atque hoc est quod D. Thomam dicere præcipuè voluisse putarim: essèque valdè consentaneum reuerentiæ debitæ huic Sacramento, & modo operandi eius, vt ratio etiam D. Thom. ostendit, quæ non amplius probat. An verò hoc ita sit necessarium, vt sub præcepto cadat, Auctores nihil dicunt, nec ego facilè hanc obligationem imposuerim. Itaque quoties casu accidit, infirmum prius amittere rationis vsum, quam inungatur, tunc sine vlla culpa vngi potest, & circa hoc improbabilem primam sententiam omninò iudico.

PROBL. XXIX.

Amentes à Natiuitate, ac perpetuò furiosi sunt, & non sunt huius capaces Sacramenti.

Capaces sunt. Quia adsunt eis sicuti pueris (quibus comparantur) peccati originalis reliquiæ, & mortis periculum, vnde potest eis esse vtilis Vnctio ad recuperandam sanitatem, & gratiæ acquirendum augmentum: præcipuè cum eis per accidens sit, non posse recipere proprios alios huius Sacramenti effectus, sicut alij, aut eius fortioribus auxiliis non indigere. Sic Maior *in* 4. *dist.* 23. *q.* 1. Bellarm. *de Vnct. c.* 9. 130 *Capaces sunt.*

Non sunt capaces. Quia incapaces sunt ad actualia crimina patranda: ergo & ad recipiendum hoc Sacramentum, quod ad eorum reliquias abolendas est institutum. Ita communiter Doctores. Henriq. *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 9. *lit. L.* & apud ipsum D. Thom. Richard. Palud. Ledes. Victor. Nauar. & alij. 131 *Non sunt capaces.*

Hoc certissimum est. Secus dixerim de amentibus, ac furiosis, qui aliquando sui compotes fuêre, & potuêre actualiter delinquere, quibus debet hoc Sacramentum ministrari, licet formaliter ante amentiam illud non petierint, dummodo probabiliter præsumatur esse dispositos. Semper autem est præsumendum, quoties contrarium non constiterit. 132 *Hoc certum.*

PROBL. XXX.

Qui capitali supplicio sunt addicendi, sunt, & non sunt hoc Sacramento muniendi.

Svspendio, vel gladio afficiendi capaces huius Sacramenti sunt. Quia in eis peccatorum reliquias abolere, & eos reficere ad supplicij tolerantiam, & ad certamina superanda potest. Sic illustris Hispaniæ Episcopus de quo Lublinus apud Leandrum *tom.* 1. *tract.* 4. *dist.* 3. *quæst.* 10. narrat, ipsum in vigilia Apostolorum Philippi & Iacobi anno 1589. duobus suspendendis Confessione & Eucharistia munitis Extremam-Vnctionem ministrasse. 133 *Capaces sunt.*

Minimè sunt Vnctionis capaces. Quia talis mors non eis prouenit ex defectu naturæ, sed fortunæ. Ita Henriq. *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 1. Tolet. *lib.* 7. *c.* 3. *n.* 1. & omnes communiter. 134 *Non sunt capaces.*

Hoc certissimum ex Ecclesiæ vsu, contrariúmque asserentem difficilè à temeritatis nota liberarim. Vt autem doctum ac pium Præsulem defendam, placet Rodriguez *tom.* 2. *c.* 191. *n.* 6. monitum. Ex Viualdo enim affirmat ideo illum suspendendis ministrasse Vnctionem, quia aliqua naturali ægritudine afficiebantur periculosa planè, quo casu optimè gessit, iuxta probabilem sententiam. 135 *Hoc mihi ita tum.*

PROBL.

PROBL. XXXI.

Necessarium est, & non est necessarium, vt hoc Sacramentum suscepturus, in eo infirmitatis exitat statu, vt grauiter ad mortem laborare videatur, ad validitatem Sacramenti.

136 Necessarium esse. ETsi vt Sacramentum Vnctionis licitè detur requiritur, vt suscipiens bonâ fide credatur esse in mortis periculo: non tamen erit inualidũ, si detur grauiter quidem ægrotanti, tamen sine vero periculo mortis. Quia si requireretur ad essentiam Sacramenti, vt subesset verum mortis periculum, non posset hoc Sacramentum conferri nisi agenti iam omninò animam: aliàs enim communiter dubius esset valor Sacramenti, quia communiter ferè dubium est, an verè subsit periculum mortis. Fauent verba Iacobi, *Infirmatur quis in vobis.* Ergò sufficit infirmari. Et Tridentinum post verba illa, *Declarat, hanc Vnctionem esse infirmis necessariam*, subdit: *Illis præsertim, qui tam periculosè decumbunt, vt in exitu vitæ constituti videantur.* Addendo enim illam particulam, *Præsertim*, significare videtur, hoc non esse necessarium absolutè, vel saltem non æquè necessarium, ac prius. Sic Coninch *d.* 19. *n.* 25. Armachan. *l.* 9 *de qq. Armen. c. finalibus*, vt refert Palac. *in* 4. *dist.* 23. Probabile reputat Bonac. *d.* 7. *p. q.* 5. *n.* 4. Quintanaduen. *tom.* 1. *singul. tr.* 5. *sing.* 2. *n.* 5. Lessi. *in* 3. *p. c.* 4. *de Extr. Vnct. dub.* 1. *n.* 21.

137 Non est huius Sacramenti capax, nisi qui grauiori infirmitate laborat, mortisque videtur periculum subire. Quia hoc sacramentum est in leuamen huiusmodi infirmorum institutum. Concil. Florentinum. *Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet.* Diana *tr.* 6. *resol.* 45. citans Castrum Pal. Caspensen, Granados, Amicum, & alios. Reginald. *l.* 28. *n.* 64. Suar. *d.* 41. *sect.* 2.

138 Cum hac opinione. Profectò oportet, vt infirmitas ex suâ specie vel in hoc individuo iudicio prudentum sit grauis, & quæ infirmum in periculo vitæ valeat constituere. Hoc constat ex Ecclesiæ vsu. Vnde non dubito, quin hoc saltem sit ex præcepto, vt conuincit Florentini præscriptio, & locus Iacobi; loco enim illius verbi: *Infirmatur quis in vobis*, Græco est, Καμνοντα, quod *deficientem*, & pene morientem significet. Et probabilius existimo, esse etiam hoc de Sacramenti necessitate propter eiusdem Concilij, & Iacobi verba: & propter rationem, quæ ex fine, & institutione huius Sacramenti colligitur. Est enim institutum tanquàm extremum, remedium hominum infirmorum, & morientium, quo & in grauissimo mortis periculo iuuentur, & ad gloriæ introitum, quoad fieri possit, disponantur: Ergo vt minimum requirit hominem ita decumbentem, vt ex tali ægritudine mors possit moraliter timeri saltem remotè, & quantum est ex naturâ talis ægritudinis in tali subiecto. Et quidem si Sacramentum hoc validè dari posset cuilibet ægrotanti communi, & ordinario morbo, ex quo nullum periculum timeretur: non esset cur omnibus huiusmodi infirmis denegaretur, ita vt illis licitè dari non posset. Cur enim priuaretur hoc Sacramento, cum aliàs ei nulla irreuerentia fieret: Requiritur ergo lethalis morbus etiam ad Sacramenti valorem.

PROBL. XXXII.

Fœminæ in partu deficienti ministrandum est, & ministrandum non est Extremæ-Vnctionis Sacramentum.

139 Non est ei ministrandum. NOn est ei ministrandum. Quia non est hoc Sacramentum conferendum iis, qui non laborant corporis infirmitate licet in magno vitæ periculo diuersentur. Iacobus *c.* 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Dñi.* Vnde colligitur, conferendam non esse Vnctionem nisi corporea laborantibus infirmitate. Adde Concilium Mediolanense 4. *p.* 2. præscribere inungi mulierem in partu deficientem. Sic Bonac. *d.* 7. *q. vni. pun.* 5. *n.* 6. Nald. *in sum. v. Extrema-Vnctio, n.* 5.

140 Ministrandũ est ei. Ministrandum prouidubio est ei, quando ex nimio dolore partus ita corporis viribus debilis ostentatur, vt de morte eius timeri possit. Quia ipsa illa debilitas grauissima est ægritudo. Ita Diana *p.* 10. *tr.* 12. *resol.* 9. Filliuc. *tr.* 3. *n.* 68. Lublin. *in sum. v. Extrema-Vnctio, n.* 14. Reginald. *l.* 28. *n.* 68. Candid. *tom.* 3. *disquisit.* 3. *art.* 5. *dub.* 3. Trull. *de Sacram. l.* 6. *cap. vni. dub.* 4. *num.* 4. & alij.

141 Hoc teneo, & expono. Si discrimen vitæ, quo mulier parturiens laborat fundetur in aliqua actuali ægritudine, & infirmitate, v. gr. quia iam cœpit grauissimis diuexari doloribus, ex quibus medicorum iudicio probabile periculum mortis appareat, censeo esse huius capacem Sacramenti. Si tamen in communi periculo, vel quia prima vice parit, vel quia aliàs fuit in periculo; non videtur satis; quia re verâ talis non est infirma. Reor autem Concilium Mediolanense locutum de fœminâ communium dolorum acerbitate pressâ, non de eâ diuexatione speciali, quæ eam videatur in infirmitate constituere.

PROBL. XXXIII.

Dari potest, & dari non potest Extrema-Vnctio lethaliter vulneratis, morsu Viperarum læsis, &c.

142 Minister andũ is non est. EIs non est hoc Sacramentum ministrandum. Quia vulnus, & morsus verè non est corporis infirmitas. Sic Nicol. Prouë apud Viuald. & alij apud Toletum, *l.* 7. *c.* 3. *n.* 5. vti refert Leander *tom.* 1. *tract* 4. *d.* 3. *q.* 1. Quam sententiam Toletus probabilem esse fatetur.

143 Ministrandum eis. Ministrandum est eis. Quia hi re verâ sunt infirmi, cum intra se proximam causam mortis habeant. Ita Sotus *in* 4. *d.* 24. *q.* 2. *a.* 2. Sylvest. *hic q.* 5. Concil. Mediolan. Lublin. Toler. Molfes. Palud. Filliuc. Suar. & alij quos refert, & sequitur Leander citatus.

144 Quid sentendũ uberius expõ-

Fateor, non in omni occasione mortis, sed solum in illâ, quæ ex corporis infirmitate prouenit.

esse hoc Sacramentum applicandum. Ratio est, quia solus infirmus est huius Sacramenti capax; sæpè autem homo sanus existens, est mortis vicinus, vt si mors sit violenta, siue per coactionem hominis, vt cum homo est damnatus ad mortem: siuè per aliam causam naturalem, vt si homo incipiat longam nauigationem, vbi est naufragij periculum. Vnde colligo, Sacramentum hoc esse specialiter institutum, ad roborandum hominem corpore deficientem ob ægritudinem; quando autem sanus est, licèt sit morti vicinus, habet integras naturales vires, & non ab intrinseco, sed ab extrinseco, & per accidens deficit: & ideò non est pro illo institutum Sacramentum Vnctionis. Monuerim autem, aliud esse, hominem sanum violenter interfici: aliud verò quod homo per violentiam in morbum inciderit, in quo iam est morti vicinus. Nam quæ dixi, procedunt in priori casu. At verò in posteriori est longè diuersa ratio: quia homo est verè infirmus, & consequenter capax huius Sacramenti, vndecúmque infirmitas originem duxerit. Igitur cum quis lethale vulnus accipit, aut viperæ morsu corripitur, estque in periculo mortis, sine vllâ dubitatione vngendus est. Quia iam verè ægrotat, licèt causa ægritudinis fuerit extrinseca, & violenta, quod quidem est accidentarium.

PROBL. XXXIV.

Ægritudine quis repentina affectus iam sine Confessione præuiâ, quia sensibus destitutus est, vitam agit: Huic potest, & non potest hoc ministrari Sacramentum.

145 *Non potest ei ministrari.* NOn potest ei ministrari. Quia si lethali crimine affectus erat æger, haud adest ad Sacramentum recipiendum dispositio: si in gratiâ aderat, haud est ei hoc præsidium simpliciter necessarium. Et quia requiritur, vt æger ratione vtatur, dum eis Sacramentum confertur. Sic quidam Theologi, quos presso nomine memorat Coninch. *d.19.n.23.*

146 *Ministrari ei potest, & debet.* Ministrari ei potest, & debet. Quia contrarium gerere est contra communem Ecclesiæ praxim, quæ hoc Sacramentum sæpè confert omni sensu destitutus. Addo Ecclesiam huiusmodi homines sacra sepultura donat, licet absque confessione, vel aliquo contritionis signo decesserint. Cur ergo inungendus non erit viuus, qui ab Ecclesiâ mortuus fidelis deputatur? Ita Nauar. *c.22.n.13. & c.26.n.27.* Coninch *citatus.* Reginald. *l.28. n.65.* & alij communiter.

147 *Debere ei sub cõditione ministrari affirmo.* Existimo saltem sub hac conditione posse hoc Sacramentum huiusmodi ægroto ministrari: *Si capax es.* Quia si Confessor potest absoluere sub conditione hominẽ sensibus priuatum, (de quo *Volum.2.*) cur non poterit sub conditione inungere? Theologes autem illis, qui requirunt in suscepturo hoc Sacramentum actualem rationis vsum, illo petat donari, respondeo, ad illud recipiendum sufficere petitionem virtualem, seu interpretatiuam, id est, si peturus esset, si integris sensibus extaret.

PROBL. XXXV.

De necessitate huius Sacramenti est, & non est, quòd septem exponantur Vnctiones.

DE necessitate Sacramenti sunt septem vnctiones. Quia Concilium Florentinum præcipit, vt oculi, aures, nares, os, manus, pedes, ac renes sacro oleo inungantur: Ergò septem esse debent. Sic Palaci. *dist.13.* & alij. 148 *Sunt de necessitate Sacramenti.*

Non sunt septem vnctiones de Sacramenti necessitate, imò neque de præcepti, sed quinque sufficiunt, nempe in quinque corporis sensibus. Quia hic est vniuersalis Ecclesiæ vsus: sexta autem, & septima, quæ assolent in renibus ac pedibus peragi, necessariæ non sunt, quia in vsu non sunt saltem in fœminis. Ità Suar. *d.42. sect.3.* Henriq. *l.3.c.12.n.2.* Sa *hic, n.12.* Valent. *tom.4. d.8.q.2. punct.5.n.16.* Coninch *d.19.n.8.* Bonac. *d.7. pun.5.n.16.* 149 *Non sunt.*

Non est liberum Ministro, quas voluerit partes corporis vngere, sed quinque partes determinatæ nempè quinque organa sensuum sunt de Sacramenti, & præcepti necessitate vngendæ, quia in quibúsque sensibus viget omnis peccati origo. Assero itaque, sextam, ac septimam vnctionem in renibus, ac pedibus, non esse necessarias, nisi ratione consuetudinis particularium Ecclesiarum, quam innuit Concilium Florentinum: vnctiones autem organorum quinque sensuum vbique adhiberi, & omninò sufficere. Quia cùm nihil sit in intellectu, quod prius non fuerit in sensu: hinc fit, vt omnia peccata, & tentationes originem aliquo modo trahant ex aliquo sensu; Vnde per sanationem, & corroborationem omnium sensuum satis significatur sanatio, & corroboratio totius hominis. 150 *Eiusdem ritus sum.*

PROBL. XXXVI.

Necessariæ sunt, & necessariæ non sunt ad Sacramenti valorem quinque sensuum inunctiones.

NOn sunt necessariæ, sed ad valorem Sacramenti sufficit, si vnicus sensus inungatur. Quia in vnctione vnius duntaxat sensus ratio huius Sacramenti saluatur, cum ibi detur materia, forma, ac intentio Ministri: & in qualibet vnctione statim gratia confertur. Sic Doctores Louanienses apud Dianam *p.8. tract.1. resol.21.* Becan. *de Sacram.c.25.q.7.n.6.* Rodrig. *hic, c.192.* Nicolaus Serar. *opusc. de Extr. Vnct. cap.7.* Coninch *d.19.n.9. & 12.* Diana *p.5.tr.3. resol.80. & p.10.tr.12. resol.21.* citans Caspensem, Granado, & Amicum. Laym. *lib.5. tract.8. cap.3. num.3.* 151 *Non sunt necessaria.*

Necessariæ sunt quinque vnctiones necessariæ, & ad Sacramenti valorem non sufficit, si vnus sensus inungatur. Quia vnctiones quinque sensuum semper adhiberi sunt solitæ; Ergo absque grauissimo fundamento, non debet eorum necessitas abnegari. Certè omnes hæ vnctiones ordinantur, ad significandam integram 152 *Necessaria sunt.*

gram animæ sanitatem, eamque operandam: Ergo non habent perfectam significationem, nisi quando omnes complentur. Ita Coninch d.19.n.2. Sotus *in* 4. *dist.*23. *q.*1. *art.*3. *concl.*2. Bellarm. *de Extr.Vnct.c.*3. Valent. *tom.*4. *d.*8. *q.*2. *punct.*2. Henriq. *lib.*3. *cap.*8. *num.*2. Suar. *dist.*40. *sect.*2. *num.*8. *& dist.*41 *sect.*2. *n.*13. & alij communiter.

153 Veruntamen sensus non omnes sectionis apti. Verùm quia non potest dici, quinam effectus respondeant potius vni vnctioni, quàm alteri, cum nec dimidiata peccatorum venia peti soleat: nec æqualiter dispositis ad remissionem omnium per aliquod Sacramentum dimidiata soleat concedi etiam respectu venialium: & gratia iustificans, ac præueniens ei annexa non detur partialis ad singulas animi infirmitates curandas, cum vnâ ad plures possit valere: patet singulas vnctiones, ac formas his respondentes non habere perfectam significationem, donec vltima vnctio, eiusque forma sit completa. Et quamvis singulæ videantur habere perfectam significationem partialem, hæc tamen non est Sacramentalis, nisi provt illæ vnum integrum Sacramentum cum aliis constituunt: & consequenter nec prius vllum effectum habent. Non tamen abnegarim, primam sententiam admodum esse probabilem. Nam præterquam quod valida ratione fulcitur, hæsit ei tota Vniuersitas Louaniensis, quæ vna cum Archiepiscopo probauit Pastorale Mechlinienſe, in quo *can.*9. *de Extr.Vnct.* dicitur, in morbis contagiosis sufficere vngere organum sensus magis obuium dicendo: *Per istam Sanctam Vnctionem, & suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, & gressum.* Crediderim tamen in hoc casu securius esse, vngere celeriter quinque organa sensuum in capite, pronunciando formam modo ibi præscripto, quod videtur æquè celeriter posse fieri; & tunc ipsæ vnctiones ipsi formæ responderent, quæ videtur significari omnium sensuum organa inungi, sensus enim tactus non solum in manibus, sed & in facie residet. Item tunc ponerentur omnes vnctiones, quas Auctores dicunt esse necessarias, & forma plenè æquiualeret ei, qua Ecclesia communiter vtitur: quamvis extra grauissimam necessitatem non sit facilè permittendum, vt quis etiam hoc modo inungatur.

PROBL. XXXVII.

Cæci à natiuitate, aut manibus mutilati, debent, & non debent in organo oculorum, & in loco propinquiori manibus abscissis inungi.

154 Oculi manus. NOn est necessarium inungere eum qui oculis captus est à natiuitate, in organo, aut parte, vbi visus assolet vigere: nec eum qui caret manibus in propinquiori parte. Quia partes inungendæ ex vi institutionis sunt designatæ, & determinatæ: si ergo oculi ac manus designatæ sunt speciatim, non possunt loco illarum aliæ à nobis substitui. Sic Becan. *de Sacram.c.*27. *num.*3.

155 Imagen- Potest, imò ex necessitate præcepti debet inungi. Quia infirmus potest peccare solo appetitu videndi, audiendi, loquendi, tangendi contra regulam rationis: Ergo etiam si hisce sensibus corporis careat, capax erit huius Sacramenti, poteritque Sacerdos inungens, verè dicere: *Indulgeat tibi Deus quidquid per visum, vel tactum deliquisti.* Ita D.Tho. *in* 4. *dist.*23. *a.*3. *q.*3. Sotus *q.*2. *a.*3. Sylvest. *n.*6. Angel. *n.*5. Hentiq. *l.*3. *c.*12. *n.*1. Tolet. *l.*7. *c.*3. *n.*7. Reginald. *l.*28. *n.*70. Suar. *d.*44. *sect.*3. *n.*5.

156 *Hoc teneo, & expono.* Certissimum censeo, huiusmodi homines esse Sacramenti huius capaces, & vnctionem tunc fieri debere in parte propinqua, vt visus Ecclesiæ satis ostendit. Quia talis homo non minus indiget fine, ac fructu huius Sacramenti: debuit ergò ita institui, vt ab eius participatione nullus excluderetur. Certè in hoc Sacramento manus non fuêre designatæ vt adæquatum subiectum illius vnctionis, quæ ratione tactus sit, sed quia illud sit organum tactus: & per se loquendo ibi debeat fieri talis vnctio quoad fieri possit; quia non sit vngendum totum corpus, pars aliqua designari debuit: non tamen ita præcisè, vt illa deficiente esset impossibilis talis vnctio, cum adhuc maneat organum tactus: sed ita vt ille sit quasi primarium subiectum, quo deficiente, locum habeat pars illi propinquior. Quia nulla certior regula & notior omnibus dari potest: nam vbi post manus tactus magis vigeat, incertum est, & vix Philosophi, aut Medici id norunt: quæ autem sit pars manui propinquior, notissimum est: & ideo cum manus fuerint veluti primo loco designatæ, consequenter suo ordine designatæ ad id muneris erunt partes propinquiores, vt illis deficientibus, earum loco substituerentur. Idem dixerim de inunctione oculorum etiam in iis, qui à natalitio Cæci, nec organi visus speciem ostentant: inungendi enim sunt eo in loco, vbi illius sensus organum assolet exponi.

CAPVT X.

Circa Sacramenti Extremæ-Vnctionis Ministrum.

PROBL. XXXVIII.

Potest, & non potest quilibet Sacerdos etiam Regularis absente Parocho, & absque eius licentia hoc Sacramentum ministrare.

157 *Non potest licitè.* NOn potest licitè. Quia si licentia Parochi desit, alienam sibi vsurpat iurisdictionem. Et quia Regularis, qui sine licentiâ, aut priuilegio sæculari Extremam Vnctionem ministrat, incidit in excommunicationem latam in Clement. I. *de priuileg.* Sic Bonac. *hic, punct.*4. *n.*5. *& de Regularibus* Sylvest. *v.Vnctio, q.*4. Armil. *n.*5. Nauar. *c.*22. *n.*101.

158 *Licitè potest.* Licitè potest. Quia in hoc casu præsumitur adesse consensum, seu licentiam Parochi, vel Episcopi, vel Pontificis cum credibile non sit, Ecclesiam velle priuare ægrotum tanto Sacramento,

mento, quo valeat (si necessum sit) ex attrito fieri contritus, & saluari. Ita Henriq. *l.3.cap.13. n.4.* Rodrig. *c.192.* Quintanad. *tom.1. sing. tr.5. sing.3.n.4.* Reginald. *l.28.n.61.* Suar. *d.44.sect.2. n.3.* Filliuc. *tr.3. n.90.* Sa *hic, n.8.* & alij communiter.

159 *Cum his opinor.* Cum his sentio, imò verum id de Regularibus affirmo, etiam si adsit sæcularis Sacerdos, qui Vnctionem velit administrare, dum non sit Parochus illius Parochiæ, in quâ habitat æger, etiam si sit alterius. Quia hîc Sacerdos alius sæcularis maiorem iurisdictionem non habeat, quàm Regularis: & omnes nullam aliam præter concessam à præsumpta, aut interpretatiua Parochi, Episcopi, vel Pontificis voluntate: & cum euidenter non constet, ab his potius eligendum sæcularem Sacerdotem, quàm Regularem, vtrique ius æquale est, imò maius est Regulari ex priuilegio alibi adducto. At si constaret ex certis signis, aut consuetudine Parochum alterius Parochiæ, aut sæcularem Sacerdotem assignandum esse à proprio Parocho, & non Regularem: tunc ego Regularem ab huiusmodi administratione abstinere consulerem.

PROBL. XXXIX.

Parochus proprius præsens est, sed non vult iniquus hoc Sacramentum egenti ægroto administrare, nec licentiam exhibere: Potest tunc, & non potest quilibet Sacerdos sæcularis, vel Religiosus, adhuc Parocho repugnante, id munus exercere.

160 *Non potest.* NOn potest. Quia cum Sacramentum hoc non sit de necessitate salutis, non est nisi ritè ministrandum, id est, cum licentiâ expressa, vel præsumpta. Sic Syluest. *q.4.* Armil. *n.5.* Viuald. & Canonistæ apud Nugnum *hîc, q.31. art.3.*

161 *Potest quidè.* Potest quidem. Quia in hoc casu præsumitur adesse licentiam tacitam Episcopi, vel Pontificis: & idcò non vsurparet Sacerdos id gerens Parochi iurisdictionem. Ita Suar. *d.44. sect.3.n.3.* Quintanaduen. *tom.1. tr.5. singul.3.* Filliuc. *tr.3.num.90.* Villalob. *tract.10. diffic.6. num.2.* Hinososa *in direct.v.Vnctio.*

192 *Hoc verius puto, si fieri possit sine scandalo.* Licet constaret, Parochum esse inuitum, vel licet expressè nollet hoc Sacramentum ministrare, dummodo certum esset, iniquè id facere, & ægrum esse dignum tali Sacramento, & in vera necessitate illius: liceret sine licentiâ Parochi illud ministrare si fieri possit sine violentiâ, vel scandalo. Quia tunc non esset iurisdictionis vsurpatio, sed defensio innocentiæ. Et licet ille sit inuitus præsumi potest vel Episcopi, vel certè summi Præsulis Christi licentiam non deesse. Quia verisimile non est, velle Ecclesiam in eo casu priuare infirmum tam vtili, & quandoque necessario remedio: nec fauere iniquitati, & iniuriæ proprij Pastoris, aut tam rigorosum ius ei tribuere contra spiritualem fidelium salutem. Porrò extra hunc casum rarò, vel nunquam admittendam licentiam præsumptam, quæ aliàs dici assolet ratihabitio de futuro, esse duxerim.

PROBL. XL.

Æger in mortis periculo constitutus non potest alind Sacramentum recipere, Parochus autem tunc temporis est excommunicatus denunciatus: Potest tunc, & non potest Vnctionem ministrare.

163 *Potest excommunicatus tunc iungere.* POtest quidem. Quia non est verisimile Ecclesiam voluisse hoc prohibere tanto ægrotantis cum discrimine. Et quia in hoc casu potest quis tempore Interdicti hoc Sacramentum conferre: ergo etiam tempore quo excommunicatus existit. Sic Diana *p.5. tract.3. resol.89.* Victorel. Posseu. quos sequitur Leand. *tr.5.d.4. q.6.* & probabile reputant Villalob. & Filliuc. apud eundem.

164 *Non potest.* Minimè potest. Quia Ecclesia non permittit dare, vel accipere hoc Sacramentum tempore Interdicti: Ergo verosimilius videtur hoc etiam non permittere excommunicato. Ita Suar. *d.44.sect.3.n.6.* Villalob. *hîc diffic.6.n.6.* Bonac. *q.vni.punct.4.n.4.* Qui citat Henriq. *l.3.cap.13.* sed non aptè; Auctor enim hic solum ait, mortaliter delinquere, qui cum conscientiâ lethalis criminis hoc Sacramentum administrat.

165 *Existimo hoc non permitti excõmunicato, bene autẽ suspenso.* Crediderim, hoc ab Ecclesiâ minimè excommunicato permitti, secus suspenso, de quo non est eadem ratio; nam hæc censura non priuat actu Ordinis, & hic actus non est tam per se actus iurisdictionis, quin sine illâ dari possit propter necessitatem. Et eadem ratione censeo, non licere infirmo, hoc Sacramentum ab excommunicato accipere denunciato: à suspenso verò posse. In eo verò casu iudico, posse Parochum alteri licentiam exhibere; quia id potius esset, permittere, vt alter ministret, quando ad id necessitas cogit, cùm non sit alius habens potestatem sine legitimo impedimento. Casu autem, quod non adsit Sacerdos non excommunicatus, & æger non potuit aliud Sacramentum accipere, certum mihi huiusmodi Parochum non solùm posse, sed debere, ministrare ei vnctionem, vt fiat si dispositio adest, ex attrito contritus.

PROBL. XLI.

Hoc Sacramentum licitè & validè potest, & licitè & validè non potest à pluribus Ministris conferri.

166 *Nonulla sunt ponenda.* SVppono, duobus modis posse duos Sacerdotes ad hoc concurrere ministerium: primo, vt vnus gerat vnctionem, alius proferat formam siue in omnibus vnctionibus, siue in singulis, seu aliqua ex essentialibus; secundo, vt vnus faciat vnam vel plures vnctiones cum formis eis proportionatis, non tamen omnes essentiales: alius verò compleat, quæ defuerint. Quo in sensu quæstio procedit.

167 *Non potest à pluribus conferri.* Non potest Sacramentum hoc à pluribus Sacerdotibus partialiter fieri. Quia Concilium Florentinum præscripsit Ministrum huius Sacramenti

menti esse *Sacerdotem*, non Sacerdotes. Et quia sicut principalis Sacramenti Auctor, qui est Christus, vna persona est, ita Minister, qui ipsum repræsentat, vna tantum debet esse persona. Et quia nulla est necessitas aliud dicendi: nam si aliqua, maximè illa quæ ex illo ordinatio casu sumitur, si contingat, vnum Sacerdotem mori, facta vna, vel duabus vnctionibus: nam tunc censetur necessarium, vt alius perficiat Sacramentum: at hoc, me iudice, necessarium non est, potest enim alius inchoare Sacramentum, & integrum conferre; nam quod alter facere incepit, nullum fuit, hoc ipso, quod essentialiter perfici non potuit: Ergo à posteriore Sacerdote potest, & debet omitti, ac si factum non fuisset: & totum Sacramentum integrum fieri. Sic Turrian. *in sum. p. 2. c. 155. dub. 2. concl. 2.* vti refert Diana *p. 5. tr. 3. resol. 88.* & huius mentis esse debent, qui existimant, quod non quæuis Vnctio gratiam conferat, sed in fine vltimæ vnctionis conferatur: sic enim esset dimidiare Sacramentum, & illius administrationem, quod nec licitè, nec validè fit.

168 *Potest confer. à pluribus.* Potest hoc Sacramentum à pluribus Sacerdotibus præfato modo conferri. Quia necesse est, vt tale Sacramentum inchoatum ab vno, perfici possit: non enim debet priuari hoc Sacramento, & effectu eius infirmus, eo quod alius Minister Sacramentum in eo inchoauerit, & perficere non potuerit: sed non potest perfici ab alio Sacerdote iterando omnes vnctiones, quia hoc perinde esset, ac consecrare iterum eandem hostiam iam consecratam: Ergò necesse est, vt perficiatur illud Sacramentum à duabus personis. Ita D. Thom. *in 4. dist. 23. q. 1. a. 1. quæstiunc. 2. ad 3.* Richard. *a. 1. q. 1. ad 4.* Durand. *q. 1.* Sotus *q. 1. a. 1.* Ledesm. *q. 31. a. 2.* Sylvest. *v. Vnctio, q. 4.* Tabie. *hic, n. 5.* Suar. *d. 43. sect. 2. n. 6.* & alij communiter.

169 *Iudicat mihi.* Idem sentiens addiderim, non solùm Sacramentum hoc in eo casu perfici posse à duobus Ministris partialibus: verùm etiam non posse aliter fieri saltem licitè. Quia non potest licitè secundus Sacerdos iterare, quod alter inchoauerat: priores enim partiales vnctiones, à priore Sacerdote factæ sub propriis formis partialibus re verâ fuêre validæ, idest, ex se sufficientes ad verum Sacramentum conficiendum: & in suo gradu, & ordine suam habuêre significationem, ac perfectionem partialem. Cuius signum est, quia si prior Sacerdos reliquas partes consummasset, perfectum ex omnibus fieret Sacramentum: Ergo priores ex se validæ erant. Vnde non refert, quod refert, quod illæ priores Vnctiones nullum habuerint effectum gratiæ in suscipiente: nam etiam per consecrationem hostiæ, v. gr. nondum gratia alicui confertur. Satis ergò est, quòd Sacramentum quoad partem illam verè maneat confectum; & subiectum licet non maneat sanctificatum quoad sanctitatem gratiæ: manet tamen (vt sic dicam) ex eâ parte Sacramentum, & dispositum ad effectum gratiæ, si partes reliquæ adiungantur: & ideò illud, quod factum fuit, non est iterandum: sed quod defuit, addendum: ex quo fit necessariò consequens, vt tale Sacramentum à pluribus personis conficiatur.

PROBL. XLII.

Peccat, & non peccat mortaliter Parochus, qui vt Vnctionem conferat, expectat, vt æger, vel vsu rationis careat, vel non posse naturaliter viuere.

NOn peccat. Quia Parochus non tenetur sub lethali hoc Sacramentum administrare, cum illud recipere non teneatur ægrotus, saltem sub mortali: Ergo nec sub mortali tenebitur Parochus opportunum illius tempus expectare. Sic Posseuin. *hic, c. 9. n. 14.* 170 *Non peccat mortaliter.*

Grauiter delinquit. Quia expectare tempus, quo infirmus sensu & ratione sit destitutus est contra reuerentiam, ac vtilitatem Sacramenti: expectare autem tempus, quo æger nequeat iam naturaliter viuere, est contra finem secundarium Vnctionis, qui est corporis sanitas: nec enim hoc Sacramentum miraculosè sanitatem corporis operatur, sed virtute ordinaria & finita supernaturali. Ità Nald. *v. Extr. Vnct. n. 1.* Quintanad. *tom. 1. tr. 5. singul. 8.* ex Catechismo Romano sic præscribente *p. 2. de Vnct. c. 6. n. 9. Grauissimè peccant, qui illud tempus ægroti vngendi obseruare solent, cum iam omni salutis spe amissâ, vitâ, & sensibus carere incipiat.* 171 *Mortaliter peccat.*

Idem assero, monens, ad hanc culpam necessarium esse, vt huiusmodi dilatio, data opera, & negligentia grauis fiat. Certè prima sententia falso, me iudice, fundamento nititur, certissimum enim censeo, Parochum sub mortali teneri ad Extremam-Vnctionem ministrandam fidelibus eam petentibus, licèt alia Sacramenta susceperint, & si ipsi ad eam suscipiendam grauiter non adstringantur; cum ex iustitiâ Parochi saluti subditorum maximè in mortis articulo consulere teneantur. Portò si aliquo huius Sacramenti fructu tunc sit capax infirmus, aliis eum Parochus illud differendo priuat iniustè. 172 *Idem assero.*

PROBL. XLIII.

Episcopus hoc Sacramentum ministrans, debet, & non debet vti Chrismate, non Oleo.

DEbet vti Chrismate, non Oleo infirmorum. Quia oportet, vt Pontificalis dignitas in hoc à Sacerdotali distinguatur: Sacerdotes vngunt oleo, Præsul Chrismate inungat. Sic Glossa ad cap. *Illud 95. v. Chrisma.* Sa *v. Oleum, n. 2.* posse ægrum de licentia Episcopi Chrismate pro oleo vti ad hoc Sacramentum ministrandum. Quasi eum Vicarium constituat vt id efficiat ex permissione, quod ipse Episcopus ex dignitate præstare debet. 173 *Debet vti Chrismate, nō Oleo.*

Non debet vti Chrismate, sed infirmorum oleo. Quia materia huius Sacramenti est oleum simplex oliuarum ab Episcopo benedictum: Ergo & ipse hac debet vti materia. Ita Viuald. *hic, §. vbi conferendum, n. 4.* Debent huic menti adhærere, qui existimant, inualidum esse hoc Sacramentum Chrismate administratum, nempè 174 *Debet vti Oleo, non Chrismate.*

pè Nald. *hic*, *n.* 4. Nugnus *q.* 29. *art.* 6. Reginald. *l.* 28. *n.* 50. Valent. *tom.* 4. *d.* 8. *q.* 1. *punct.* 1. Esti. *in* 4. *d.* 23. §. 9. Barthol. de Ledesm. *difficult.* 3. *concluſ.* 3.

175 *Idem aſſerit.* Existimo, Episcopum Chrismate pro Oleo vtente ad vngendum infirmum validum gerere Sacramentum; quia olim Ecclesia vsa fuit Chrismate pro Oleo ad infirmorum inunctionem; grauiter autem delicturum sicuti quilibet alius Sacerdos, qui Chrismate pro Oleo ad hoc munus vteretur. Nec enim datum Episcopali dignitati altiori vti materiâ ad Sacramentorum perfectionem. An deceret concedi summo Præsuli, vt non in pane cuncti Presbyteri communi materia ad Eucharistiam, sed alio cibo Superiori vterentur? Oleum itaque est materia, qua ritè, & licitè cuncti Ministri Vnctionis extremæ vti debent ad huius Sacramenti perfectionem.

CAPVT XI.

Circa Sacramenti Extremæ-Vnctionis Effectus.

PROBL. XLIV.

Est, & non est proprius huius Sacramenti effectus venialium peccatorum remissio.

176 *Primarius effectus est venialium remissio.* PRoprius effectus Sacramentalis gratiæ Extremæ-Vnctionis est venialium remissio peccatorum. Quia hoc Sacramentum primariò institutum est ad remissionem peccatorum: at non mortalium: Ergo venialium. Maior constat ex verbis formæ, nihil enim magis explicat proprium effectum vniuscuiusque Sacramenti, quàm eius forma; quia Sacramentum efficit, quod significat: & significatio per formam maximè determinatur, & exprimitur. At verò per formam huius Sacramenti directè solum postulatur remissio peccatorum: Ergo hic est effectus primarius, propter quem hoc Sacramentum fuit institutum. Minorem probo, quia propter mortalia tollenda institutum est Sacramentum pœnitentiæ, & duo Sacramenta non instituuntur propter eundem finem, maximè cum Sacramentum pœnitentiæ positum sit tanquam necessarium medium ad remissionem mortalium peccatorum. Confirmo, quia tria sunt peccatorum genera, originale, mortale, & veniale: sed ad tollendum originale, per se primò institutus est Baptismus: ad tollendum mortale, instituta est, Confessio: Ergo ad tollendum veniale aliquod Sacramentum per se debuit institui; sed non aliud ex cæteris, vt per se facilè constat: ergo est Extrema-Vnctio. Sic Bonauent. *in* 4. *dist.* 23. *a.* 1. *q.* 1. Richard. *a.* 1. *q.* 2. Durand. *q.* 1. *n.* 9. Maior *q.* 1. Nau. *c.* 22. *n.* 13. ait, hoc Sacramentum esse institutum *in remissionem peccatorum venialium, iusta communem sententiam*, Vinald. *de effect. n.* 1. Sa *hic*, *num.* 16. Vasq. *tom.* 4. *quæstion.* 87. *articul.* 3. *dub.* 3. 4. & 10.

177 Non est proprius & primarius effectus Sacramentalis gratiæ Extremæ-Vnctionis venialium peccatorum remissio. Quia si proprius, & primarius effectus esset, nõ esset capax huius Sacramenti, nisi qui venialiter deliquisset: consequens est falsum: Ergo. Patet sequela à simili: Nam Sacramentum Pœnitentiæ per se primo institutum est propter actualia peccata tollenda, ideo non est capax huius Sacramenti, qui nunquam peccauit. Ille enim qui non est capax primarij effectus Sacramenti, & propterquem est primo institutum, est etiam incapax Sacramenti: v. gr. fœmina est incapax Sacramenti Ordinis, quia est incapax Characteris proprij effectus talis Sacramenti. Certè si hoc Sacramentum per se primo esset institutum ad hunc finem, non oporteret expecta re tempus infirmitatis ad illud recipiendum: sed quoties esset peccatorum venialium multitudo, susci pi deberet: sicut absolutio procuranda est statim, ac peccatum mortale commissum est, & non est mortis spectandum periculum. Ità Suar. *d.* 41. *sect.* 1. *num.* 2. D. Thom. *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 1. quem sequitur Palud. *quæst.* 4. Capreol. *quæst.* 1. *artic.* 1. Sotus *quæst.* 1. *artic.* 2. Ledesm. *p.* 2. *q.* 32. *art.* 1. Ferrara *l.* 4. *contr. gent. c.* 33. Henriq. *l.* 3. *cap.* 9. *num.* 2. *lit. N*, Filliuc. *tr.* 3. *num.* 116. Archang. *distinct.* 23. & alij apud ipsos. *Non est hic primarius effectus.*

178 Verum aliud est inquirere, an hoc Sacramentum venialia piacula deleat, & quando: aliud verò, an sit primario ad hunc finem institutum. Illud à nemine negari potest, probaturque optimè argumento primæ sententiæ. At quoad posterius attinet, meritò primam cum Doctore Angelico taxo sententiam: quia Sacramentum Pœnitentiæ est per se institutum ad remissionem venialium peccatorum; quanquam enim non sit ita necessarium medium ad tollenda venialia sicut mortalia; tamen ità delet illa per se, & ex vi suæ institutionis, sicut, mortalia. Sunt enim hæc duo valdè distincta, vt per se patet: & Auctores illius sententiæ fateri tenentur. Nam licet dicant, Extremam-Vnctionem esse per se primo institutam ad remissionem venialium peccatorum, non tamen dicunt, nec dicere possunt esse medium necessarium ad illa tollenda. Nam vt sit medium necessarium, oportet, vt sit causa vnica talis effectus; vt verò sit per se institutum, satis est, quod sit causa per se, & ex propria institutione habens virtutem ad hunc effectum: potest autem esse causa per se, licèt non sit vnica, nec necessaria. Sacramentum ergo Pœnitentiæ per se institutum est ad remissionem venialium: quia illa sunt sufficiens materia Confessionis, & per se ac directè tolluntur per sacramentalem absolutionem: Ergo non oportuit, aliud Sacramentum per se primo institui propter hunc effectum: maximè cum non esset futurum necessarium medium ad illum, & essent multa alia remedia, quibus tolli possint peccata venialia, vel ex dispositione operantis, vel ex opere operato secundario, & quasi per accidens. *Idem aſſero & expono.*

PROBL.

PROBL. XLV.

Est, & non est proprius, & primarius huius Sacramenti effectus, tollere peccatorum reliquias.

179 Quæ sint reliquiæ peccati.

SVppono, quid nomine reliquiarum peccati intelligatur, variè à Doctorib. explicari. Quidam intelligunt peccata aliqua, quæ interdum accidit relinqui in animâ etiam quoad culpam post alia Sacramenta suscepta, siuè quia per inaduertentiam omissa sunt, siuè quia postea sunt patrata: quod frequentius accidit in venialibus peccatis, quâ lethalib. Alij per reliquias peccatorum reatum pœnæ temporalis intelligunt. Alij cum D. Thomâ, & Alberto dicunt, reliquias peccatorum esse pronitatem ad malum, & torporem ac difficultatem operandi bonum, quæ ex peccato originali, & actuali relinquitur. Alij prauos habitus intelligunt.

180 Primarius finis huius Sacramenti est tollere reliquias peccatorum.

Igitur primarius finis huius Sacramenti est tollere reliquias præcedentium tam originalis, quàm actualium peccatorum, mortalium, & venialium. Quia institutum est ad tollenda peccata, vti verba formæ declarant: At non ordinatur per se primò ad tollenda ipsa peccata secundùm se: nam ad hoc alia sunt remedia: Ergo est ad tollendas peccatorum reliquias. Sic D. Thom. *in 4. distinct. 24. q. 2. a. 2. quæstiunc. 1.* Albertus *a. 1. & 2.* Capreol. *q. 1. a. 1.* Antonin. *p. 3. tit. 14. c. 8.* Carthusian. *in sum. fidei, c. 146.* Soto, Ledesma, Viguer. & alij ex summistis.

181 Non est primarius finis huius Sacramenti tollere peccatorum reliquias.

Non est primarius finis huius Sacramenti tollere peccatorum reliquias. Quia si reliquiæ peccatorum sunt peccata aliqua, quæ accidit interdum in animâ relinqui: ad tollenda huiusmodi peccata si mortalia sint, Pœnitentiæ Sacramentum remedium est: si sunt venialia, vel nullum Sacramentum per se primo, vel non aliud quàm ipsum Sacramentum Pœnitentiæ propter illa est institutum: si reliquiæ peccatorum sunt reatus pœnæ temporalis, minorem habet probabilitatem: nam ad pœnam temporalem tollendam nullum est Sacramentum per se institutum. Si per reliquias intelligendi sunt habitus praui ex peccatis relicti: improbabilius asseritur primarium huius Sacramenti effectum esse illos abradere: hi enim non tolluntur per gratiæ infusionem quantumvis perfectam, & ideo nec per hoc Sacramentum tolluntur, magis quam per alia: vnde experimento constat, eum qui in ægritudine hoc suscipit Sacramentum, si postea conualescat, eosdem habitus experiri. Si denique reliquiæ peccatorum sunt pronitas ad malum, & torpor ad bonum: in primis non apparet, quæ sint hæ reliquiæ sic explicatæ præter fomitem, & phantasmata, vel habitus prauos; ex peccato enim originali, seclusa pœna, & culpa, nihil aliud relinquitur nisi fomes: ex actualibus verò nihil nisi phantasmata, vel habitus, & ab his prouenit vel pronitas ad malum, vel torpor ad bonum. Porrò fomes non tollitur per hoc Sacramentum vt per se notum est, nec etiam habitus, vt expositi: Ergo hoc Sacramentum primariò non est institutum ad reliquias peccatorum tollendum Ita Suarez *distinctione 41. sectione 1. à numero 8.*

182 *Hanc mentē sector, & expono.*

Pro multis est mihi vnus Suarius, vt eius authoritate nitens à primâ sententiâ recedam, secundamque lubens amplectar. Ad cuius enodationem mihi manet scrupulus. Aduersarij enim instant asserentes, hoc Sacramentum non tollere hæc radicitùs, sed iuuare, ac confortare animum ad hæc vincenda. Ast hic non mihi videtur particularis alicuius Sacramenti effectus; omnia enim dando gratiam, einsque specialia auxilia, iuuant ad superandas hasce reliquias peccatorum: & quia si hic esset præcipuus huius Sacramenti finis, etiam tempore sanitatis esset suscipiendus, quia ille finis semper est necessarius. Nec refert, quòd in mortis articulo specialis adsit necessitas, inde enim solùm sequitur, potissimè esse suscipiendum illo in articulo, non verò in illo solo. Sicut Eucharistia etiam est magis necessaria, vt viaticum in articulo mortis, & nihilominus semper sumenda est, vt spitualis cibus: ita ergò hoc Sacramentum semper suscipiendum erit vt speciale adiutorium contra hasce reliquias, licèt in articulo mortis vt medicina maximè necessaria sit recipiendum. Dixerim igitur, Sacramentum hoc esse per se primò institutum propter iuuandum, & confortandum animum ægrotantis contra difficultates illi in mortis articulo occurrentes. Vnde assero specialem gratiam huius Sacramenti præcipuè consistere in collatione aliquorum auxiliorum gratiæ, quæ eius fini sunt accommodata, scilicet, ad roborandam spem, quæ maximè in articulo mortis est necessaria: ad hilaritatem animi concipiendam, qua æger morbi fert leuius incommoda: & promptior redditur, fortiorque ad rentamenta dæmonis, quæ tunc grauiores sunt, superanda.

PROBL. XLVI.

Datur, & non datur per primam vnctionem & formam per se totus gratiæ effectus.

183 *Per primam vnctionē datur totus gratiæ effectus.*

QVandonam Sacramentum hoc conferat suum gratiæ effectum, id est, gratiam habitualem, & remissionem peccati, quæ in vno instanti datur & per se loquendo, dari solet in illo instanti, in quo Sacramentum sumitur: quæstio procedit. Per primam vnctionem & formam datur per se totus gratiæ effectus: per subsequentes autem vnctiones completur Sacramentum, nihil verò gratiæ additur, nisi veluti ex accidente propter meliorem suscipientis dispositionem. Quia in Sacramento Eucharistiæ singulæ species gratiam conferunt ita vt prior det totam gratiam, quam dare poterit illud Sacramentum homini sic disposito: quæ augebitur quidem peralteram speciem, aucta dispositione, non vero aliàs: Ergo idem dicendum in hoc Sacramento, videtur enim eadem proportionalis ratio; nam sicut in illo Sacramento interuenit materia & forma in singulis speciebus, ita & hîc in singulis vnctionibus: & sicut ibi

est sufficiens significatio in vnius speciei susceptione, ita & hîc in vnâ vnctione cum suâ formâ. Sic D. Thom. apud Suarium *d.* 41. *sect.* 2. *n.* 2. Fauent. Becan. *de Sacr. c.* 25. *q.* 7. *n.* 6. Molfes. *tr.* 4. *c.* 3. *n.* 19. Chapeauil. *de Sacr. c.* 5. *q.* 3. Sylui. 3. *p. q.* 32. *a.* 7. asserentes hoc Sacramentum suos effectus producere in primâ vnctione: addunt tamen ipsâ verum dari Sacramentum. Fauent & Auctores supra citati, qui docent, in necessitate sufficere, si vnius infirmi sensus inungatur.

184 *Non datur.* In primâ vnctione per vnam partialem formam non potest dari integer gratiæ effectus. Quia Sacramentum nec quoad signum, nec quoad rem aliam sub signo contentam est integrè confectum, imò nec essentialiter perfectum est Significatio etiam eius non est perfecta, vt ex ipsâ formâ constat, & consequenter ex materiâ; non est enim absoluta hominis vnctio, sed inchoata. Ità Suar. *citatus.*

185 *Idem assero.* Cui quidem subscribo, existimans primam sententiam solido fundamento non niti, si differetiam inter hoc Sacramentum & Eucharistiam perpendamus. Nam Sacramentum Eucharistiæ consistit in facto esse, seu permanens est: hoc verò consistit in ipso vsu, & fieri: vnde fit, vt in Eucharistiâ prius fiat Sacramentum, postea applicetur suscipienti, & tunc effectum conferat: hîc verò ipsa effectio Sacramenti est eius applicatio, & ideò simul fit, & dat, effectum, cum primùm perficitur.

PROBL. XLVII.

Datur, & non datur totalis gratiæ effectus per omnes vnctiones.

186 *Per omnes vnctiones datur pars gratiæ.* DAtur aliquis effectus gratiæ sanctificantis in primâ, & singulis vnctionibus: non tamen est totalis, sed partialis gratia respectu adæquati huius Sacramenti effectus. Itaquè sicut totum hoc Sacramentum quinque vnctionibus & quinque formis constat: ita totus effectus gratiæ huius Sacramenti constat quinque gradibus, (v. gr.) vel portionibus, quæ diuisim & sigillatim in singulis Vnctionibus conferuntur: ita vt si homo moriatur suscepta vna vnctione, reportabit vnam partem gratiæ, quæ est quinta pars adæquati effectus, & sic de aliis. Fundamentum huius sententiæ est, quia idem in Sacramento Ordinis annotatur. In singulis enim Ordinibus est partialis forma, & materia, & ideò essentialiter perficiuntur, & proprios habent effectus, qui sunt partiales respectu totius, sicut ipsi Ordines partialia tantùm Sacramenta sunt. Hoc etiam satis esse videtur, ad subuenendum periculis exurgentibus: quia quilibet gratiæ gradus sufficit ad salutem, licet non fit cum tantâ perfectione. Videtur autem conueniens vt in huius Sacramenti institutione occurrentibus periculis sit ita prouisum, vt saltem ea, quæ necessaria sunt per vnam vnctionem conferri possint. Sic Adrian. *in* 4. *q.* 4. Medin. *Cod. de confess. q. de integr. absoluti.* Ledesm. *p.* 4. *q.* 31. *a.* 2. Palud. *d.* 23. *q.* 4. vbi affirmat, visum esse aliquando quendam infirmum successiuè sanari, prout successiuè inungebatur, & demùm completa vnctione, omninò fuisse alleuiatum, & sanitati restitutum. Vnde significat, hoc Sacramentum statim in primâ Vnctione incipere operari secundarium effectum: ergo idem videtur de primario sentire; nam effectus secundarius supponit primarium, & illum comittatur. Scot. *quæstione vnicâ ad* 2.

Non datur aliquis gratiæ effectus, in primâ & singulis vnctionibus partialis respectu adæquati effectus huius Sacramenti. Quia nihil asserendum est in his grauissimis rebus, quæ ex institutione pendent, præter communem legem Sacramentorum, nisi vbi sufficienti fundamento ex Ecclesiæ traditione, aut principiis præscriptis ab eâ constiterit. Communis autem lex Sacramentorum, quæ consistunt in vsu est, vt vnicam gratiam conferant in eo puncto, & momento, quo Sacramentum completur: Ergo hoc idem sentiendum est de extremâ-Vnctione, cum nullâ ratio satis aliud persuadeat, nec possit auctoritate fundari. Est enim valde singulare, quod Extrema-Vnctio priusquam essentialiter consummata sit, gratiam conferat; & quod quinquies conferat gratiam sanctificantem: & prius tollat vnum peccatum, quàm aliud vel conferat auxilium ad vincendas reliquias peccatorum quorundam, & non omnium: non sunt ergo hæc tam facilè credenda, & admittenda. Ita D. Thom. *in* 4. *d.* 23. *q.* 1. *a.* 2. *quæstiunc.* 1. *ad* 3. Sotus *q.* 1. *a.* 1. Ledes. *q.* 34. *a.* 2. Palud. *in* 4. *d.* 17. *q.* 5. *a.* 1. *n.* 11. 187 *Non datur.*

Primam sententiam probabilem reor, præfero autem secundam. Diuersam namque admodum inuenio rationem in hoc Sacramento ac in Ordine. Primò quia formæ partiales ibi modo imperatiuo significant, *Accipe potestatem, &c.* vel alio simili, quam locutionem oportet esse efficacem, vt verè ac non inaniter proferatur. Secundò proximus finis, ad quem singuli Ordines tendunt, seu singulæ formæ ac materiæ partiales illius Sacramenti comparari potest per se solus, & independenter ab aliis; nam est quoddam speciale munus, quod sine aliis potest exerceri. Hinc fit, vt in Sacramento Ordinis conferatur vnus Ordo per se separatimque ab aliis, ac si esset Sacramentum integrum. Tertiò in modo etiam loquendi septem Ordines vocantur, ac si essent totidem Sacramenta. Hæc autem omnia in hoc Sacramento longè diuersa sunt. Nam formæ tantùm sunt deprecatiuæ, vnde non significant singulæ actualem efficaciam. Id quod per singulas Vnctiones significatur, & per formas partiales postulatur, ita est inter se connexum, & ordinatum ad vnum integrum effectum ex se indiuisibilem, vt non possit conuenienter per partes inchoari, & successiuè perfici. Præterea hoc declaratur ex modo conferendi hoc Sacramentum nunquam enim datur vnctio vna ab aliis separata: sed omnes per modum vnius Sacramenti ordinati ad effectum vnicum respectu omnium vnctionum; quia ex omnibus consurgit vna vnctio integra totius hominis, quæ necessaria est ad hunc effectum. 188 *Eligo secundâ sententiam.*

PRO

PROBL. XLVIII.

Datur, & non datur effectus vsque ad vltimam Vnctionem ex Ministri intentione.

189 Non datur vsq; effectus vsque ad vltimam vnctionem ex intentione Ministri.

Effectus gratiæ sanctificantis non datur vsque ad vltimam vnctionem, hæc verò est illa, quæ in re est vltima ex intentione Ministri inungentis. Vnde si vult ministrare hoc Sacramentum per septem Vnctiones, effectus vsque ad finem vltimæ non dabitur: si verò solis quinque vnctionibus illud conficere intendat, in fine quintæ conferetur. Quia effectus non confertur, donec Sacramentum integrum perfectum sit: quando autem Sacramentum fit per septem vnctiones, quamvis non omnes sint de essentiâ, omnes tamen sunt de substantiâ, & integritate Sacramenti ex Ecclesiæ institutione: Ergo effectus non fit, donec omnes absoluantur, & hæc esse debet Ministri intentio. Sic Sotus *in 4. distinct. 23. quæstion. 2. artic. vltim.* Citari etiam solent D. Thom. & alij, sed immerito, apud nullum enim id inueni re valui.

190 Non pendet hoc à Ministri intentione.

Dari effectum in quintâ, vel septima vnctione non pendet ab intentione Ministri inungentis. Quia effectus Sacramenti necessario consequitur in suscipiente, remoto obice, statim ac Sacramentum essentialiter perficitur: neque in hoc pendet Sacramentum à Ministri intentione. Et quia nihil est de substantiâ Sacramenti, & integritate eius nisi quod Christus instituit: neque intentio Ministri potest aliquid facere substantiale, quod non est ex institutione diuina; quia tota substantia Sacramentorum ex eorum institutione pendet. Ita Suarez *distinct. 41. sect. 2. num. 12.*

Idem sum mihi.

Inquiro: an sexta, & septima vnctio sint de institutione Christi, nec ne? si sunt, proculdio sunt de essentiâ. Si non sunt vt certum existimo, sed merè cæremoniales additæ ex aliquarum Ecclesiarum consuetudine: non poterit Minister suâ intentione suspendere effectum vsque ad finem earum: neque etiam potest efficere, vt illæ concurrant ad effectum; sicut enim nemo præter Christum potest signum efficax gratiæ instituere, ita nec facere, quod aliquid ad gratiam concurrat, præter id, quod ex Christi institutione virtutem recipit. Igitur mea sententia est, effectum huius Sacramenti conferri in eo instanti, in quo essentialiter consummatur, consummari autem cum primùm quinque vnctiones cum quinque formis perficiuntur.

* *
*

PROBL. XLIX.

Datur, & non datur effectus huius Sacramenti sine omnibus Vnctionibus, si ægrotus vnam tantum, morte oppressus, accipiat, cum Minister non intendit aliter quam communi modò conferre Sacramentum.

191 Quæstionis statũ expendo.

Qvæstio procedit de casu illo, quando accidit, infirmum non posse recipere quinque vnctiones sed vnam, vel duas: & necessitas hæc ex parte infirmi duobus modis potest accidere, primùm, vt periculum non sit præuisum, nec Minister intendat aliter quàm communi modo conferre hoc Sacramentum, & finita vna, vel duabus vnctionibus infirmus moritur. Secundò vt præuiso periculo id Minister intendat.

192 In hoc casu datur ægro gratia Sacramentalis.

In priori casu huiusmodi infirmo datur gratia sacramentalis totusque effectus huius Sacramenti. Quia idem accidit in Confessione, quæ valida est, etiam si propter instantem mortem non possit integrè fieri: Ergo idem de Extremâ Vnctione asserendum. Sic summa Confes. *libro 3. tit. 24. quæstion. 140.* & alij recentiores, quos presso nomine memorat Suarez *distinctione 41. sectione 3. numero 1.*

193 Non datur.

In priori casu huiusmodi infirmo non datur Sacramentalis gratia, totúsque huius Sacramenti effectus. Quia illud non est Sacramentum, cum non constet omnibus partibus essentialibus: neque etiam Minister intendit Sacramentum perficere, aut dare effectum per illas solas vnctiones; nam, vt supponimus, modo ordinario conficere intendebat, & casu mors præuenit. Ita Sotus *in 4. distinctione 23. quæstione 2. articulo vltimo* Suarez *citat. numero 2.* qui asserit sententiam hanc esse communem.

194 Idem mihi videtur.

Mihi idem videtur asserenti exemplum Confessionis, aut non esse simile, aut potius oppositum probare. Nam si dum pœnitens confiteretur, moriatur, nondum recepta integra absolutione, non recipit Sacramenti gratiam: si verò priusquam moriatur, integrè absoluatur, tunc Sacramentum recipit, & eius effectum. Hic ergo posterior casus non est similis, quia ibi essentialiter perficitur Sacramentum Pœnitentiæ; nam licèt Confessio non sit materialiter integra, est formaliter, & informatur tota essentiali forma: in præsenti verò nec forma, nec materia essentialis applicatur: vnde nec Sacramentum essentialiter perficitur. Fateor priorem casum esse aliquo modo similem, quantum ad hoc saltem, quod essentialis forma non applicatur. Ex illo autem sumo argumentum in contrarium, quia tunc non datur gratia Sacramenti etiam si Sacramentum fuerit per confessionem inchoatum: Ergo neque in præsenti dabitur, etiam si Sacramentum fuerit per partialem materiam, & formam inchoatum.

PROBL. L.

Datur, & non datur gratiæ effectus sine omnibus Vnctionibus, morte præoccupante reliquas in primâ, aut secundâ, si Minister intendat perficere in vnâ, aut altera Sacramentum.

195 *Si Minister intendat perficere, datur gratia in primâ, vel in secunda Vnctione.*

MAius dubium est in secundo casu, quando Sacerdos præuidens infirmi periculum, à principio intendit perficere Sacramentum in vnâ vel duabus Vnctionibus, provt potuerit. Certè illa intentio est efficax: atque ideo ratione illius & Sacramentum perficitur, & datur gratiæ effectus. Quia in hoc casu rectè Confessionis paritas applicatur. Nam licèt per se loquendo, materia essentialis illius Sacramenti sit omnium peccatorum Confessio; in necessitate verò sufficit Confessio vnius peccati: & hæc confessio dicitur tunc formaliter integra: Ergo in hoc etiam Sacramento dici potest, per se loquendo, integram & essentialem materiam quinque Vnctiones: tamen in necessitate vnam vel duas esse materiam formaliter integram, & sufficientem: Ergo si alioqui Minister intendat in illis Sacramentum efficere, re verâ perficit, & confert effectum. Sic aliqui, quos presso nomine Suarius memorat *distinct.* 41. *sect.* 3. *numer.* 5. dicens sententiam esse piam, & fauorabilem, nullique videri inconuenienti obnoxiam.

196 *Non datur.*

Illa Ministri intentio non sufficit, nec Confessionis allatum tenet exemplum: vnde in primâ, aut secundâ Vnctione gratia hoc in casu non datur. Quia licèt videatur esse in Confessione materialis integritas, tamen forma integra proferri debet, & in eâ est principalis significatio, ac virtus Sacramenti: hîc autem sicut deficit pars materiæ, ita & pars formæ: in nullo autem Sacramento dabitur exemplum, in quo forma inchoata in necessitate sufficiat, quæ per se sufficiens non esset. Deinde est longè diuersa ratio, quia ibi materia est actus pœnitentis, cuius integritas, & perfectio maximè pendet ex eius potestate ac voluntate, ideóque meritò illa existimata est Confessio integra, in quâ pœnitens agit, quod potest: hîc autem materia est actus Ministri, qui ex solâ Christi institutione solet habere determinationem independenter à potestate, vel capacitate alterius, vt in cæteris Sacramentis habentibus similem materiam constat. Denique ibi habemus Ecclesiasticam traditionem, ac declarationem; hîc verò nihil horum habemus. Ita Suar. *distinct.* & *sect.* citata, *num.* 5.

197 *Idem affirmo.*

Idem affirmo, quia si prima opinio vera esset, consequenter teneremur dicere etiam in illis casibus licere vti, vna vel duabus Vnctionibus pro ratione periculi, quando præuidetur. Quod patebit prosequendo exemplum de Confessione, in quâ potest omitti integritas materialis, & seruari formalis, non tantùm ob pœnitentis necessitatem, sed etiam ob aliorum periculum & necessitatem, vel ipsius Ministri: si ergo similis est integritas Vnctionum, pari modo philosophandum esset. Hoc autem non video esse in Ecclesiæ vsu, nec auctoritate fundari: ideóque illud affirmare non audeo. Nam inde etiam fieret, materiam huius Sacramenti magna ex parte positam esse in arbitrio Ministri, quod censeo magnum incommodum. At in Confessione est nullum, quia re verâ pendet ex conscientiâ, ac bonâ confitentis intentione. Quid agendum in casu periculi *sect.* 1. exposui.

PROBL. LI.

Hoc Sacramentum tribuit, & non tribuit corporis sanitatem, vbi saluti animæ, expedierit.

198 *Suppono lator. bi circa hoc punctum intelligentiam.*

SVppono Iacobi c. 5. locum, *Et oratio fidei saluabit infirmum: & alleuiabit eum Dominus*, ita explicari solitum, vt tam corpori, quàm animo valeat accommodari: priora verò communiter de corporis salute intelligi. Ita intellexere D. Thom. Bonau. & alij cum Magistro in 4. *dist.* 23. Hugo *l. de Sacram. p.* 15. *c.* 2. Quia verò sanitas corporis non est bonum per se necessarium homini, sed inferioris ordinis, & ex his, quæ interdum ad bonum animæ expediunt, interdum verò minimè; ideò promissio illa non intelligitur esse absoluta, sed sub eâ conditione, quam Trident. *c.* 2. expressit: *Vbi saluti animæ expedierit.* Quamvis enim Iacobus hanc conditionem non expresserit, ex naturâ tamen talis effectus subintelligitur comprehensa. His præmissis ad Problema antiquum, iam dissoluendum procedo.

199 *Non tribuit Vnctio corporis sanitem, etiam si animo expediat.*

Hoc Sacramentum non tribuit corporis sanitatem, vbi saluti animæ expedit. Quia experimur, sæpè restitui sanitatem his, qui postea in detrimentum animarum suarum vsuri sunt: è conuerso autem sæpè negari his, qui non solùm rectè victuri erant, sed etiam magnos spirituales fructus producturi. Deinde vix potest intelligi illa conditio: aut enim intelligenda est secundùm sufficientiam, aut secundùm efficaciam. Priori modo vita expediet ad salutem animæ, quia ex se confert, & sufficiens est, ad proficiendum in spiritualibus bonis: & ita conditio semper implebitur, eritque semper explenda promissio, & sanitas restituenda. Posteriori autem modo solum dicetur, id expedire, quando Deus præuidet, talem hominem, si sanitatatem recuperet corporis, maiorem etiam animi perfectionem esse consecuturum. Videtur verò hoc inconueniens, tùm quia effectus Sacramenti non debet esse pendens ex huiusmodi Dei præscientia, quæ est valdè extrinseca ad merita, & dispositiones hominum: tum etiam quia aliàs quoties Deus præuideret homini salutem ad bonum animæ profuturam, illam necessariò ex vi Sacramenti conseruaret: & consequenter, si de aliquo semper id præsciret, vt fieri potest, talis homo semper viueret. Circa secundùm verò punctum est difficultas, quia quæcumque remissio morbi est ex bonis ordinis inferioris, quæ possunt expedire animæ, ergo illius promissio non potest esse absoluta. Vnde etiam constat experientia, hoc corporei morbi leuamen

uamen non semper conferri, aut sentiri post hoc Sacramentum susceptum: non est ergò certus, & infallibilis effectus. Igitur Concilij conditio reiicienda, nec semper restituitur sanitas corporis etiam tunc, quando bono animi expedit. Sic Sotus *in 4. distinct. 21. quæst. 1. articul. 2.* addens, aliàs sæpè opus esse miraculo; tanta enim solet esse morbi iniquitas, vt sine miraculo vinci non valeat.

200 Hoc Sacramentum tribuit corporis sanitatem, vbi saluti animæ expedit. Quia licèt sit aliquomodo hoc miraculosum, & præter omnium spem in causis naturalibus nixam, nullum est inconueniens, sed omninò verum: imò hic est vnus ex finibus huius Sacramenti. Quia verò hoc opus iam non est omninò præter leges à Deo statutas, sed iuxta eas, quæ in talis Sacramenti institutione intrinsecè includuntur: ideò talis effectus iam non censetur miraculosus, sicut nec transsubstantiatio panis. Neque obstat, quod aliqui post receptum hoc Sacramentum sanitatem recuperent, qui malè illa postmodum vtuntur: tum quia non constat, illos recuperasse virtute huius Sacramenti sanitatem; neque enim omnes, qui vnguntur, habent desperatam virtute naturali salutem: neque è conuerso omnes qui sanantur post Vnctionem per Sacramentum sanantur: tùm etiam quia fieri potest, vt sanitas illa pro tunc spiritualem fructum secum attulerit, quem postea superuenientibus aliis occasionibus, homo amittat; necesse enim non est, vt salus animæ, ad quam Tridentinum dixit, hoc Sacramentum esse pro futurum, futura sit permanens, ac in re ipsa perpetuo duratura: sed satis est, vt ex illo effectu Sacramenti quoad salutem corporis, iuuandus sit homo ad salutem, ac bonitatem animæ, licèt fortè in eâ non sit perseueraturus. Iusti verò aliqui (fateor ingenue) moriuntur non obstante Vnctione, quando amplius fortasse essent profuturi his tamen fortasse aliis rationibus non expediebat viuere, quia postea mutarentur, & satius eis fuit statim ad superos auolare. Vnde ad dilema factum vnico verbo respondeo, hanc rationem conuenientiæ, seu vtilitatis corporeæ sanitatis ad bonum animæ sumendam esse iuxta ordinem diuinæ Sapientiæ, & Prouidentiæ. Necessarium quippe est, illam conditionem intelligi secundum efficaciam, vt ratio probat, id est, vt cum effectu futura sit expediens sanitas corporis ad animæ sanitatem: hoc autem solus Deus ex se præscire potest, & ideò necesse est, vt hoc pendeat ex præscientia, quæ licèt sit extrinseca, non tamen impertinens ad hos effectus, cum sit eorum causa. Ita Suar. *distinctione 41. sectione 3. numero 5.* Et ex Conciliis Colonienſi, & Tridentino sententia hæc Theologis est communis.

201 Profectò iam Problema dissolutum esse reor, reiiciendam enim sententiam primam non dubito. Imò existimarim, temerè locutum esse Sotum, leui enim fundamento à receptâ Theologorum sententia recedit: & quod grauius est, contra expressam doctrinam Conciliorum loquitur. Et præterea id totum, quod affirmat, gratis, & sine vllo testimonio affirmat, quod valdè temerarium est in re supernaturali, quæ ex diuina promissione dependet.

CAPVT XII.

Circa Sacramenti Extremæ-Vnctionis Ritus.

PROBL. LII.

In diuturna ægritudine potest infirmus, & non potest bis hoc Sacramentum recipere.

202 Nonnulla supponam.

SVPPONO ex *sectione prima* iterabile esse hoc Sacramentum cum Characterem non imprimat, sicut Baptismus, Confirmatio, & Ordo. Tridentinum *sessione 7. capite 3. Quod si infirmi post susceptam hanc Vnctionem conualuerint, iterum huius Sacramenti subsidio iuuari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint.*

203 Potest conferri bis.

Quæsierim autem, nùm in diuturna mortifera infirmitate possit hoc Sacramentum bis conferri. Potest quidem. Quia per longa lethalis ægritudo ita assolet infirmum sauciare, ita animum vrgere, vt indigeat, non semel huius Sacramenti viribus subleuari, præcipuè cum diuturna ægritudinis huiusmodi persistentia quasi multiplicem ægritudinem constituere videatur. Sic Sa *hic, numero 4.* Ibi Victorel. *& in append. ad cap. 9.* Posseuin. Fauet Armil. *n. 9.* & Flauius *in scrut. Sacerd. part. 1. tract. 11. cap. de Vnct.* vbi fatur: *In vnâ infirmitate non debet quis bis inungi, nisi eadem infirmitas vltrà annum protrahatur, ita quod in vno anno propter vnam infirmitatem nequaquam bis inungatur.*

204 Non potest bis conferri nisi conualescat ægrotus.

Non potest quis in eâdem infirmitate pluſquam semel inungi, nisi infirmitatis mutetur status. Quia hoc Sacramentum semel in eâdem ægritudine receptum est sufficiens medicina ad conferendos effectus, quibus eget ægrotus. Ita Bonac. *d. 7. pun. 6. num. 4.* Victor. *q. vlt.* Viuald. *hic, cap. vltim. num. 1.* Posseuin. *quæst. 16. num. 36.* Leand. *tom. 1. tract. 4. distinct. 4. quæst. 19.*

205 Cum his opinor.

Cum his opinor. Vnde asseruerim iterari non posse hoc Sacramentum. nisi infirmus post susceptam vnctionem per quindecim, aut viginti dies, vel ad summum per mensem conualescat, & postea in eandem, vel aliam incidat ægritudinem. Hæc Tridentini *sess. 7. cap. 3.* est mens, & Catechismi Romani *q. 11.* hoc monitum.

PROBL. LIII.

Sacerdos potest, & non potest sine ministro, qui respondeat, Vnctionem gerere nisi in necessitate.

206 *Sine necessitate non potest.* NOn potest nisi adsit necessitas. Quia sic Manuale statuit. *Sacerdos hoc Sacramentum administraturus: cum ministris Presbyteris si adsint: alioqui solus infirmum vngere potest.* Vbi particula, *Alioquin solus vngere potest*, innuit casum necessitatis; quando qui debebat vngere ministratibus Presbyteris, quia hi non adsunt, solus pergit ad vnctionem. Sic Sa *hic*, *numero* 9. Tolet. *libro* 7. *cap.* 2. Graff. *parte* 2. *lib.* 1. *capite* 8. *numero* 10. Dicastil. *dist.* 1. *dub. vlt. num.* 197. Diana *part.* 9. *tractatu* 6. *resol.* 46.

207 *Potest sine necessitate.* Potest etiam si necessitas non adsit. Quia communiter sine Ministris hoc Sacramentum assolet ministrari. Nulla enim subest indecentia Sacramẽto ex eo quod respondeat ægrotus, vel ipse Sacerdos. Ità Posseuin. *quæst.* 1. *numero* 23. Bonac. *distinct.* 7. *punct.* 6. *numero* 6. Ludouic. *in sum. parua*, *artic.* 5. *numero* 28. citans Guiller. & Hostiens. Archang. *distinctione* 23.

208 *Idem assero.* Certè, consuetudine magistra, si Sacerdos nullum habeat Clericum, qui respondeat, ipsemet sibi respondens administrat, etiam cum facillime posset secum, aut Clericum, aut secularem adducere, ergo necessitas non expectanda.

PROBL. LIV.

Potest, & non potest fœmina, si vir non adsit qui respondeat, conferenti Vnctionem ministrare, seu respondere.

209 *Potest quidẽ.* POtest quidem. Quia probabile est in casu necessitatis absente viro, fœminæ licere Missam celebranti respondere, (de quo suprà) & Sacerdotem non peccare lethaliter id permittentem: Ergo cum nullus excogitari valeat vrgentior necessitatis casus, in quo si fœmina ministra non sit, vel Sacerdos extremè ægenti non ministrabit, vel ministrabit sine Ministro. Porrò posse fœminam respondere, defectu viri, celebranti asserit Nugnus *in* 3. *p. to.* 1. *q.* 3. *a.* 6. *dub.* 1. Sacerdotem autem sic celebrantem non peccare lethaliter; putat Syluius. *ibi*, *a.* 5. *resp. ad* 12.

210 *Non potest.* Minimè potest. Quia non decet, nec licet, fœminam proximè sacris ministrare, vel tergendo sensus inunctos bombaceo, vel Sacerdoti respondendo: alienum enim nimis est à fœminâ hoc ministerium, à quo iure, ac consuedine omnino arcetur: solumquè Clericis, vel ad summum laicis viris competat, eo modo, quo ex Cap. 1. *de cohabit. Cleric.* edocent Theologi cum D. Thom. 3. *p. q.* 83. etiam in casu necessitatis non posse fœminam in celebratione Missæ ministram adhiberi. Sic Suar. Villalob. Zannard. Molfes. Homobon. Laym. Ioan. de la Cruz, Pitigian. & alij apud Dianam *p.* 2. *tr.* 14. *res.* 44.

Hoc mihi certum; licèt enim luberet subscribere Nugni ac Syluij opinioni manifestum discrimen inuenio, cum ita strictius requiratur minister ad Missæ celebrationem, vt sine eo celebrantem lethalis culpæ reum esse, etiam in die festo: Fern. *in exam. Theol. p.* 3. *c.* 5. §. 4. *n.* 8. Bonac. *d.* 7. *q. pun.* 9. *n.* 33. Barth. ab Angelo *dial.* 5. §. 401. Tabie. Armil. & alij apud Henr. *l.* 9. *c.* 30. *n.* 1. *lit. C.* At non ita strictè ad Vnctionis administrationem ministerrequiritur, cum in Manuali statuatur, vt si absit minister, Sacerdos vngat solus, sibique respondeat. Nihilominus cum Quintanadueñas nostro *tom.* 1. *tractat.* 5. *singul.* 6. existimarim, non peccaturam fœminam mortaliter, si Sacerdoti Vnctionem conferenti respondeat: nec Sacerdotem id ei permittentem. Quia non ita prohibitum, aut indecens est vt in Missæ celebratione, & aliqualis necessitas excusat: imò & sine hac pium illum ausum venialem culpam haud transgredi reor. 211 *Hoc mihi probabilius.*

PROBL. LV.

Peccat, & non peccat, qui sine lumine hoc Sacramentum adducit ad ægros, aut ministretur reis.

NEc lethaliter nec venialiter peccat. Quia in Rituali Pauli Quinti non decernitur, vt cum lumine deferatur Vnctio, neque in Synodis grauissimarum Diœcesum statuitur, cum lumine deferendum cum ex Metropolitanâ Ecclesiâ ad varia (vt assolet) loca deferatur. Et cùm tunc solum materia Sacramenti adsit, si hæc absque lumine deferatur Sacramento irreuerentia non fit. Idem est, si absque lumine ministretur Vnctio sacra. Quia Pœnitentiæ, Matrimonij, ac Baptismi Sacramenta sine lumine administrari, quotidie contigit, nec vllam irreuerentiam Sacramento fieri putaturi. Ex Doctorum non infimæ notæ manuscriptis accepi. 212 *Non peccat venialiter, deferens, aut ministrans.*

Peccat quidem venialiter, qui sine lumine Vnctionem ad ægros adducit. Quia cum lumine deferenda Manuale statuit. Idem dixerim potiori iure, cum sine lumine ministratur. Quia Rituale Pauli Quinti id decernit: & hoc decet huius Sacramenti reuerentiam. Ita Posseuin. *de Paroch. n.* 12. Barbos. *hic*, *cap.* 21. *n.* 44. Leand. *p.* 1. *tr.* 5. *d.* 4. *q.* 23. Quintanad. *p.* 1. *tr.* 5. *singul.* 5. 213 *Venialiter peccat.*

Existimo, culpam venialem esse Vnctionem sine lumine ad ægros deferri, eisque ministrari. Quia consuetudo & Manualis ac Ritualis præscriptionem sub piaculo Parochos ligare non dubito, veniali quidem, quia grauis irreuerentia non est, sicut esset Eucharistiam aut sacros Ordines ministrare, ob maiorem reuerentiam præsentiæ Christi debitam. 214 *Huius mentis sum.*

PRO

PROBL. LVI.

Mortale est, & mortale non est, prætermittere siue causa vrgenti septem Psalmos pœnitentiales, quos post Vnctionem recitandos præscribit Ecclesia.

215 Mortale est. Quia in Manuali hoc geri præcipitur: & cum materia grauis sit septem Psalmorum, Litaniarum, aliarumque precum ibi assignatarum omissio, non poterit quis ea omittere sinè causa vrgenti à graui piaculo immunis. Sic Trullench. *de Sacram. l. 6. dub. 5.* Granad. *tom. 4. in 3. p. tr. 7. num. vlt.*

Mortale.

216 Mortale non est. Quia vsus fert, vt sine graui scrupulo prætermittantur hi Psalmi ac preces præcipuè cum in Rituali Romano non à Sacerdote; sed ab adstantibus recitari præscribatur. Ità Palaus *to. 4. tr. 27. d. vn. punct. 8. n. 14.* Diana *part. 9. tr. 6. resol. 46.* & ipse Granado, aut mutata consultò sententia, aut oblitus, id apertè docet *in 3. part. contr, 8. tr. vn. d. 8. n. 8.*

Non est culpa mortale.

217 In administratione huius Sacramenti cuncta seruari oportet, quæ in Manuali præscribuntur, recitanda, scilicet, quæ ibi assignantur, nisi mortis acceleratio aliud exigat vt notauit Henriq. *l. 3. c. 11. n. 5.* At si extra hunc casum omitterentur, non crediderim peccari mortaliter, secluso contemptu. Quia non lego in Manuali verbum quod indicet hoc esse graue præceptum, vt patet ex Rituali Pij V. iussu edito anno 1617. quod ab omnibus seruari hortatur, licet non præcipiat. Verum si in synodo aliqua sub graui præcepto id statueretur, obligare sub mortali reor extra casum necessitatis, aut magni periculi ex contagioso morbo prouenientis.

Con bis ap.

PROBL. LVII.

Delinquit, & non delinquit mortaliter, qui Vnctionem administrat, haud indutus vestibus ab Ecclesia præscriptis.

218 Mortaliter delinquit, qui sine sacerdotali ornatu præscripto hoc ministrat Sacramentum. Quia cum non sit necessitatis Sacramentum, eius reuerentia semper est præferenda vtilitati maiori ægrotantis. Videtur enim ideò grauis esse præcepti huius materia. Sic Suar. *d. 44. sect. 2. num. 7.* Nald. *hic, num. 1.* Reginald. *lib. 28. in fine.*

Delinquit letaliter.

219 Non delinquit mortaliter. Quia tempore pestis v. gr. aut aliarum ægritudinum similium licitum id esse, quis potest dubitare. An affirmare audeam, dimittendum sine Vnctione ægrotum, quæ poterit esse illi aliquo in casu necessaria, ne Sacramento illa irreuerentia accidentaliter affici videatur, quæ certè nulla est? Ità Posseu. *cap. 5. quæst. 37. num. 52.* Diana *part. 9. tract. 6. resol. 46.* Palaus *tract. 27. pun. 8. n. 11.* Quintanad. *part. 2. tr. 5. sing. 5. n. 4.*

Non delinquit lethaliter.

220 Cum his opinor. Nam licèt hoc Sacramentum non sit ita necessarium vt Baptismus: est tamen semper admodū vtile, & aliquando necessarium, vt æger de attrito contritus efficiatur: & præstari nequeat interdum, si ritus essent obseruandi. Rituum namque horum obseruationi morientis vtilitas, imò necessitas est præferenda.

Cum his opinor.

PROBL. LVIII.

Sufficit, & non sufficit recipienti Vnctionem attritio vt talis cognita.

REquiritur ad dignam huius Sacramenti susceptionem, quod æger peccati lethalis conscientia minimè grauetur, loquendo de ea dispositione, quæ per se requiri necessarium est. Duplex verò est modus dispositionem huiusmodi interpretandi. Primus ferè communis, vt scilicet habeatur saltem attritio putata contritio, tunc enim fiet contritus per Sacramentum. Secundus modus, vt non adsit complacentia peccati, & consequenter satis sit attritio vt talis cognita, quæ tamen aliqua ratione Deum habeat pro subiecto. Item non est necessaria confessio, vnde sequitur satis esse, si non adsit prædicta complacentia. Sic Filliuc. *tr. 3. n. 132.* Asserit Leander *p. 1. tr. 4. d. 4. q. 25.* hoc asseruisse quosdam apud Filliucium, quos ipse videtur sequi. Certè Filliucius id apertè affirmat, nec vllum pro hac sententia, nec suppresso nomine memorat. Sufficit ergo attritio vt talis cognita, vt fiat recipiens ex attrito contritus.

221 *Sufficit attritio vt talis cognita.*

Minimè sufficit attritio vt talis cognita absque Sacramento pœnitentiæ, etiamsi per recipientem Vnctionem non stet Confessio, sed confiteri non potest. Quia saltem per eum stat, quominus contritus accedat; semper enim conteri potest, & ad hoc tenetur per se loquendo, nec excusatur ratione ignorantiæ, vt supponimus: nec ratione huius Sacramenti, quia ipsum per se loquendo est Sacramentum viuorum, licèt debilium, & ideò per se supponit gratiam, nec ex directa intentione institutum est ad illam primò conferendam: Est ergo contra institutionem huius Sacramenti, quòd quis sciens, & videns, se esse mortuum, id est in statu peccati mortalis, ad illud accedat quantumuis sit attritus. Ità Suar. *dist. 41. sect. 1. num. 19.* Henriq. *lib. 7. cap. 10. num. 1. & 2. & cap. 13. n. 1.* Posseu. *q. 10. c. 21.* Rodrig. *tom. 2. sum. cap. 191. num. 8.* & apud ipsum Catechism. Rom. *p. 2. c. 6. num. 12.* Leand. *tom. 1. tract. 4. dist. 4. quæst. 26.* & alij communiter.

222 *Non sufficit, sed debet esse saltem existimata contritio.*

Hanc sententiam longè probabiliorem esse puto, quam roboro ex illa conditionali Iacobi, & Tridentini: *Si in peccatis est*, &c. quæ maximè propter mortalia posita est, vt Suarius asserit. Indicatur ergò solùm propter occulta peccata, & pericula hoc Sacramentum esse institutum, non quia per se liceat, in statu peccati ad illud accedere. Atque hinc fit, vt, per se loquendo, necessaria dispositio sit status gratiæ, & consequenter vt is qui reum se lethalis culpæ agnoscit, prius vel dignè confiteatur: vel, si non datur Confessarij copia, saltem conteratur. Per accidens autem poterit sufficere sola attritio, dummodo intercedat excusatio noui peccati commissi propter omissam contritionem. Erit autem illa excusatio, si vel inuincibiliter putetur contritio; vel inuincibiliter quis putet, illam esse sufficientem dispositionem. Vel certè si

223 *Hanc sententiam longè probabiliorem existimo, quam eamque roboro, & expono.*

absque actuali vsu rationis. Sacramentum ei detur, nam tunc non potest in ipsa susceptione actualiter peccare; vnde si erat attritus, quando vsum rationis perdidit, sine dubio iustificabitur. De illo enim statu iuxtà proximè præcedentem dispositionem iudicandum est, quia in illa censetur moraliter permanere. Vnde si nullus omninò dolor præcessisset, non esset ille dispositus ad Sacramenti effectum; quia voluntas censetur adhuc manere affecta peccato; secus verò est, si præcessit attritio.

PROBL. LIX.

Parochus sacrum Extremæ-Vnctionis oleum domi custodiens, vt commodius ex ea ad ægrotos noctu referat, delinquit mortaliter, & mortaliter non delinquit.

224 *Non delinquit mortaliter.* NOn rectè agit Parochus, qui timens, de nocte se aduocandũ ad infirmum periculo exitiali laborantem inungendum. Si vespere ad suum cubiculum Vnctionis oleum transferat, vt vocatus, expeditius, & commodius pergat; vel si de nocte reuersus ab Vnctione infirmi, vt se citius expediat, oleum ad Ecclesiam non referat, sed vsquemane domi retineat. Quia Sacramenti benedictæ materiæ irreuerentia irrogatur. Attamen peccatum lethale non committet, quia leuis est iniuria per se, nisi accidentaliter periculum maioris irreuerentiæ subsit. Sic Barbos. *de Paroch. cap.* 22. Posseu. *cap.* 9. *n.* 12.

225 *Mortaliter delinquit.* Mortaliter delinquit huiusmodi Parochus. Quia violat vetustissimam Ecclesiæ consuetudinem, & scandalo causam præbet, & eo quod Sacramentum hoc à domo sua ad ægrotum deferri conspiceretur. Hæc enim custodia in particulari domo irreuerentiam sacro oleo procul dubio videtur irrogare. Et ideò in Ecclesia, quæ promptuarium est Sacramentorum custodiendum à Manuali, ac Rituali supponitur. Ita viri doctrina conspicui, quos consului.

226 *Primæ sententiæ adhæreo.* Verum mihi magis arridet prima sententia, cum videam neque in Rituali statui, vt obseruetur hoc infirmorum oleum, sicut nec Catechumenorum, vel Chrismatis in Ecclesia. Rituale decernit, *hic, num.* 3. *Habeat Parochus loco nitido, ac decenter ornato in vase argenteo, aut stanneo diligenter custoditum sacrum oleum infirmorum.* Fateor tamen si semper domi sacrum oleum retineret, cum Ecclesiæ consuetudine se opponeret, haud posse Parochum à lethali piaculo defendi, quia grauem tunc irreuerentiam sacro oleo irrogari iudicarem.

PROBL. LX.

Licet, & non licet Parocho sacrum infirmorum oleum laicis exhibere, vt ipsi ægrotos vngant, sicque illi resumant sanitatem.

227 *Licitè potest exhiberi, ad vngendos extrà Sacramentum ægros.* OLeum infirmorum sacræ Vnctionis remotam materiam licitè concedi potest à Parocho, vel sacrista, vt infirmi debita veneratione eo inungantur vel sæculari manu, ad sanitatis recuperationem. Quia id constat ex antiqua Ecclesiæ consuetudine ab Apostolis desumpta, qui *Mar.* 6. à Christo Domino mittebantur, *& vngebant oleo multos ægros & sanabantur.* Ait Innocent. I. *Epist.* 6. *ad Decent. Oleo ab Episcopo confecto non solùm Sacerdotibus vti Christianis licet in sua, aut suorum necessitate.* Vbi Cornel. in Iocob. 5. *vers.* 14. docet, Innocentium loqui de vsu olei extra Sacramentum ad curandos infirmos. Sic Quintanad. *part.* 1. *tr.* 5. *singul.* 11. Viuald. de Vnct. *in fine*, Molfes. *tom.* 4. *cap.* 3. *num.* 15.

228 *Non potest exhiberi licitè.* Sacrum infirmorum oleum non licet Parocho ad infirmos immittere Clericali, aut sæculari ministerio, vt extra Sacramentum inungantur ad sanitatis recuperationem. Quia ab Ecclesia deputatum est Episcopali Consecratione, vt materiam remotam Sacramento Extremæ-Vnctionis exhibeat: non decet autem ad alia quantumuis decentia munia applicari. Ità Diana *part.* 9. *tract.* 6. *resol.* 43. Palaus *tom.* 4. *tract.* 26. *punct.* 2. *num.* 8. Bauni. *tom.* 1. *tract. vlt. de Extr. Vnct.*

229 *Primam eligo sententiam.* Primam eligo sententiam, ad quam me alliciunt Sanctorum exempla, quæ apud Surium Metaphrastem, & Sulpicium legere licet. Ex quibus constat, sacrum oleum à sanctis extrà Sacramentum ægris fuisse applicatum, eóque miraculosè salutem recuperasse. Neque D. Thomas citatus à Soto *in* 4. *dist.* 23. *quæst.* 2. *art.* 1. hoc siluit. Refert enim morem Sanctorum Patrum in Ægypto, qui oleum ad infirmos transmittebant, & sanabantur. Attamen rarò & prudenter Sacro oleo ad hunc finem vtaris oportet.

LIBER

LIBER XXIII.

ORDO.

Sacramenti Ordinis expendo essentiam, institutionem, ac numerum. Eius Materiam & Formam enuncio. De Ministro, ac Subiecto differo. Eius expono Effectus: & quo tempore conferendus sit Ordo definio.

SECTIO PRIMA.

De Sacramento Ordinis receptiores sine lite sententiæ.

CAPVT I.

De Essentia, Institutione, ac Numero Sacramenti Ordinis.

1 Qui sit Ordo.

ORDO, per quem in Ecclesia quidam quasi gradus officij, dignitatisque confertur, *Sacramentum est, quo spiritualis potestas circa Eucharistiam in Missæ sacrificio traditur.* Dicitur *Sacramentum*, quia habet illa tria quæ ad rationem Sacramenti requiruntur, nempe signum externum, quod est manuum impositio: promissionem gratiæ: & mandatum. Dicitur, *Quo spiritualis potestas traditur*, sic enim significatur per formam, quæ solet proferri: *Accipe potestatem, &c.* & ita ab illa externorum verborum forma diuina virtute profluit Character Ordinis, tanquam proxima actiua potentia, per quam ordinatus ea quæ sunt sui Ordinis exercet. Dicitur, *Circa Eucharistiam* mediatè vel immediatè. Potestas immediata est illa, qua directè confici potest Eucharistia, & hæc in Sacerdotali Ordine confertur. Potestas verò mediata est illa, per quam exercetur aliquod ministerium, quod dirigitur ad Eucharistiam tanquam ad finem, quod ministerium in singulis Ordinibus reperitur. Conc. Trid. *sess.* 23. *can.* 3. Vasq. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 235. *cap.* 2. Marchin. *de sacram. Ord. tract.* 1. *part.* 1. *cap.* 4. Valent. *tom.* 4. *disp.* 9. *quæst.* 1. *punct.* 2. Sylui. *in supplem. q.* 34. *a.* 2. & 3. Pesanti. *in supplem. q.* 40. *d.* 1.

2 Quam ob rem fuit appellatum.

Aptè hoc Sacramentum vocabulo *Ordinis* fuit appellatum. Quia cùm Ordo iuxta Augustinum *lib.* 19. *de Ciuit. cap.* 13. Sit parium dispositio, & in Ecclesia sint varij Ministri, gradus multi, variaque ac diuersa munera inferiora, media, ac superiora recta ratione collocata: ideo hæc Clericorum classis veluti *terribilis castrorum acies ordinata*, vocabulo *Ordinis* congruenter recensetur. Præfati Doctores.

3 Quando hoc Sacramẽtum fuerit institutum.

Hoc Sacramentum creditur à Christo Domino in vltima Cœna institutum fuisse, cum Apostolis suo corpore, sanguinéque refectis, illa verba adiunxit: *Hoc facite in meam commemorationem. Luc.* 22. Quibus verbis Christus contulit Apostolis Sacerdotalem authoritatem, eisque, ac eorum successoribus in Sacerdotio dedit præceptum consecrandi, vt patet ex Tridentino *sess.* 22. *cap.* 1. Contulit autem Christus per excellentiæ potestatem Apostolis omnes Ordines simul. Quia sub principali, quod est Sacerdotium cæteri omnes comprehenduntur, tanquam participantes licèt imperfectè potestatem aliquam circa corpus Christi ministrandum, & Sacerdoti inseruiendum. Henriq. *lib.* 10. *cap.* 3. Reginald. *lib.* 30. *cap.* 3. Bonac. *de Sacr. d.* 8. *q. vn punct.* 1.

4 Quot sint Ordines.

Nostri temporis Hæretici tres tantùm Ecclesiasticos concedunt Ordines, Episcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum: reliquos Ordines humanum adinuentum esse dictitant. Catholica tamen est veritas septem saltem Ordines semper fuisse in Ecclesia, nempe *Ostiariatum, Lectoratum, Exorcistatum, Acolytatum, Subdiaconatum, Diaconatum, ac Presbyteratum.* Quia id expressè definiunt generalia Concilia Romanum sub Syluestro *cap.* 3. Laodicense, Calchedonense, Carthaginense IV. *cap.* 3. cui D. Augustinus interfuit, Florentinum *sess.* 23. *can.* 2. Num Episcopatus etiam sit Ordo *sect.* 2. discutiam, idémque de prima Tonsura problematicè aperiam.

5 Cardinalatus non est Ordo.

Cardinalatus non est Ordo Sacer, nec Characterem imprimit, nec fuit à Christo Domino institutus. Quia nos habet consecrationem aliquam, nec materiam, nec formam. Vnde Patres, Concilia generalia, summique Pontifices cunctos sacros Ordines enumerantes, de gradu Cardinalatus nullam gessere mentionem. Est solummodo Ecclesiastica dignitas Eminentissima à Pontificibus antiquitùs inducta, vt sibi in Ecclesiæ regimine Assessores, & Consiliarios haberet

haberet, eo modo, quo Moses sibi septuaginta seniores asciuit. Proinde potest hæc dignitas à Papa extingui: & consequenter non erit de iure diuino, neque Ordinis Sacramentum. Bellarm. *lib.1. de Cleric.cap.16. contr.5.* Sotus *in 4.d.24. q.2.art.4.* Azor.*p.2.lib.4.c.1.q.3.*

6 *Papatus non est Ordo.*

De Papatu certum est apud omnes Theologos eum non constituere Ordinem ab Episcopatu distinctum, neque distinctum Characterem imprimere. Quia Ordo est Sacramentum constans ex materia & forma: sed Papatus nec habet materiam, nec formam peculiarem: Ergo non est Ordo. Et quia, quamuis Papa habeat maiorem potestatem iurisdictionis, quàm Episcopus; tamen in potestate conficiendi Corpus Christi, consecrandi Episcopos, confirmandi, & ordinandi sunt æquales: sed in huiusmodi potestate consistit Character Ordinis: Ergo Papatus Ordo non est. D.Thom. *lib.4.contra gent. cap.76.* Bonac. *de sacr.dist.8.q.vn.punct.1.n.5.* Sotus *in 4.dist.24.q.2.art.4.concl.2.*

7 *Sacerdotalis Ordo verè est Sacramentum.*

Controuersia est inter Doctores, num singuli Ordines sint vera Sacramenta, (de quo *sect.2.*) Extra controuersiam autem est, Ordinem Sacerdotalem esse verè ac propriè Sacramentum Trident. *sess.23.cap.2.& can.1. Si quis dixerit, non esse in nouo Testamento Sacerdotium visibile externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi, & offerendi verum Corpus & Sanguinem Domini & peccata remittendi, & retinendi; sed officium tantum, & nudum ministerium prædicandi Euangelium vel eos, qui non prædicant non esse Sacerdotes, anathema sit.* Quibus verbis Cõcilium omnes hæreticorum impostoras perbreui Oratione refellit. Omnes Theologi *in 4. distinct.24. & Canon. in cap. Ad abolendam, de hæreticis.* Ex sacris literis, Patribus, Conciliis, ac rationibus probatur à Marchino *de Ord.tr.1. p.1.c.12.* & Valentia *d.9.q.1.punct.4.*

8 *Cuncti Ordines vnum Sacramentum dicuntur.*

Dato quod ex communiori sententia Ordines minores Sacramenta sint: tamen cuncti Ordines dicuntur vnum *Ordinis* Sacramentum. Et hæc vnitas est integralis, quatenus sicut ex pluribus membris habentibus diuersa officia, accidentia, & operationes vnum corpus integratur: ità ex pluribus ordinibus vnus integratur Ordo, ex qua integritate completè, ac perfectè Sacramentum Ordinis constituitur. Vel dixerim, Ordines esse vnum Sacramentum vnitate finis, ad quem omnes vltimatè ordinantur, qui est, dignè offerre Eucharistiæ Sacrificium, vel in eo ministrare. Marchin. *tract.1.p.1.cap.15.n.14.* Filliuc. *tract.9.num.15.*

CAPVT II.

De Materia ac Forma huius Sacramenti, de singulorúmque Ordinum Officiis.

9 *Materia proxima & remota Ordinis.*

VM in cunctis Sacramentis materia remota ac proxima reperiatur: materia remota Sacramenti Ordinis est instrumentum aliquod, quo Ordinibus initiando traditur in potestatis spiritualis recipiendæ documentum. Proxima verò est eiusmodi instrumenti traditio ab ordinante: & eiusdem ab ordinando acceptatio. Non est opus, eam materiam esse consecratam, propter quod Christus suo contactu vsuque Calicem, ad quem tanquam ad finem cæteræ reuocantur, consecrauit. Bonac. *de Sacram. dist.1. quæst.2. punct.1.* Filliuc. *tract.9.num.29.& 30.* March. *tract.1. part.1.c.16. n.25.* Reginald. *lib.30.n.7.* Vasq. *dist.236.cap.3.*

10 *Contactus materia est de Sacramenti essentia.*

Contactus materiæ est de essentia Sacramenti, ita vt non censeatur ordinatus, qui materiam realiter, ac physicè non contingit. Quia in omnibus aliis Sacramentis, si non sit Physicus contactus, Sacramentum est nullum, vt patet in Baptismo, Confirmatione, & Extrema-Vnctione: Ergo idem fatendum in Ordinis Sacramento. Et quia oportet ad valorem Sacramenti, veritatem eius formæ adimpleri: dicitur enim, *Accipe* hoc, aut illud; quibus verbis imperatur contactus corporalis; si ergo contactus non fiat, formæ veritas non implebitur, & ita nullum erit Sacramentum. Et quia Gregorius IX. *in cap. Presbyter, de Sacr. non iteran.* Apostolica traditione tactum corporalem in Ordinationibus necessarium esse præscribit. D.Thom. *in 4.dist.24. quæst.1.art.1.quæstiunc.5.ad 3.* Paludan. *quæst.1. art.1.* Viguer. *cap.16.§.6.* Valent. *dist.9. quæst.1. punct.5.* Coninch *distinct.20. dub.7. numero 7.* Marchi. *tract.1.part.1.c.16.n.10.* Fernandez *p.3. cap.11.§.6.*

11 *Non est necessarium Sacerdotis hostiam & vinum immediatè tangere.*

Haud tamen hoc ita est intelligendum, vt in Sacerdotio necessum sit hostiam & vinum immediatè attingere; sed sufficit Calicem tangere & patenam. Quia qui attingit Calicem moraliter censetur attingere vinum in eo contentum: & qui attingit patenam, censetur etiam attingere hostiam in ea existentem. Quamuis tutius sit attingere patenam & hostiam immediatè iuxta ritum Ecclesiæ, ne ordinandus se periculo exponat non recipiendi Ordinem. Sotus *in 4. dist.14.q.1.art.2.* Nunus *in supplem.3.p.q.34. art.5.* Diana *p.2.tr.16.resol.3.& part.3.tract.4. resol.185.*

12 *An necessarius sit physicus contactus.*

Scio à grauibus Doctoribus affirmari probabiliter admodum, non esse necessarium, vt ordinandus necessitate Sacramenti, tangat physicè materiam: sed sufficere, si extensione manuum, vel alio signo sensibili æquipollente significet, se talem materiem ei ab Episcopo oblatam acceptare. Quia traditio instrumentorum tantum deseruit ad determinandam potestatem, quæ datur: sed ad hoc non requiritur contactus, sed ostensio præsens cum signo acceptatiuo; quia non est eadem ratio, quæ in Baptismo, Confirmatione, & Vnctione: non enim dicitur quis lauari, vel vngi, nisi aqua vel oleum eius corpus attingat. Verum contactus materiæ saltem erit de necessitate præcepti Ecclesiastici; vnde si Ordinandus scienter omittat, vel permittat Episcopus, lethaliter peccabit vterque. Quia esset contra omnem Pontificalem Rubricam grauis transgressio. Aluert. *in 4.d.24.* Henriq. *lib.10.cap.10.lit.B.* Vasq. *dist.246.c.2. num.19.& 20.* Laym. *lib.5.tract.9.cap.5.num.4.* Hurtad. *tract.de Ordine diffic.15.* Filliuc. *tr.9. num.34.*

13 *Contactus vti debet necessariò fieri simul cum verborũ prolatione in institutione Matrimonio.*

Neque ad substantiam huius Sacramenti, imò neque ad præceptum implendum, debet hic contactus simul esse in eodem instanti Mathematico cum verborum prolatione: sed sufficit si simul sit moraliter, id est, sine mora interposita.

posita. Quia cum simultate morali Sacramentorum significatio subsistit: siue ergo prolatio verborum antè vel post contactum fiat, nihil refert. Henriq. *lib.1.cap.9.num.10.* Laym. *lib.5. tract.2.cap.7.num.8.* Victor. *de Baptism.cap.vlt.* Diana *p.3. tract.4.resol.6. & p.5.tr.5.resol.40. & tr.13.resol.48.*

14 *Calix cum vino, & patena cum hostia sunt materia remota Sacramenti.*

Materia remota sacerdotalis ordinis est Calix cum vino, & patena cum hostia: materia verò proxima est traditio Calicis cum vino vetis, & patenæ cum hostia triticea. Qua traditione secuta si moriatur Episcopus antequam illa verba proferat: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, &c.* remanet quidem Sacerdos initiatus ordine Sacerdotali ad consecrandum Corpus & Sanguinem Christi, quamuis, his verbis prætermissis, imperfecta sit Sacerdotalis potestas, cum Sacerdos nequeat à peccatis impendere absolutionem. Vnde duplex materia Sacerdotij assignatur: prima est traditio Calicis cum vino, & Patenæ cum hostia, quæ est potestas offerendi Sacrificium. Secunda est impositio manuum vnà cum verbis: Accipe *Spiritum Sanctum* &c. Vtraque autem est essentia; quia distincta potestas confertur. Hinc ordinatio Sacerdotis constat duabus partialibus materiis ad sui perfectionem essentialiter requisitis: & per vnamquamque noua supernaturalis potestas impenditur. Sotus *in 4. dist.24.quæst.vnica.* Bellar. *de Ord.lib.1.cap.9.* Sylui. *in supplem.3.part. q.37.art.1.quæst.4.* Marchin. *tr.2.part.8.cap.5. propos.1.2. & 3.* Vasq. *tom.1.in 3.part.d.239. cap.3.* Filliuc. *tract. 9. n.42.* Hurtad. *tract. de ord.disp.11.*

15 *Materia Diaconatus liber cum manus impositione.*

Materia Diaconatus est Euangeliorum liber cum manus impositione. Vnde verior est sententia illorum, qui in ordinatione Diaconi duas partiales materias, ac duas partiales formas admittunt: quæ ambæ simul iunctæ vnum integrum Sacramentum ordinationis Diaconalis constituunt. Quia de impositione manus non videtur dubitari posse, cum ex scriptura alia materia minimè colligatur. De traditione verò libri Euangeliorum similiter dubitari non potest, siquidem Concilium Florentinum illum assignat pro materia. Ergo vtraque erit de Diaconatus essentia. Nec refert, quod initio Ecclesiæ Diaconi fuerint ordinati per solam manus impositionem. Quia Euangelia nondum erant scripta. Bellarm. *lib.1. de Ord. cap.9.* Victor. *de Sacram.num.227.* Laym. *lib.5.tract.9.cap.5.n.2.* Marchin. *tract.2.p.7.c.2.* Henriq. *lib.10.c.8.n.3.* Diana *p.3.tr.4.resol.188.*

16 *Materia Subdiaconatus est vacuum Calicis cum patena vacua.*

Subdiaconatus materia est traditio Calicis vacui, & vacuæ Patenæ. Definitum est in Carthaginensi IV. *c.5.* Florentino sub Eugenio IV. *in decreto fidei post vltimam sessio.* & Toletano IV. *can.27.*

17 *Acolythatus materia remota est candelabrum cum cereo extincto, & vrceolus vacuus.*

Acolythatus materia remota est duplex, nempe candelabrum cum cereo extincto, & vrceolus vacuus. Proxima est porrectio horum instrumentorum, quæ in hoc Ordine duplicantur ad significandum duplicem potestatem. Quia per traditionem primi instrumenti accipit potestatem Ceroferarij: per traditionem verò secundi, accipit potestatem ministrandi propinquius ad Altare. Vtriusque autem materiæ meminit Carthaginense Concilium IV. *can.6.* Viguer. *in institut. cap.16.§.6.* Vasquez *disput.237.numero 35.* Marchin. *tract.2.part.5. cap.2.* Hurtad. *de Ordin.diffic.14.* Tanner. *d.7. quæst.2.dub.3.*

Materia remota Ordinis Exoreistatus Liber est exorcismorum. Proxima, traditio eiusdem libri. Meminit huiusce materiæ Concil. Carthag.IV. *can.7.* Romanum Pontificale, necnon Romanus Catechismus. 18 *Exorcistatus liber exorcismorum.*

Lectoratus materia remota est liber continens Prophetias veteris ac noui Testamenti. Proxima est eiusdem libri traditio. 19 *Lectoriatus liber continēs Prophetias.*

Materia Ostiariatus sunt Claues Ecclesiæ. Cymbalum autem, quod etiam ordinando in receptione huius Ordinis porrigitur, vel non est Ostiariatus materia, sed sola quædam cæremonia, significans munus esse Ostiarij etiam campanas pulsare: vel illud erit minus principalis Ostiarij materia. Porrò quamuis de huiusmodi materiis nihil in scriptura habeatur, sufficit tamen traditio Apostolorum, quæ ex perpetua Ecclesiæ consuetudine, & vsu colligitur, necnon ex communi Theologorum sententia. 20 *Ostiariatus Claues Ecclesiæ.*

Verum huius Sacramenti forma sunt verba, quæ ab Episcopo proferuntur imperatiuo modo cum expressione potestatis, quæ confertur. Adhibetur autem forma modo imperatiuo, vt ostendatur, ordinatum debere fungi munere susceptо, ne illud inutiliter susceпisse videatur. Et quidem de essentia formæ sunt omnia illa verba, quibus potestas exprimitur. Habetur in Pontific. D. Thom. *in supplem. quæst.34. art.4.* Vasq. *dist.240. cap.5. num.58.* Henriq. *lib.10. cap.5.lit.B.* 21 *Formæ Ordinis sunt verba ab Episcopo imperatiuo modo prolata.*

Episcopus, qui formam profert, debet etiam materiam tangendam exhibere; licèt valida esset ordinatio, quando plures initiantur Ordine Sacerdotali, si Episcopus prolata semel vnica forma in plurali præbeat materiam pluribus successiuè tangendam, forma non repetita: licèt notabile temporis spacium (puta etiam quartæ horæ dimidium) inter istorum contactum & verborum prolationem elabatur: tamen moraliter simul esse censentur, dummodo continuatione quadam talis contactus peragatur. Porrò huiusmodi Ordinationem esse validam, declaratum fuit Romæ in quadam Congregatione testatur Martinus Fornarius de Sacram. Ordin. apud Toletum *cap.2.num.5.* 22 *Episcopus, qui formam profert, debet etiā materiam tāgendam exhibere.*

Profectò Sacerdotis Officium est Sacramentum Eucharistiæ conficere, Sacramenta administrare, excepta Confirmatione & Ordine, verbum Dei prædicare, populum benedicere. Sylui. *in supplem.3.par.q.37.art.2.quæst.2.3. & 5.* Vasq. *dist.236.c.10.* 23 *Officium Presbyteri.*

Ad Diaconum pertinet publicè & cum Stola Euangelium in Ecclesia perlegere, Sacerdoti sacrificanti assistere, eique Panem ac Vinum à Subdiacono accepta porrigere, vel altari imponere, & Sacerdoti in Sacramentis administrandis subseruire. Olim præcipuum Diaconi ministerium erat Eucharistiam fidelibus dispensare, quo munere illi septem Diaconi ab Apostolis electi *Act.2.* fungebantur. Sed hæc potestas ob nonnulla inde accidentia incommoda à Nicæno Concilio Diaconis fuit abrogata. In necessitate tamen haud est illis ablata facultas Eucharistiam ad infirmos deferendi, absente Presbytero, illámque morte vrgente, pro viatico suppeditare. Imò si adsit Sacerdos qui ægroto animam agenti sacram synaxim ministrare nollet, 24 *Officium Diaconi.*

nollet, sed illum desereret: tunc absque illius licentia, & illo etiam inuito, liceret Diacono ei viaticum dispensare. A fortiori potest Diaconus pyxidem, in qua Corpus Dominicum repositum est, ab vno Altari ad alium, vel ab vno in locum alium deferre. Quia iure diuino habet potestatem super Corpus Christi contentum in vasis sacris, vt docet D. Thom. 3. *part. quæst.* 82. *art.* 3. *ad* 1. Propterea olim Diaconi ministerium erat, Sanguinem Christi populo sub vtraque specie communicanti propinare. Item in necessitate potest Diaconus etiam solemniter baptizare in absentia Episcopi & Presbyteri: quamuis nunc ob Sacerdotum numerum, vsus ille fuit Ecclesia sublatus. Præterea diaconi officium est, in doctrinæ ac prædicationis officio Episcopo, vel Presbytero assistere: quamuis ad ipsum non pertineat ex suggesto prædicare: sed solùm recitare Euangelium, & ipsum vel fidei articulos Catechismi forma exponere, nisi ob necessitatem aliud ei permittatur. Marchin. *de Ordin. tract.* 2. *part.* 2. 3. 4. 5. Filliuc. *tr.* 9. *c.* 2.

25 *Officium Subdiaconi.* Subdiacono competit, aquam ad ministerium Altaris præparare, Diacono ministrare, pallas Altaris & Corporalia abluere, Calicem & Patenam in vsum sacrificij eidem offerre, panem consecrandum pro populo in Altari apponere, Crucem in supplicationibus gestare, Epistolam in solemni Missa cum Ornamentis illius Ordinis propriis canere. Doct. relati.

26 *Ordinum minorum materia.* Cæterùm si initiatorum minoribus Ordinibus officia velis edisscere. Acolyti Officium est, Subdiacono vrceolos cum vino aquaque porrigere, lumina ad sacrificium præparare, & accensum cereum ad Altare transferre. Ad Exorcistam pertinet, manus super energumenos imponere, illisque Exorcismos ad fugandos dæmones legere; & id non solùm corporaliter, sed & spiritualiter Catechumenos obsidentes ante ipsam Baptismi susceptionem. Lectoris est legere Prophetias, & scripturas in Ecclesia. Demùm pertinet ad Ostiarium claudere, aperire, & custodire Ecclesiam, admittendo dignos ad sacra, indignos excludendo. Valent. *tom.* 4. *d.* 9. *quæst.* 1. *punct.* 3. Marchin. *tractat.* 2. *part.* 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. Hurtado *tract. de Ord. diffic.* 11. *& sequent.*

CAPVT III.

De Ordinis Ministro.

27 *Episcopus solùm, & quidem proprius est ordinarius Ordinis Minister.* HVius Sacramenti Ordinarius Minister solus est Episcopus, & quidem proprius, vt patet ex Tridentino *sess.* 23. *cap.* 4. & *can.* 7. Quia solus Episcopus est Christianæ Reipublicæ Præfectus, & Sacrorum Princeps: Ad solum verò Præfectum, ac Principem pertinet, officia ac ministeria distribuere. D. Thom. *in supplem.* 3. *p. q.* 38. *art.* 1. Sylui. *ibi.* Marchin. *tract.* 1. *p.* 2. *c.* 1. & 2.

28 *Licet sit excommunicatus, interdictus, aut suspensus, validè confert Ordines.* Non amittunt hanc potestatem Episcopi, licèt sint excommunicati, interdicti, aut suspensi, vel priuati Episcopatu. Vnde validè hoc Sacramentum conferunt, si materiam & formam eius, reliquaquè requisita adhibeant. Quia potestas fundatur in Charactere Episcopali, qui est indelebilis. Portò id licitè minimè exercebunt, & Ordinatus ab excommunicato vitando suspensionem incurret, iuxta *cap.* 1. & 2. *de Schismat.* Sotus *in* 4. *dist.* 25. *q.* 1. *art.* 1. Henriq. *lib.* 10. *c.* 21. Vasq. *dist.* 243. *c.* 1.

Angelus ordinarius Sacramentorum Minister esse non potest. Quia ad Sacramenti essentiam sicut exigitur verum & naturale elementum, ita etiam verum ac naturale verbum sensibile; atqui Angelus, etiam assumpto corpore, non dicitur propriè loqui, cum eius locutio non sit vitalis. Attamen diuina dispensatione, & extraordinaria Dei lege posset Angelus Ordines conferre, sicut contigit D. Amphilochio, qui fuit ab Angelo ordinatus Episcopus Iconij: quæ ordinatio ab illius Prouinciæ Episcopis fuit approbata. D. Thom. 3. *p. q.* 64. *art.* 7. Sylui. *ibi.* Marchin. *de Ordin. tr.* 1. *p.* 2. *c.* 7. 29 *Potest Angelus diuina dispensatione Ordinem conferre.*

Ex summi Præsulis facultate Ordines minores possunt à Cardinalibus Presbyteris, imò à quolibet Sacerdote simplici conferri. Quia nulla potest sufficiens afferri ratio, cur hoc à Sede Apostolica concedi nequeat. Victor. *num.* 234. Valent. *tom.* 4. *dist.* 9. *quæst.* 3. *punct.* 1. Coninch. *dist.* 20. *num.* 77. 30 *Ex Papæ licentia possunt Cardinales Presbyteri, imò simplex Sacerdos ordinare.*

Abbates Presbyteri ius mitræ ac baculi habentes benedicti ab Episcopis possunt conferre primam tonsuram & Ordines minores suis subditis Regularibus. cap. *Quoniam dist.* 69. cap. *Cum contingat, de ætate, & qualit.* cap. *Abbates, de priuil. in* 6. Concil. Trid. *sess.* 23. *cap.* 10. *de reform.* Imò sæcularibus Episcopi subiectis iurisdictioni, dummodò ipsius Episcopi consensus accedat, & ab eo quisque dimissoriales literas impetrauerit: ita tamen vt non sufficiat, id generatim Episcopum concessisse; sed hæc concessio semper singulis ordinandis sit necessaria. Quaranta *v. Ordo. §. Abbatibus.* Sorbus *v. Ordines sacri, num.* 5. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 20. Vasq. *distinct.* 243. *num.* 33. Tambur. *de Iure Abbat. tom.* 2. *d.* 2. *quæst.* 7. 31 *Abbates iuxta mitra habentes subditis suis Regularibus possunt Ordines minores conferre: imò sæcularibus Episcopo subditis, ex ipsius licentia.*

Similiter declarauit sacra Congregatio, posse huiusmodi Abbates conferre præfatos Ordines aliis Regularibus, qui dimissorias literas speciales suorum superiorum habuerint: necnon specialem assensum Episcopi loci illius, in quo hi Ordines sint conferendi. Ideò in pacificaposessione adhuc perseuerant plerique Abbates ministrandi Ordines minores tam Clericis sæcularibus, quàm Regularibus, modo prædicto. Tambur. *de iure Abbat. tom.* 2. *d.* 2. *quæst.* 7. 32 *Et aliis Regularibus, qui speciales literas dimissorias à suis superioribus, & specialem Episcopi licentiam habuerint.*

Abbates, qui præfatos Ordines conferre possunt id validè efficiunt, etiamsi excommunicati, hæretici, suspensi, ac interdicti sint. Quia tales validè Sacramenta administrant, licet irregularitatem incurrant eo quod actum Ordinis, qualis est Ordinare, tempore Censuræ exercuerint. Si autem fuerint notorij, seu vitandi, qui ab eis recipiunt tales Ordines ab eorum executione suspenduntur, *cap.* 1. & 2. *de schismate.* 33 *Id validè efficiunt etiamsi excommunicati, suspensi, & interdicti fuerint.*

Locus, in quo Abbates hi possunt hosce conferre Ordines est proprium Monasterium solummodò. Cap. *Quoniam, dist.* 69. & cap. *Cum lent contingat. de ætate & qualit.* Si tamen Abbas recipiatur ab alterius Monasterij exempti Abbate, potest etiam inibi suis subditis regularibus Ordines conferre præfatos. Lezana *tom.* 4. *sum. v. Ordines sacri, num.* 8. 34 *Id solùm valet sui Monasterij in Templo præstare.*

Non

35 Non possunt Abbates suos nouitios antè professionem minoribus Ordinibus initiare. Quia Tridentinum requirit in ordinando ab Abbate, quod sit Regularis, & subditus Abbati ordinanti. Cum ergo nouitius non possit strictè Regularis, appellari, neque absolutè & plenè subditus sit prælato Regulari quoad Ordines recipiendos, sed solum quoad munus probationis, (vnde non possunt Prælati Regulares nouitiis suis dimissorias concedere, nec enim adhuc perfectè subiacent eorum iurisdictioni, sed hoc munus spectat ad Episcopum loci Nouitiatus) non possunt Tridentini priuilegio potiri. Nec obstat priuilegium Iulij II. relatum à Suario *tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 1. c. 29. n. 12.* cuius vigore olim poterant Abbates perpetui Cistercienses Clericali Charactere insignire etiam nouitios. Quia cum nouitij non sint in hoc subditi Superiori Religionis, priuilegium à Tridentino est sublatum: vt clarè constat ex verbis illis: *Nonobstantibus quibuscuis priuilegijs.*

Non possunt Abbates nouitios ordinare.

36 Certum est apud Catholicos ex constitutione Ecclesiæ in Cap. *Cum Prouinciales, dist. 74.* in Cap. *Ordinationes, dist. 64.* ordinationem Episcopi non posse nisi à tribus Episcopis peragi. An autem consecratio ab vno solo facta extra Pontificis dispensationem sit valida *sect. 2.* discutietur.

Ordinationes Episcopi absentes Episcopi non sunt firmæ.

37 Episcopus non potest subditis alterius sine licentia propij Episcopi Ordines, nec primam tonsuram conferre. Quia ordinandus à solo proprio Episcopo, cui subiicitur, & non ab alio ex Canonum præscriptione expressa debet Ordinem, & Clericatum inire. Vnde nec Archiepiscopus subditos sui suffraganei sine eiusdem licentia tam intra, quàm extra eiusdem Diœcesim licitè potest sacris initiare. Cap. *saluo 9. q. 3.* Cap. *Eos qui.* Cap. *Cum nullus, de temp. ordinat. in 6.*

Non potest Episcopus subditos alterius Episcopi sine eius licentia ordinare.

38 Ille autem appellatur proprius Episcopus, qui est Episcopus *Originis, vel domicilij*, vel *Beneficij*. Episcopus Originis est Episcopus loci, in cuius Diœcesi natus est ordinandus, & in quo parentes habent domicilium: non autem in quo parentes essent causâ itineris, vel negotij. Hinc si mulier prægnans, extra Diœcesim suum filium enititur, filius originem trahet è loco, vbi parentes domicilium habebant, non ex eo loco, in quo accidentaliter fuit exortus. Cap. *Rodulphus, de rescriptis.* Sanch. *de Matr. l. 3. d. 23. n. 3.* Porrò origo patris sufficit, vt filius alibi semper commoratus possit ab Episcopo, cui pater erat subditus, ad ordines assumi. Barbosa *de potest. Episc. p. 2. alleg. 4. n. 7.* Bonac. *de Sacram. d. 8. q. vni. punct. 4. n. 13.* Molfes. *in sum. tr. 2. c. 2. n. 7.* Diana *p. 4. tr. 4. resol. 148.* Marchin. *tr. 1. p. 5. c. 6. n. 6.* Ideo Sacra Congregatio Concilij die 16. Decemb. anno 1599. & die 12. Augusti anno 1628. & die 7. Aprilis anno 1629. declarauit, quem ordinari posse ab Episcopo originis paternæ, tametsi pater tempore natiuitatis filij illius ad aliam Diœcesim iam transtulerit domicilium.

Quinam sit Episcopus Originis vel Originarius.

39 Proprius Episcopus Domicilij est Episcopus loci, in quo quis habitat, vel incipit habitare cum animo inibi semper permanendi. Annoto Episcopum tatione domicilij, tantummodo posse aliquem prima tonsura vel minoribus ordinibus initiare: non verò aliis Ordinibus si Episcopus originis eundem ordinasset ad titulum Beneficij residentiam requirentis, vel ad titulum patrimonij pro necessitate, & vtilitate suæ Ecclesiæ; tunc enim, etsi præfatus Clericus, qui Subdiaconatum v. gr. acceperat domicilium ad alium Episcopatum transferret, non posset ab eo Episcopo ratione domicilij contracti ad Diaconatum, ac Presbyteratum promoueri; quia tunc remitti debet ad priorem Episcopum, vt insertuiat Ecclesiæ, cui prius fuerat adscriptus. Quaranta *in summa Bullar. v. Ordo vers. Circa terti um.* March. *tr. 1. p. 5. c. 7. n. 14.*

Quinam sit Domicilij.

40 Episcopus Beneficij proprius est loci, in quo quis habet Beneficium (præsertim residentiale) quamuis tenue, licet fortè non resideat ex dispensatione. Scio quidem ex receptiori sententia nō requiri, tale Beneficium annexam residentiam habere. Quia Cap. *Nullus de temp. Ordinat. in 6.* generaliter loquitur de quocunque Beneficio absolutè accepto, ratione cuius potest quis Ordinari. Proinde si quis duo diuersa Beneficia sub diuersis Diœcesibus locata haberet, à quolibet ipsorum Episcoporum Ordines liceret accipere. Quia vtriusque est subditus, haud secus ac qui sub diuersis Parochiis æquè habitaret, posset à singulis Parochis Sacramenta recipere Garcia *de Benef. p. 2. c. 4. n. 9. & 15.* Quaranta *v. Ordo, vers. Circa secundum.* Henriq. *lib. 10. c. 22. n. 1.* Barbos. *de potest. Episc. alleg. 4. n. 46.*

Quinam sit Episcopus Beneficij.

41 Episcopus non solum potest per se ipsum Ordines conferre, verum etiam potest alteri Episcopo facultatem impendere Ordines suis subditis conferendi, concedendo literas dimissorias, & commendatitias: dummodo sit electus, & confirmatus quamuis nondum consecratus. Quia ea, quæ sunt iurisdictionis, possunt etiam ab Episcopo non consecrato exerceri. Trident. *sess. 23. cap. 8. & 10.*

Potest Episcopus nondum consecratus literas dimissorias impendere.

42 Capitulum sede vacante, non potest dimissorias concedere intra annum à morte Episcopi, vt Tridentinum statuit. Quod si secus fecerit, Ecclesiastico interdicto punitur, & sic Ordinati, si in minoribus Ordinibus fuerint constituti, nullo priuilegio Clericali præsertim in criminalibus gaudent: secuta tamen prius desuper Iudicis Ecclesiastici declaratione, vti declarauit Vrbanus VIII. *in constit. aduers. malè promotos* die 11. Decembris anno 1624. quæ incipit, *secretis æternæ prouidentiæ.* In maioribus verò ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Præsulis sunt ipso iure suspensi.

Capitulum, sede vacante, non potest intra annum mortis Episcopi.

43 Dantur aliqui casus, in quibus potest Capitulum, sede vacante, Dimissorias concedere. Primus est, quando Episcopatus vacauit per annum. Secundus, quando quis est ita arctus, vt perderet Beneficium receptum, vel recipiendum, si tunc temporis non promoueretur ad Ordines. Imò posset Capitulum, sede vacante, literas testimoniales infrà annum de vita & moribus ordinandi tradere, vbi quis per Pontificium diploma impetrasset ab alieno Episcopo extra suam Diœcesim ordinari. Ex Trident. *sess. 23. cap. 8. & 10.*

Quandonam Capitulū sede vacante, possit Dimissorias impendere.

44 Qui Ordines in alieno Episcopatu accepit absque summi Præsulis authoritate, vel absque sui Ordinarij literis Dimissoriis: incapax est Beneficij, remanet suspensus, caret Ordinis priuilegio, & ordinatio est irrita non quoad substantiam, sed quoad Ordinis executionem. Hæc tamen suspensio nunc potest ab Episcopo auferri, modo delictum sit occultum, ex concessione

Pœna in iuris contra eum, qui Ordines suscipit sine Papæ licentia aut dimissoriis literis.

Tridentini *sess.24.c.6.* quæ à Sixto V. fuerat Romano Pontifici reseruata in quadam constitutione incipiente, *sanctum & salutare*. Sed eam moderatus est Clemens VIII. per aliam Bullam quæ incipit, *Romanum Pontificem decet*. & ad ius Tridentini & Pij II. redacta est præfata Sixtiana constitutio. Et quia Pius II. vtitur verbo, *Præsumpserit*, quod magnam significat temeritatem: ideò comprehendit solum eos, qui data opera, aut cum ignorantia affectata ab alieno Episcopo Ordines recipiunt. Vnde ab hac suspensione excusat ignorantia etiam vincibilis, dummodo non sit affectata. Quia pœna non imponitur nisi propter culpam, & à culpa excusat ignorantia. Nauar. *c.27. num.254.* Tolet. *lib.1. cap.48.*

45 *An licèat sub ratihabitione alterius subditum Ordinare.*

Licebitne Episcopo ordinare alterius Episcopi subditum sub ratihabitionis spe? Verum ratione bonæ fidei in foro conscientiæ post factum excusarentur tam ordinans, quàm ordinatus Cap. *Lugdunensis 9. q.2.* Quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur *regulæ iuris 10. in 6.* Et quia ad incurrendam hanc suspensionem requiritur præsumptio, quam excusat bona fides saltem in foro interno. Suar. *de Censur. d.31 sect.1. n.17.* Molfes. *tr.2. c.2. n.14.* Fornar. *de Ord. c.5. n.4.* Marchin. *de Ord. tr.1. p.5. c.11.* Diana *p.3. tract.4. resol.191.* Quamuis antè factum non tam facilè id permittitur. Quia in iis, quæ sunt contra ius, & tangunt alterius iurisdictionem, non est facilè præsumenda ratihabitio: cum aliàs consensus proprij Prælati per literas haberi possit. Quaranta *v. Ordo.* Bonac. *de Sacr. d.8. q.4. punct.4. n.28.*

46 *Regulares Prælati possint suis subditis dare dimissorias: & quomodo.*

Regulares Prælati ex declaratione sacræ Congregationis Cardinalium apud Quarantam *v. Ordo in fine*, & Dianam *p.2. tr.16. resol.13.* & *p.3. tr.2. resol.7.* & *p.4. tr.4. resol.7.* Concesso Congregationi S. Benedicti Vallisoleti anno 1590. 2. Augusti: possunt suis subditis dare dimissorias, eosque ordinandos ad quemlibet Episcopum immittere: quod à Doctoribus ad nouitios quoad Ordines minores extenditur, Suar. *tom.3. de Relig. l.5. c.16. n.17.* Marchin. *tr.1. p.6. c.4.* Tambur. *tom.2. d.2. q.25.* & 27. Caramu. *in Reg. S. Bened. n.1634.* Verum cum à superioribus Regularibus (Episcopo Diœcesano absente, vel non habente ordinationes) dimissoriales literæ dabuntur, in eis causa huiusmodi absentiæ Diœcesani Episcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum, est exprimenda, vt decreuit Sacra Congregatio 15. Maij anno 1596. ex mandato Clementis VIII. Quod qui non gesserint, officij, & dignitatis, seu administrationis, ac vocis actiuæ, & passiuæ priuationis, ac alias arbitrio Pontificis pœnas incurrent.

47 *Qui Regulares possint dare dimissorias etiam subditis sæcularibus?*

Possunt etiam Abbates, & alij Prælati exempti habentes Diœcesim cum iurisdictione Episcopali concedere huiusmodi Dimissorias etiam suis subditis sæcularibus, ex Decisione Rotæ in vna Salmantina Iurisdictionis, die 9. Maij, anno 1544. coram Seraphino. Lezana *tom.3. sum. v. Dimissoriæ, num.3.* & *tom.4. v. Ordines sacri, n.13.* Qui etiam probabile putat, Prælatos posse dare dimissorias ad Ordines suscipiendos oblatis, seu commissis sui Ordinis tria vota non emittentibus, aliàs capacibus, & habilibus. Quia sunt illi aliquo modo ipsis subditi, Religionum membra, & sub earum obedientia degentes, & multis Religiosorum priuilegiis fruentes.

Si quis Regularis sine literis dimissorialibus sui Prælati Ordinetur per Extrauagantem Pij II. *Cum ex sacrorum* remanet perpetuò suspensus. Suar. *de Censur. dist.31. sect.1. num.14.* Hentiq. *lib.13. c.38. num.1.* Dicendum tamen per Concilium Tridentinum *sess.23. c.8. de reform.* non remanere suspensum, nisi quamdiu suo superiori videbitur oportere. Cap. *Salonitanæ, dist.63. cap.1.* Glossa *v. Ordinatio, dist.71.* Gutier. *Canonic. qq. lib.1. cap.26. num.24.* Sotus *in 4. dist.25. quæst.1. art.3.* Riccius *3. p. prax. resol.216.* Nauar. *cap.27. num.155.* 48 *Quas pœnas incurrat Regularis, qui sibi ne dimissorias Ordinatur?*

Porrò suspensio hæc non incurritur nisi propter susceptionem sacrorum Ordinum sine licentia, vt constat ex Bulla relata Pij II. Vnde qui minores Ordines sine literis dimissorialibus susceperit, non remanet suspensus, nec ministrando in his Ordinibus fiet irregularis: delinquet tamen mortaliter, nisi Prælatus huiusmodi susceptionem ratam habuerit. 49 *Suspensio non incurritur, ni si ob maiorum Ordinum susceptionem sine dimissoriis.*

Si Regularis aliquis laïcus ad Clericatum sine obedientia Prælatorum sui Ordinis ascendat, etiamsi ad Sacerdotium fuerit promotus: postquam reuersus fuerit, omni honore Clericali priuari debet, nec permitti, vt Canonicum persoluat officium: sed reduci pristinum penitus ad statum. Ita præscripsit Leo X. vt referunt Rodrig. *tom.1. qq. Regul. quæst.42. art.19.* Portel. *in dub. Regul. v. Hora Canonica, n.4.* Compend. *priuileg. v. laïci Fratres, n.4.* & *v. Ordines sacri, num.4.* 50 *Regularis laïcus sine licentia Ordines suscipiens pœna.*

Literæ dimissoriæ semel concessæ semper valent, nec morte, vel cessatione officij concedentis expirant, nisi per successorem reuocentur. Quia gratia vel fauor non cessat ob concedentis obitum. Cap. *Si super gratiam, de offic. Iudic. deleg. in 6.* Docent Nauar. *in cap. Placuit, de pœnit. dist.6. num.34.* & *163.* Barbos. *de potest. Episc.* Hentiq. *lib.10. cap.22. n.vlt.* 51 *Literæ dimissoriæ non expirant ante concedentis obitum.*

CAPVT IV.

De Sacramenti Ordinis Subiecto.

SOlus homo est suscipiendi Ordinis capax: non tamen omnis eum legitimè recipit. Iure diuino inhabiles sunt ad Ordines fœminæ: Cap. *Noua, de pœnit. & remiss.* Et non baptizati. Cap. *Veniens, de Presbyt. non baptiza.* Et Hermaphroditus, si æquè aut magis fœmineum quam virilem sexum participet. Lege Quæritur 10. *ff. de statu hominum.* Quod si sexus virilis prævaleat, tunc posset validè Ordinari. Quia vt vir est censendus. Opus tamen esset tunc Pontificis dispensatione, cum Hermaphroditus sit irregularis. Sayr. *de Censur. lib.6. c.8. n.25.* Nauar. *c.27. n.203.* Suar. *de Cens. dist.51. sect.2.* Scio, Toletum *lib.1. c.63. n.6.* & Fornarium *de Ordin. c.3. n.1.* asseruisse non esse irregularem, modo res notoria non sit: vnde cessante scandalo, & monstruositate corporis, prævalentéque sexu virili, posset etiam licitè ordinari. At tutius iudicarim, à Papa dispensationem petere. Marchi. *de Ord. tr.1. p.4. c.2.* Demùm iure diuino inhabiles sunt inuiti. Quia in adultis requiritur intentio: & quidem si absolutè inuiti accedant, Ordo nō tenet. Cap. *Presbyter. ord.50.* Cap. *Maiores de Baptismo.* 52 *Inhabiles ità ad Ordines fœmina, non baptizatus, Hermaphroditus & inuitus.*

Baptismo. Sic Sylvest. *v. Ordo 4. n. 1.* Henr. *li. 10. cap. 14. num. 3. lit. V.*

53 *Ordinatus metu, validè Ordinatur, licèt peccet, si non castitatis vota emittat, nec tenetur ea implere, nec ad ea implenda cogitur.*

Qui per metum ordinaretur, validè reciperet Ordines, cum subsistat intentio sufficiens ad Ordines cum inuoluntatio mixto: sicut sufficit ad seruanda præcepta. Voto tamen castitatis non adstringitur, nec ad Officium Canonicum recitandum tenetur, modo non ratificauerit sponte ordinationem verbis, aut facto, aut semel vel pluries vtendo Ordine suscepto. Vnde taliter ordinatus Matrimonium posset sine dispensatione inire. Quia nullum votum iure naturæ obligat, nisi à Deo acceptetur: sed Deus votum perpetuæ continentiæ graui, ac iniurioso metu extortum non acceptat. Bonac. *de Ordin. q. vn. punct. 4. n. 40. & de Matr. q. 3. punct. 9. num. 12.* Sanch. *de Matrim. lib. 7. dist. 29.* Coninch *d. 20. n. 150.* Marchin. *tract. 2. p. 6. c. 8. diffic. 9.* Quæstio autem hæc proprio Problemate rursum discutienda redibit.

54 *Timens sibi incussus, aliquem ad sacros Ordines non tenetur ea sibi iniuria vtilitatem sibi inferre.*

Certum est autem, si vis seu metus sit iustè incussus, v. gr. si Prælatus vrgente necessitate aliquem ad sacros Ordines præcepto compellerat, cui ipse consensisset: tunc compulsum lege continentiæ adstringi; & si postea nubat, irritum esse Matrimonium. Quia iste irrationabiliter est inuitus, nec patitur iniuriam, si ad sacros Ordines ob publicam vtilitatem compellatur. Doctores præfati.

55 *Infans, furiosus, & amens non sunt capaces Ordinis, nisi in lucidis intervallis.*

Infantes, furiosi perpetuò, & amentes Ordinãdi non sunt; si autem Ordinibus initientur, Characterem recipiunt. Quia iure naturæ non sunt ad illos inhabiles: & quia puer antè rationis vsũ potest validè baptizari, confirmari, & Eucharistiam sumere: ergo & validè poterit etiam Ordinari. Et quia omnis potentia est suo actu prior: & ideò aliquis potest in aliquo statu & tempore potétiam habere, cuius non habeat pro eo statu & tempore actũ. Ergo puer poterit per Ordinationem Characterem recipere, licèt illum in statu pueritiæ nequeat exercere. Profectò in duobus Sacramentis tantum vsus rationis perfectus requiritur ad Sacramenti valorem, nempe in pœnitentia, cuius materia sunt actus pœnitentis per proprium consensum: & in Matrimonio, quod includit pro materiali humanum contractum, qui mutuo contrahentium consensu perficitur. D. Bonau. *in 4. dist. 25. art. 2. q. 2.* Vasq. *d. 246.* Bonac. *de Ord. q. 3. punct. 5. n. 3.* Marchin. *tract. 1. p. 4. c. 4.* Reginald. *lib. 30. n. 30.* Molfes. *in sum. tr. 2. c. 12. & 16.*

56 *Non validè Ordines conferuntur, qui ratione vsum impediente amentiam.*

Illis, qui post rationis vsum in amentiam inciderunt, secundùm sententiam receptiorem haud validè Ordines conferuntur, si illos nullatenus expetierunt. Quia censentur habitualiter nolle Ordines suscipere. Sotus *in 4. d. 25. q. 1. a. 2.* Suar. *de Sacr. d. 14. sect. 2.* Coninch *d. 20. n. 100.*

57 *Quam ineptus sit ad ministrandi iura, & obligationes.*

Iure naturæ ad ministrandum in Ordinibus susceptis apti non sunt perpetuò amentes, omnino cæci, muti, priuati manibus, & similes. Quia natura ipsa ita sunt impediti ad vsum Ordinum, vt neque cum iis aut non possit, aut non soleat dispensari. Iure autem Ecclesiastico inhabiles sunt omnes irregulares, hoc sensu, vt recipiendo peccent, & ab eorum vsu suspensi maneant, quamuis Characterem recipiant. Valent. *tom. 4. d. 9. q. 4. punct. 1.* Regin. *lib. 30. n. 30.*

58 *Requiruntur in adulto*

Vt validè Ordines recipiantur, tria in adulto requiruntur aliquin capaci, nempe debita materia, debita forma, & intentio tam Ministri, quàm recipientis. Vt recipiantur cum fructu, requiritur in suscipiente conscientia absque lethalis criminis labe, recta intentio, ac morum probitas. De iis passim Doctores citati.

capaci aliàs, vt validè ordinetur.

59 *Iuxta Ecclesiastica iura in ritè ordinãdo requiritur actus prærscripta.*

Iuxta Ecclesiastica iura multa requiruntur, vt quis ritè & Canonicè ad Ordines promoueatur. Primò ætas conueniens, quæ ad primam tonsuram, & minores tres est septennium completum. Cap. *De vs, dist. 28.* Pro Acolytho annus duodecimus completus. Cap. *In singulis, scripta. d. 77.* Pro Subdiacono viginti duo. Pro Diacono viginti & tres. Pro Sacerdote vigintiquinque. Trid. *sess. 23. c. 12. de reform.* Pro Episcopo trigesimus annus completus esse debet. Cap. *Cum in cunctis, de elect.* in aliis maioribus Ordinibus sufficit, annum esse cœptum, cum Concilium tantùm præcipiat, vt antè prædictum tempus indefinitè nemo ad sacros Ordines promoueatur, & in fauorabilibus dies cœpta pro completa censeatur. Rodrig. *tom. 3. qq. Regul. q. 23. art. 7.* Reginald. *l. 30. n. 30.* Diana *p. 2. tr. 16. res. 27.*

60 *Qui dubitat de legitima ætate, promoueri non potest.*

Quando quis dubitat, an habeat legitimam ætatem ad Ordines, vel Beneficia, vel ad alium actum requisitam, promoueri non potest. Quia tunc possessio est pro præcepto, & ideo illud seruandum est, donec de ætate constet. Semper enim extat præceptum negatiuum non assumẽdi Ordines antè ætatem; cum verò volens suscipere Ordines toto tempore antecedente dubitationem, habuerit ius certum ad non suscipiendos Ordines, hoc ius certum vinci non debet à iure dubio superueniente. Sanctius *in select. d. 43. n. 7.* Caramu. *lib. 3. Theol. Mor. n. 1357.*

61 *Requiritur vt sit confirmatus, & initiatus prima tonsura.*

Secundò requiritur in ordinando, vt sit confirmatus, & initiatus prima tonsura. Confirmatio tamen non requiritur vt quid essentiale ad Ordines: vnde ordinatio facta non confirmato, est valida. Imò probabilius est, Sacramentum Confirmationis neq; esse ante ordinationem necessarium præcepti necessitate. Quia in iure canonico nullum adest suscipiendæ Confirmationis antè Ordinationem præceptum. Cum autẽ Trid. ait, *Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint*, præceptum non importat, sed decentiam, ac congruitatem. Sotus *in 4. dist. 24. q. 1. art. 4.* Nauar. *c. 22. n. 9.* Victor. *de Ordin. n. 232.* Coninch *d. 20. dub. 10. n. 102.* Marchin. *tr. 1. p. 4. c. 3.* Diana *p. 2. tract. 16. resol. 4. & p. 4. tr. 2. resol. 55.*

62 *Requiritur sufficiens scientia.*

Tertiò requiritur sufficiens scientia ad vniuscuiusque Ordinis vsum. Tridentin. *sess. 23. c. 4.* in promouendis ad primam tonsuram requirit, vt agnoscant fidei rudimenta, & saltem legere, & scribere. Ad minores Ordines requirit, vt linguam Latinam intelligant. In iis verò, qui promouendi sunt ad Subdiaconatum, & Diaconatum exigit cognitionem eorum quæ ad istos Ordines pertinere videantur, *sess. 23. cap. 13.* Ad Sacerdotium autem exquirit illam scientiam, qua possit ille initandus populum necessaria ad salutem edocere, ritéque Sacramenta administrare, *sess. 23. cap. 14.* Minor tamen scientia in Regulari, quam in sæculari Clerico desideratur. Quia de illo verisimilius iudicatur, propter aliorum societatem in literis profecturum, quæ præsumptio in sæculari Clerico locum non habet. Modò bene sciat legere, & cantare. Non debent ideo Episcopi nimiùm rigorosè in Religiosorum ordinandorum procedere examine. Miranda *tom. 1. quæst. 8. art. 7.* Rodriguez *tom. 1.*

qq. Regul. quæstion. 24. artic. 7. Barbos. de potest. Episcop. allegat. 46. numero 14. Tamburinus tom. 2. dist. 2. quæst. 21. num. 5. Diana part. 2. tr. 16. resol. 29.

63 *Requiritur morum testimonium.* Quartò requiritur morum testimonium, quod solet tempore scrutinij antequam promoueatur, exhiberi. Tridentinum sess. 23. cap. 5.

64 *Requiruntur interstitia.* Quintò requiruntur interstitia temporum, non solùm in maioribus, verùm etiam in minoribus Ordinibus suscipiendis, itavt qui suscepit vltimum minorum Ordinum, debeat per annum expectare, vt ad sacros Ordines promoueatur. Trident. sess. 23. cap. 11. & 13. Et eadem interstitia vnius anni seruanda sunt à Subdiaconatu ad Diaconatum, & à Diaconatu ad Presbyteratum, nisi necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas iudicio Episcopi aliud exposcat.

65 *Dispensatio interstitiorum ad Episcopum pertinet.* Dispensatio interstitiorum pertinet ad Episcopum etiam respectu Religiosorum exemptorum, non autem ad Prælatum Regularem. Quia Tridentinum huiusmodi dispensationem iudicio, ac arbitrio Episcopi semper relinquit. Et quia hoc fuit à sacra Cardinalium Cõgregatione declaratum. Sorbus *in Compend. priuileg. v. Ordines.* Mirand. *tom. 1. quæst. 38. art. 7.* Barbos. *de potest. Episcop. alleg. 18. num. 10.* Quaranta *v. Ordo.* Marchin. *tract. 1. part. 7. cap. 2. num. 3. 6. 8. & c.* Diana *p. 3. tr. 2. resol. 112.*

66 *Vt dispensare cesseatur, sufficit, quod sciens interstitia aliquem non impleuisse, ipsum ordinet.* Ad hoc autem vt Episcopus dispensare cesseatur, sufficit, quòd sciens ordinandum non impleuisse terminum à Concilio pro interstitio designatum, ipsum ordinet. Quia omne Canonicum impedimentum, cuius dispensatio ad Episcopum pertinet, censetur sublatum, si illud sciens Episcopus ordinauerit. Non posset autem Episcopus ordinans cum non diœcesano in interstitiis dispensare, nisi in dimissoriis hoc ipsi concedatur, provt habetur in sacræ Congregationis declaratione. Barbos. *de potest. Episc. alleg. 18. num. 10.*

67 *Quinam alij possint dispensare.* Dispensare etiam possunt in interstitiis Vicarius generalis Episcopi, & Capitulum, Sede vacante. Imò idem facere possunt Abbates Regulares erga subditos suos Regulares professos, quando eos minoribus Ordinare valent. Quia ad quos spectat ordinare, etiam in interstitiis dispensare spectat.

68 *Qui Ordines suscipit sine interstitiorũ obseruatione, peccat grauiter, sed nullam Censuram incurrit.* Qui Ordines suscipit non seruatis interstitiis, nullam propterea Censuram, aut irregularitatem incurrit. Quia non est in iure expressa. Ordinans autem & ordinatus grauiter delinquunt. Quia sunt Canonum in materia Ordinum, quæ est grauissima, transgressores. Suar. *de Censur. dist. 31. sect. 1. num. 43.* Filliuc. *tract. 10. num. 190.* Diana *p. 4. tr. 2. resol. 55.*

69 *Possunt omnes minores Ordines simul ex rationabili causa conferri.* Potest alicui vna & eadem die Episcopus (aut Abbas hac fruens potestate) omnes minores Ordines conferre ex rationabili causa: non verò primam simul tonsuram, & minores Ordines, præcisa legitima consuetudine. Quia non tolluntur à Tridentino consuetudines ambiguæ, nisi vbi id præcisè declarat: sic fuisse declaratum à sacra Congregatione testantur Suar. *de Censur. dist. 31. sect. 1. num. 41.* Mirand. *tom. 1. q. 38. art. 8. concl. 2.* Sorbus *v. Ordines sacri.* Rodrig. *tom. 1. Regul. qq. quæst. 23. art. 4. & in sum. part. 2. cap. 16.*

70 *Imò ex causa* Imò secluſa consuetudine nostra iam tempe- *iusta possunt simul minores, & Subdiaconatus dari.* minores omnes & etiam Subdiaconatum conferre. Quia id nullo iure Canonico est vetitum: & in Tridentino *sess. 23. cap. 13. de reformat.* solum prohibetur duos Ordines sacros eidem die conferri. Gutier. *lib. 1. qq. Canon. q. 26. num. 31.* Molfes. *tract. 2. cap. 8.* Vasq. *dist. 246. cap. 5. num. 48.* Diana *p. 2. tract. 16. resol. 28.* Solent laudabilius Episcopi die antecedente Sabbathum Ordinationum, minoribus ordinandos initiare, vt sequenti die eosdem ex causa iusta ad Subdiaconatum promoueant. Quam consuetudinem in Hispania vigere testor cum Vasquesio *citato.*

71 *Item requiritur, vt ordinandus non sit Censura illigatus.* Sextò requiritur, vt ordinandus non sit aliqua Censura præsertim excommunicatione irretitus. Quia priuat excommunicatio Sacramentorum susceptione. Nauar. *cap. 25. n. 69.* Suar. *de Censur. dist. 31. sect. 1. n. 57.*

72 *Requiritur ordinata Ordinum receptio.* Septimò requiritur ordinata receptio, id est, vt non prius altior Ordo, quàm inferior assumatur: quamuis Ordo collatus sit validus, nec repetendus. Excipe Episcopatum, qui ante Sacerdotium, validus non esset. Porrò Ordinatus per saltum est ipso iure suspensus ab Ordine, quem per saltum suscepit: éstque impeditus, ne alios Ordines, si qui recipiendi restarent, recipere valeat. Cap. vnic. *de Cler. Ordin. per saltum.* Cap. *Solicitudo, dist. 52.* Trident. *sess. 23. c. 14. de reform.* Si verò in hoc Ordine malè suscepto ministrauerit, vel nouum suscepserit, irregularis efficitur.

73 *Requiritur titulus Beneficij, aut patrimonij, aut paupertatis.* Octauò requiritur titulus ad sacros Ordines recipiendos: qui triplex est, vel Beneficij, vel Patrimonij, vel Paupertatis, seu professionis solemnis in Religione approbata. Ad quam reuocatur titulus Societatis nostræ post biennium probationis. Ex cõcessione enim Gregorij XIII. post vota simplicia etiam ante solemnem professionem Religiosi Societatis quemcunque Ordinem sacrum possunt recipere de Præpositi Generalis mandato.

74 *Qui sine titulo per fraudem promouetur, suspensionem incurrit.* Qui mala fide per fraudem sine titulo promouetur, suspensionem incurrit: sicut & ille, qui recipit sacros Ordines ficto patrimonio, vel Beneficio, gerendo pactum cum Episcopo ordinante ante Ordinis susceptionem, vel cum patrono præsentante, non petendi victum. Auila 3. *part. dist. 5. dub. 4.* Nauar. *Consil. lib. 1. cons. 15.* Suar. *de Censur. d. 31. num. 33.* Et ex Cap. *si quis, de simonia* habetur, Episcopum vel patronum præsentantem per triennium esse suspensum.

75 *Non afficitur suspensione, qui Subdiaconatus suscepto, patrimonij titulo, illud resignauit, & Diaconatum iniit.* Hac tamen suspensione non afficitur, qui postquam Ordinem Subdiaconatus suscepit, ad titulum patrimonij sibi donati, illud resignauit in fauorem donatoris, vel alterius, & deinde absque nouo titulo promotus est ad Diaconatum, vel sacerdotium. Quia hic non dicitur recepisse Diaconatum, aut sacerdotium sine vero patrimonij titulo: cùm talis renunciatio ex decreto Tridentini *sess. 21. cap. 2. de reform.* prohibentis, ne pensio, aut patrimonium, ad cuius titulum quis fuit ordinatus, absque Episcopi licentia alienari, aut remitti possit, donec is Beneficium Ecclesiasticum sufficiens fuerit consecutus: vel aliunde habeat, vnde viuat. Quaranta *v. Ordo.* Henriq. *lib. 13. cap. 37. n. 2.* Rodrig. *sum. p. 2. cap. 15. n. 4.* Ledesm. *de Ordin. cap. 7. difficult. 3. concl. 6.* Tolet. *lib. 1. cap. 49. n. 5.* Diana *part. 3. tract. 4. resol. 184.*

CAPVT

CAPVT V.

De Ordinis Effectibus.

76 Primus Sacramenti Ordinis effectus primus gratia.

ORDINIS Sacramentum duplicem habet effectum. Primus est, duplicem gratiam impertiri, habitualem scilicet, in quantum est Sacramentum, seu iustificantem augendo ipsam ex opere operato; & propriam, qua dignè qui recipitur Ordo à suscipiente ministretur. Quia cum Dei opera sint perfectissima, nunquam alicui Deus aliquod munus confert, quin etiam illi tribuat media necessaria ad tale munus rectè exercendum. Sicut igitur in Baptismo confertur gratia ad reliqua Sacramenta dignè recipienda, ita in Ordinatione gratia iustificans datur, qua sanctè ac religiosè eadem Sacramenta possint administrari. Hoc Catholica fides edocet contra hæreticos nostri temporis, qui dicunt Sacramenta non esse causas gratiæ, sed solùm instar picturæ commonefacere, & excitare fidem. Trident. *sess.7.can.*8. D.Thom. *in supplem.3. part. quæst.35.art.*1. Sylui. *ibi.* Bonac. *de Ord.q.vnic. punct.6.num.*3. Marchin. *tr.*1.*part.*3.*c.*1. Filliuc. *tr.9.c.3.num.*52.& 53.

77 Secundus effectus Ordinis character.

Secundus effectus Ordinis est Character, qui imprimitur tam in maioribus, quam in minoribus Ordinibus, & integrè confertur, cum integra materia & forma completur in singulis. Quia per quemlibet Ordinem aliquis constituitur suprà plebem in aliquo gradu potestatis ordinatæ ad Sacramentorum dispensationem. Deinde omnes Ordines semel suscepti perpetuo manent, nec vnquam iterantur, vt probat totius Ecclesiæ perpetuus consensus. Propterea Tridentinum damnans hæreticorum dogma asserentium noui Testamenti Ministros temporariam solùm potestatem habere, semélque Ordinatos posse iterum fieri laïcos: definiuit sub anathemate, in Sacramento Ordinis Characterem imprimi. *Sess.7.can.*9.& *sess.*23.*can.*4. Vasq. *tom.*3.*in* 3.*p.d.*243.& 244. Reginald. *l.*30.*num.* 3.& 16. Sayr. *de sacr.l.*5.*c.*1.*q.vii.art.*2.

78 Qualis Character Ordinis.

Est autem Character quædam qualitas supernaturalis indebilis animæ inhærens: qua quasi quodam signaculo Ordinatus à non Ordinatis distinguitur, & ad munia & officia Ordinis suscepti exercenda destinatur. Omnia enim Sacramenta, quæ reiterationem excludunt in illius signum hunc effectum habent. Cum ergo tam ordines maiores, quam minores reiterationem excludant, & illis ordinati ad diuersa munia destinentur, singulis Ordinibus suus Character imprimitur. Valent. *d.*9.*q.*2.*punct.vni.* Coninch. *d.*20.*dub.*8. Bonac. *dist.*8.*q.vni.punct.*6. *num.*3.

79 Ordinati sacerdotes Ecclesiastico iure onus habeant adiunctum, non iure diuino.

Proprium est Sacrorum Ordinum, vt cœlibatus Ecclesiastico iure onus habeant adiunctum; non iure diuino. Quia Tridentinum *sess.*24. *can.*9. sic præscripsit: *Si quis dixerit, Clericos insacris constitutos, vel Regulares solemniter castitatem professos posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, anathema sit.* Quibus verbis cœlibatum Sacrum virorum, non in diuinum aliquod præceptum, sed in legem Ecclesiasticam quoad Clericos, & in solemne votum quoad professos, Patres Concilij retulerunt. Ergò manifestum est, prædictorum cœlibatum non à iure diuino, sed ab Ecclesiastico ortū habuisse. Quod ex eo confirmatim, quia talis lex diuina positiua neque ex scriptura sacra, neque ex Patrum traditione colligitur. D. Thom. 2.2.*q.*88. *a.*11. Bellarm. *lib.*1. *de Cler. c.*18.& 19. Caiet. *tom.*1. *Opusc. tr.*27. Laym. *lib.*5. *tr.*9. *c.*11. *n.*1. Marchin. *tr.*2. *p.*6. *c.*8. *diffic.*1. Hurtad. *tr. de Ord. diffic.*24.

Certum quidem est, nec licita, nec valida apud Græcos fuisse coniugia inita post Sacerdotium susceptum: & id semper in omnibus Catholicis Ecclesiis etiam Orientalibus obseruatum esse constat, itaut nullo ex omnibus fæculis desumpto exemplo, hæretici nostri temporis ostendere possint, Sacerdotem id est, Episcopum, vel Presbyterum cum approbatione Ecclesiæ Orientalis vxorem duxisse. Ideò probabile est, iure diuino à nouo Matrimonio contrahendo Sacerdotem prohiberi. Quia licèt id in Euangelio non exprimatur, tamen videtur obseruatum à tempore Apostolorum: quod indicat Christi Ordinationem, nam statuti huius principium ignoratur. Quamuis Pontifex authoritate Christi ex graui causa possit cum vno aut altero Sacerdote dispensare, vt ducat vxorem. Bellarm. *lib.*1. *de Cleric. c.*18. Maior *in* 4. *dist.*24.*q.*2. Couarru. *de Matrim.p.*2.*cap.*6.§.3. Azor. *tom.*1. *lib.*13.*c.*14.*q.*7. Henriq. *lib.*10.*c.*14. *num.*5. Filliuc. *tract.9.n.*66. Sanch. *de Matrim. lib.*7. *dist.*28.

80 *Nunquam coniugia inita post Sacerdotium fuêre licita, nec valida.*

Queisdam tamen in locis permissum fuisse Diaconis vxores ducere, si in susceptione Ordinis continentiam non promiserant, colligi videtur ex Concilio Ancirano *cap.*10. De Subdiaconis verò ex Gregorio *lib.* 1. *Epist.* 22. *ad Petr. Diacon.*

81 *Queisdam in locis permissum Subdiaconis, & Diaconis.*

CAPVT VI.

De tempore, quo sint Ordines conferendi.

EX generali Ecclesiæ consuetudine prima tonsura quouis tempore, quocunque die festiua, aut feriata potest impertiri. Ita Doctores ad cap. penult. *de tempor. Ordinat.* Minores Ordines queiscunque diebus Dominicis, ac festis solemnibus, modò non sint tot Ordinandi, vt generalis Ordinatio videatur, quæ solis præscriptis temporibus etiam quoad minores est peragenda. Ex iusta tamen causa minores conferri possunt in ieiunio Quatuor temporum ante Sabbathum: & hoc pluribus in locis consuetudine introductum est, ne quis in eodem Sabbathi die simul Ordines minores, ac Subdiaconatum accipiat: quamuis id non sit prohibitum. Quinimò in rigore iuris nec videtur vetitum, quasunque die minores conferre. cap. *Quando dist.*75.

82 *Queisnā temporibus Ordines sint conferendi.*

Ordines sacri solis præscriptis temporibus generalium Ordinationum tradi possunt, nempè in Sabbato Quatuor temporum anni, & in Sabbatho antè Dominicam Passionis, & in Sabbatho ante Dominicam Resurrectionis. Cap. *De eo autem, de tempor. Ordinat.*

83 *Ordines sacri solis præscriptis temporibus conferri possunt.*

84 *Ordines maiores & minores validè extra Missarum solemnia conferri valent.*

Quamuis propter reuerentiam Ordines siue maiores, siue minores conferri debeant ab Episcopo inter Missarum solemnia, & ieiuno, vt consulit Tridentinum *sess.23.c.8.de reformat.* Si tamen secus fiat, Ordinatio tenet, nec vllam Ordinatus suspensionem incurrit, dummodo seruetur vera forma, & materia Ordinationis. Marchin. *de Ordin.tract.1.part.7.cap.5.numero* 17.& 18.

85 *Licet Episcopo, aliquando ex iusta causa Ordines maiores die Dominica conferre.*

Licebit Episcopo aliquando ex iusta causa maiores Ordines die Dominica conferre, nempe mane diei Dominicæ immediatè sequentis generalem Ordinationem: si in Sabbatho ob ordinandorum ingentem numerum Ordinationes expediri non potuerint: dummodò continuetur ieiunium Ecclesiasticum tam ab Ordinante, quam ab Ordinando. Cap. *Quod à patribus, dist.75.* Quia in eo casu fictione Canonica mane diei sequentis trahitur ad vesperam Sabbathi præcedentis: & sic Ordines dicuntur in Sabbatho assignato conferri. Henriq. *lib.10.c.12.n.2.* Sylvest. *v.Ordo 2.q.6.* Villalob. *in sum. tom.1.tr.11.diffic.13.* Marchin. *tr.2.p.7.c.5.n.9.* Diana *p.2.tr.16.resol.28.*

86 *Ordinatus extra tempora sine dispensatione, suspensionè ab executione Ordinis incurrit.*

Ordinatus extra tempora legitima absque speciali summi Præsulis dispensatione suspensionem ab executione Ordinis incurrit, vt habetur in Extrauag. Pij II. *Cum ex sacrorum.* Et hæc suspensio est perpetua à solo Papa dispensabilis. Barbos. *de potest.Episc.all.17.n.14.* Bonac. *de Censur.d.5.q.6.punct.5.* Scio tamen Episcopum posse ab hac suspensione absoluere, si sit occulta ex Trid. *sess.24.c.6.de reform.*

87 *Episcopatus nequit nisi in Dominica die conferri.*

Verum Episcopatus non potest nisi in die Dominica conferri, vt constat ex antiqua Ecclesiæ praxi, & tradit leo 1. *Ep.79.c.1.* & refertur in Cap. *Quod die, dist.75.*

88 *Religiosi possunt extra tempora ex variis priuilegijs Ordinari.*

Religiosi possunt extra tempora Ordines recipere. Quia ad hoc variis priuilegiis potiuntur. Extat inter præcipua priuilegium Gregorij XIII. pro nostra Societate, quo præcipit ordinariis vt Iesuitas suorum superiorum licentiam habentes Ordinent etiam extrà tempora in tribus festis continuis, & non seruatis interstitiis, & absque vlla Ordinum expressa functione, nec eos circa cantum, officia, aut cæremonias Ecclesiasticas vocitent ad examen. At quamuis idem Gregorius prohibuerit, hoc priuilegium aliis Ordinibus priuilegia Societatis participantibus communicari: & ideo Suarius noster *de legib.lib.8.cap.17.num.8.* Vasquez *tom.3. in 3.part. dist.246. cap.5. num.50.* & Hurtado Complutensis *tract.de Ordin. difficult.23.* asseruerint, hoc priuilegium ita societati esse proprium, vt aliis Religionibus non communicetur, etiamsi in priuilegiis eiusdem participent: nihilominus alij Ordines, vt Theatini, & Barnabitæ hoc priuilegio potiuntur. Quia alij Pontifices post Gregorium XIII. his Ordinibus absque vlla limitatione concesserunt Societatis priuilegiis frui. Marchin. *tract.1.part.7. cap.7.* Præterea eodem priuilegio potiuntur Fratres Minores, & ij, qui eorum priuilegia sectantur, concessis scilicet, & concedendis. Quia Clemens VIII. & Paulus V. priuilegia Fratrum Minorum ex certa scientia, motu proprio, & de plenitudine potestatis confirmarunt. Ad hæc idem priuilegium Monachis D. Hieronymi, & S. Benedicti Alexander VI. & Eugenius IV. concessêre: quod non esse à Tridentino reuocatum, docent Rodriguez *tom.1.qq.Regul.q.55. artic.17.& tom.3.quæst.23.art.5.* Barbos. *de potest.Episc. allegat.17. part.1. num.6.* Denique testantur Portellus *de dub. Regul.v. Ordines sacri, num.4.* & Diana *part.3. tract.2. resolut.31. & 112.* Simile priuilegium Ordini siue Congregationi S. Ioannis Euangelistæ in Portugalia fuisse à Clemente VIII. die 23. Nouembris anno 1596. concessum: vt scilicet possint Ordinibus initiari extrà tempora, & per quemcunque Episcopum tribus Dominicis, vel festis continuis, vel interpolatis, non seruatis interstitiis à Tridentino designatis.

SECTIO SECVNDA.

De Ordinis Sacramento, Problemata.

CAPVT VII.

Circa naturam, quidditatem, ac numerum Ordinum.

PROBL. I.

Prima Tonsura est, & non est verus Ordo Ecclesiasticus.

89 *Verus est Ordo.*

VERVS est Ordo. Quia in Cap. *Cum contingat, de ætate & qualit. Ordinand.* prima Tonsura vocatur *Ordo Clericalis.* & eodem nomine vocat Glossa ad cap. *Nullus, de temporib. ordinat. in 6.* Et quia Tonsurâ initiati Clericalibus gaudent priuilegiis, sunt enim capaces Beneficiorum, quorum sunt incapaces laici. Sic Canonistæ Nauar. *in Manu. cap.22. num.18.* Couar. *in cap. Quia nos, n.4. de priuileg.* Cardin. Alexandr. *in cap. Clericos dist.21.* Garcia *de Benef.p.7.c.1.n.2.* Barbos. *de Offic. & potest. Episc.alleg.2.n.16.& 17.* & alij multi apud Nouarium *tract.1.p.1.n.1.*

Verus Ordo non est. Quia Patres & Concilia, dum omnes alios Ordines enumerant, primæ Tonsuræ non meminerunt. Et quia Ordo, quod est Sacramentum Ecclesiæ constat materia & forma: sed Tonsura nullam habet formam, licet habeat pro materia capillorum abscissionem: ergo Tonsura non est Ordo. Minor probatur, nam verba illa relata in Pontificali Romano: *Dominus pars hæreditatis meæ, &c.* sunt cæremonialia, non substantialia: quare etiam sine illorum prola

90 *Non est verus Ordo.*

prolatione quis fieret Clericus tonsuratus per solam translationem illius à statu laicali ad Ecclesiasticum, de quo inferius. Ità Theologi Magist. *in 4. dist. 24.* Ibi D. Thom. *q. 4. a. 2.* Bonau. Durand. Albert. Richard Palud. Sylvest. *v. Ordo* 1. & alij Summistæ. Suar. *de Sacr. d. 1. sect. 2.* Reginald. *l. 30. n. 4.* Vasq. *tom. 3. in 3. p. d. 236. c. 1.* Bonac. *d. 8. q. vnic. punct. 1. num. 6.* Bellarm. *Opusc. de doctr. Concil. Trid. tit. de Ordine.* Filliuc. *tract. 9. n. 3.* Laym. *lib. 5. tract. 9. cap. 13. num. 3.* & alij, quos refert, & sequitur Nouarius Marchin. *vbi suprà.*

91 *Hoc verius existimo.* Hoc verius existimo. Nam licèt Tridentinum hanc inter Canonistas & Theologos litem noluit dirimere: si quis tamen attentè verba Concilij perpendat, planè conspiciet, ipsum Theologorum sententiæ valdè fauere. Nam *sess. 23. c. 2.* ait: *Vt qui iam Clericali tonsurâ insigniti sunt, per minores ad maiores ascendant.* Vbi distinguit primam tonsuram à minoribus Ordinibus. Certè in tonsurâ non datur initiato aliqua spiritualis potestas, cum ad nullum certum officium in Ecclesiâ habendum deputetur saltem in Ordine ad Eucharistiæ ministerium ad quod Ordines cuncti diriguntur. Igitur Ordo vocitanda non est.

PROBL. II.

Quatuor minores Ordines sunt, & non sunt veræ Ecclesiæ sacramenta.

92 *Non sunt Sacramentum.* NOn sunt. Quia in primitiuâ Ecclesiâ non fuerunt quatuor minores Ordines, cum de illis nulla fiat mentio. Sic Vasq. *d. 137. c. 2.* Magist. *in 4. dist. 24.* Sotus *q. 1. a. 4. concl. 7.* Nauar. *c. 22. n. 18.* Victor. *n. 226.* Couar. *l. 1. variar. c. 10. n. 10.* Sylvest. *v. Ordo 1. q. 1.* Laym. *lib. 5. tr. 9. c. 4. assert. 4.*

93 *Sacramentum sunt.* Sunt vera Sacramenta. Quia quatuor minores Ordines fuerunt in Ecclesiâ ab initio ipsius: Ergo credi potest collationem eorum fuisse à Christo Domino institutam, & ab ipso, qui Ordinationem instituit in Sacramentum, etiam fuisse in Sacramentum addictam, sicut etiam Ordinationem maiorem. Antecedens traditur à Tridentino *sess. 23. c. 2.* dum de Subdiaconatu, & de quatuor minoribus Ordinibus ait, eorum nomina, & ministeria fuisse ab initio Ecclesiæ. Id significat Clemens dùm *Epist. 2. ad fratrem Domini*, eorum mentionem facit, & Cornelius Pontifex circa annum Domini 255 *Epist. ad Fabian.* & Caius *Epist. ad Felicem* & Concil. Rom. sub Sylvestro *Can. 2.* dum ordines minores enumerat vt rem in Ecclesiâ antiquam. Ita Hurtad. *hic disp. 9.* Ledesm. *diffic. 8. concl. 3.* Victor. *q. 226.* Altee Ledesm. *in sum. hic c. 1. post. 3. concl.* Bellarm. *tom. 3. de Ord. c. 7. & 8.* Henriq. *l. 10. c. 2. n. 2.* dicens oppositum à Guido errorem reputari. Nimis acris censura. Reginald. *l. 30. num. 17.* Filliuc. *tract. 9. num. 28.* Dicastil. *d. 1. dub. 8.*

94 *Probabilius admodum hoc iudico, dum lego pro. Eugenium IV. in suo decreto.* Probabilius admodum hoc iudico, dum lego Eugenium IV. *in suo decreto* postquàm definiuit Ordinem esse Sacramentum, & materiam illius esse illud, per cuius traditionem Ordo confertur, & assignauit materiam Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus, addit: *Et similiter de aliis per rerum ad sua ministeria pertinentium assignationem.* Quo absque dubio supponit etiam minores Ordines esse Sacramentum. Id etiam indicat haud obscurè Tridentinum *sess. 23. c. 2. & 3. & can. 4.* Nam postquam *c. 2.* enumerat Ordines maiores & minores, *c. 3. & can. 3.* absoluta, & absque vllâ limitatione Ordinationem appellat sacram, & definit esse Sacramentum, ac proinde appellat *sacram* non in eo sensu, in quo Ordines maiores sacri, sed quia est Sacramentum.

PROBL. III.

Diaconatus est, & non est verum nouæ Legis Sacramentum.

NOn est Sacramentum. Quia Sacramentum Ordinis confertur, vt quis fiat potens ad conficienda Sacramenta: sicut Sacramentum Baptismi confertur, vt quis fiat habilis ad recipienda reliqua Sacramenta: sed per Ordinationem Diaconi non datur potestas aliqua ad conficienda Sacramenta: Ergo Sacramentum non est, sed tantum præparationes quædam ad Sacramentum Sacerdotij: sicut exorcismus, & catechismus ad Sacramentum Baptismi. Et quia Ordinationis Diaconi ad *altare* nulla fit mentio in scriptura, sed tantum ad *mensæ* ministerium, ad quod nullum Sacramentum recipiebatur. Sic Durand. *in 4. dist. 24. q. 2.* Caiet. *tom. 1. Opusc. tr. 11.* Salmeron. *apud Philibert. tr. 2. de Ordin. p. 7. c. 1. n. 9. & 10.* volentes, Diaconatum ab Apostolis fuisse institutum Baron. *tom. 1. anno Domini 34.* Hanc sententiam dicunt esse probabilem Victor. *de Sacram. n. 226. & 235.* Sotus *dist. 24. q. 1. a. 4.* Martin. de Ledesm. *p. 4. q. 40. a. 1.* Laym. *lib. 5. tract. 9. cap. 4. num. 4.* 95 *Non est Sacramentum.*

Sacramentum est. Quia in Ordinatione Diaconi ordinans dicit: *Accipe Spiritum Sanctum:* Ergo per eam confertur gratia sanctificans, media qua Spiritus sanctus simpliciter, & absolutè confertur siue præfatis verbis, & impositione manuum facta ab Episcopo sub illis: siue traditione libri Euangeliorum, & verbis ipsi correspondentibus: siue omnibus simul. Et quia Diaconus accipit potestatem proximè assistendi Sacerdoti celebranti, & eo absente, Eucharistiam ministrandi ægrotis, cantandique Euangelium in Missæ sacrificio: Ergo est Sacramentum. Ità omnes Theologi, & Canonistæ. Henriq. *l. 10. c. 2. n. 2.* Sa *v. Ordo, n. 1.* Petr. Soto *sect. 4. de Ord.* Miran. *in Man. Prael. q. 38. a. 10.* Cornel. à Lapi. *ad Cap. 6. Actu.* Palaus *hic punct. 3. n. 6.* dicens, id esse certum. Trul. *lib. 6. dub. 2. numero 10.* 96 *Est Sacramentum.*

Æstimo cum nostro Henriquez citato, primâ sententiam non esse tutam, ne dicam temerariam. Quia Anastasius II. *Epist. ad Anastas. Imperat. c. 7.* contrarium expressit, & satis significat Tridentinum *sess. 23. can. 6.* esse reiiciendam dum ait: *Si quis dixerit in Ecclesiâ Catholicâ non esse Hierarchiam diuinâ ordinatione institutam, anathema sit.* Vbi per Ministros vt minimùm Diaconi intelliguntur. Si ergo ordinatio Diaconi instituta est à Christo sicut ordinatio Presbyteri, 97 *Primam improbo sententiam secundæ certam puto.*

byteri, & Episcopi absque dubio instituta est Sacramentum, sicut Ptesbyteri, ac Episcopi ordinatio. Assero itáque primam sententiam parum esse tutam, secundam autem certam non tamen de fide.

PROBL. IV.

Subdiaconatus est, & non est verum nouæ Legis Sacramentum.

98 *Non est Sacramentum.* SAcramentum non est Subdiaconi ordinatio. Quia huius ordinatio confertur absque manuum impositione, quæ ad Sacramentum Ordinis necessaria est: nam Sacramentum Ordinis per eam significatur. Et quia Ordo Subdiaconi non fuit Sacer ab initio Ecclesiæ, vt constat ex cap. *Nullus, dist.* 60. & ex cap. *A multis, de ætate, & qualit. ordinand.* Ergo Ordinatio Subdiaconi non fuit à Christo instituta in Sacramentum, ex tunc enim Ordo Subdiaconi esset Sacer. Sic Durand. Caiet. *tom.* 1. *Opusc. tract.* 11. Magist. *in* 4. *dist.* 24. *§. septimus Ordo.* Durand. *ibi.* Gratian. *in decret. dist.* 21. §. 1. Ayala *l. de trad. Apost. c. de Ordin.* Maldonat. *q.* 3. *de Ord.* Ait esse probabile Victor. *n.* 226. Sotus *dist.* 24. *q.* 1. *art.* 4. Machado *tom.* 2. *l.* 4. *p.* 1. *tract.* 7. *docum.* 1. *num.* 2.

99 *Sacramentū est.* Subdiaconatus Ordo Sacramentum est. Quia ratio qua *Probl.* 2. probauimus quatuor minores Ordines esse Sacramentū nouæ Legis, in Subdiaconatu non minori militat causa, imò maiore; nam Subdiaconatus est Ordo illis perfectior, vtpotè institutus ad ministrandum proximè in altari Presbytero celebranti, quod minoribus Ordinibus non conuenit. Et quia Subdiaconus per suam ordinationem verè recipit spiritualem potestatem ad sacrum aliquod exercendum, nempè ad hoc vt Calicem & Patenam deferat ad Altare, & Diacono porrigat: vinum, & aquam supeditet ad sacrificium: Epistolam solemniter in Missâ cantet: Ergo est verum Sacramentum. Ita Doctores communiter. Palaus *tom.* 4. *tract.* 27. *punct.* 3. Gesuald. 1. *p. sum. tract.* 31. *c.* 2. *à n.* 14. D. Thom. *in* 4. *dist.* 24. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. Bonau. *art.* 1. *q.* 1. Richard. *art.* 3. *q.* 3. Palud. *art.* 3. *q.* 1. Valent. *d.* 9. *q.* 1. Vasq. *d.* 238. Coninch. *d.* 28. *dub.* 6. Adam. *d.* 7. *q.* 2. *dub.* 2. Hurtad. *hic diffic.* 8.

100 *Auctoris censura.* Scio aliquos Doctores asseruisse, hanc sententiam esse de fide: aliquem autem esse hæreticum putasse, qui Subdiaconatum à Sacramento excludit. Hos autem nimis rigidè locutos fuisse reor, illud autem certum, Tridentinum secundam sententiam approbare videri, dum *sess.* 23. *can.* 6. fatur: *Si quis dixerit, in Ecclesiâ Catholicâ non esse Hierarchiam diuinâ Ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit.* Vbi per Ministros Diaconos, & Subdiaconos qui Altari immediatè ministrant intelligi, quis dubitare potest?

PROBL. V.

Episcopatus est, & non est Ordo Ecclesiasticus.

101 *Non est Ordo Ecclesiasticus.* SVppono contra hæreticos, Episcopatum esse à simplici Sacerdotio distinctum saltem tanquam includentem ab incluso. Quæsierim tamen, num Episcopatus provt à Sacerdotio simplici distinctus, & ipsi superadditus sit Ordo Ecclesiasticus? Non est. Quia Episcopatus provt à simplici Sacerdotio distinctus, non est potestas ad consecrandum, nec ad ministrandum Sacerdoti consecranti. Et quia aliàs essent octo Ordines Ecclesiastici. Et quia ailàs Episcopatus vt distinctus à Sacerdotio peculiarè characterem imprimeret. Sic Albert. *in* 4. *d.* 24. *a.* 3. 9. Sot. *q.* 1. *a.* 2. *&* 3. Ferra. 4. *contra gent. c.* 76. Henr. *l.* 10. *c.* 2. Reginald. *l.* 30. *tr.* 1. Bonac. *d.* 8. *punct.* 1.

102 *Ecclesiasticus Ordo est.* Est quidem Ecclesiasticus Ordo. Quia Episcopatus provt à simplici Sacerdotio distinctus, & ipsi superadditus, est gradus quidam & potestas in Ecclesiâ Dei ritu Ecclesiastico, & modo stabili collata in ordine ad sacrificium Missæ, nempè ad efficiendas Sacerdotes potentes in Altari sacrificare, & alios Ministros Sacrificio seruientes: Ergo verè & strictè est Ordo Ecclesiasticus. Ità Altisiodor. *l.* 4. *summ. tract.* 8. *q.* 1. Maior *in* 4. *dist.* 24. *q.* 1. Valent. *d.* 9. *q.* 1. *p.* 4. Vasq. *d.* 240. *c.* 3. Coninch. *d.* 20. *dub.* 2. Adam. *d.* 7. *q.* 2. *dub.* 3. Becan. *c.* 26. *q.* 2. Hurtad. *hic diffic.* 3.

103 *Hoc mihi probabilius.* Hoc probabilius reor. Quia mentem esse Tridentini existimo, *sess.* 23. *c.* 4. profantis: *Proinde Sacrosancta Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipuè pertinere.* Et *can.* 6. citato: *Si quis dixerit, in Ecclesiâ Catholicâ non esse Hierarchiam diuina ordinatione institutam, quæ constat Ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris anathema sit.* Ergò ex Concilio satis apertè innuitur Episcopatum esse verum Ordinem sicut est Sacerdotis ordinatio. Præterea in Ordinatione Episcopi producitur gratia ex opere operato, vt constat ex illis verbis, *Accipe Spiritum Sanctum:* producitur Character, cum Episcopus, in sui ordinatione accipiat veram, nouam, realem, & indelebilem potestatem ordinandi Ministros Ecclesiæ, & conferendi confirmationis Sacramentum. Profectò quamvis Episcopatus provt à simplici Sacerdotio distinctus, si ordo Ecclesiasticus: non tamen sunt octo Ordines; quia vt sic distinctus non est Ordo totalis distinctus totaliter à Sacerdotio simplici, sed tantùm partialis ab ipso partialiter distinctus; nā ex Episcopatu vt sic, & ex simplici Sacerdotio integratur, ac perficitur vnum Sacerdotium.

PROBL. VI.

Ordinatio Episcopi est, & non est nouæ Legis Sacramentum.

104 *Non est Sacramentum.* NOn est Sacramentum. Quia Episcopatus prout super additus Sacerdotio, Ordo non est.

est. Et quia in ordinatione Episcopi nulla est materia, neque forma, quibus constare Sacramenta quis dubitat? Sic Richar. *in 4. dist. 24. a. 2. q. 3.* Sotus *q. 1. art. 3.* Couar. *l. 1. variar. c. 10. n. 15.* & alij.

105 Sacramentum est. Quia in ordinatione Episcopi absolutè & simpliciter confertur Spiritus Sanctus: Ergò in eâ confertur gratia sanctificans. Consequentia probatur: quia Spiritus Sanctus non datur simpliciter nisi media gratia sanctificante. Antecedens verò constat, tum ex Tridentino *sess. 23. Can. 4.* vbi generaliter dicitur, per sacram ordinationem conferri Spiritum Sanctum, tum ex formâ ordinationis Episcopi, in quâ ordinans dicit, *Accipe Spiritum Sanctum:* Ita Durand. *in 4. dist. 24. q. 6.* Medin. *l. 1. de contin. c. 15.* Bellarm. *hic, c. 5.* Valent. *d. 9. q. 1. p. 4.* Vasq. *d. 240. c. 4.* Coninch. *d. 20. dub. 6.* Adam. *d. 7. q. 2. dub. 2.* Becan. *cap. 26. quæst. 3.* Hurtad. *hic, diffic. 7.*

106 Hanc sententiam meritò primæ præferendam existimo, tum quia Episcopatum Ordinem esse, *Probl. 5.* constat; tùm quia forma, & materia perfici, non dubito. Materia enim proxima in ordinatione Episcopi est manuum Episcoporum consecrantium impositio: forma verò verba illa simul à tribus Episcopis manus imponentibus prolata: *Accipe Spiritum Sanctum.* Quod non obscurè deduxerim ex Paulo *1. Timot. 4.* dum enim sermonem instituit de ordinatione Timothei in Episcopum, ait: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij*, id est, conuentus Episcoporum. Certè si in ordinatione Episcopi per impositionem manuum Episcoporum, & per prophetiam, id est, per verba illa, *Accipe Spiritum Sanctum* confertur gratia: absque dubio manuum impositio est materia proxima, & præfarata verba sunt forma.

Hanc probo sententiam.

PROBL. VII.

In Episcopi Ordinatione infunditur, & non infunditur nouus Character à Sacerdotali Charactere distinctus.

107 Potestas Episcopalis realis quidem est, & indelebilis: sed non est noua qualitas, vel nouus Character à Charactere sacerdotali distinctus: sed ipse Character presbyteralis magis extenditur: per quam extensionē potest Episcopus nouos actus iure diuino exercere, quos prius non poterat ante Episcopalem consecrationem. Quia Episcopi ordinatio non est distincta à sacerdotali sed eius extensio: Ergo Character distinctus nō est, sed solùm extentio, & dilatio Characteris sacerdotalis. Sic Viuald. *tr. de Ord. n. 13.* Sanch. *tom. 2. opusc. l. 2. cap. 1. dub. 9. n. 5. & dub. 2. n. 21.* Henriq. *l. 10. c. 7.*

Nouus Character non infunditur.

108 In Ordinatione Episcopi nouus Character infunditur, à Charactere sacerdotali distinctus. Quia consecratio Episcopi est vera Ordinatio sacra & distincta, vtpotè solemnior, & superior ordinatione sacerdotali, vt definit Trid. *sess. 23. c. 4. & can. 9.* At omnis ordinatio sacra est verè & propriè Sacramentum vt etiam definit ibi Trident. *Can. 3.* Ergo consecratio Episcopi est verè Sacramentum Ordinis, distincta realiter ab ordinatione Sacerdotis. Tunc sic: Sed Sacramentum Ordinis imprimit Characterem, vt Concilium *Can. 4.* definit: Ergo ordinatio Episcopi imprimit Characterem distinctum à Charactere sacerdotali. Deindè quia potestas, quæ tribuitur Episcopo est distincta in specie ab illâ quæ tribuitur Sacerdoti per suam ordinationem: Ergo non possunt esse vna in specie qualitas, vnus in specie Character. Patet consequentia: antecedens verò probatur, quia potestas Episcopalis, ac Sacerdotalis respiciunt obiecta specie distincta: illa enim habet pro obiecto confirmare, & ordinare, hæc verò Corpus consecrare Dominicum: Ergo non sunt vna qualitas, sed diuersæ. Ita Marchin. *tr. 1. de ord. p. 1. c. 11. n. 18.* Hurtad. *hic, diffic. 3.* Petr. à S. Ioseph. *tom. 2. de Sacr. d. 7. sect. 2.* Leand. *p. 2. tr. 6. d. 1. q. 12.*

Ego autem consequenter ad ea quæ *Probl. 5.* asserui, dixerim, per Episcopatum imprimi Characterem partialiter distinctum à Charactere Sacerdotis ad consecrandum, & à Charactere ad absoluendum à peccatis: ex quibus tribus quasi ex partibus integrantibus vnus totalis Character Sacerdotis perfecti constituitur, ita tamen vt Character ad efficiendos Sacerdotes nequeat validè imprimi, non præsuppositis duobus primis: sicut neque Character ad absoluendum, non præsupposito Charactere ad consecrandum, quamvis omnes hi tres possint imprimi absque inferiorum Ordinum Characteribus.

109 *Cum his opinor.*

PROBL. VIII.

Qui Sacerdotio non fungitur, potest, & non potest in Episcopum consecrari.

110 NOn Sacerdos potest in Episcopum consecrari. Quia in Ordinatione Episcopi nouus imprimitur Character: Ergo potest quis validè consecrari in Episcopum, licèt non sit Sacerdos: sicut validè potest fieri Diaconus qui non est Subdiaconus; aut Presbyter qui Diaconus non est propter eandem rationem. Non poterit tamen nisi Presbyteratum ineat Episcopalem exercere potestatem. Sic Marcus Anton. Cuchus *l. 2. institut. tit. 6. n. 20.* Ioan. Andr. *ad cap. 1. de Clerico per saltum prom.* Iacobat. *de Concil. l. 10. a. 7.* quos sequitur Couar. *l. 1. variar. c. 10. n. 16.*

Potest consecrari.

111 Non Sacerdos non potest consecrari in Episcopum. Quia Episcopatus claudit essentialiter Ordinem, & potestatem sacerdotalem, non verò Diaconatus Subdiaconatum: Ergò repugnat quem consecrari in Episcopum qui prius sit Sacerdos. Probatur antecedens qui Episcopatus est summum & perfectum Sacerdotium: Ergo debet includere in suo conceptu formali adæquato Sacerdotalem potestatem. Ita Sayr. *l. 7. de Censur. c. 10. n. 41.* Suar. *de censur. d. 31. sect. 1. n. 53.* Vasq. *to. 3. in 3. p. d. 240. n. 54. & d. 243. num. 24.* Hurtad. *hic, diffic. 3.* Leand. *tr. 6. d. 1. quæst. 13.*

Consecrari non potest.

112 Profectò hanc sententiam certâ omninò puto. Nam sicut potestas absoluendi à peccatis ita ne-

Hoc mihi probabilius.

cessariò

cessariò ex institutione Christi præsupponit potestatem consecrandi, vt hac non præsuppositâ, nequeat illa validè conferri: ita etiam potestas efficiendi Sacerdotes ita necessariò præsupponit Ordinem, & potestatem simplicis Sacerdotij, vt hac non præsuppositâ, nequeat illa validè conferri. Quia Episcopus est Sacerdos perfectus fœcundus, ac potens alios Sacerdotes creare: ideò Episcopus comparatur cum simplici Sacerdote sicut vir perfectus potens generare cum iuuene nondum potente. Si ergo Episcopus ex proprio officio habet, dignitatem sacerdotalem aliis conferre, & nemo dat, quod in se non habet, vel actu, vel eminenter: necessariò quis debet Sacerdos esse, vt sit Episcopus.

PROBL. IX.

Cardinalatus est, & non est verus Ecclesiæ Ordo.

115 *Est verus Ordo.* EST quidem. Quia Cardinalatus fuit à Christo Domino institutus Apostolique fuêre eius veluti Consiliarij, quibus Cardinales Pontificis summi Assessores ac Consiliarij succesſêre. Et quia loco Sacerdotum Leuitici generis succesſerunt, vt sint Papæ coadiutores in Ecclesiæ gubernatione, sicut illi Sacerdotes coadiutores erant summi Hebræorum Pontificis: sed illi Sacerdotes fuerunt à Deo instituti iure diuino: Ergo etiam Romanæ Cardinales Ecclesiæ. Sic Turrecrem. *l.1.sum.c.80.* Cardin. Alban. *tract. de Cardinalat. q.5.* Anton. Barbat. *tract. de potest. Cardin. q.1.* Cardin. Iacobat. *tr. de Conciliis l.1. art.12.* Laudemi. *tr. de Cardinalat. q.7.* D. Antonin. *3.p.tit.21.c.1. & 2.* Mouentur ex textu in Cap. *per venerabilem*, §. *Rationibus qui filij sint legitimi.* Et ex cap. *Fundamenta*, §. *Decet, de elect. in 6.*

114 *Verus Ordo non est.* Non est Ecclesiasticus Ordo, nec Characterem imprimit, nec fuit à Christo Domino institutus. Quia Cardinalatus non habet consecrationem aliquam, nec materiam, nec formam: Ergo neque erit Ordo, neque imprimit Characterem. Et quia datur transitus à gradu Cardinalatus ad gradum laicalem: nam Cardinales nisi sint in sacris constituti possunt, depositâ hâc dignitate, vxorem ducere, & ad sæculum redire: Ergo hæc non est aliqua dignitas ex Christi institutione manans. Ità Cardin. Bellarm. *l.1. de Cleric. c.16. controu.5.* Chamerota *de Sacram. tract.11.c.1.dub.2.* Sotus *in 4.dist.24.q.2.art.4.* Azor. *p.2.l.4.c.1.q.3.* Cardin. Zabarella *in Clement. Ne Romani, ff. Porrò, de election.* Barbat. *consil. 1. n.14.* à contrariâ opinione recedens. Moneta *tr. de Commut. vltim. volunt. c.12.n.75.* vbi cum aliis probat Cardinalatum posse à Papâ extingui; consequenter non erit de iure diuino, neque Ordinis Sacramentum.

115 *Hoc certum mihi, vtarim.* Hoc certum mihi, qui legens Patres, generalia Concilia, Pontificumque decreta, & sæpè aduertens inibi omnes Ordines sacros enumerari Cardinalatus ordinationem omninò silentio præteriri video. Itaque non esse Ecclesiasticum Ordinem affirmo, quia non est potestas in Ordine ad Missæ sacrificium: sed dignitas quædam præcelsa admodum dignitate Episcopali Superior quoad vniuersalitatem regiminis. Nam Cardinalis suo consilio Pontificem iuuat ad vniuersalis Ecclesiæ gubernationem.

CAPVT VIII.

Circa omnium Ordinum in particulari Institutionem.

PROBL. X.

Prima Tonsura constat, & non constat propria materia, & forma.

CONSTAT quidem. Quia verum est Sacramentum: Ergo debet materia ac forma constare, scilicet impositione manus Episcopi, & verbis illis: *Dominus pars hæreditatis meæ.* Sic Torreblanc. *l.15.pract.c.5.n.3.* vbi affirmat, primam Tonsuram per impositionem Episcopi manus exhiberi, & Auctores qui existimant Tonsuram verum esse Sacramentum. 116 *Constat quidem.*

Minimè constat. Quia non est verus Ordo nec verum Ecclesiæ Sacramentum. Habet tamen loco materiæ capillorum abscissionem, & loco formæ verba illa *Dominus pars, &c.* quibus verbis tonsuratus spretis terrenarum rerum cupiditatibus, Deum in hæreditatem se accipere profitetur. Ita Nauar. *consil.4. de Sacram. non iteran.* Marchin. *tr.2.p.1.c.12.* Henriq. *l.10.c.9. n.4.* & alij communiter. 117 *Non constat.*

Cum Tonsurâ verus Ordo non sit, sed passiua dispositio ad Ordines, vti vidimus supra: non habet propriam materiam & formam, licet aspectanti capillorum abscisio & verborum illorum probatio videatur veri Ordinis veriquè Sacramenti speciem exponere. 118 *Non constare, asserо.*

PROBL. XI.

Valida est, & valida non est Tonsuræ collatio si nec Episcopus abscindens comam, nec tonsurandus illa verba proferrent: Dominus pars, &c.

NON est valida. Quia Pontificale Romanum illorum verborum recitationem expresè præscribit: Ergo videtur ad Tonsuræ substantiam pertinere. Sic Canonistæ quidam, quos presso nomine memorat Leand. *tractat.* 119 *Valida nō esse.*

Valida est. Quia illa verba substantialia non sunt, nec vt talia à Pontificali præcipiuntur; sed tantummodò, vt cæremonialia: & ideò eorum omissio non reddit inualidam Tonsuram, cum hæc substantialiter constat in translatione à statu laicali ad Ecclesiasticum, capillorum abscissione quasi visibili signo expressa. Ita Rodrig. *p.2. sum.c.17.num.6.* Sotus *in 4.dist.24.a.1.* Nauar. *l.1.consil.12. de tempor. ordinat.* Henriq. *l.10.c.9. circa finem.* Molfes. *in sum. tr.2.c.3.n.20.* Fornar. *de Ord.c.7.n.1.* Quos citat, & sequitur March. *tr.2.p.1.c.12.n.4.* Leand. *citatus.* 120 *Est valida.*

Idem

121 Idem affirmo credens per paucos esse, qui illa verba se protulisse meminerint. Monuerim tamen ex hisce Auctoribus à Marchino expressis pro suâ ac nostrâ sententiâ Patrem Henriquez meum oppositum videtur insinuasse, casu quo præfata verba ab Episcopo omitterentur; Sic enim inquit: *Hæc Tonsura confertur in abscissione capillorum, dicente Episcopo in personâ eius qui tonsuratur: Dominus pars, &c.*

Id affirmo.

PROBL. XII.

Fuerunt, & non fuerunt omnes septem Ordines sigillatim, & in particulari à Christo Domino instituti.

122 Non fuêre in particulari instituti. Quia Christus Dominus generatim omnes instituit in vltimâ cœnâ: & per potestatem excellentiæ simul dedit Apostolis vno verbo totum singulorum Ordinum maiorum, ac minorum potestatem. Sic Henriq. *l.10.c.3.n.1.* Valent. *d.9.q.1.punct.4.* Reginald. *l.30.n.6.* Bonac. *d.8. punct.1.n.6.* Granad. *contr.9.tr.1.d.1.n.6.* Marchin. *tr.1.p.7.c.1.n.3.* Machad. *to.2.l.4.p.1.tr.2. docum.5.n.6.* Sicut igitur illis verbis expressis in Cœnâ: *Hoc facite in meam commemorationem*, Sacerdotium instituit, ita & Diaconatum, Subdiaconatum, &c. Et sicut tunc Apostolos Sacerdotes creauit, ita eadem authoritate eisdem verbis Ordines omnes tam maiores, quàm minores eisdem generatim contulit.

Non fuêre in particulari instituti.

123 Fuêre quidem omnes Ordines sigillatim, & in particulari à Domino instituti. Quia hoc probabilissima constat inductione. Instituit enim *Ostiariatum* quando *Matt.* 21. præcipuum huius Ordinis munus exercuit, ementes, & vendentes à Templo eiiciendo. Sic Archang. *dist.* 24. & 25. ex Magistro. Fabius Incarnat. *in scrut. Sacerd.p.1.tract.2. de Ord.* Samuel Lubl. *p.1. sum. v. Ordo.* Osius *in Confes. Cathol.c.51.* Estius *in 4. dist.24.§.9.10. & 12.* Nugnus *q. 37. art.5.* Instituit *Lectoratum*, quando *Luc. 2.* in medio seniorum librum Isaiæ aperuit, & in eo legit, *Spiritus Domini super me.* Sic citati Doctores, quibus fauet Augustin. *l.1.de Baptism.parvul.c.37.* Instituit *Exorcistatum*, quando *Mar.6. & 16.* exercizans energumenos, dæmonia ab eis exturbauit. Sic illi, & Marchin mutans sententiam *tr.2.p.4.c.1.n.3.* Machad. *tom.2.l.4.p.1. tr. 2. docum.4.* Instituit *Acolytatum*, quando *Ioan.8.* prædicando dixit: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Sic Archang. Lublin. & alij *citati.* Instituit *Subdiaconatum*, quando *Ioan.13.* post Cœnam pedes Discipulorum diluit. Sic Marchin. *citat.num.4.* Osius *tract. de Ord. c.52.* Vasq. *d.238.c.5.* Archang. Lublin. Instituit *Diaconatum*, quando in ipsâ Cœnâ Sacramentum Corporis, & Sanguinis sui Discipulis dispensauit. *1.Cor.11.* Sic Magist. Archang. Fabi. Lublin. Molfes. *in summ. tom.2.c.9.n.13. & 25.* Osius, Victor. Esti, & alij. Instituit denique *Presbyteratum*, quando in vltimâ Cœnâ illa verba protulit: *Hoc facite in meam commemorationem*, quoad illam scilicet partem, in quâ Sacerdoti confertur potestas consecrandi Corpus ac Sanguinem Domini; quoad alteram verò partem, qua Sacerdoti datur potestas absoluendi, institutus fuit Presbyteratus post Resurrectionem *Ioan.20.* illis verbis: *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseriis peccata, &c.* Sic Trident. *sess.14. de Pœnit. Can.3. & sess.22. Can.1. & 2.* & vtramque partem docent omnes Theologi, & Canonistæ.

Instituit Ostiariatum.

Instituit Lectoratum.

Instituit Exorcistatum.

Instituit Acolytatum.

Instituit Subdiaconatum.

Instituit Diaconatum.

Instituit Presbyteratum.

Ego quidem sententiæ tot Doctorum auctoritate munitus libenter subscribo. 124

Hoc teneo.

PROBL. XIII.

Clerici minorum Ordinum peccant, & non peccant mortaliter, in mortali sua munia exercendo.

Mortaliter peccant. Quia in suâ Ordinatione gratiam receperunt ad munera sua dignè exercenda: cuncta autem eorum munera magnæ authoritatis sunt, magnam reuerentiam requirentia. Sic Sylvest. *v. Clericus 2. n.2.* Armil. *ibi, n.17.* Angel. *Clericus 8. num.2.* Nauar. *cap.27.n.163.* Faber. *in 4. dist.24.q.1.d.1.cap.3. num.80.* 125

Mortaliter peccant.

Non peccant mortaliter. Quia nullum de hoc extat Ecclesiæ præceptum, & si extat diuinum non obligat grauiter propter materiæ leuitatem ad exercendas in gratiâ minorum Ordinum functiones, quarum aliquas videmus à sæcularibus exerceri. Ita Marchin. *tr.2.p.6.c.4.n.8.* Machad. *tom.2.l.4.p.1.tr.4. docum.2.n.2.* Card. de Lugo *d.8. de Sacram. in gen. num.152.* Granad. *tom.4. contr.3. de Sacram. in gen. tract.5.d.5.n.7.* Diana *p.3.tr.4. resol.196.* Reginald. *l.30.n.27.* Valent. *tom.4.d.9.q.1.pun.4.* 126

Non peccant mortaliter.

Certissimum mihi est, Clericos Ordinum minorum nullatenus lethaliter delinquere sua munia in mortali exercentes propter assignatam rationem. Imò grauissimi Doctores, Sotus *in 4. dist.1.q.5.a.6.* Vasq. *d.136.c.4.n.46.* Hurtad. *de Sacram. in gen. d.4. diffic.10.* Albiz. *in manuscript. de Sacram. in gen. d.15. dub.1.* asseruisse scio, nec venialiter hosce delinquere. Ego autem affirmo, venialis culpæ reos effici, si sua munera solemniter exerant. Quia aliquam irreuerentiam contra Ordines susceptos admittunt. Sic Suar. *d.16. sect.3.* Filliuc. *tract.1.num.87.* & alij. 127

Solùm venialiter eos delinquere puto.

PROBL. XIV.

Subdiaconi, & Diaconi peccant, & non peccant mortaliter, solemniter ministrantes frequenter, cum in mortali existunt.

Mortaliter peccant. Quia Sancta sunt sanctè tractanda: Ergò grauis iniuria fit Sacrificio Missæ, cui Subdiaconus & Diaconus tam proximè deseruiunt, si in mortali culpa existêtes ministrent. Hinc de Diaconis dicit Apostolus 1. *Timo. 3. Et hi probentur primo, & sic ministrent nullum crimen habentes.* Et sicut recipiens, aut ministrans Sacramenta in lethali piaculo, nouum lethale perpetrat: ita exercens actum Ordinis 128

Mortale esse.

dinis in lethali. Sic D. Thom. *in 4. dist. 24. q. vltim. & 3. p. q. 36. art. 5.* Richard. *d. 5. a. 3. q. 3.* Caietan. *3. p. q. 64. a. 3. ad 1. & 2. 2. q. 6. a. 2. & q. 187. a. 1.* Antonin. *p. 3. t. it. 14. §. 14.* Syluest. *v. Clericus 2. §. 2.* Angel. *v. Clericus 8. §. 1.* Victor. *de Sacram. q. 242.* Nauar. *c. 25. n. 72. & 73. & c. 27. num. 163.* Sylui. *in 3. p. q. 64. a. 6. qu. 1. concluſ. 5.*

129 *Mortale non eſt.* Non peccant mortaliter. Quia nulla eſt inducenda obligatio ſub mortali de nouo, niſi de illâ fiat expreſſa mentio in iure humano, vel diuino, nè conſcientiæ magis onerentur: Sed nulla extat lex canonica obligans Subdiaconos ac Diaconos ad miniſtrandum ſine peccato, vel illis nouam culpam imponens: diuino autem iure licèt Sancta ſanctè ſint tractanda, non tamen tanta irreuerentia apparet in Diacono, aut Subdiacono, quæ ſufficiens ſit, nouam lethalem culpam conſtituere, cum Miſſæ ſacrificio ſolùm aſſiſtant, nec Corpus Dominicum immediatè tangant: & ita non videtur eos pluſquam culpæ venialis reos eſſe, ſi in lethali miniſtrent. Ita Sotus *in 4. diſt. 1. q. 5. a. 6. & diſt. 24. q. 1. a. 4.* Henriq. *l. 10. c. 13. n. 3.* Valent. *tom. 4. d. 3. q. 5. punct. 3.* Suar. *de Sacram. d. 16. ſect. 3.* Vaſq. *tom. 2. in 3. p. d. 136. c. 2.* Reginald. *l. 30. num. 37.* Coninch. *diſt. 64. num. 38.* Diana *p. 2. tract. 4. reſol. 195.*

130 *Hoc mihi probabilius.* Licet prima ſententia ſecurior ſit, ſecundam probabiliorem eſſe reor, ſatiſque tutam. Scio Filliucium *tr. 1. num. 87.* & Suarium *citatum* aſſeruiſſe, id eſſe mortale, ſi frequenter in mortali miniſtrent: non ſi ſemel, aut iterum. Aſt ego abſolutè exiſtimo licet frequenter miniſtrent, mortaliter non delinquere. Quia huiuſmodi functiones non ſunt immediatè ſanctificatrices, vti ſunt Sacramentorũ myſteria. Profectò tantorum virorũ venia minus benè aſſeritur, id quod de ſe eſt veniale, repetitum ſæpè mortale fieri, vel factum ex propoſito illud ſæpè repetendi. Hoc enim falſum eſt, niſi quando fit materia grauis iniuſtitiæ, vt in paruis furtis.

PROBL. XV.

Diaconus, & Subdiaconus delinquunt, & non delinquunt venialiter miniſtrantes ſolemniter in mortali.

131 *Non delinquunt venialiter.* VEnialiter non delinquunt. Quia nullum violant præceptum: vbi autem præcepti violatio non eſt, peccatum non adeſt. Sic doctiſſimus Magiſter Albiz *in manuſcript. de Sacr. in gen. diſt. 5. dub. 1.* Vaſq. *d. 136. cap. 4. num. 46.* Ochagau. *tractat. de Sacrament. quæſtion. 19.* Hurtad. *diſtinct. 4. de Sacrament. in gen. diſſic. 10.*

132 *Venialiter delinquunt.* Venialiter proculdubio delinquunt. Quia contra ſuſceptos Ordines aliquam patrant irreuerentiam. Ita Suar. *diſt. 16. ſect. 3.* Filliuc. *tract. 1. num. 87.* Nugnus, Lublin. Cardin. Sarnanus, & Marchin. quos ſequitur Leand. *tract. 6. d. 2. q. 22.*

133 *Hoc mihi probabilius.* Probabiliorem admodum hanc ſententiam exiſtimo. Nam ſi Sancta ſanctè tractanda ſunt, quid Sanctius Sacrificio Miſſæ? Ergo ſaltem ſub veniali huic miniſtrantes ſanctitudini tenentur Sancto ſtudere miniſterio.

PROBL. XVI.

Oſtiarius, Acolytus, aut alius Miniſter inferior indutus Dalmatica, & Manipulo, Epiſtolam in Miſsâ ſolemni cantat: Hic incurrit, & non incurrit irregularitatem.

134 *Nõnulla ſuppono.* SVppono, irregularitatis pœnam ſubire, qui ſeſe ſacro non ſuo ingerit miniſterio. Certè inferior Miniſter qui indutus dalmatica ſine manipulo, Epiſtolam in Miſsâ ſolemni cantat, mortaliter non delinquit; Quia ad miniſtrandum ſolemniter in aliquo Ordine, non ſatis eſt Epiſtolam, vel Euangelium cantare, ſed inſuper opus eſt cantare cum propriis ornamentis illius Ordinis, v. gr. cum manipulo quoad Subdiaconum: cum ſtolâ quoad Diaconum.

135 *Non ſit irregularis.* Iam quæſierim. Vtrum fiat irregularis inferior Miniſter, qui cum Dalmaticâ, & manipulo audet Epiſtolam in ſolemni Miſſa concantare? Non fit irregularis. Quia Subdiaconus nec partialiter ordinatur per Epiſtolarum librum: recitatio enim Epiſtolæ in Miſsâ ſolemni non eſt, nec debet dici actus Ordinis Subdiaconalis: Ergò etiam ſi inferior Miniſter recitaret Epiſtolam cum Dalmaticâ, & manipulo, cùm nullum Ordinis exerceret actum, irregularis non fieret. Sic indicat Henriq. *d. 10. c. 13. num. 3. lit. E.* & Auctores, quos preſſo nomine citat Leand. *tr. 6. d. 2. q. 24.* à me inferius exhibendi.

136 *Irregularis fit.* Fit planè irregularis. Quia Subdiaconus partialiter per Epiſtolarum librum ordinatur (vt videbimus inibi) vnde cantatio Epiſtolæ in Miſsâ ſolemni eſt actus Ordinis Suabdiaconalis: Ergo qui illam cantat cum Dalmaticâ, & manipulo verè exercet actum Ordinis, quem habet: igitur irregularitatem incurrit. Ita Marchin. *tract. 2. p. 6. c. 3. n. 6.* Leand. *citatus*, & alij.

137 *Huius ſententia aſſeritur ſum.* Certè ad incurrendam irregularitatem ſatis eſſe iudico, vt ex præcepto Eccleſiæ Epiſtolæ recitatio cum manipulo ad Subdiaconum pertineat: idque tanto magis procedit, ſi liber Epiſtolarum ſit materia Subdiaconatus ſaltem ſecundaria. Scio, meum Manuelem Sa aſſeruiſſe inferiorem Miniſtrum cantantem Epiſtolam cum Dalmaticâ, & manipulo, caſu quo id gerat ſine intentione faciendi Subdiaconi officium. At tanti viri venia, nihil intereſſe crediderim, quod id ſine intentione, aut cum intentione huiuſmodi fiat; quia (vt dixi) ad effectum irregularitatis ſat eſt, vt ex præcepto Eccleſiæ recitatio Epiſtolæ cum manipulo ad Subdiaconum pertineat.

PRO

PROBL. XVII.

Peccat, & non peccat mortaliter Diaconus prædicans in mortali occulto.

138 Mortaliter delinquit. MOrtaliter delinquit si in mortali non solum publico ob scandalum, sed etiam in occulto, non prius eliciès contritionem prædicet Diaconus, vel Sacerdos. Quia Dei verbo Ecclesiæque magisterio grauis irrogatur iniuria. Sic D.Tho. *in* 4. *dist.*19.*q.*2.*a.*2. *ad* 4. Palud.*d.* 19.*q.*3.*a.*3. Nauar.*c.*21.*n.*141. Caiet.2.2.*q.*187. *a.*3. Angel.*v. Prædicator*,*n.*7.

139 Non delinquit mortaliter. Non delinquit mortaliter. Quia actus prædicandi ex suâ naturâ nec est neque est consecratus,vt actus Sacramentorum, cum gratiam ex opere operato non conferat vt conferunt Sacramenta ; neque est consecratus ex aliquâ institutione Ecclesiæ: neque certo Ordini deputatus iure diuino , vel positiuo humano , cum & Prophetæ in lege veteri prædicauerint, & in nouo Testamenro multi nondum sacris Ordinibus initiati prædicare soleant. Ita Sotus *in* 4. *distinctione* 2. *quæstione* 5. *articulo* 6. Suarez *in* 3. *parte tomo* 3. *distinctione* 16.*sectione* 3. Valent. *tomo* 4. *distinctione* 3. *quæstione* 5.*punct.* 3. Cabrera *de Sacrament. quæst.*64.*art.*6. *d.*1.§.7.*num.*67.Diana *p.*3.*tr.*4. *resol.*197. & alij communiter.

140 Hoc mihi certum. Si peccatum est publicum , erit mortale, etiam si prædicaturus actum contritionis eliciat , quia occulta contritione non se expedit ab scandalo. Si autem peccatum est occultum , sine præuia contritione potest licitè concionem agere. Quia scandalo secluso, nullum extat præceptum concionandi in statu gratiæ. In solâ namque Sacramentorum effectione , aut receptione factâ in lethali grauis Deo irrogatur iniuria.

PROBL. XVIII.

Peccant, & non peccant mortaliter Episcopus, aut Sacerdos conficientes sacramentalia, dum in mortali existunt.

141 Peccant mortaliter. MOrtaliter peccant. Episcopus dans primam Tonsuram, consecrans Ecclesiam, &c. & Sacerdos consecrans aquam benedictam, sal,&c. dùm in mortali existunt. Quia Sanctum ministerium Sanctè non obeunt. Sic Nauar. *de horis Canon.c.*6.*n.*41.Sayr.*lib.*2. *c.*7.*q.*1.*a.*5.Angel.*v. Clericus* 8.*n.*1. Sylvest.*ibi n.*2. Probabile reputat Laym. *tr.*1. *de Sacr.c.*5. *num.*10.

142 Non peccant mortaliter. Non peccant mortaliter. Quia tales actiones non sunt speciali modo consecratæ , cum per eas Minister non sanctificentur animæ per gratiam , sicut per Sacramenta sanctificantur : ideò non est ratio exigendi internam animæ sanctificationem ad eas exercendas. Ita Suar. id colligens ex D. Thom. Caiet. & Soto, quos sequitur Filliuc. *tract.*1. *numer.* 87. Henriq.*lib.*10.*c.*13.*n.*5. Bonac.*d.*1.*q.*3.*punct.*2. *num.*9.

Hoc longè probabilius existimo ; quia Episcopus,& Sacerdos id gerentes in peccato contra aliquod præceptum id prohibens minimè agunt.Quod de aliis benedictionibus ornamentorum,populique etiam si cum Eucharistiæ Sacramento fiant,etiam affirmarim. 143 Hoc mihi probabilius.

PROBL. XIX.

Episcopus consecrans, Chrisma, vel Oleum infirmorum dùm in mortali versatur, peccat, & non peccat lethaliter.

LEthaliter delinquit. Quia hæ consecrationes per se pertinent ad Ordinis Episcopalis potestatem,& in Ecclesiâ magnâ cum reuerentiâ ac apparatu celebrantur. Sic Sylui. *in* 3.*p. quæst.*64.*art.*6.*quæst.*1.*concl.*5. Cabre.*de Sacram. quæst.*64.*art.*1.*dist.*1.§.7.*num.*6. Medina *C. de pœnit.tr.*1.*q.*6. Ledesma *sum.tom.*1. *c.*6.*dub.*10. Nugn. *in* 3.*part.tom.*1.*q.*64. *art.*1. *diffic.* 2. *concluf.*3. 144 Lethaliter delinquit.

Non delinquit lethaliter,si contemptus, vel scandalum absit. Quia hoc in munere non se gerit sicut Dei Minister ad animarum sanctificationem : Vnde grauis Deo iniuria minimè irrogatur. Ita Suar.*tom.*3.*d.*16.*sect.*3. Villalob.*in sum.tom.*1.*tract.*4.*diffic.*14.*n.*6. Hered. *d. de Sacram.in gen.part.*10.*dub.*3.*n.*4. Ioan. de la Cruz *in direct.p.*2.*de Sacram.in gen.q.*4.*dub.*3.*concl.*1. Coinch.*q.*64.*c.*6.*dub.*1.*n.*39.Diana *p.*3.*tr.*6.*resol.*67. 145 Nõ delinquit lethaliter.

Certè nullam inuenio rationem,cur in Ministro huiusmodi actiones exercente quantumvis publicè, ac solemniter,statu gratiæ requiratur, cum non sint Sacramentorum actus , nec ordinentur immediatè ad animorum sanctificationem. Assero tamen contra meum Vasquium, & Hurtadum venialiter delinquere Episcopum, quia aliquam proculdubio irreuerentiam præ se fert : cum sint graues actiones, sacræque, quatenus per illas materia destinata ad Sacramentum consecratur. 146 Hoc mihi probabilius.

PROBL. XX.

Peccat , & non peccat mortaliter Episcopus minores Ordines conferens in mortali.

NOn peccat mortaliter. Quia Ordines minores non ita propinqui sunt Sacramento Altaris: vnde & illorum officia sunt imperfecta in genere sacri ministerij. Quibus adde, primam Tonsuram , & quatuor Ordines minores non esse Sacramentum, quod esse probabile etiã oppositæ sententiæ Doctores citandi decent:Ergò Episcopus conferens Ordines minores in lethali lethaliter non delinquit. Sic Diana *p.* 3. *tract.*6. *resolut.* 67. citans Suarium , Sylvium & Vasquium. 147 Mortaliter nõ delinquit.

Mortaliter peccat. Quia Episcopus speciali consecratione est addictus huic, muneri , quod debet dignè præstare. Et quia minores Ordines sunt Sacramentum , quod in lethali 148 Delinquit mortaliter.

facere mortale est sacrilegium. Ita Laym. *l.5. tr.9.c.4.n.4.* Fabrus *de Ord.in 4.dist.24.q.1.d.1. c.3.n.64.* Villalob. *tom.1. tr.21. diffic.3.num.2.* Filliuc. *tr.9.n.82.* Coninch *d.21.n.47.* Valent. *tom.4.dist.9.quæst.1.punct.4.* Ioann.de la Cruz *in direct.p.2.de Ord.dub.1.concl.3.*

149 *Idem assero.* Qui probabilius esse suprà asserui, Ordines minores Sacramenta existere, teneor secundam sententiam amplecti. Quia qui in mortali Sacramenta conficit, nouum mortale patrare quis dubitet? Et amicissimi mei Antonini Diana venia P.Suarez hoc apertè docet *d.16.sect.3.*

CAPVT IX.

Circa omnium Ordinum in particulari Materiam, & Formam.

PROBL. XXI.

Est, & non est materia Episcopatus sola impositio manuum trium Episcoporum supra caput illius, qui est consecrandus.

150 *Non est sola impositio manuum Episcopatus materia.* NOn est materia Episcopatus sola impositio manuum Episcoporum. Quia eâdem præscriptione fit impositio Libri Euangeliorum super ceruicem & scapulas consecrandi: Ergo non sola manuum impositio est Episcopatus materia. Sic D.Antonin. *3.p.tit.14.c.16.* Dicastil. *tr.6.de Ord.d.1.dubit.9.n.127.* citans Armill. *v.Ordo.n.11.* & Bouium *in schol.ad c.3.l.8. Constit. Apostolic.* Addit Filliuc. *tr.9.n.40.* esse satis probabile, materiam Episcopatus esse vnctionem in capite, impositionem mitræ traditionem baculi in manu, & annuli in digito, librum Euangeliorum, & impositionem manuum super caput consecrandi: Ergo non solùm manuum impositio est Episcopatus materia.

151 *Est sola manuum impositio materia Episcopalis Ordinis.* Sola impositio manuum trium Episcoporum est materia Episcopatus. Quia id ex Paulo *1.Timo.4.* deducitur: nam sermonem instituit de ordinatione Timothei in Episcopum, ait: *Noli negligere gratiã, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterij.* id est, conuentus Episcoporum. Ergo si in ordinatione Episcopi per impositionem manuum Episcoporum, & per prophetiam, id est, per formæ verba: *Accipe Spiritum Sanctum* confertur gratia, proculdubio manuum impositio sola est materia proxima Episcopatus. Ita Hurtad. *hic, diffic.10.* Bellarm. quem citat, & sequitur Henr. *l.10.c.7.n.3.* Armil. (non bene pro contraria sententia à Dicastillo citatus) *v.Ordo,n.11.* Inquit enim: *Ordo Episcopatus quoad potestatem eius suscipitur in impositione manuum Episcoporum super caput eius.* Petrus Soto *libr.5. de Ordin.* Vasquez *distinctione 240.capite 5.num.58.* Coninch *dist. 20.dub.7.* Sanch. *tom.2.Consil.l.7.cap.1.dub.15. num.7.*

152 *Hanc sententiã amplector* Hanc sententiam amplector, iudicans oppositam falso fundamento roborari. Mittens enim prolixam illam materiæ assignationem, quàm probabilem iudicat Filliucius, gratis asseruisse reor, D. Antoninum & Dicastillo libri Euangeliorum impositionem supra ceruicem consecrandi etiam esse Episcopi ordinationis materiam. Quia ratio militat in contrarium: in Sacramentis enim ab eodem ministro à quo adhibetur materia proxima, debet forma applicari vel proferri; (excepto Sacramento Pœnitentiæ, quod institutum est instar iudicij, in quo reus, ac Iudex interueniunt) aliàs Minister in illis non denotabit suum ministerium, quod ad valorem Sacramenti requiritur. Impositio autem illa libri non fit necessariò ab Episcopis, nam olim fiebat à Diaconis, & nunc fit ab aliquo ex Capellanis, vt in Pontificali aduertitur.

PROBL. XXII.

Ad Episcopi ordinationem requiruntur, & non requiruntur tres Episcopi ex præcepto diuino, & Sacramenti necessitate.

153 *Requiruntur tres Episcopi ex necessitate Sacramenti.* TErnarius Episcoporum numerus ad Episcopalis Ordinationis substantiam non pertinet, imo hac de re non est præceptum diuinum, sed solummodo Ecclesiasticum. Quia singuli Apostoli in variis Ciuitatibus per se ipsos solos multos consecrarunt Episcopos. Sic Paulus Titum Episcopum Cretensem, Timotheum Episcopum Ephesinum absque aliorum Episcoporum interuentu, qui tunc non erant, creauit: Ergo vel Timotheus, & Titus verè Episcopi non extitere, vel ternarius Episcoporum numerus non est de præcepto diuino, nec de substantiâ Episcopalis consecrationis. Præterea vnus solus Episcopus consecrationem perficit, & alij duo sunt assistentes, vt colligitur ex Pontificali: in quo vnus solus dicitur consecrator. Denique ex *1.can. Apostolorum* habetur, Episcopum *à duobus, vel tribus aliis Episcopis* esse ordinandum: sed particula *vel* disiunctionem significat: ergo duo sufficerent: ergo tres non erunt necessarij. Sic Paludan. *libro de potestate Papæ*, quem refert, & sequitur Sylvest. *v. Consecratio 1. numero 1.* Armill. *v. Consecratio 2.* Valent. *tomo 3. distinctione 9. quæst.3. pun.2.* Azor. *tom.2. lib.3.c.30. q.2.* Hugol. *de potestat. Episc.c.2.n.5.*

154 *Non requiruntur.* Ternarius Episcoporum numerus necessarius est ex iure diuino, & ex essentiâ Sacramenti ad Episcopi ordinationem. Quia inquit Paulus *Hebr.7. Maior à minori non benedicitur, nec similiter par pari.* Vnde fit, nec Sacerdotem ab alio Sacerdote, nec vnum Diaconũ ab alio creari posse, & sic de cæteris. At si vnus Episcopus ad alterius consecrationem sufficeret, tunc par à pari benediceretur, & consecraretur: Voluit ergo Christus Dominus, (ad significandum Trinitatis mysterium) tres Episcopos ad Episcopi consecrationem esse necessarios, vt ita inferior à Superiori benediceretur, cum vnus solus Episcopus sit tribus inferior. Præterea cum Papâ Anicetus *Epist.ad Episc.Galliæ c.1.* (habetur *tom.1.*

tom.1.Concil.) docuisset, D. Iacobum à Diuis Petro,& Ioanne, & alio Iacobo fuisse Episcopum consecratum, hæc subdit: *Si autem non minus quàm à tribus Apostolis tantus vir fuit ordinatus Episcopus, patet profectò, eos formam, instituente Domino, tradidisse, non minus quàm à tribus Episcopis Episcopos ordinari debere.* Et Damasus Papa *Epist.4. contra Chorepisc.* vt istos non fuisse veros Episcopos demonstraret, hæc inter alia profert: *Quod enim Episcopi non sint, qui minus quàm à tribus sunt ordinati Episcopi, omnibus patet.* Quibus verbis apertè supponit, ordinationem Episcopi ab vno solo Episcopo peractam, qualis erat illa Chorepiscoporum, non esse validam. Ita Gloss. *in c. Nec Episcopi, de tempor. ordin.* Bellarm. *tom.1. l.4.de notis veræ Ecclesiæ, §. Quantum ad ordinationem.* Baron. *tom.1. anno Christi 34. num.291.* Caiet. *3.p.q.67.a.6.* Sotus *in 4.d.24.a.6.* Ochagau *q.6.n.6.*

155 Cum his sentio, sed addiderim, hunc terCum his sentio. narium Episcoporum numerum ad alterius Episcopi consecrationem ex Christi Domini institutione ita esse necessarium, vt tamen ob Episcoporũ penuriam ex Pontificis dispensatione ita eodem Christo (tali necessitate vrgente) non solum permittente, sed ordinante, vnus solus Episcopus alium validè, consecrare valeat. Certè non minus iure diuino,& ex Christi Domini institutione Episcopus est Confirmationis Minister, quam tres Episcopi sint Ministri Episcopalis consecrationis; sed vrgente necessitate, potest Pontifex facultatem confirmandi Sacerdoti cuilibet non Episcopo committere: (de quo inferius) Ergo etiam poterit vnico Episcopo committere, consecrandi alium Episcopum, facultatem: An non Apostoli multis in Ciuitatibus, sic Christo, aut eius Vicario dispensante, absque aliorum Episcoporum, qui tunc non erant, interuentione, per se ipsos singulariter Episcopos consecrabant? An non D. Gregorius Papa concessit facultatem Augustino ab eo in Angliam immisso, vt ipse solus vnum, aut alterum Episcopum ordinaret, & in posterum à tribus Episcopis, dum erat copia, alij ordinarentur? Num non Gregorius XIII. eandem facultatem concessit Patriarchæ Æthyopiæ: & modo in Indiâ,& Iaponiâ, vnicus Episcopus assolet consecrare? Igitur potest Pontifex, necessitate vrgente, in hoc præcepto dispensare, aut, vt aptius dicam materialiter variare Episcopalis Ordinis materiam.

PROBL. XXIII.

Est, & non est materia proxima totalis Ordinis Presbyteratus traditio Calicis cum vino & Patenæ cum Hostiâ.

156 Totalis materia proxima Presbyteratus est Totalis materia est Calicis traditio Calicis cum vino, & Patenæ cum Hostiâ: manuum verò impositio non est de & Patenæ cum necessitate Sacramenti, sed accidentalis ritus, hoc pane Quia Concilium Florent. *in instruct. Armenor.* ait: *Sextum Sacramentum est Ordo, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur Ordo: sicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & Patenæ cum pane porrectionem.* Ex quibus verbis constat Concilium non meminisse manuum impositionis, quia cognoscebat hanc non esse de necessitate Sacramenti, sed ritum accidentalem. Sic Sotus *in 4.dist.24.q.1.a.4.* Valent. *tom.4.d.9.q.1.punct.5.* Nugnus *in 3.p.q.37. a.5.* Bonac. *d.8.q.vni.pun.3.n.2.* Ioan. de la Cruz *in direct.p.2.de Sacram.Ord.dub.2.concl.1.* Diana *p.2.tr.4.resol.187.*

Calicis cum vino, Patenæ cum Hostiâ traditio non est totalis Ordinis Presbyteratus proxima materia: sed simul concurrere debet manuum Episcopi impositio. Quia per impositionem manuum huiusmodi, & verba correspondentia confertur potestas ad absoluendum à peccatis, quæ est potestas Ordinis reductiuè saltem, & effectus ordinationis Sacerdotis: ergo manuum impositio, & verba ipsi correspondentia pertinent ad materiam proximam, & ad formam ordinationis Sacerdotis. Quod verò per hanc impositionem manuum, & per hæc verba conferatur potestas ad absoluendum, patet: quia id significant verba illa, & eisdem verbis, quamvis non manuum impositione, sed insufflatione Christus post Resurrectionem *Ioan.20.* contulit Apostolis potestatem absoluendi à peccatis, vt definit Trident. *sess. 14. c.1. & 5.* post collationem potestatis consecrandi factam in nocte cœnæ sui Corporis, & Sanguinis traditione, & illis verbis *Luc.22. Hoc facite in meam commemorationem.* Ita Scot. *in 4.dist.24.* Viguer. *in instit.c.16.§.6.* Bellarm. *hîc, c.9.* Vasq. *d.139.* Henriq. *l.10.cap.6.* Coninch. *dub.7.* Laym. *l.5. tr.9.c.5.* Adam. *d.7.q.2.dub.4.* Hurtad. *hîc, disfic.11.*

157 *Non est hæc totalis materia.*

Hanc eligens sententiam, assero, ordinationem Sacerdotis duabus partialibus ordinationibus constare, per quarum quamlibet distincta potestas confertur, & distinctus gratiæ gradus: tamen vt potestas consecrandi, quæ prius confertur, conferatur independenter à potestate absoluendi à peccatis; ideò ante huius collationem ordinatus Calicis, & Patenæ præfata traditione, & verbis ipsi correspondentibus, verè & validè consecrat cum Episcopo ordinante; potestas verò absoluendi à peccatis nequit validè conferri ante collationem potestatis consecrandi: quia potestas in corpus mysticum Christi, id est, in fideles supponit ex institutione Christi potestatem in verum corpus Christi ipsius. Vnde sicut in ordinatione Sacerdotis reperitur duplex partialis ordinatio, & duplex partialis potestas: ita etiam reperitur duplex Character partialis, quorum quilibet habeat præfatam annexam potestatem. Itaque cum Sacerdotis ordinationibus, & potestatibus partialibus, nempè conficiendi Corpus Christi, & remittendi aliis peccata: necessariò debet duas habere materias partiales distinctas, ex quibus vna totalis, & adæquata consurgat. At hæc nequeunt esse aliæ quam traditio panis & vini suis in vasis, & impositio manuum Episcopi in ordinandi caput.

158 *Hanc eligo, & expono sententiam.*

PROBL. XXIV.

Impositio manuum Episcopi super caput Ordinandi est, & non est Ordinis Presbyteratus essentialis partialis materia.

159 *Non est de essentia.* IN vberiorem proximi Problematis expositionem hanc quæstionem adiicio. Non quidem est partialis essentialis materia. Quia Concilium Florentinum non meminit impositionis manuum, sed solùm porrectionis panis, & vini; Ergo hæc tantum, non illa erit essentialis & totalis Sacerdotij materia. Et quia *Cap. vltimo de Sacram. non iterand.* dicitur expressè, manuum impositionem non esse de Presbyteratus essentiâ. Et quia per traditionem panis & vini, & illa verba: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesiâ Dei, &c.* tanquam per formam: confertur Sacerdoti vtraque potestas, scilicet conficiendi Corpus Christi, & remittendi peccata: Ergo ad hoc superfluit manuum impositio, & verba illa: *Accipe potestatem remittendi peccata,* quæ quidem solùm sunt declaratoria potestatis iam traditæ. Sic Doctores pro primâ sententiâ Problematis proximi citati. Quibus addo Richardum *in 4. dist. 24. a. 4.* Capreol. *ibi, q. 1. a. 3. ad 2.* Maior. *q. 1.* Syluestr. *v. Ordo 2. q. 4.* Lublin. *1. p. sum. v. Ordo,* Vivald. *de Ord. n. 15.* Lud. de San Iuan *q. 2. de Ord. a. 4. dub. 4.* ex Petr. de Ledes. *c. 3. concl. 4.*

160 *De essentia est.* Est planè partialis essentialis materia. Quia id clarè habetur in Concilio Carthagin. IV. *cap. 2. ad 5.* vbi statuitur, Sacerdotem per manuum impositionem esse ordinandum. Et Tridentinum *sess. 4. c. 13.* definit, Ministrum Extremæ-Vnctionis *solùm esse Sacerdotem ab Episcopo per impositionem manuum* Presbyterij ritè ordinatum: Ergo impositio manuum pars est essentialis Ordinationis Presbyterij. Et quia qui caret potestate remittendi peccata, non potest dici planè Sacerdos: sed hanc potestatem accipit ordinandus per impositionem manuum & formam remissionis peccatorum: Ergo impositio manuum essentialis materia est Presbyteratus. Probo Minorem: Nam Christus Dominus diuerso tempore suis contulit Apostolis potestatem remittendi peccata, ac dedit conficiendi Eucharistiam: hanc enim impendit in vltimâ Cœnâ, illam verò post Resurrectionem *Ioan. 20.* Ergo etiam Episcopus diuersis temporibus hasce duas potestates Sacerdotibus tribuit, conficiendi scilicet Eucharistiam per traditionem panis, & vini, ac illa verba: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium, &c.* Remittendi verò peccata postea per impositionem manuum, & illa verba: *Accipe potestatem remittendi peccata, &c.* Ita Sanch. *tom. 2. Consil. lib. 7. capit. 1. dub. 3. num. 3.* March. *tract. 2. part. 8. cap. 5.* citans Syluest. Comitol. Fernand. Reginald. Molfes. Sylui. & Cornel. à Lapide, Suar. *tom. 5. d. 42. sect. 4.* Dicastill. *tr. 6. d. 1. dub. 10. num. 145.* Palaus *tom. 4. tr. 27. pun. 4. n. 7.* Trull. *l. 6. dub. 2. n. 8.* Diana *p. 9. tr. 6. resol. 9.*

161 *Hanc præfero sententiam.* Hanc præfero sententiam, nec enim crediderim, aliter Christum Dominum Sacerdotes instituisse: quam instituit Ecclesia, cum hæc institutionem à Christo factam planè sequatur, nec valeat immutare.

PROBL. XXV.

Est, & non est vtraque materia Calicis cũ vino, & Patena cum pane de necessitate Presbyteratus, & non solùm necessitate præcepti, sed & Sacramenti necessitate.

VTraque materia, nempè Calix cum vino, & Patena cum pane est necessaria necessitate præcepti; quia etiam Missæ sacrificium ex Ecclesiæ præcepto sub vtraque specie est perficiendum: tamen etiam panis seorsim acceptus, & vinum seorsim acceptum est sufficiens huius Ordinis materia. Quare si quis solo pane, & Calice vacuo ex oblitione, aut malitiâ Magistri cæremoniarum sacerdotio initiaretur Ordo minimè esset iterandus. Quia innocentius VIII. de facto dispensauit cum Nouergis anno 1490. vt Missæ sacrificium sub solâ panis specie celebraretur, eo quod vinum illuc asportatum statim vel congelescat, vel acescat, auctore Volater. *l. 7. c. 4.* Genebr. *in Chronol.* & Onuphr. *ibidem*; & idem fuisse à Sede Apostolicâ dispensatum cum Danis testatur Claudius *de Euch. in repet.* Hâc ergo suppositâ Historiâ, certum videtur, Episcopos in illis regionibus Sacerdotes creantes solam materiam panis in consecratione adhibere, & per consequens, vtrãque materiam panis & vini non esse Presbyteratus Ordini necessariam necessitate Sacramenti, sed solùm præcepti necessitate. Sic Henriq. *l. 10. c. 6.* Barth. ab Angel. *dial. 8. de Sacr. Euch. §. 352.* Homob. *de exam. Eccl. tr. 4. c. 9. q. 75.* sententiam hanc probabilem esse iudicat Tann. *in 3. p. d. 7. q. 2. dub. 4. n. 99.* Fauet D. Tho. *in add. ad 3. p. q. 37. a. 5.* quatenus dicit, in ipsâ datione Calicis sub formâ verborum determinatâ Sacerdotalem imprimi Characterem. Nam cum Doctor Angelicus non gerat panis memoriam, videtur velle vtramque speciem seorsim acceptam esse sufficientem huius Ordinis materiam.

162 *Non est necessaria necessitate Sacramenti.*

Vtraque materia Calicis vino, & Patenæ cũ pane est necessaria non solùm necessitate præcepti, sed & Sacramenti necessitate. Quia Concil. Florent. vtramque materiam complexum est, cũ *in instruct. Armenor.* ait: *Sextum Sacramentum est Ordo, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur Ordo: Sicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & Patenæ cum pane porrectionem.* Et quia Christus Dominus vtramque materiam vltimâ adhibuit in Cœnâ: Ergo signum expressit, vtramque esse de necessitate tùm Eucharistiæ, tùm Sacerdotalis Ordinis. Ità Vasq. *to. 3. in 3. p. d. 223.* Scortia *de Sacrif. Missæ l. 1. c. 6.* Granad. *tr. 1. de Ord. d. 3. n. 12. & 13.* Richard. *d. 24. art. 4. q. 3.* Petr. Ledes. *hîc, c. 3. diffic. 3.* Torres *in select. p. 5. d. 21. dub. 2.* Lubl. quem memorat, & sequitur Leand. *tr. 6. d. 3. q. 9.* Hurt. *hîc, diffic. 11.* Marchin. *tr. 2. p. 8. c. 5. prop. 2.* Villalob. *tr. 11. diffic. 4. n. 1.* Diana *p. 4. tr. 4. resol. 119.* Dicastil. *tr. 6. d. 1. dub. 10. n. 160. & 161.*

163 *Est de Sacramenti necessitate.*

164 *Hæc existimo longè probabiliora.*

Longè probabiliorem hanc putarim sententiam, quia nescio quid meus Henriquez possit ad manifesta Florentini verba respondere. Certè

Certè fabulosam existimo illam Innocentij VIII. narrationem circa dispensationem cum Saxonibus & Danis. Imò asseruerim nullatenus posse dispensare, vt Eucharistiæ consecratio sub altera tantum specie fiat; quia hoc esset mutare ius diuinum, & materiam Sacramentorum à Christo Domino determinatè nobis relictam. Quod si cæremoniarum Magister ex obliuione aut malitiâ vinum in Calice non apponeret, illam ordinationem nullam fore, & repetendam reor. Et quamvis opinio Henrici, & aliorum probabilis esset, nihilominus repetendam sub conditione iudicarim, ad vitandum spirituale fidelium detrimentum. Nam si Clericus ille non esset coram Deo verus Sacerdos, neque verè Corpus Christi conficeret, neque peccata verè absolueret. Vnde tunc charitatis præceptum sequi partem tutiorem obligabit, vti Turrian. asserit *in select. p. 1. d 21. dub. 2.*

PROBL. XXVI.

Materia proxima totalis Diaconatus est, & non est sola libri Euangeliorum traditio.

165 *Est sola libri traditio adæquata materia.*

EST quidem sola traditio libri Euangeliorum. Quia Concilium Florentinum aperte asserit Ordinem Diaconatus per *libri Euangeliorum dationem* conferri. Ergo adæquata huius Ordinis materia in huiusmodi traditione consistit, nec est necessaria manuum impositio, cùm nullam de eâ Concilium gesserit mentionem. Sic D. Thomas *quæst. 37. art. 5. ad 5.* Vasq. *disp. 238. cap. 4.* Valent. *tom. 4. disp. 9. quæst. 1. punct. 5.* Reginald. *lib. 30. cap. 2.* Villalob. *tract. 11. diffic. 4. num. 1. & diffic. 5. n. 2.* Diana *part. 3. tract. 4. resol. 188.* Trullench. *de Sacram. lib. 6. dub. 2. num. 9.* Palaus *tom. 4. tr. 27. punct. 4. n. 10.*

166 *Non est sola traditio.*

Non est sola libri traditio, sed requiritur etiam manuum impositio. Quia Patres, Concilia, & Scriptura sæpè dictitant, Diaconum per impositionem manuum creari: nec abnegari potest, traditionem libri Euangeliorum ad Diaconatus substantiam pertinere, vt primæ sententiæ professentur Auctores ex Florentini definitione. Ergò profiteri debemus, vtramque materiam simul essentialem esse Diaconatus ordinationi. Nam sicut Sacerdos in suâ ordinatione duplicem recipit potestatem, consecrandi scilicet, & absoluendi, & duos realiter distinctos Characteres, quorum vnus sine altero consistere potest: ita similiter dicendum de Diacono; videlicet per impositionem manus Episcopi imprimi vnum characterem, & dari Diacono potestatem ministrandi Sacerdoti, & dispensandi in necessitate Eucharistiam: per traditionem verò libri Euangeliorum alium distinctum imprimi Characterem, & dari ei potestatem legendi Euangelium. Ita Bellarm. *lib. 1. de Ord. cap. 9.* referens Petrum de Soto, & Martinum Ledesm. Henriq. *lib. 10. cap. 8. num. 2.* Coninch *distinct. 20. dub. 7. conclus. 3.* Adam. *dist. 7. quæst. 2. dub. 3.* Laym. *tr. 5. c. 5. n. 2. assert. 3.* Filliuc. *tract. 9. n. 44.* Card. de Lugo *de Sacrament. dist. 2. numero 100.* Marchin. *tractatu 2. part. 7. capit. 2.* Granados *tract. 1. distinct. 3. artic. 3. à numer. 26.* & alij.

Existimo, nec solam manuum impositionem esse totalem ordinationis Diaconi materiam, vt Bonauent. *dist. 24. a. 1. q. 4.* Durand. *q. 2.* Caiet. *tom. 2. Opusc. tract. 11.* Scot. *q. 3. a. 2.* affirmant: nec solam libri Euangeliorum traditionem, vt primæ sententiæ Doctores contendunt sed vtrumque simul. Vndè secundæ sententiæ hærens firmiter, fundamentum primæ facilè videor infirmari, si dixerim, Concilium Florentinum expressisse quidem Euangeliorum librum materiam esse Subdiaconatus ordinatione necessariam, non tamen negasse, impositionem manuum simul esse Diaconatus materiam. Meminit autem Concilium potius Euangeliorum libri, quam manuum impositionis, quia Armeni hac in re errabant, & ideò de tali vsu Ecclesiæ Romanæ erudiuntur. 167 *Existimo, hãc sententiã esse veriorem.*

PROBL. XXVII.

Materia proxima totalis in ordinatione Subdianoni est, & non est libri Epistolarum traditio.

SOla libri Epistolarum traditio est materia totalis Subdiaconatus. Quia sicut ad Diaconum pertinet legere Euangelium tempore sacrificij: ita etiam ad Subdicoanũ pertinet legere Epistolam: Ergo sicut in Ordinatione Diaconi materia proxima totalis est traditio libri Euangeliorum; ita etiam in Subdaconi ordinatione traditio libri Epistolarum est proxima totalis materia. Sic Viguer. *in institut. c. 16. §. 6.* Director. Curatorum *cap. 8. de Ordin. §. 1.* Iauel. *tom. 2. p. 5. tract. 7. cap. 2.* Lublin. *part. 1. summ. v. Ordo.* 168 *Sola libri Epistolarum traditio est totalis materia.*

Non est totalis proxima Subdiaconatus materia libri Epistolarum traditio sed simul necessariò est adhibenda traditio Calicis & Patenæ vacuæ, quæ quidem præscribitur in Florentino fante: *Subdiaconatus verò per Calicis vacui cum Patenâ vacuâ superpositâ traditionem.* Quia per vtramque traditionem, & verba vtrique correspondentia denotatur, ac traditur potestas ad duplicem distinctam actionem, quæ sunt propriæ Subdiaconi, nempè Epistolam legere, & vasa Corporis, ac sanguinis Dominici Sacerdoti ministrare. Ergo negari nequit, vtramque traditionem & verba vtrique correspondentia ad ordinationem Subdiaconi pertinere tanquam materiam & formam. Ita Medina *l. 3. de Continen. c. 44.* Fortunat. *de Ord. c. 2.* Adam. *d. 7. q. 2. dub. 3.* Hurtad. *hîc, diffic. 13.* Filliuc. *tr. 9. n. 45.* Dicastil. *tr. 6. d. 1. dub. 12.* Petr. à S. Ioseph. *tom. 2. de Sacram. d. 7. sect. 5.* 169 *Non est totalis materia.*

Sio, probabiliter sustineri posse, totalem materiam Subdiaconatus esse, vel solam libri Epistolarum traditionem, vt prima sententia contendit: vel solam Calicis vacui cum Patenâ vacuâ traditionem, vt Marchin. *tr. 2. p. 6. c. 4. n. 4.* Coninch. Laym. Valentia, Palaus, Comitolus & alij quos citat Leander *tract. 6. distinct. 3. quæst. 14.* asseruere Concilij Florentini illis verbis hærentes: *Subdiaconatus verò per Calicis vacui cum Patenâ vacuâ superpositâ traditio-* 170 *Existimo totalem materiam coalescere ex duplici traditione.*

nem. Attamen cum Doctoribus secundæ sententiæ affirmatim probabilius, duplicem illam potestatem per duplicis assignatæ materiæ, & formæ traditionem conferri. Verba autem sub quibus fit traditio vasorum, sunt illa, quæ Episcopus, postquam singulis ordinandis tradit vasa, dicit omnibus simul: *Videte cuiusmodi ministerium vobis traditur*; quia nulla alia aptiora, vt sint forma respectu traditionis vasorum, ab Episcopo ordinante proferuntur. Ea enim verba prout relata ad eam traditionem sufficienter denotant ad præfatam actionem potestatem, & moraliter cum eâ traditione coniunguntur. Eis demum, qui asserunt solam traditionem Calicis vacui cum Patenâ vacua esse totalem Subdiaconatus materiam respondeo, quamvis in Florentino non fiat mentio traditionis libri Epistolarum, id non probare ad substantiale huius Ordinationis complementum non pertinere; nam in Concilio non intendit Eugenius exactam doctrinam Sacramentorum tradere; sed tantùm exemplum adhibere in vnoquoque Sacramento traditionis rei, per quam tale Sacramentum confertur.

PROBL. XXVIII.

Materia proxima adæquata Acolytatus est, & non est sola traditio Candelabri cum cereo extincto.

171 *Nonnulla suppono.* COmmunis est Doctorum sententia, in ordinatione Ordinarij materiam proximam esse clausum Ecclesiæ traditionem, & verba ipsi correspondentia esse formam: & materiam proximam in ordinatione Lectoris esse traditionem libri lectionum, qui Lectionarius dicitur, & formam esse verba, sub quibus fit: & materiam proximam in ordinatione Exorcistæ esse libri exorcismorum traditionem, formam verò verba ipsi correspondentia. Quia per singulas præfatas traditiones, & per verba ipsis correspondentia denotatur potestas ad proprias singularum Ordinationum actiones iuxta Eugenij IV. decretum.

172 *Materia totalis est sola candelabri traditio.* Quæsierim tamen, quænam sit proxima totalis materia in Acolyti ordinatione. Certè materia proxima totalis est sola candelabri cum extincto cereo traditio. Quia per eam traditionem, & verba ipsi correspondentia denotatur potestas ad cereos accendendos, & eos deferendos antè Sacerdotem quæ est præcipua Acolyti actio. Sic Bonauent. *in 4. dist. 24. p. 2. dub. 5.* Richard. *a. 4. q. 3.* Angel. *v. Ordo, num. 4.* Abbas, Innocent. Albert. & D. Isidor. apud Syluestrum *v. Ordo 2. n. 4.* Pontificale Pij V. & alij.

173 *Non est sola candelabri traditio.* Candelabri cum cereo extincto traditio sola non est adæquata materia Acolytatus, sed coalescit ex traditione candelabri, & ex traditione vrceoli vacui: forma autem sunt verba vtrique respondentia traditioni. Quia per vtramque traditionem, & verba correspondentia ipsis denotatur potestas ad duas distinctas Acolyti actiones. Ita Viguer. *c. 16. §. 6.* Adam. *d. 7. q. 2. dub. 3.* D. Thom. *dist. 25. q. 1.* Vasq. *d. 237. n. 35.* Henriq. *l. 10. c. 9. n. 1.* Hurtad. *hic, disp. 14.* Filliuc. *tr. 9. n. 46.* Marchin. *tract. 2. p. 5. cap. 2.* Lublin. *v. Ordo, pag. 611.* Trull. *l. 6. de Sacram. dub. 2. n. 11.* Palaus *tom. 4. tr. 27. punct. 4. n. 19.* Dicastil. *tr. 6. d. 1. dub. 7. n. 198.*

Scio, Sotum, Valentiam, Antonin. Durand. apud Granadum *tr. 1. d. 3. n. 32.* & Bonacinam *d. 8. punct. 3. n. 6.* Nugnum *q. 37. a. 5.* & Sanchez *tom. 2. Consil. l. 7. cap. 1. dub. 12.* asseruisse solam traditionem vrceoli vacui esse adæquatam totalem Acolytatus materiam: & verba ipsi correspondentia esse formam. Quia per eam traditionem, & per ea verba denotatur potestas ad implendos vrceolos vino, & aquâ, & ad eos suggerendos, quæ est propria Acolyti actio. Ego autem secundæ sententiæ hærens crediderim, nec solam vrceoli vacui, nec solam candelabri cum cereo extincto traditionem esse adæquatam huius ordinationis materiam: sed vtramque; vt per traditionem candelabri, & illa verba: *Accipe ceroferarium cum cereo, vt scias te ad accendenda lumina Ecclesiæ mancipari in nomine Domini.* Confertur ei prima potestas; per traditionem verò vrceoli, & hæc verba: *Accipe vrceolos ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi in nomine Domini,* tribuitur ei secunda: Ergo ad duplex æquale ministerium Acolyti duplici traditione duplex ei est impendenda potestas.

174 *Asserentes traditionem Candelabri, & vrceoli esse totalem materiam.*

PROBL. XXIX.

Est, & non est valida Lectoris, vel Exorcistæ Ordinatio, si fiat per traditionem libri Euangeliorum, in quo Prophetiæ aut Exorcismi non contineantur.

175 *Sufficit libri Euangeliorum traditio.* SVfficit quidem libri Euangeliorum traditio. Quia si Lectoris officium est legere prophetias, in Euangeliorum libro prophetiæ illustrissimæ à Prophetarum Rege Christo Domino prolatæ continentur. An non Hierosolymæ prænunciauit exitium? An non prædixit trinam abnegationem: Num non Iudæ vaticinatus est ruiuam? Nonne Magdalenæ celebritatem ex inunctionis pietate præsignauit? Ergo sufficit libri Euangeliorum traditio. Si Exorcistæ munus expellere dæmones, in Euangelio à Domino leguntur expulsi. Sic docti Moderni, quos consului.

176 *Non sufficit,* Non sufficit libri Euangeliorum traditio, nisi in eodem libro sigillatim prophetiæ & Exorcismi contineantur. Quia munus Lectoris est, hasce legere prophetias, sicut Diaconi Euangelia, Subdioconi Epistolas recitare: & Exorcistæ officium exorcismorum vi abigere dæmones. Ita Tabiena, Syluester apud Henriquez *l. 10. cap. 9. num. 2. dit. 1.* Angel. *v. Ordo, n. 11.* & simili Sanchez *tom. 2. Consil. l. 7. c. 1. dub. 5. n. 5.* Leand. *tr. 6. d. 3. q. 10.*

177 *Probabilius hoc iudico.* Scio Syluestrum, & Tabienam addidisse, sufficere Epistolarum libri traditionem. Sed probabilius iudico, non sufficere. Quia Lectori prophetiarum lectio, Exorcistæ verò exorcismorum vsus præscribitur.

PRO

PROBL. XXX.

Proxima Ostiariatus adæquata materia est, & non est Clauium traditio.

178 Non est sola traditio Clauium, sed debet addi traditio cymbali. Quia per ordinationem Ostiariatus duplex confertur potestas, altera aperiendi ac claudendi Ecclesiæ ianuas: altera campane pulsatione fidelis ad sacra officia conuocandi; hæc datur per Cymbali, illa per Clauium traditionem. Sic Bonac. *d.* 8. *punct.* 3. *n.* 9. Hillioc. *n.* 9. *n.* 48. & alij.

179 Ostiariatus Clauium. Sola traditio Clauium sub his Episcopi verbis, *Sic age, quasi rationem Deo redditurus, pro his rebus, quæ his clauibus includuntur*, est adæquata proxima Ostiariatus materia. Quia præfata verba Episcopi solis Clauibus applicantur, de quibus solummodo verificari possunt: Ergo Cymbali traditio non est Ostiariatus materia, alioquin sine forma materia daretur. Ita D. Thom. Richard. Tabie. Sylvest. quos citat, & sequitur Henriq. *l.* 10. *c.* 9. *n.* 2. Marchin. *tract.* 2. *p.* 2. *c.* 2. Machad. *tom.* 2. *lib.* 4. *p.* 2. *tr.* 2. *docum.* 3. Diastil. *tract.* 6. *d.* 1. *dub.* 13. *n.* 192. dicens, sententiam hanc esse communem.

180 Idem iudico cum alterius materiæ neque apud Patres, nec Concilia, nec Canones mentionem fieri videam. Cymbalum ergo, quod in Ostiariatus ordinatione traditur quandam ceremoniam esse crediderim signantem vtique, minus etiam esse Ostiarij campanas pulsare.

Idem iudico.

PROBL. XXXI.

Ad valorem singularum ordinationum requiritur, & non requiritur ex parte ordinandi contactus physicus rei, cuius traditione ordinatur.

181 Svppono, necessarium esse necessitate præcepti, quod ordinandus physicè tangat rem seu materiam remotam, cuius traditione Ordo confertur, vt Calicem vrceolum, librum, &c. vt ex Ecclesiæ praxi constat. Quæsierim verò, num tactus hic physicus necessarius sit Sacramenti necessitate, siue ad Ordinis valorem.

Quid sup-ponitur.

182 Est de Sacramenti necessitate. Quia physicus tactus requiritur ad verificationem formæ, in quâ dicitur *Accipe* (v. gr.) *librum*; nam quod non apprehenditur, aut tangitur, non accipitur. Imò etiam requiritur ad verificationem verbi illius: *Accipe potestatem &c.* nam tunc verbum *Accipe* etiam refertur ad rem illam, cuius traditione confertur præfata potestas: potestas enim tunc traditione rei, siue materiæ exhibetur. Sic D. Thom. *in* 4. *dist.* 24. *q.* 1. *a.* 1. *quæstiunc.* 5. *ad* 3. Palud. *q.* 1. *a.* 1. Viguer. *c.* 16. §. 6. Valent. *tom.* 4. *d.* 9. *q.* 1. *punct.* 1. Coninch. *d.* 2. *n.* 7. Bonac. *d.* 8. *q. vnic. punct.* 3. Nugn. *q.* 34. *a.* 5. Marchin. *tr.* 1. *p.* 1. *c.* 16. *n.* 11. Granad. *tr.* 1. *d.* 6. *à n.* 4. Sanch. *to.* 2. *consil. c.* 1. *dub.* 2.

Est de Sacramento.

183 Non est de necessitate Sacramenti. Quia ad verificationem formæ, nempè *Accipe potestatem* denotatam oblatione materiæ, vt contingit in maioribus Ordinibus: vel *Accipe librum* vt in minoribus: non est necessarius tactus physicus materiæ adhuc mediatus: Ergo absque fundamento ad valorem ordinationis requiritur. Consequentia patet. Antecedens probatur: quia vt quis verè & propriè dicat: *Accipe* hoc vel illud, non est necessarium, vt ille, cui offertur seu porrigitur, apprehendat, seu accipiat illud; sed sufficit, vt ipsi offeratur, seu porrigatur, vt ex se patet, etiam si vt verba illa effectum moralem sui imperij habeant, necessarium sit conferri, & accipi, quod offertur. Certè nomen *traditio*, aliquando significat non translationem sed oblationem rei. Ità Victoria *hic*, *n.* 230. Armil. *v. Ordo. n.* 4. Vasq. *d.* 246. Albert. *in* 4. *dist.* 24. *art.* 38. *ad* 2. Caiet. *in summ. v. ordinantium peccata* Sa *v. Ordo num.* 3. *in prima edit.* nam in correctâ oppositum innuit. Henriq. *lib.* 10. *c.* 10. *n.* 1. *lit. D*, Reginald. *l.* 30. *n.* 8. Laym. *l.* 5. *tr.* 9. *c.* 5. *n.* 4. Hurt. *hic*, *diffic.* 15. Diana *p.* 2. *tr.* 2. *resol.* 3. & *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 185.

Non est de Sacramenti necessitate.

184 Veriorem hanc partem, reor, securiorem verò primam. Nam cum certâ hæc non sit, ac proinde qui non tangeret physicè materiam non esset certò ordinatus; qui ordinatus est Sacerdos absque tactu materiæ, grauiter delinquit, si eo defectu & periculo extraordinario admodum non detecto, Confessiones audiat, & sacrificia pro aliis stipendio accepto offerat. Vnde in praxi præferendam esse primam mentem existimo, adiiciens tamen, ita ad valorem ordinationis requiri tactum physicum materiæ remotæ, vt non requiratur immediatus tactus singulorum, quæ pro materia offeruntur. In ordinatione enim Sacerdotis non requiritur tactus immediatus vini & Hostiæ; sed sufficit tactus Calicis immediatus, quo etiam mediatè tangitur vinum inclusum; & tactu immediato Patenæ, quo etiam mediatè tangitur Hostia super Patenam collocata. Certè in Rituali Romano, in quo nihil necessarium omittitur, non fit mentio immediati tactus vini, neque Hostiæ. Imò probabile satis existimo sufficere tactum, immediatum Calicis, quo mediatè tangantur vinum in Calice inclusum, & Patenâ, & Hostiâ supra Calicem posita, de quo inferius *n.* 188. Denique monuerim, necessarium non esse tangere ambabus manibus, sed vnâ, imò & fat esse, vno digito tangere.

Vel Nor hæc pars, securior prima.

PROBL. XXXII.

Est, & non est Sacramentum nullum, si contactus simul non sit cum verborum prolatione.

185 Nvllum est Sacramentum. Quia nulla oratio verificatur, aut adimpletur, nisi significatum ponatur in tempore consignificato: sed tempus consignificatum per orationem, quæ est forma Ordinis, non se extendit extra totum tempus prolationis verborum: Ergo nisi contactus importatus per illa verba sit in eodem tempore cum verborum prolatione, talis oratio à veritate deficeret, & sic nullum esset Sacramentum. Minor probatur, quia verbum *Accipe* ità

Nullum est Sacramentū.

tempus præsens designat, sicut verbum *Accipis*, solúmque differunt, quod primum est per modum imperatiuum: secundum per modum indicatiuum. Sed si quis dicat, *Accipis hoc*, alio in præsenti non recipiente, falsum diceret, quia indicaretur esse in præsenti quod in præsenti non esset: Ergo dum Episcopus dicit ordinando: *Accipe* hoc aut illud, illo in præsenti non tangendo, falsum diceret, quia imperaretur aliquid esse in præsenti, quod non esset: & sic deficiente veritate formæ Ordinis, Ordo non erit. Sic Caiet. apud Philibertum Marchinum *part.1. tract.1.cap.16.num.12.*

186 *Validum est Sacramentū.* Non est Sacramentum nullum, sed planè validum. Quia ad substantiam huius Sacramenti, & ad præceptum implendum sufficit si contactus & verba simul sint in eodem tempore, morali quadam ratione, quæ in rebus moralibus est attendenda. Ita Petr. Ledesm. *sum. tom.1. tit. de Sacram. Ordin. cap.3.* Valent. *tom.4. d.9. q.1. punct.5.* Chamerota *de Sacrament. tract.11. c.3. dub.4.* Vasq. *d.246. c.2. n.19. & 20.* Nugn. *in addit. ad 3. p. to.2. q.24. a.5. dffic.2.* Diana *p.1. tr.16. resol.3.* Marchin. *citatus.*

187 *Huius sum mentis.* Improbo Caietani subtilitatem, quia morales res non sunt nimiùm acutè discutiendæ. Vnde secundæ hæresens sententiæ defendo ab acri Cardinalis reprehensione Episcoporum eorum consuetudinem, qui multos eodem Ordine initiaturi, ne nimiùm ordinatio differatur, verba formæ in numero plurali, *Accipite potestatem, &c.* simul proferunt, aliquibus solùm materiam contingentibus, deinde reliquis succedentibus, licet non exiguum temporis spatium inter ordinandorum contactum, & verborum prolationem elabatur. Quia contactus & forma moraliter censentur esse simul, dummodo continuatione quadam talis geratur attactus. Porrò huiusmodi ordinationem esse validam Congregatio Romana declarauit, si credendus Martinus Fornatius *in addit. ad Tolet. de Sacr. Ordin. c.2. n.5.* Approbat id Marchin. vbi supra, nec improbat Leand. *tract.6. distinct.3. quæstione 23.*

PROBL. XXXIII.

Sacerdos in ordinatione tetigit Calicem & Patenam, sed non Hostiam: Est & non est sub conditione Ordo ille repetendus.

188 *Nonnulla suppono.* CONtra Sotum *dist. 24. q.1. art.2.* existimo, sufficere ad ordinationem Sacerdotis tangere immediatè Calicem & Patenam super quam est Hostia, licèt hæc immediatè non tangatur. Quia sicut qui tangit immediatè Calicem censetur vinum saltem remotè tangere: ita & ille, qui Patenam tangit censetur & attingere Hostiam: vt docet Valent. *tom.4. d.9. q.1. pun.5.* & Hurtad. *diffic.15.* Contra Lublinum citatum à Coninch *d. 20. n. 57.* asséro, non esse de Sacramenti necessitate, vt ab ordinando tangantur immediatè Calix & Patena: sed sufficere, tangere Calicem, super quem Patena est apposita. Quia qui Calicem tangit, Patenam ei superpositam censetur contingere, vti censet Hurtad. citatus & Diana *p.10. tr.13. resol.50. & 88.* Contra Sylvestrum *v. Ordo 2. q.5. dicto 4.* & Angelum *v. Ordo 1. n.10.* censeo, de præcepti necessitate esse, vt Sacerdotio initiandus tangat immediatè Calicem & Patenam, licèt Hostiam non tangat. Quia hæc est Ecclesiæ praxis præceptum satis inducens, & in Rituali Romano præscribitur; vt affirmat Vasq. *d.146. c.2. n.19. & 20.* Hurtad. *vbi supra* & Diana *p.2. tr.2. resol.3.*

189 *Non est ordo repetendus sub conditione.* Quæstioni autem do, an si Sacerdos in ordinatione tetigit Calicem, & Patenam, sed non Hostiam: vel contigit Calicem, sed non Patenam, sit sub conditione denuò ordinandus? Minimè quidem. Quia si probabilia sunt, quæ supposui ob rationes expositas, vndenam talis iterationis necessitas exoriri potest? Sic præter eos, quos citaui, Marchin. *tr.1. p.1. c.16. n.16.* Zamb. summa Corona, Chamerota, Ledesma, Vega. Victorel. Bonac. & Nugnus, quos refert, ac sequitur Diana *p.2. tract.6. resol.3.* Ludou. de San Iuan *de Ord. art.4. diffic.2.* At Dicastil. *de Sacram. tom.1. tr.6. d.1. dub.14. num.205.* id asserit casu, quo ordinandus tangeret Calicem, & Patenam, quamvis Hostiam non tangeret; certum enim moraliter esse putat ordinationem valere, nec iterandam.

190 *Est repetendus.* Denuò est sub conditione ordinandus. Quia Ecclesia vult & Calicem, & Patenam, & Hostiam immediatè tangi, vt ex Rituali colligitur: At quotiescumque deest in collatione Ordinis id, quo Ecclesia vtitur, & adest opinio pro vtraque parte probabilis, quod sit validus Ordo collatus, & quod non sit validus: Sacramentum est sub conditione iterandum. Nam si re verâ opinio est fasa à parte rei, ordinatus bonâ fide non conficit Sacramentum Eucharistiæ, non absoluit peccata. Ita Baucius *in Miscellan. casuum conscien. tom.2. post Opusc.4. in append. q.4.* citans Villalob. & Doctores Vniuers. Salmanticenses. Approbat ex parte Diana *p.10. tr.13. resol.50.*

191 *Auctoris resolutio.* Hanc sententiam veram esse crediderim casu, quo quis solum Calicem attingeret, non Patenam, neque Hostiam. Nam in re quæ certa non est saltem moraliter circa essentiam Ordinis, quod deest non supplet Ecclesia. Non sic quando agitur de iurisdictione; quia quando adest probabilis opinio, quod v. gr. talis casus potest absolui à carente potestate circa reseruata: & alia opinio docet oppositum: tunc Ecclesia confert iurisdictionem, ac proinde remanet absolutum peccatum, etiam si forte à parte rei non potuit absolui. Nam opinio probabilis confert iurisdictionem, vti communiter docent Auctores, teste Lessio *de Iust. l.2. c.29. dub.8. n.68.* Secus dixerim de Sacramento Ordinis; quia ordinatus licet bonâ fide sententiæ probabili hærens, si verè ordinatus non est, nec consecrare nec absolure potest. Nec potest Ecclesia supplens efficere vt non Sacerdos consecret, vel absoluat. Idcirco arbitror collationem illam ordinis sub conditione debere iterari. Casu autem quod ordinandus Calicem, & Patenam contigerit, sed non Hostiam, putarim cum Dicastillo, repetendam non esse sub conditione ordinationem; quia valere tunc est moraliter certum, in eoque vtriusque sententiæ Auctores conuenire qui attentè legerit, annotabit.

CAPVT

CAPVT X.

Circa Ordinis Ministrum tàm Ordinarium, quàm à Pontifice delegatum.

PROBL. XXXIV.

Episcopus hæreticus, excommunicatus, vel degradatus potest, & non potest validè Ordines conferre.

192 Non potest valide Ordinare.

NOn potest validè Ordinem conferre. Quia qui fide caret, vel arefactum Christi membrum est, quomodo habebit potestatem conficiendi vera Christi Sacramenta? Sic Agrippinus Episc. Carthagin. auctore D. August. *lib.2. de Baptism. cap.7.* successit Agrippino in Episcopatu D. Cyprianus, & sui prædecessoris sententiam acriter defendit, multósque Africæ Episcopos in suam opinionem pertraxit, qui coacto Concilio, hanc sententiam de fide credendam esse determinarunt, seruata tamen cum Romana Ecclesia vnitate, & concordia. Vnde constat, Patres hos nullo modo in hæresim lapsos fuisse, cum sine pertinacia, imò cum debita subiectione ad Romanam Ecclesiam sententiam huiusmodi fuerint sectati. His Doctoribus accessêre Panormit. Innocent. & alij ad Cap. *Quanto, de consuetud.* asserentes, posse Pontificem ab hæreticis Episcopis tollere validè confirmandi, & ordinandi potestatem. Potest quidem validè Sacramentum Ordinis ministrare. Quia potestas ad validè conferendum Ordinem annexa est ex Christi institutione Characteri Episcopi, qui deleri non potest per hæresim, excommunicationem, aut degradationem. Ita habetur in Cap. *Dei Albertum 1. quæst.7.* in Concil. Constant. *sess.8.& 15.* in Arelat. *cap.12. in7.* Synodo *cap.4.* in Africano *cap.15.* in Trident. *sess.7. can.12.* Docet D. Thom. *in addit. quæst.38. art.2.* & ibi omnes Thomistæ. Henriq. *lib.10. cap.21. num.2.* Vasq. *dist.243.* Marchin. *tract.1. part.2. cap.15.* & multi apud ipsum.

193 Valide potest.

Hoc planè certissimum. Quia cum Christus Dominus in conficiendis Sacramentis sit principalis causa, iuxtà illud Ioan.1. *Hic est qui baptizat*, Episcopus autem solum sit causa instrumentalis seu ministralis: hæc non operatur secundùm virtutem propriam, sed secundùm motionem, quam à principali recipit agente: Ergo valor Sacramenti non pendet ex bonitate, aut malitia, vel censura Ministri; sed à sola Christi motione. Vnde non est iam problematica quæstio, cum ex Conciliis constet, partem primam sustineri non posse. Profectò crediderim Patres illos tantum intendisse, non esse habendam vt legitimam Ordinationem factam ab infideli, aut excommunicato Episcopo, ad effectum eum, vt sic ordinatus permittatur vti Ordine sic sibi collato.

PROBL. XXXV.

Episcopus ordinatus per saltum, verb. gr. Ordines minores non accipiens, potest, & non potest, validè alys hosce Ordines conferre.

194 Non potest conferre.

COnferre non potest. Quia nemo dat, quod non habet, & nullus plus iuris ad alium transferre potest, quàm ipse habeat, *l. Filius familias, ff. de donat.* Et confirmatur à simili. Quia Episcopus non Sacerdos non posset alios Sacerdotio insignire, neque alios Ordines conferre: ergò similiter si careat minoribus non poterit minores aliis tradere. Sic Homobon. *tract.3. de exam. Ecclesiast. quæst.61.* Antonin. *3.p. tit.14. cap.16.§.17.* Suar. *tom.5. dist.31. sect.1.* Henriq. *lib.10. cap.5. num.2. & cap.21. lit.B.* Sa *v. Ordo, num.23.* Sanch. *tom.2. consil. lib.7. cap.1. dub.14. num.9.* & alij.

195 Conferre potest.

Potest validè conferre. Quia Episcopus per saltum ordinatus est verus Episcopus, & habet Episcopalem Characterem: Ergo poterit proferre actum sibi proprium, nempe ordinationem sicut maiorum, ita & minorum. Consequentia est manifesta. Nam qui habet aliquam potestatem, poterit illius exercitium habere: sed qui habet Characterem Episcopalem habet potestatem cunctos Ordines conferendi, quæ potestas non amittitur ex Ordinatione Episcopi per saltum: Ergo. Ita Marchin. *tract.1. part.2. c.19. num.4.* Vasq. *dist.243. num.24.* Molfes. *in sum. tract.2. cap.17. num.5.* Laym. *tract.9. cap.9. n.8.* Hurtad. *diffic.17.* Dicastil. *tract.6. dist.1. dub.16. num.218.* Palaus *tom.4. tract.27. punct.14. n.1.* Henriq. *lib.10. c.12. n.3.* Præpos. *tr.3. p.q. de Ord. dub.12. n.114.* Diana *p.8. tr.2. resol.4.*

196 Hoc mihi probabilius.

Hanc eligo sententiam, asserens, hoc non esse, plus iuris transferre in alium quàm ipse teneat: aut dare aliquid, quo ipse prius non habeat. Quia contingit, causam effectum in se claudere duplici via: primò formaliter, vt ignis ignem; secundò eminenter, & superiori ratione, sicut solemniter continet calorem, quem producit. Quare licèt Episcopus carens minoribus non habeat minores formaliter: habet tamen potestatem superiorem & eminentiorem, nempè Episcopalem Characterem. Nec est simile, quod de Sacerdotio respectu Episcopatus ab Homobono dicebatur: siquidem Episcopatus claudit intrinsecè Sacerdotalem Characterem, ita vt non Sacerdos non sit Episcopus; at carens minoribus, vel inferioribus Ordinibus, Episcopus esse non desinit.

PROBL. XXXVI.

Antè Ordinationes inquit Episcopus: Non intendo Ordinare excommunicatum, irregularem, &c. *Si quis excommunicatus, aut irregularis, &c. ad Ordines accedat, manet, & non manet Ordinatus.*

197 Quæstionem exponitur.

VIdimus *sect.1.* requiri in ordinante Episcopo, vt habeat intentionem actualem, aut virtualem ordinandi secundum Ecclesiæ vsum

cos,

eos, quibus Ordines confert, sine qua intentione nullum sit Sacramentum. Quæritur tamen quando Episcopus ante ordinationes de more dictitat, ne quis hæretici filius, aut excommunicatus, aut irregularis ad suscipiendos Ordines accedat, sed foras egrediatur, claráque voce testatur, se non intendere eos ordinare: num si quis ex huiusmodi vitiis ad Ordinationem accederet, valida foret Ordinatio, an verò esset repetenda?

198 *Non esset valida.* Valida minimè foret, ideóque iteranda. Quia sine intentione Sacramentum agendi, nullum est Sactamentum. Patet autem Episcopum intentionem habere non Ordinandi, quia scit se censuram incurrere, si aliquem eiusmodi vitiis irretitum scienter admittit ad Ordines, ex cap. 1. *de eo, qui furtiuè Ordines suscepit.* Sic Molfes. *in summ. tr. 2. c. 2. n. 45.*

199 *Valida esset.* Foret valida Ordinatio, ideò non iteranda. Quia illa verba ab Episcopo dicuntur primò ad terrorem eorum, qui impedimento aliquo detinerentur; secundò vt declaret, se nolle scienter aliquem vitia patientem ordinare, ne ipse aliquâ Censuram incurreret, & ideò est præsumendum, Episcopum Ordinantem non caruisse interiori necessaria intentione ordinandi intrusos. Id colligo: quia etsi Episcopus prohibeat, ne quis indignus ad Ordinationem accedat, habeatque intentionem generalem illos scienter non ordinandi: potest tamen habere internam intentionem magis specialem, se velle Ordinare etiam indignos, si ipse nesciente ad Ordines accedant; hæc enim duo diuersa valde sunt. Imò si non intenderet Ordinare indignos, grauiter delinqueret, quia occulta vitia puniri non possunt. Ita Marchin. *tract. 1. part. 2. cap. 11. num. 16.* Nauar. *lib. 1. Consil. de tempor. Ord. consil. 8.* Graffis *eidem consil. 3. num. 2.* Rodrig. *in sum. part. 2. cap. 13. n. 3.* Sa *v. Ordo, num. 38.* Sic fatus: *Si Episcopus dicat: Nolo vel non intendo Ordinare excommunicatos, vel irregulares: intelligitur, si sciat, aliquem talem esse; quare quem Ordinat, non sciens talem esse, vere est Ordinatus.* Leand. *tr. 6. dist. 4. q. 5.*

200 *Cum his opinor.* Cum his opinor, quia manifestè colligo, Episcopum, illa protestatione non obstante, habere veram intentionem ordinandi etiam indignos, ex eo, quòd post huiusmodi protestationem statim assolet Ordinandos à quacumque excommunicatione absoluere, & in omni irregularitate dispensare, vt habetur *in Pontificali*, vbi dicitur. *Téque absoluentes ad effectum præsentium assequendum.* Quibus verbis tollit Episcopus quodcumque occultum impedimentum, scilicet excommunicationem, irregularitatem, suspensionem, & interdictum, vt notauit Nauar. *l. 5. de sent. excom. consil. 28. n. 11.* Monuerim autem, licèt occulta hæc vitia patientes Episcopus absoluat ad effectum suscipiendi valide Ordines: tamen post ordinationem statim reuiuiscere Censuras illas, & impedimenta, à quibus iterum debet absolui, vt innuitur verbis illis: *Téque absoluentes ad effectum præsentium assequendum.*

PROBL. XXXVII.

Cardinales Presbyteri possunt, & non possunt, suis familiaribus primam Tonsuram, aut Ordines minores conferre ex priuilegio vel consuetudine.

PResbyter Cardinalis non Episcopus minimè potest ex priuilegio, vel consuetudine minores Ordines aut Tonsuram conferre suis subditis. Quia Christus Dominus nullum alium Ministrum Ordinationis instituit, nisi Episcopum. Sic Adrian. *in 4. quæst. de Sacram. Confirm. art. 3.* Maior *dist. 7. quæst. vnic.* Anastas. Germoni. *tract. de indult. Cardin. num. 20.* Et id esse asserendum post Tridentinum docet Sanch. *tom. 2. consil. lib. 7. cap. 1. dub. 19. num. 21.* Inclinat Azor. *p. 1. lib. 4. c. 3. q. 2.* 201 *Non potest.*

Potest planè etiam post Tridentinum. Quia consuetudo id eis præstitit, vt testatur Rota *In vna Cremon. 3. Decembr. 1582.* quam refert Barbos. *de potest. Episc. part. 2. allegat. 5. num. 19.* Ita Sotus *dist. 25. quæst. 1. art. 1. ad 2.* Vasq. *dist. 243. cap. 4.* Valent. *tom. 4. dist. 9. quæst. 3. punct. 3.* Hurtad. *diffic. 18.* Diana *part. 5. tract. 2. resol. 5.* Palaus *tom. 4. tract. 27. punct. 14. n. 3.* Marchin. *tr. 1. p. 2. c. 10. n. 1. & 2.* 202 *Potest plane.*

Piaculum ducerem contra tot viros doctissimos opinari. Vnde qui iure communi eos id minimè posse scio, & ex consuetudine posse omnino certum esse non reor, cum Azorius citatus asserat, huiusmodi consuetudinem in vsu non esse à fide dignis & in Romana Curia versatissimis se accepisse: ob Doctorum authoritatem subscribo. Vtrum verò ex priuilegio id possint, ipsorum est videre, quid à Pontifice sibi concessum. 203 *His horum Doctoribus.*

PROBL. XXXVIII.

Parochi, Ministri, Priores, Guardiani, Præpositi, Rectores, &c. possunt, & non possunt suis subditis primam Tonsuram ministrare.

POssunt quidem. Quia prima Tonsura non est Ordo, & nullia aliundè apparet repugnantia. Panormit. *in cap. 4. de consuet. num. 9.* Archidiac. *ad cap. Nullus Episcopus, de tempor. Ordin.* Hugo & Innocent. *ad idem cap.* Sic de Parocho affirmant. Verum de Ministris, Prioribus, &c. asserit Franciscus Marchi. *decis. 1082.* contendens id eis de iure competere. 204 *Possunt quidem.*

Minimè possunt Parochi. Quia id nec fieri, nec vnquam factum esse constat. Ità Sotus *in 4. dist. 25. quæst. 1. art. 1.* Azor. *part. 2. lib. 3. cap. 48. quæst. 2.* Henriq. *lib. 3. cap. 23. numer. 3.* Fornar. *de Ord. cap. 5.* Marchin. *tract. 1. part. 2. cap. 10. num. 3. & 4.* Nullatenus possunt Priores, Rectores, Guardiani, &c. ex iure. Quia licet Tonsura non sit propriè Ordo, est tamen proxima ad Ordines dispositio: At eiusdem virtutis ac facultatis est inducere formam, ac vltimam dispositionem: ergo ex iure id munus solummodò potest ad Episcopum spectare. 205 *Non possunt.*

Nec

Nec ex consuetudine possunt. Quia vsus talis facultatis nec visus, nec auditus vnquam fuit: ergo ex consuetudine haud eis potest competere. Ità Marchin. *vbi suprà*. Leand. *tr.6.d.4. q.8.* & omnes communiter.

106 Hoc certissimè tenendum assero, primámque sententiam nullo solido fundamento niti existimo.

PROBL. XXXIX.

Omnes mitrati Abbates possunt, & non possunt suis subditis secularibus minores Ordines ministrare post Tridentinum.

107 Sv Abbas. Vppono contra Zerolam *p.1. praxis Episcop. v. Abbas.* non omnes Abbates indiscriminatim posse suis subditis Regularibus Ordines minores conferre, sed solùm illos, qui hisce sint qualitatibus ornati: Debent esse Sacerdotes, consecrati, aut benedicti, vel qui saltem ex priuilegio Pontificis valeant Pontificalia exercere. debent esse mitrati, ideſt, habentes ius ferendi mitram, annulum, & baculum. Si vnum horum desit, Ordinatio erit nulla. Quia etsi Abbas simplex possit frui iurisdictionis potestate, non tamen potestate Ordinis. Quærierim tamen, num omnes Abbates hisce qualitatibus insigniti, possint suis subditis sæcularibus minores Ordines ministrare?

108 Omnes mitrati Abbates possunt: nec enim eorum priuilegium circa hoc à Tridentino est reuocatum. Quia hoc priuilegium est concessum à Synodo VII. generali *cap.14.* & habetur in Cap. *Quoniam, dist.69.* At reuocatio decretorum Concilij sufficiens non censetur, nisi in specie fiat eorum derogatio his verbis: *Non obstante aliqua lege, vel constitutione etiam in Concilio generali statuta*; vt colligitur ex Cap. *Ex parte*, Cap. *vlt. de Capel. Monach.* & tenet Covar. *4. variar. cap.16. num.6.* & Felin. *cap. Nonnulli, de rescript.* Sic Sanch. *tom.2. Consil. lib.7. cap.1. dub.19. num.20.* Diana *part.4. tract.4. resol.147 & part.5. tr.13. resol.93.* licet in contrariam videatur inclinare.

109 Non omnes Abbates mitrati possunt sæcularibus subditis Ordines minores conferre: sed solum magnates habentes plenam iurisdictionem temporalem, & spiritualem in illos. Quia Tridentinum *sess.23. cap.6.* clarè determinat Abbates solum posse suis subditis Regularibus Ordines conferre: ergo post Tridentinum nequeunt Abbates communes etiam mitrati Ordinare sæculares subditos. Possunt autem id gerere magni Abbates. Quia habent in subditos sæculares Episcopalem iurisdictionem: Ergo sicut possunt illis dimissorias concedere, vt ab aliis Episcopis ordinentur, poterunt & ipsis Ordines ministrare. Ità Henriq. *lib.14. cap.18. num.2.* Alced. *in praxi Episcopor. part.2. cap.5. num.78.* Gauant. *in Enchirid. Episcop. v. Abbas, num.38.* Sa Correctus *v. Ordo, num.16.* Molfes. *tract.2. cap.2. num.17. & 18.* Marchin. *tract.1. p.2. cap.10. n.9.*

110 Primam sententiam probabiliorem esse iudicatim. Quia priuilegium hoc Abbatibus miratis concessum insertum est in corpore Iuris, Cap. *Cum contingat de etate & qualit.* Cap. *Abbatibus, de priuileg. in 6.* At in generali priuilegiorum reuocatione, qualis est illa Tridentini, non comprehenditur priuilegium insertum in corpore Iuris: ergo non censetur hoc priuilegium reuocatum. Attamen quia Quaranta *v. Ordo*, asserit declarasse Sacram Cardinalium Congregationem, hoc non ad omnes Abbates, sed ad magnates illos pertinere, si (verum id sit) à secunda sententia recedere.

PROBL. XL.

Abbates, qui suis subditis Regularibus minores Ordines valent conferre: possunt, & non possunt eos suis Nouitijs ministrare.

NOn possunt. Quia Tridentinum requirit in Ordinando ab Abbate hasce conditiones: quod sit Regularis, & subditus Abbati ordinanti: sed Nouitius non est propriè Regularis, nec absolutè, ac plenè subditus Regulari Prælato quoad Ordines recipiendos: sed solùm quoad munus probationis: vnde non possunt Prælati Regulares Nouitiis suis dimissorias concedere: quia non plenè subiacent Prælatorum Regularium iurisdictioni; sed hoc munus spectat ad Episcopum locus nouitiatus: Ergò Abbates non possunt Nouitiis suis Ordines minores conferre. Sic Sayr. *de Censur. lib.4. cap.13. num.5.* Rodrig. *de Regular. tom.3. q.23. art.2.* Miran. *in Manua. Prælat. tom.1. q.38. art.9. concl.2.* Barbos. *de Offic. & potest. Episcop. alleg.3. num.8.* Zerol. *part.1. praxis Episc. v. Abbas.* Palaus *tom.4. tract.27. punct.14.* Marchin. *tractat.1. part.2. cap.10. numero 18.* 211 *Non possunt.*

Possunt quidem. Quia Iulius II. Cisterciensibus Abbatibus impendit priuilegium initiandi Nouitios Clericali Tonsura: ergo innuit Pontifex eos plenè subditos hisce Abbatibus reputare. Prætereà Abbates iure antiquo habebant hanc facultatem initiandi quoscumq; etiam nouitios: Cap. *Abbates, de priuileg. in 6.* Sed Correctio Iuris antiqui, quantum fieri potest, viranda est: Ergo verba illa indulti: *Regularibus suis* amplè accipi possunt, ità vt etiam Nouicios comprehendant, qui in aliis multis veniunt in materia fauorabili sub nomine subditorum Regularium. Ita Suar. *tom.4. de Relig. tract.8. lib.2. cap.29. num.12.* Laym. *lib.5. tract.9. cap.9. num.2.* Sed non tam asseueranter sicut Suarius. Leand. *tr.6. dist.4. q.11.* 212 *Possunt plane.*

Immeritò Philibertus Marchinus asserit, minus rectè Suarium meum concessisse Abbatibus, vt possint Nouitiis suis Ordines minores conferre, pendente probatione. Quia hæc sententia nec videtur tuta, nec rationabilis, cum Nouitij recepto indelebili Charactere possint dimitti, & ad sæculum redire. Vndenam precor ille minus tutam sapientissimi Suarij assertionem, atque irrationabilem inuenit? Quid si redeant ad sæculum? An esse minoribus Ordinibus initiatos obstabit, ne Matrimonium ineant: aut ne possit Episcopus eis maiores Ordines, si causa adsit, abnegare? Si possunt præfati Abbates suis Nouitiis dimissorias concedere, vt fert doctissimorum sententia (de quo inferius) cur non 213 *Cum D. opinor Suarium à Marchino defendens.*

COBAR
Fac. Mor.
Tom. III. IV.
Fol. 111.

pote

poterunt, eis minores Ordines ministrare? Nonne ex Tridentino *sess.23.c.10.* constat, Abbates mitratos posse suis subditis Regularibus Ordines minores conferre? Poterunt ergò & Nouitios initiare, cum in fauorabilibus tanquam Regularis, ac professus habeatur, vt docet Rebuf. quem sequitur Diana *p.3.tr.2.res.73.* & alij quam plurimi. Igitur, mi Philiberte, tibi licet à Suarij sententia, cum libuerit, recedere, sed minus decenter de eà loqui, minimè licet.

PROBL. XLI.

Possunt, & non possunt Abbates hi, Regulares alterius Ordinis minoribus Ordinibus initiare.

214 *Non possunt.* NOn possunt. Quia priuilegium expressè præscribit, vt Abbates valeant Ordines minores impendere *suis subditis Regularibus:* At alterius Ordinis Regulares non sunt subditi Abbatum: Ergo Abbates eis non poterunt hos Ordines minores ministrare. Sic Barbos. *de offic. & potest. Episcopi, alleg.3.n.12.* Mirand. *to.1. q.8.a.9.* Palaus *tom.2.tr.17. punct.4.num.4.*

215 *Possunt quidem.* Possunt quidem, dummodo Dimissoria suorum Prælatorum habeant, & consensum Episcopi loci, in quo conferendi sint Ordines. Quia per consensum suorum Prælatorum concedentium Dimissorias fiunt Abbatum ordinantium Subditi. Ita Azor. *lib.12.c.20.q.7.* Laym. *l.5. tr.9.c.9.n.2.* & alij, quos refert, & sequitur Diana *p.5. tract.13. resolut.93.* Machad. *tom.2. lib.5. p.3. tract.1. docum.2.n.4.* Machin. *tr.1. p.2.c.10. num.15.*

216 *Hoc mihi probabilius.* Certè Barbosa vbi supra postquam asseruit, id fuisse à sacra Congregatione declaratum, subdit, se adhuc dubitare de huiusce decisionis veritate propter illa verba Tridentini relata: *Regularibus suis*, id est sui Ordinis. Verum sufficit fieri suos per consensum suorum Prælatorum, qui concedentes Dimissorias suis subditis, quo ab aliquo Abbate ordinentur, iurisdictioni eius illos subiiciunt exemplo vnius Episcopi cum alio, dum subdito suo Dimissorias concedit, quis ab illo ordinetur. Do sacræ circa hoc Congregationis verba: *Abbates Regulares habentes ius deferendi baculum, & mitram, postquam sacerdotalẽ Ordinem, & benedictionis munus susceperint, possunt Tonsuram, & minores Ordines conferre aliis Regularibus, qui habuerint Dimissorias literas speciales suorum Superiorum, & specialem consensum Episcopi loci, vbi Ordines suscipere cupiunt.*

PROBL. XLII.

Abbates mitrati hi possunt & non possunt Clericos sæculares Ordinibus minoribus initiare, etsi habeant Dimissorias.

217 *Non possunt, etsi habeant Dimissorias.* NOn possunt, etsi Clerici hi habeant dimissorias à suis Episcopis, & specialem eorum consensum. Quia extat decisio Rotæ Romanæ relata à Seraphino *decis.985.p.1.* id expressè prohibens. Sic Barbos. *de offic. & potest. Episcopi alleg.3.n.12.* Sellius *in select. can.c.19. n.8.* Campanile *in diuersorio Iuris Can. rubr.6.c.2. n.6.* & alij.

218 *Possunt omnes.* Possunt omninò. Quia si hæc potestas conceditur Abbatibus ergà Regulares non sibi subditos, vt vidimus *Probl.41.* cur non concederetur etiam ergà Clericos sæculares, cum vtrique sint ab eorum exempti iurisdictione: etsi Regulares alterius Ordinis illis virtute Dimissoriarum subduntur: etiam virtute earundem possunt illis Clerici sæculares submitti. Ita Marchin. *tract. 1.part.2.cap.10.num.15.* Quaranta, Azor. Bonac. Capucin. quos affert, & sequitur Tambur. *de iure Abbat. tom.2.dist.quæst.7.num.2.* Præpos. Fornar. Macer. Hugol. Gauant. Lezana, Laym. Zerol. Zanard. Molfes. quos citat, & sectatur Diana *part.5. tractat.13. resolutione 93.* & alij.

219 *Cum his opinor.* Cum his opinor iudicans Rotæ Romanæ decisionem non obstare, cum oppositum video à tot Doctoribus affirmari, & à sacra Cardinalium Congregatione præscribi. *Abbates* (inquit) *Regulares habentes ius deferendi baculum, &c. possunt Tonsuram, & minores Ordines sæcularibus Episcopali iurisdictioni subiectis conferre, si modo consensu ipsius Episcopi accedat, qui literas Dimissorias speciatim recipiendi Ordines commiserit; ita vt non sufficiat, id generatim ab Episcopo concedi; sed hac concessione semper opus sit singulis.*

PROBL. XLIII.

Potest, & non potest ex Pontificis priuilegio quilibet Ordinatus aliis eundem Ordinem conferre, quo ipse est initiatus.

220 *Potest quilibet Ordinatus.* POtest quidem quilibet cuilibet conferre Ordinem, quem ipse recepit. Vnde Sacerdos poterit exhibere omnes Ordines, Diaconus Diaconatum, Subdiaconatum, & minores, Subdiaconus Subdiaconatum, & inferiores: & sic de cæteris. Quia etẽ qui alium ordinat, & illum ad Ecclesiasticam dignitatem eleuat, eundem debeat dignitate superare: Diaconus Subdiaconum, Subdiaconus alios in minoribus Ordinibus constitutus dignitate antecellit. Et Diaconus vt à Pontifice ad tale officium delegatus esset alio Diacono Superior, licèt in eodem Ordine conuenirent; non enim ex vi sui Ordinis, sed ex potestate sibi commissa hoc munus exerceret. Præterea ex Pontificis priuilegio vnus Episcopus potest ab alio solo consecrari, licet ex diuinâ institutione ad eius consecrationem tres Episcopi requirantur. Cur ergo non poterit vnus Presbyter ab alio vnus Subdiaconus ab alio de Pontificis mandato, & facultatis plenitudine creari, & sic de reliquis inferioribus oridinibus? Sic Innoc. *in cap. Quando, de consuetud.* Glossa *cap. Munus, de consecr. dist.5.* Angel. *v. Ordo, n.2.* Inclinat Marchin *tr.1.part.2.c.13. num.16.* licèt *num.17.* dicat, se hanc sententiam Ecclesiæ censuræ committere. Idem agit Diana *p.8.tr.1.resol.38.* Fauet

Coninch

Coninch. *d.* 20. *num.* 86. dum asseruit præfatam sententiam debere amplecti omnes, qui negant Ordines Sacerdotio inferiores, minores præcipuè esse Sacramenta. Nam iuxta horum opinionem (ait ille) potest Pontifex prædictam potestatem non Sacerdoti committere. Egidio consentit Petr. à S. Ioseph. *tom.* 2. *de Sacram. dist.* 8. *sect. assert.* 2.

221 *Non potest quilibet quemlibet ordinare.*

Non potest quilibet quemlibet initiare Ordine, quem ipse recepit; nam qui Sacerdos non est neque ex delegatione Pontificis valet Ordinè aliquem quatumuis minorem aliis conferre. Quia probabilius est, omnes Ordines etiam minores (vt vidimus) esse Sacramenta: ergo hoc supposito, non poterit Pontifex facultatem non Sacerdoti concedere vt validè illos administret. Deindè licet Sacramenta non essent minores Ordines, imò & Diaconatus, & Subdiaconatus: tamen tale exemplum nec visum, nec auditum est in Ecclesia. Ita D. Thom. *in addit. quæst.* 38. *art.* 1. *ad* 3. Palud. *in* 4. *distinct.* 7. *quæstion.* 4. Dicastil. *de Sacram. tr.* 6. *d.* 1. *dub.* 17. *num.* 237. Trullench. *ibi lib.* 6. *dub.* 6. *num.* 3. Sanch. *tom.* 2. *Consil. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 18. *num.* 7. Sylvest. *v. Ordo* 3. *quæst.* 7. Victor. *num.* 234. Henriq. *l.* 10. *cap.* 23. *num.* 3. Filliuc. *tract.* 9. *num.* 95. Granad. *tract.* 2. *dist.* 2. *num.* 3. Hurtad. *diffic.* 18.

222 *Hoc nihilominus probabile.*

Scio Nugnum in addit. *ad quæst.* 38. asseruisse, secundam hanc sententiam ita esse certam, vt opposita sit temeraria, & proxima errori. Quam censuram nimiùm rigidam esse crediderim. Nam ex sententia affirmante, Sacramenta non esse Ordines Sacerdotio inferiores, primum placitum sua probabilitate non caret. Longè verò probabilius secundum duxerim asserens communem esse Doctorum mentem nullum non Sacerdotem posse esse Ministrum ex commissione Pontificis Ordinationis à Christo institutæ, cui conuenit Sacramenti ratio.

PROBL. XLIV.

Ex delegatione Pontificis simplex Sacerdos potest, & non potest Ordines minores, Subdiaconatum, & Diaconatum conferre.

223 *Nullum Ordinem minis. potest.*

GEneratim nec Diaconatum, nec Subdiaconatum, imo nec minores Ordines potest ex Romani Pontificis commissione ministrare Sacerdos, licet sit Cardinalis. Quia Christus Dominus nullum alium Ministrum Ordinationis nisi Episcopum instituit. Sic Adrian. *in* 4. *quæst. de Sacram. art.* 3. Maior *dist.* 7. *quæst. vni.*

224 *Simplex Sacerdos Ordines inferiores non potest conferre.*

Potest simplex Sacerdos ex Pontificis Romani commissione omnes Ordines Sacerdotio inferiores conferre. Quod inductione probatur. Potest Minores. Quia & id sæpè factum est, & ex speciali Iuris priuilegio, & consuetudine Abbates, & Cardinales Presbyteri conferunt. Ita præter Richardum, Sylvestrum & Couarruuiam citatos ab Hurt. *diffic.* 18. D. Th. *q.* 83. *a.* 1. *ad* 3. Henriq. *l.* 10. *cap.* 23. Potest dare Subdiaconatum, Quia de facto Innocent. VIII. anno 1489. concessit cuidam Abbati Cistercienſi, nomine Ioannes, & aliis quatuor Abbatibus eiusdem Ordinis, facultatem Ordinandi Monachos in Subdiaconos. Ita Victor. *numero* 235. vbi testatur, se propriis oculis vidisse, & legisse hoc indultum, & Roderic. *qq. Regular. tom.* 1. *q.* 18. *art.* 3. affirmat, se accepisse à Patribus Ordinis Cistercienſis, Abbates illos eo priuilegio fuisse vsos. Potest Diaconatum ministrare. Quia præfatis Cistercienſibus Abbatibus indulsit etiam Pontifex, vt possent Diaconatus Ordinem exhibere. Ità præter Franciscum Turrian. Hurtadum, Gabriel *in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 1. *art.* 3. Auersa *de Ord. quæst.* 3. *sect.* 3. Caramu. *ad Regul. D. Benedicti cap.* 62. *num.* 1626. Viuald. *de Ord. tit. de Ministro, n.* 8. Angel. *v. Ordo* 2. Archang. Rodrig. Victor. Ochagau. & Marchin. quos sequitur Leand. *tr.* 6. *dist.* 4. *quæst.* 19.

225 *Hoc mihi indubitatum.*

Indubitatum mihi, posse Sacerdotem ex Pontificis Romani commissione (*Romani* dixi, nam nec facto aliquo, nec alio fundamento agnosco posse ex commissione alterius) omnes Ordines inferiores Sacerdotio conferre. Video enim quoad minores in esse nunc facultatem Cardinalibus, non Episcopis etiam, & Abbatibus exemptis: quamuis in Trident. *sess.* 25. *cap.* 10. Abbatibus, & aliis quibuscumque exemptis existentibus intra aliquam Diœcesim prohibitum sit, ne vlli nisi suo subdito Regulari primam Tonsuram, nec minores Ordines conferant. Quoad Subdiaconatum, & Diaconatum scio commissam de facto ab Innocentio VIII. facultatem illam Abbatibus Ordinis Cistercienſis conferendi suis subditis omnes Ordines præter Sacerdotium. Adest Bullæ exemplar *in noua compilatione priuileg. Ordinis ipsius priuilegio* 118. Eius audi tenorem: *Ac ne Monachi dicti Ordinis pro suscipiendis Subdiaconatus, ac Diaconatus Ordinibus extrà claustrum hinc indè discurrere cogantur: Tibi & successoribus tuis, vt quibuscumque dicti Ordinis Monachis: aliis verò quatuor Abbatibus præfatis, ac eorum successoribus, vt suorum Monasteriorum prædictorum Religiosis, quos ad id idoneos repereritis, Subdiaconatus Ordines huiusmodi liceat ritè conferre.* Non ignoro nonnullos abijcere, non potuisse Pontificem huiusmodi incultum præfatis Abbatibus conferre. At obiectionem hanc nimis audacem esse crediderim. Dicere enim Pontificem in re tanti momenti errasse, non exiguam Sedi Apostolicæ irrogat iniuriam. Alij aliter ineptè quidem nituntur huiusce priuilegij vim infirmare.

PROBL. XLV.

Ex delegatione Pontificis potest, & non potest simplex Sacerdos Presbyteratus Ordinem impertire.

226 *Minimè potest.*

MInimè potest. Quia nunquam huiusmodi potestas alteri quàm Episcopo commissa fuit, quod est indicium, conferri non posse. Sic Archang. Petr. à S. Ioseph, Victor. Gabr. Viuald. Laym. Palaus apud Leandrum *tract.* 6. *dist.* 4. *quæst.* 20. Opatoui. *de ord. d.* 5. *numer.* 16. Candid. *tom.* 4. *d.* 4. *art.* 3. *dub.* 17. Auer. *de Ord. quæst.* 3 Granad. *in* 3. *part. contr.* 9. *tract.* 2. *dist.* 2. *num.* 4.

227 *Potest planè.*

Potest planè. Quia si potestas Pontificis delegantis consideretur, cum plenissima sit, ad omnes Ordines æque se videtur extendere; si con-

sideretur Presbyter delegatus, ille maiorem dignitatem non confert, quàm ipse non contineat; si spectetur causa talis delegationis, maior causa subesse potest, cur ob populi vtilitatem propter Sacerdotum penuriam, absentibus Episcopis, opus sit aliquos Presbyteros creare, quam solos Diaconos, & Subdiaconos. Certè qua ratione aduersarij dicunt, non posse Pontificem facultatem dare simplici Sacerdoti, ad alium creandum, eadem nos affirmare possimus, neque posse Pontificem facultatem creandi Diaconum, aut Subdiaconum simplici Sacerdoti concedere. Ità Aureol. *apud Capreol. dist. 25. quæst. 1. artic. 2.* Angelus *v. Ordo, numero 2.* Innoc. IV. *ad cap. 4. de consecr. num. 4.* Vasq. *dist. 243. cap. 4.* Biescas *in apol. pro doctr. D. Thom. quæst. 11. art. 4. dub. 5. propos. 6.* Ochagau. *de Ord. q. 7. num. 11.* Hurtad. *diffic. 18.* Diana *part. 8. tr. 1. resolut. 36.* Dicastil. *d. 1. dub. 17. num. 241.* & alij.

228 *Hanc mentem probabiliorem esse reor, quam adhuc confirmo.*

Hanc mentem probabiliorem esse reor, scilicet, Eugenium VI. *in suo Decreto* dixisse: *Ordinarius Minister huius Sacramenti* (Ordinis) *est Episcopus.* vbi particula illa, *Ordinarius Minister* indicat, non Episcopum posse ex commissione esse Ministrum Ordinis, ac proinde omnium; quia omnes sunt Sacramenta, & non est maior ratio vnius, quam alterius. Equidem quamuis demus, nunquam huiusmodi potestatem alteri, quàm Episcopo fuisse concessam; fuit tamen simillima huic impensa, nempe ad Diaconum creandum, vt *Problem. proximo* vidimus: ex quo cum eadem sit ratio, facilè conuincitur, posse etiam ad Presbyteratum concedi: Imò asseruerim concessam iam fuisse huiusmodi facultatem, si Chorepiscopi solùm simplices Sacerdotes erant, vt D. Isidor. Ayala, Turrian. & alij apud Marchin. *tr. 1. p. 2. c. 13. n. 15.* affirmant, grauissimis adducti fundamentis. Etenim Chorepiscopi ex consensu Episcopi loci Sacerdotes creare potuisse manifestum est ex Concilio Antiocheno *c. 10.* Vbi postquam Chorepiscopis dixit facultatem inesse Ordinandi Lectores, Exorcistas, & Subdiaconos, statim hæc verba iuxta tertiam translationem correctiorem subdit. *Nec Presbyterum verò, neque Diaconum audeant ordinare præter conscientiam Episcopi*, id est, ipso ignorante: ergo poterant ipso sciente, & consentiente. Porro Chorepiscopos solummodo esse simplices Sacerdotes præter Auctores memoratos, ex Concilio Ancyrano satis liquet. Igitur ex commissione Papæ, quam iam impendisse ostendi, simplex Sacerdos Presbyteratum impendere potest.

PROBL. XLVI.

Potest, & non potest Episcopus facultatem Ordinandi, aut saltem primam Tonsuram impertiendi Parocho, aut simplici Sacerdoti concedere.

229 *Potest quidem.*

POtest ex iusta causa stando iuri diuino solùm: (iure enim humano poterit id esse prohibitũ. (Quia quidquid potest Pontifex toto in Orbe, potest sua in Diœcesi Episcopus, nisi Papa illud reseruauerit sibi. Deinde quia Episcopus potestatem Confirmandi simplici Sacerdoti committere potest secundùm Ledesmam *3. p. q. 72. a. 11.* & alios: Ergo & ordinandi aut saltem primam Tonsuram conferendi. Præterea quia D. Isidorus *l. 2. de Offic. Eccles. n. 6.* de Chorepiscopis sermonem habens, quod ad exemplum septuaginta Seniorum creatos esse, simplicésque fuisse Sacerdotes dicit: post multa subdit: *Subdiaconos ordinare non audeant, præter conscientiam Episcopi, in cuius regione præesse noscuntur.* Ergo supponit, tales Chorepiscopos cum scientia & facultate Episcopi Diœcesis potuisse Subdiaconos constituere Tonsurámq; & inferiores Ordines ministrare. Sic Marchin. *tr. 1. p. 2. c. 13. n. 18.* qui quidem hisce rationibus affectus hanc sententiam non improbabilem omninò esse asseruit, oppositámque solummodo longe veriorem dixit.

230 *Minimè potest.*

Minimè id potest. Quia ad delegandam ordinandi facultatem, quæ est inter omnes suprema requiritur plenitudo potestatis, qualis solo in Pontifice reperitur. Ita D. Thom. *in 4. dist. 7. q. 3. a. 1. quæstiunc. 1. & dist. 38. a. 1. ad 3.* Henriq. *lib. 10. cap. 23. n. 2.* Victor *num. 236.* Bonac. *d. 8. punct. 4. num. 6.* Marchin. *citatus.* Archangel. *dist. 24.*

231 *Hoc mihi certissimum.*

Adeò hoc mihi certum, vt nequeat in quæstionem vocari, cum contrarium nullo solido fundamento possit affirmari: Congruum enim nullatenus videtur Christum Dominum hoc Sacramentum ita instituisse, vt quilibet Episcopus posset alteri Sacerdoti facultatem Ordinandi subdelegare, sufficit enim illi posse subdelegare ea, quæ sunt iurisdictionis: non autem quæ sunt Ordinis, vt habetur expressè in Cap. *Quartò, de consecr.*

CAPVT XI.

Circà Sacramenti Ordinis subiectum.

PROBL. XLVII.

Ex Pontificis dispensatione fœminæ possunt, & non possunt prima Tonsura, & minoribus Ordinibus initiari.

232 *Possunt quidem.*

MIttens fabulam de Ioannâ illâ quam affirmant hæretici quidam, & ex Catholicis Scotus, Sotus, Messia, & Platina pro Ioanne VIII. habitam fuisse: quæ quidem licet historia esset, verum minimè gessisset Pontificatum: requiro, num fœminæ ex Pontificis dispensatione saltem possint prima Tonsura, & minoribus Ordinibus initiari? Potest quidem prima Tonsura, etiamsi hæc tribuatur masculis tanquam præuia præparatio ad Ordinationem. Quia hæc Ordinatio est ex sola Ecclesiæ institutione: & non repugnat, fœminam esse capacem illius, quod in masculis est præparatio præuia, quamuis non sit capax eius, ad quod est præparatio in masculis. Et ob eandem rationem possunt ex dispensatione

Ponti

Pontificis quatuor minoribus Ordinibus initiari. Quia non sunt hi ex Christi institutione, sed tantùm ex institutione Ecclesiæ. Sic Paludan. *in 4. dist. 25. q. 3. a. 1.* & tenentur sustinere, qui credunt, minores Ordines esse solum ex Ecclesiæ institutione, vt credunt Vasquez & alij apud Hurtadum *diffic. 20.*

233 *Fœmina non potest.* Nec prima Tonsura, nec minoribus Ordinib. fœminæ possunt initiari. Non his. Quia longè probabilius est, quatuor minores Ordines esse vera Sacramenta à Christo Domino instituta, de quo suprà. Et quia admisso, quòd sint solum Sacramentalia ex institutione Ecclesiæ, adhuc repugnat fœminis huiusmodi Ordinibus initiari, quia cum sint præparatio ad Sacerdotium, cuius fœmineus sexus capax non est ex iure diuino, vt omnes Catholici profitentur: nec huius præparationis erunt capaces. Ita Sotus *in 4. dist. 25. q. 1. a. 2.* Vasq. *d. 245. c. 2. n. 12.* Dicastil. *d. 1. dub. 19. n. 287.* Diana *p. 8. tr. 1. resol. 39.* Non prima Tonsura. Quia etsi verum sit quod hæc fuerit ab Ecclesiâ instituta, est tamen institura vt quædam præuia ad Sacerdotium, cuius fœminæ sunt incapaces. Ita D. Thom. *q. 39. a. 1.* Nugnus *ibi.* Coninch. *d. 20. n. 94.* Vasq. *citat.* Henriq. *d. 10. c. 16.* Granad. *tract. 2. d. 1. n. 1.* Ochagan. *q. 8. n. 4.* Laym. *l. 5. tract. 9. c. 6.* Palaus *tom. 4. tract. 2. punct. 6. numer. 1.* Diana *vbi supra.* Leandr. *tractat. 6. d. 5. quæstione 3. & 4.*

234 *Adhæret inclinat.* Ego quidem si de minoribus Ordinibus loquar, primam sententiam non reputo temerariam, vel proximam errori, vti vocitat immerito Nugnus: nec enim contemnendo nititur fundamento, si minores Ordines Sacramentalia sint ab Ecclesiâ instituta. At certa mihi secunda est sententia. Si verò de primâ Tonsurâ sermo getatur, minori certitudine puto, secundam sententiam longè esse probabiliorem.

PROBL. XLVIII.

Hermaphroditus, in quo prævalet sexus virilis, potest & non potest sine Pontificis dispensatione Ordinibus initiari.

235 *Dimittitur fœmineo.* VIdimus *sect. 1.* prævalente in Hermaphrodito fœmineo sexu, validè ordinari non posse quia vt fœmina est habendus, *l. Quæritur 10. ff. de statu hominum.* Nec si æquè vtrumque sexum participet; quia quamvis ex eâ parte, qua vir est, esset Ordinis capax: tamen quia æquè est fœmina, obsolutè incapax Ordinis dici deber: eo enim in casu Sacramentum Ordinis suspensum maneret, nec Characterem imprimeret. Quid si sexus virilis prævaleat? Validè ordinari potest: quia vir est censendus.

236 *Quæstionem indigeat.* Quæsierim vero, an hic Pontificis dispensatione indigeat, vt ordinari possit? Indiget quidem. Quia Hermaphroditus irregularis est, & licèt sexus virilis prævaleat, non desinit esse Hermaphroditus. Sic Nauar. *c. 27. n. 203.* Sayr. *l. 6. de censur. c. 8. num. 25.* Suar. *de censur. d. 52. sect. 3.* Vasq. *d. 245. c. 2. n. 3.* Molfes. *in sum. tr. 2. c. 1. n. 48.* Sa *v. Ordo, n. 34.* Villalob. *tract. 11. diffic. 10. n. 3.* Henriq. *l. 14. c. 8. n. 6.* Filliuc. *tr. 9. num. 73.*

237 *Non indiget dispensatione.* Non indiget dispensatione. Quia nullus textus prohibent posse fine dispensatione ordinari: si ergo irregularis ex iure non est, vir omninò est habendus, adeoque potest fine dispensatione Ordinibus initiari. Ita Tolet. *l. 1. c. 63. n. 13.* Fornar. *de Ord. c. 3. n. 1.* Hurt. *d. 2. de irregular. difficult. 14.* Machad. *to. 1. l. 3. p. 1. tr. 4. docum. 5. n. 1.* Leand. *tr. 6. d. 5. q. 6.* March. *tr. 1. p. 4. n. 11.* Dicastil. *d. 1. dub. 20. n. 291.* sententiam hanc valde probabilem appellat.

Existimo, nullatenus esse irregularem, cum nullo id iure deducatur. Quod autem sit monstruosus, non obstat; quia quamvis sit talis, & publicè notus, potest absque grani nota ministrare, sicut potest Eunuchus à naturâ, & qui in pede sex digitos habet. Monet Marchinus, tutius esse à Papâ dispensationem petere; sed opus non esse huiusmodi cautela, prorsus affirmarim.

238 *Cum his obstruosus.*

PROB. XLIX.

Fœmina, prorumpente ipsa naturâ, transiit in virum: Hæc potest, & non potest ad Ordines licitè admitti.

239 *Præmitto, casum sæpè accidisse.* CAsum esse possibilem, & actu sæpè expositum ex Plinio præmitto, qui quidem *l. 7. c. 4.* fatur: *Ex fœminis mutari in mares, non est fabulosum.* Inuenimus in Annalibus. P. Licinio Crasso, & C. Crasso Longino Consul. Cassini puerum factum ex virgine sub parentibus, iussuque Aruspicum deportatum *in Insulam desertam.* Perettus *Comment. lug. Latin. epig.* 2. ait, Argis Arethusam nomine primâ nocte nuptiarum sexum permutasse, barbam erupisse, mutatoque nomine, & vxore ducta, Ariscontem appellatum. Andreas Eborens. *p. 3. sub titul. de Miraculis* duo alia exponit exempla. Alia congerit noster Del-Rius *in suis Magicis Disquisitionib.* Quare de huius casus possibilitate, & euentu non dubito.

240 *Non potest licitè ad Ordines admitti.* Igitur voluitur in quæstionem, vtrum fœmina huiusmodi iam facta vir possit licitè ad Ordines admitti. Non potest. Quia admiratio, & scandalum noxium excitaretur, cum Altari ministrantem viderent homines eam quam fœminam dignouisset. Vnde hæc deformitas Canonicum gignit impedimentum *c. 2. de Cler. ægrot.* Sic Marchin. *tr. 1. p. 4. c. 2. n. 18.* Maiolus *l. 1. de Irregular. c. 27. n. 5. vers. Huc pertinet.* Henriq. *l. 14. c. 8. n. 5.* adiiciens posse licitè ad Ordines admitti, si res sit occulta: minimè verò si publica sit, propter excitandam necessariò admirationem, Diana *p. 10. tr. 13. resol. 36.*

241 *Potest licitè admitti ad Ordines.* Potest planè licitè ordinari. Quia iam verè est vir, capax quidem Ordinis: & nullum est manifestum ius, quod hoc illi prohibeat. Ita Leand. *tract. 6. d. 5. q. 7.* asserens id colligi ex doctrinâ P. Gasparis Hurtad. *hic, d. 2. de Irregul. difficul. 14.*

242 *In primam sententiæ inclinor.* Huiusmodi fœminam factam virum non dubito posse validè ordinari, quia verè est iam vir. An autem valeat Episcopus eum ad Ordines admittere, licitè meritò dubitatur, & in oppositam sententiam inclinor. Nec allicior, vt secundæ adhæream ex P. Hurtado doctrina citata, quæ sic se habet: *Toletus & Turrecremata docent non esse irregularem* (Hermaphroditus, in quo prævalet sexus virilis) *& meritò, quia nullo*

iure deducitur; quia quamvis sit talis, & publicè notus, potest sine graui nota ministrare. Hæc P. Hurtado sententia, ex quâ non bene arguitur, licitè posse fœminam factam virum ad Ordines admitti: nam transmutatio hæc maiori proculdubio ex admiratione scandalo subiacet, & grauiorem annotat indecentiam.

PROBL. L.

Infantes antè rationis vsum sunt, & & non sunt Minorum, ac Maiorum Ordinum capaces.

243 *Ordinū omnium capaces non sunt.* CApaces non sunt. Quia Episcopus ordinans in forma ordinationis dictitat: *Accipe potestatem, aut Accipe Spiritum Sanctum*, aut *Accipe librum*, vel aliam rem sensibilem: quæ verba cum sint imperij, necessariò sunt dirigenda ad eum, qui capax est imperij passiui, cuius infans ante vsum rationis non est capax. Sic Durand. *in* 4. *dist.* 25. *q.* 2. Petr. Soto *de institut. Sacerd. sect.* 5.

244 *Sunt capaces.* Sunt planè capaces. Quia quo ad Ordines minores & Subdiaconatum supponitur in Cap. *vni. de Cleri. per saltum promoto.* quod si infans ante rationis vsum est Ordinum minorum, & subdiaconatus capax, etiam erit Diaconatus, ac Præsbyterij. Ità Hurtad. *hîc diffic.* 21. ex D. Thom. *in* 4. *dist.* 25. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 2. Scot. *quæstione* 2. Vasq. *distinct.* 246. & alij communiter.

245 *Cum his opinor.* Cum his opinor: quia infans capax est omnium Sacramentorum, quæ non requirunt conditionem aliquam statui infantiæ repugnantem: nam est capax Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ: non enim requirunt talem conditionem; & non est capax Pœnitentiæ; ac Matrimonij: essentialiter namque requirunt actus liberos: neque Extremæ-Vnctionis, quia instituta est pro iis, qui tempore quo confertur possint peccata actualia habere, aut pœnæ restantis debitum, vel egere auxiliis ad dæmoni resistendum. Sacramentum autem Ordinis nullam requirit conditionem statui infantiæ repugnantem. Porrò illo verbo *Accipe* in ordinationis forma, non denotatur imperium propriè, & in rigore, quod tantùm dirigitur ad eum qui est capax imperij passiui, cuius infans capax non est: sed tantùm denotat efficaciam, & infallibilem vim Sacramenti Ordinis ad collationem potestatis, & gratiæ, quarum capax est infans. Et quamvis ad valorem ordinationis requiratur tactus physicus materiæ illius, cuius oblatione potestas confertur, infans capax est illius.

PROBL. LI.

Episcopatus potest, & non potest validè infanti antè vsum rationis conferre.

246 *Nō potest validè cōsecrari.* SI puer ante vsum rationis Episcopus consecraretur, eiusmodi consecratio esset inualida. Quia Episcopatus Sacerdotio addit potestatem in corpus mysticum, ad quam potestatem recipiendam requiritur rationis vsus. Nam qui fit Episcopus, Pastor animarum constituitur: Pastor verò animarum necessariò, & essentialiter exigit vsum rationis. Non sic si puer ante rationis vsum ad Sacerdotium assumeretur: nam cum quis ad Sacerdotium assumitur, non fit immediatè, ac proximè animarum Pastor; sed solùm in habitu, vt in radice. An si infans vnius anni ad pontificatum assumeretur, valida esset talis assumptio? Miminè quidem, quia Vicarius Christi essentialiter debet ratione pollere, cum sit supremus, ac generalis ouium Pastor: Ergo idem pari modo dicendum est de Episcopo, qui est particularis Pastor in actu. Sic D. Thom. *in* 4. *d.* 25. *q.* 2. *art.* 1. & 3. *prin. in addit. q.* 39. *art.* 2. Bonau. *d.* 25. *art.* 2. *q.* 2. Scot. ibi Granad. *tr.* 3. *de Ord. d.* 1. *n.* 6. & 7. Vasq. *distinct.* 246. Marchin. *tract.* 1. *part.* 4. *capit.* 4. *num.* 9.

Esset valida consecratio pueri ante vsum rationis ad Episcopatum assumpti. Quia alij Ordines præcipuè maiores non minus sunt Sacramentum, & non minus imprimunt Characterem, quam Episcopum Episcopatus: At infans capax est omnium Sacramentorum, quæ non requirunt essentialiter conditionem aliquam statui infantiæ repugnantem. Vnde, vt dicebam *Problem. proximo*, est capax Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ & Ordinis, quia non requirunt talem conditionem: Matrimonij verò & Pœnitentiæ capax non est, quia essentialiter liberos actus requirunt. Ergo (argues) non est capax Episcopatus; quia Episcopus est sponsus Ecclesiæ, & Matrimonium nullum potest esse sine contrahentium consensu. Respondeo, sponsum profectò esse ratione iurisdictionis ad quam fateor vsum rationis requiri. Ità Hurtad. *difficult.* 21. Vasq. *d.* 246. Leand. *tract.* 6. *d.* 5. *quæst.* 10. Petrus à Sancto Ioseph *tom.* 2. *de Sacrament. d.* 8. *sectione* 2. Palaus *tomo* 4. *tractatu* 27. *puncto* 7. *numero* 5. Lege Dianam *parte* 8. *tractatu* 1. *resolutione* 32. 247 *Potest validè consecrari.*

Ego autem crediderim, posse huiusmodi infantem valide assumi ad Episcopatum quantum ad Characterem & potestatem Ordinis: non autem quantum ad iurisdictionem & curam animarum. Nam hæc suscipi nequit absque rationis vsu; cum ad acquirendum beneficium acceptatio acquiratur: & hoc solum probare primæ sententiæ fundamentum existimo. 248 *Auctorū resolutio.*

PROBL. LII.

Peccaret, & non peccaret lethaliter Episcopus, qui puerum ante rationis vsum ad Minores Ordines, aut ad primam Tonsuram assumeret.

PEccaret lethaliter, qui admitteret puerum eiusmodi ad maiores Ordines. Quia Ordines sacri annexum habent castitatis votum, quod nemo ante rationis vsum potest emittere. Non verò peccaret si ad Ordines minores assumeret. Quia potest adesse talis necessitas, aut spes profectus, vt non solum Ecclesiæ iniuria non 249 *Lethaliter nō peccaret minores conferēdo, aut Tonsurā.*

non itrogaretur, sed eius cederet in obsequium. Sic Marchin. *tract.1 part.3. cap.4. num.* 6. ex D. Thom.

250 *Laudabiliter recepti.* Etiam ad minores Ordines, vel ad primam Tonsuram assumens puerum antè rationis vsum grauiter delinqueret Episcopus. Quia extat expressa prohibitio Bonifacij VIII. quæ refertur in Cap. *Nullus Episcopus.* Ita Granad. *tr.3. de Ord.d.2.n.5.* Henriq. *l.*10. *c.*19.*n.*1.*lit.A.* Lublin. *v.Ordo,n.*14. & alij apud Trullench. *l.5.de sacram.dub.*10. *n.*3.

251 *Hoc certum esse.* Hoc certum existimo quoad minores Ordines, nullam enim puto posse vtilitatem Ecclesiæ obuenire ex tam immatura infantis ad Ordines assumptione: imò putarim aliquod dedecus ex hoc accessurum. Portò & nunc sine huiusmodi iniuria licitè posset Episcopus infantem prima Tonsura afficere, (vt olim infantes Monasterio offerebantur) nisi in præfato Cap. *Nullus* extaret prohibitio.

CAPVT XII.

Circa Ordinandorum Ætatem.

PROBL. LIII.

Sufficit, & non sufficit ætas septennij ad minores Ordines suscipiendos.

252 *Non sufficit.* NON sufficit ætas septem annorum, ad minorum Ordinum receptionem. Quia pro prima Tonsura *in Rubrica Pontificali de Ord. confer.* requiritur septennium: imò in Tridentino requiritur certa scientia (de qua postea) quæ regulariter non inuenitur antè septennium: Ergò ad Ordines minores, ad quorum exercitium vberior scientia requisita est, minimè sufficiet septem annorum ætas. Licèt autem in iure non requiratur ad hos ætas certa, tamen à Tridentino *sess.* 23.*c.*11. qualitas requiritur, quæ regulariter ante duodecimum annum non inuenitur. Sic Hurtad. *disp.*21. Filliuc. *tr.* 9. *n.*84. Granad. *tr.*13.*de Ord.d.*2.*n.*5. Sa *v.Ordo,n.*20. Narbona *anno* 7.*q.*9.*n.*3. *& anno* 12.*q.*1.*n.*6. qui *n.*2. refert pro hac parte Toletum, Vegam, Monetam, Syluestrum, Armillã, Grasium, Viualdum, Thomam Sanchez, & alios asserentes, ad suscipiendum saltem Acolytum duodecim, vel tredecim annos requiri. Alij ad Acolytatum decimum quartum annum requirunt, vt Sotus *in* 4.*dist.*25. *q.*1. *a.*2. Sayr. de Censur. *l.*6. *c.*12. *n.*2. Maiol. *l.*1.*c.*30.

253 *Sufficit.* Sufficit ad omnes Ordines minores suscipiendos ætas septem annorum. Quia in Tridentino citato certa ætas nec ad Acolytatum est definita, & post Tridentinum nulla alia præscripta est. Vnde dùm Tridentinum definit ad primam Tonsuram requiri certam scientiam quæ ante septẽnium regulariter non inuenitur, & ad Ordines maiores certam præscribit ætatem, nihil circà ætatem ad minores requisitam pronuncians, videtur huic sententiæ annuere, posséque quemlibet post septennium minoribus Ordinibus initiari. Ita Sotus *in* 4.*dist.*25.*q.*1.*a.*2. Laym. *l.*5.*tr.* 9.*cap.*7.*num.*1. Diana *part.*2. *tract.* 2.*resol.*29. Suar.*de Censur.d.*31.*sect.*1.*num.*22. Fornar. *hic, cap.*3.*numer.*5. Henriq. *lib.* 10. *cap.* 19. Marchin. *tract.*1.*p.*5. *cap.*2. *num.* 14. Leand. *tr.* 6. *d.*6.*q.*2.

Anteà præscripta erat maior ætas ad minores Ordines suscipiendos, postmodum autem in Concilio Veronensi sub Clemente V. huiusmodi tempora, seu ætates decurtatæ sunt, videlicet, vt non solùm prima Tonsura, verum & omnes minores Ordines à septennio statim suscipi possent. Tametsi hoc non in textu; sed in Glossa est annotatum. Profecto à Tridentino ætas certa non assignatur, nec post id à nullo est Pontifice præscripta. Vnde probabiliorem secundam sententiam esse reor. 254 *Probabilior mihi secunda sententia.*

PROBL. LIV.

Religiosi Mendicantes modo retinent, & non retinent priuilegium, quo valeant ante ætatem à Tridentino præscriptam maioribus Ordinibus initiari.

RETinent nunc priuilegium, & possunt in minori ætate ordinari: viget enim etiam post Tridentinum priuilegium Innocentij IV. quo concessit, vt Generalis, vel Prouincialis Mendicantium valeat cum Fratribus sui Ordinis completo anno vigesimo secundo ad Sacerdotium dispensare. Nititur sententia hæc hoc fundamento: Quia Pius V. viuæ vocis oraculo anno 1566. die 23. Martij concessit, vt Minores vti possint in foro conscientiæ omnibus gratiis per antecessores suos concessis, etiam per Tridentinum reuocatis. Quod quidem priuilegium licèt Gregorius XIII. quatenus Tridentino obstabat, reuocauit: tamen eadem priuilegia posteà pro solo foro conscientiæ Mendicantibus restituit. Sic Hieron. Sorbus *in Compend. priuileg. Mendicant. tit. Dispensatio, n.*15. Vasq. *tom.*3.*in.*3.*p.d.*240. *c.*4.*n.*44. Sa *v.Religio.n.*56. fatur: *Pius V. voluit, Mendicantes vti gratiis suis, & priuilegiis in foro conscientiæ, non obstante Concilio Triden. & quamuis eius Bullam, vbi eis multa c[illegible] numero reuocauerit Gregorius XIII. tamen post[illegible]natio lidauit, vt testatur Congregatio Concili[illegible]re videntur posse ordinari antè ætatem legitimam.* 255 *Retinent nũc priuilegium.*

Non retinent nunc priuilegium, nec possunt in minori ætate ordinati. Quia id manifestè est cautum à Tridentino *sess.*23. *cap.*12. *Regulares quoque neque in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, priuilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis.* Cum ergo clare constet de priuilegiorum reuocatione, & de confirmatione seu renouatione non tam clarè constat; non possumus certum pro incerto relinquere. Deinde post Pium V. & Gregorium Decimumtertium Sixtus Quintus, & Clemens Octauus peculiari constitutione aduersus malè promotos præcipiunt obseruari Tridentinum quo ad ætatem, & alia, non obstantibus quibuscumque ordinationibus, & constitutionibus Apostolicis. Quibus verbis, reuocantur omnia priuilegia Tridentino obsistentia. Tertio ista priuilegiorum innouatio dicitur facta solo viuæ vocis oraculo; sed Gregorius XV. *const.*27. 256 *Non retinent tam priuilegium.*

& Vrbanus VIII. alia constitut. incipiente: *Aliàs felicis recordationis Gregorius XV.* omnia viuæ vocis oraculo priuilegia concessa reuocauit, & annullauit: ergò. Ita March. *tractat.1. part.5. cap.2. num.9.* Ochagau. *tractat. de Ord. quæst.7. num.7.* Hurtad. *diffic.21.* Cordub. *de casib. quæst.154.* Rodrig. *tom.1. sum. cap.165. & tom.3. de qq.Regul. quæst.23. artic.6.* Azor. *part.2. libr. 6.cap.9. quæst.9.* Miranda *tom. 1. quæst.39. art.1.* Diana *part.3.tract.2.resol.59.* Laym. *lib.5. tract. 10. cap.7. num.1.* Dicastil. *tract.6. dist.1. dub.21. num.302.* Palaus *tom.4. tract.27. punct.7. num.8.* Leand. *tract.6. dist.5. quæst.5.*

257 *Auctoris mens.* Profecto meus Gabriel Vasquez pro prima sententia citatus, licèt concedat præfatum priuilegium nunc pro foro conscientiæ vigere: non tamen concedit, sed potius negat, Mendicantes eo priuilegio vti ad Ordines posse. Asserit verò *n.45.* ad hoc solùm posse Regularibus prodesse, vt si fortè aliquis bona fide ordinaretur antè vigesimumquintum annũ post vigesimumsecundum, possit Prouincialis dispensare cum eo, vt Ordines exerceat. Igitur quamuis Gregorius XIII.) vt Cardinales Congregationis Tridentini testantur) restituerit Mendicantibus sua priuilegia, sed in foro tantùm conscientiæ eis vti permisit: & ideò non possunt vti priuilegio hoc dispensandi in ætate ad Presbyteratum requisita. Quia superiores non aliter ordinant suos subditos, quàm mittendo eos ad Episcopum cum literis dimissoriis, in quibus debet contineri vera testificatio ætatis, vt priuilegium profit: ac proindè dispensatio in ea parte non potest fieri nisi in foro exteriori, ad quam vt sic non habent priuilegium.

PROB. LV.

Ad Ordinum legitimam susceptionem sufficit, & non sufficit annum præscriptum esse inchoatum per exiguum temporis spatium.

258 *Nonnulla suppono.* Resistit] Suppono, in Concilio Viennensi factam fuisse nullam ordinandorum ætatem moderationem. Nam Subdiaconis annum decimum octauum, Diaconis vigesimum, Presbyteris vigesimum quintum præscripsit Clementina *Generale, de ætate, & qualitate ordinand.* At cum vinculum continentiæ Subdiaconis impositum grauissimum sit, & mens adolescentum leuissima, idcircò Concilium Tridentinum *sess. 23. cap.12.* summo iudicio, ac maturitate prouidit, ne quis in posterum ad Subdiaconatum ante annos viginti duos, ad Diaconatum antè annos viginti tres, ad Presbyteratum ante annos vigintiquinque ætatis suæ admittantur. Ex quibus verbis deducitur, sufficere, annum esse cœptum, cum Concilium tantùm præcipiat, vt antè præfatum tempus indefinitè nemo ad sacros Ordines promoueatur, & in fauorabilibus dies cœpta pro completa censeatur, *l. Qua ætate, ff. de testam.* vbi in fauorem testamenti statuitur sufficere incœptam esse diem, quæ ætatem requisitam ad testandum constituit: Ergo similiter in casu nostro sufficit dies incœptus. Quandónam autem incœptum annum esse fit iudicandum ambigitur. Quæsierim itáque, num sufficiat, annum præscriptum esse cœptum per tempus admodum exiguum, v. gr. per dimidium horæ quadrantem?

Non sufficit sed necessarium est, vt sint inchoati anni ad Ordines præscripti per vnum integrum diem. Sic plures Doctor. apud Narbonam *l.de ætate &c. anno 22. q.1. n.10.* Opus est ad singulos Ordines suscipiendos, inchoatos esse annos à Tridentino præscriptos per diem dimidium. Sic Coninch *d.20. n.102.* Bonac. *d.8.pun.5.n.12.* Diana *p.2.tr.2.resol.29.* Requiritur ad minus, vt anni hi sint incœpti per vnam horam. Sic Narbo. *n.10. & anno 25.q.55.* Diana *p.5.tr.5.resol.17.* cum Basilio Legion. Omnium fundamentum est: Quia non videtur annum præscriptum attigisse, qui per aliquod spatium ab anno antecedenti, in quo non licebat admitti ad Ordines non recessit. 259 *Non sufficit.*

Sufficit, inchoatum esse præscriptum annum per tempus perexiguum, v.gr. per dimidium horæ quadrantem. Quia qui per tempus hoc exiguum licèt, viginti duos, tres, aut quinque annos attigit, verè constitutus est in anno vigesimosecundo, tertio, aut quinto à Tridentino præscripto, quod sufficit ad maiores Ordines recipiendos. Ita Leand. *tract.6. d.5.q.7.* Hanc mentem non reprobat Diana *part.9. tract.9. resol.50.* 260 *Sufficit quidem.*

Ego autem non solùm non reprobo, verum approbans addiderim, nec dimidij horæ quadrantis spatium esse necessarium, sed sufficere ad Subdiaconatum terminatum fuisse iam annum vigesimumprimum, & sic de Diaconatu, & Presbyteratu. Quia illud iam incœptum esse annum vigesimumsecundum, tertium, aut quintum Ordinandum in præscripta à Tridentino ætate constituit. Qui verò vel exiguo tempore antè terminationem anni vigesimiprimi, secundi, aut quarti, & inchoationem vigesimi secundi, tertij, aut quinti Ordines susciperet, mortaliter delinqueret, & suspensionem tanquam ordinatus ante ætatem legitimam incurreret. Quia non attigit verè ætatem à Concilio præscriptam. 261 *Quid autem circa hoc?*

PROBL. LVI.

Complet quis requisitam à Concilio ætatem Sabbatho postmeridiem: Hic potest, & non potest eadem die manè sacris Ordinibus initiari.

NOn potest eadem die mane Ordinem suscipere. Quia spatium illud ante anni impletionem in anno præscripto nondum est, ideoque annus vigesimus secundus (v.gr.) ad recipiendum Subdiaconatum nondum aduenit. Sic Nauar. *l.1. de temp. Ordinand. consil.9.* Villalob. *tr.11. diffic.11. num.1.* Narbo. *anno 22. quæst.1. num.10.* Machado *tom.2.l.4.p.1.tract.7.docum.3. n.4.* Pasqualig. *in qq. Canonic. centen.2. quæst.122. num.5.* 262 *Non potest eadem die mane Ordinari.*

Potest eadem die mane Ordinem suscipere. Quia vbi lex aliud non præscribit, parum pro nihilo reputatur. At Tridentinum nihil de hoc casu aduertit, qui potest non semel contingere: ergo perfectus debet iam annus vigesimus secũdus 263 *Potest quidem.*

dus reputari. Ita Marchin. *tr.1.p.5.c.2.n.7.* Petrus Ledesm. *sum.tr.de Ord. c.7.* Diana *p.2. tr.16. resol.29.* Trullench.de Sacram. *l.6. dub.10. n.4.* fauet, dum dicit, post factum posse hanc sententiam sustineri. Quia parum temporis in moralibus poterit pro nihilo reputari.

364 *Iuxta ter.* Existimo posse Ordines illum recipere eâdem die manè, nullatenùs que suspensionem incurrere. Quia vespera illius diei ad manè trahitur, cum ex vtroque vna dies perficiatur. Vnde morali continuatione qui fic Ordinibus initiatur, ordinari dicitur absolutè anno vigesimo secundo, aut tertio, aut quinto.

PROBL. LVII.

Qui ante legitimam ætatem initiatus Sacerdotio, suspensus manet: incurrit, & non incurrit, præfatam suspensionem non solùm ab executione Sacerdotij, sed etiam ab aliorum Ordinum anteà susceptorum executione.

265 *Nonnulla suspens.* QVi malâ fide ante legitimam ætatem sacros Ordines suscipit suspensionem perpetuam ipso facto incurrit, donec absoluatur, ex Extrau. Pij II. quæ incipit *Cum ex sacrorum*, expedità 15. Kal. Decembris anno 1401. quam postea Pius V. & Sixtus V. auxerunt, & Clemens VIII. confirmauit.

266 *Idem est in executione Ordinum recipiendorum.* Igitur si quis malâ fide ante legitimam ætatem Presbyteratum suscepisset, non solùm celebrare non potest, sed nequé officio Diaconi fungi, aut in alio sacro Ordine prius accepto ministrare. Quia dedecet perficere sacra inferiora ministeria eum, qui ad supremum est impeditus. Sic Marchin. *tr.1.p.5.c.3.n.8.* Rodrig. *in sum.c.164.n.2.* Ledesm. *in sum. cap.7. de Ord.* Villalob. *tom.1. tractat. 18. difficult. 11. numero 2.*

267 *Ipsi suspensus ab ea non est.* Qui suspensionem incurrit ob susceptum Ordinem Sacerdotij malâ fide ante ætatem, non est suspensus à sacris Ordinibus inferioribus exercendis. Quia pœnæ non debent vltra casus proprios extendi. Ita Henriq. *lib.13. c.32. num.2.* Nauar. *lib.5. consil. tit. de sent. excommun. cons.53. & in Manu. cap.27. num.163.* Tolet. *lib.1. cap.43. num.2. & cap.45. num.2.* Auila, & Scort. quos citat, & sequitur Diana *part. 3. tract.4. resol.162.* & Marchin. *citatus* probabilem esse faretur.

268 *Videtur sum pensum tenere.* Crediderim, huiusmodi Sacerdotem suspensum solummodo esse ab officiis Sacerdotalibus exercendis: ab administrando sacro in Ordine inferiori nec delinquere nec irregularem fieri; quia ad illum suspensus minimè est.

PROBL. LVIII.

Quis bonâ fide ob aliorum testimonium, vel cum ignorantiâ vincibili non affectata Ordinem sacrum antè legitimam suscepit ætatem: Hic incurrit, & non incurrit suspensionem, & celebrando irregularitatem.

269 *Suspensionem incurrit.* SVspensionem incurrit. Quia in re tanti momenti non sufficit vulgaris diligentia, qualis est testimonij aliorum, sed necessaria est diligens ex libro (v.gr.) Baptismatis indagatio. Cum autem lex loquatur per verbum *Præsumpserit*, qui ignorantia vincibili licèt affectata nó sit Ordinem sacrum suscipit, verè præsumit, & pœna præscripta vulneratur. Sic de eo, qui Ordinem recipit ante ætatem legitimam ob testimonium aliorum, Hinojosa *in direct. v. Ordo Sacerd.* De eo autem, qui ex ignorantia vincibili suscipit, Fuscus *de visit. lib.2. cap.28. num.37.* Laym. *lib.5. tractat.9. cap.10. numero 2.* Bonacin. *de Censur. d.3. punct.5. §.1. num.2.*

270 *Non incurrit suspensionem.* Non incurrit suspensionē, qui aliorum testimonio credens bonâ fide Ordinem sacrum suscepit. Quia Pij II. constitutio vtitur verbo *Præsumpserit*, at lex, quæ pœnam imponit præsumenti aliquid facere, non imponit illam ei, qui bonâ fide ex parentum, Prælatorum, aut aliorum, queis fides posset adhiberi testimonio gerit; licet posset strictiorem præbere diligentiam. Nec qui ex ignorantia vincibili, sed non affectata sacrum Ordinem init. Quia Pius II. ad incurrendam suspensionem hanc requirit præsumptionem, dolum, & contumaciam: ita Nauar. *cap.27. numero 156.* Suar. *de Censur. distinctione 31. section. 1.* Tolet. *libro 1. capite 48. numero 7.* Rodrig. *in summ. tomo 2. capite 16. numero 1.* Auila *de Censur. parte 3. distinctione 5. dub. 7.* Villalob. *tractatu 11. difficult. 11. numero 6.* Coninch *distinctione 16. numero 36.* Præposit. *in 3. parte quæstione vni. de Sacramento Ordinis, dubio 17. numero 167.* Diana *parte 3. tractatu 4. resolutione 192.*

271 *Cum his agitur.* Putarim, hanc suspensionem minimè ligare eum, qui, vel parentum, vel sui Superioris testimonio bona fide Ordines etiam maiores ante legitimam ætatem recipieret. Quia Pontifex solùm scandala tollere, & excessus reprimere intendit, aut nimiam ad Ordines accedendi temeritatem. Quæ omnia locum non habent in, illo, qui ex probabili ignorantia Iuris, vel facti ante legitimam ætatem ordinaretur. Imò excusare reor ab hac suspensione, & irregularitate consequenti ignorantiam crassam, dummodo affectata non sit. Nam Pius II. requirit præsumptionem, & contumaciam.

PROBL. LIX.

Bonâ fide quis antè ætatem legitimam iniit Sacerdotium, postmodum verò adueniente malâ fide, antè vigesimum quintum annum celebrat: Hic incurrit, & non incurrit Irregularitatem: peccat, & non peccat lethaliter.

272 *Mortaliter peccat, & Irregularitatem incurrit.* ET lethaliter peccat, celebrans, & Irregularitatem incurrit. Quia mala fides interuenit, cum iam euidenter agnoscatur, haud ritè Susceptum fuisse Sacerdotium. Sic Marchin. *tr.1.p.5.c.3.n.11.*

273 *Nec peccat, nec irregularitatem est.* Nec peccat celebrans, nec incurrit Irregularitatem. Hanc non incurrit. Quia cum Presbyteratum suscipiens non incurrit suspensionem, nec malâ fide aduentante, Irregularitatem incurret celebrando: hæc enim ab illâ deriuatur. Nec mortaliter peccat. Quia cum hic sit legitimè ordinatus, ius habet vt possit in Ordine accepto exerceri. Ita Nauar. *c.27.n.156.* Machad. *tom.2.lib.4. p.1.tract.7. docum.4.n.5. & 6.* Ledesm. ait hanc sententiam esse probabilem *hic, c.7.* Alij à Marchino citantur, sed non bene.

274 *Existimo, Irregularitate nõ incurrere, sed lethaliter peccare crediderim.* Ego autem minimè Irregularitatem incurrere reor. Quia cum à principio non incurrit in suspensionem, non est, vndè celebrans in Irregularitatem incurrat. Attamen delinquere cum lethaliter existimarim. Quia licèt suspensus non sit, attamen præscriptam Iure ætatem ad eum Ordinem exercendum non habet. Vnde si peccatum mortale esset, recipere Ordinem malâ fide, cur mortale etiam non erit eundem Ordinem malâ fide exercere? Aptè id annotauit Ludouic. de San Iuan *q.2. de Ord. articul.8. difficult.3. & dub.3. difficul.7. conclusione 3.*

PROBL. LX.

Malâ fide quis ordinatur ante ætatem legitimam, & incurrit suspensionem: Hic quidem ætate completâ potest, & non potest sine dispensatione susceptum Ordinem exercere.

275 *Potest sine dispensatione Ordinē exercere.* POtest sine dispensatione exercere Ordinem. Quia iam habet legitimam ætatem, ob cuius defectum suspensionem incurrerat. Sic Cordub. *in suæ casu 144.* Sotus *in 4. dist.25.q.1. a.2.* Medina *sum. l.1.c.11.§.6.*

276 *Non potest.* Non potest sine dispensatione Ordinem acceptum exercere. Quia cum maneat suspensus qui malâ fide suscepit, non satis ei est ætatis legitimæ assecutio, hæc enim non aufert suspensionem, quæ in pœnam delicti illius imposita est. Ita Marchin. *tr.1.p.5.c.3.n.12.* Henriq. *l.13.cap.38.n.1. lit.F,* Bonac. *de Censur. d.3.q.1. punct.1.* Rodrig. *tom.3. de Regul. q.24.a.14. & in sum.p.1.cap.165.* Diana *p.3.tr.4.resol.182.* citans alios.

277 Qui bonâ fide Ordinem sacrum antè ætatem legitimam suscipit, postquam ad ætatem legitimam peruenit, potest absque impetrata dispensatione susceptum Ordinem exercere; quia suspensionem non incurrit, & ex alio capite habens iam ætatem legitimam, non est vnde indigeat dispensatione. At secus dicendum, si malâ fide ante ætatem legitimam fuit initiatus; tunc enim cum maneat suspensus, non satis est legitimæ ætatis assecutio, sed necessaria est à suspensione absolutio. Porrò ab huiusmodi suspensione, completâ ætate, dispensat Episcopus, vel Prælatus Regularis quoad suos, dummodo suspensus antè ætatem legitimam, actum Ordinis non exercuerit: si verò exercuerit, Irregularitatem incurrit à solo Pontifice summo dispensabilem, vt voluit Sixtus VI. Constitutione *Sanctorum, & salutare, aduers. malè promotos.* Lege P. Henriq. *l.14.c.20.n.3.* *Hoc longè probabilius.*

PROBL. LXI.

Potest, & non potest Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ absoluere à suspensione incursa per receptionem Ordinis ante legitimam ætatem.

278 *Non potest.* NOn potest. Quia id non potest Commissarius Cruciatæ cuius potestas maior est ea quam habet Confessarius per Bullam: Ergo virtute Bullæ non poteris huiusmodi suspensus à Confessario absolui. Sic Rodrig. *in addit. ad Bullam, §.9.n.59.* Nauar. *c.27.n.250.* Canonistæ communiter. Henriq. *de Indulg. lib.7. capite 18.*

279 *Potest quidem.* *Potest quidem.* Quia Bulla absolutè & simpliciter concedit facultatem absoluendi ab omni Censura, & alia ex parte nec explicitè, nec implicitè præfatam excipit suspensionem: Ergo cum illa suspensio sit Censura, in generali illa facultate absoluendi ab omni Censura comprehenditur. Ita Diana *p.5.tr.10.resol.53.* Cornejo *in 3.p.tr.5.de suspens.d.4.casu 3.* Medin. *in Instruct.l.1.c.11.§.8.* Auila *de Censur.p.3.c.6. dub.2.* Trullench. *in Bull.l.1.§.7.cap.2. dub.16. num.3.*

280 *Cum his tamen.* Existimo, suspensum ob malam promotionem ad Ordinem Sacrum ante ætatem legitimam, posse virtute Bullæ absolui, non tamen in suscepto Ordine ministrare ante ætatis complementum; quia absolutio suspensionis quidem, non verò illegitimæ ætatis potest impedimentum tollere. Assero itaque virtute Bullæ posse Confessarium absoluere ab omni suspensione siue in Sacramento Pœnitentiæ, siuè extra illud: siuè suspensio sit à Iure, siuè ab homine: siue pœnalis, siue nominatim, modò pars læsa modo possibili sit satisfacta. Commissario autem ablata est potestas absoluendi à suspensionis huius Irregularitate, quam incurrit, qui suspensus celebrat, aut actum Ordinis ante ætatem legitimam exercet. De quâ eo quod Censura non sit, non potest quis absolui per Bullam, quæ solum habet clausulam absoluendi à qualicumque Censura.

PRO

PROBL. LXII.

Ante ætatem legitimam Petrus suscipit Sacerdotium, Ioannes Diaconatum, Antonius Subdiaconatum, & ideò suspensionem incurrunt: Petrus celebrans cum Episcopo ad Ordinem suscipiendum, Ioannes Euangelium canens, & Antonius Epistolam, incurrunt, & non incurrunt etiam Irregularitatem.

281 Incurrunt irregularitatem. INcurrunt non solùm suspensionem, sed & Irregularitatem. Quia qui suspensus celebrat, fit irregularis: Ergò ille celebrans Missam cum Episcopo ordinante, irregularitatem simul incurrit: Sic Nauar. *l.5. Consil.8. de Clerico excommun. ministr.* Sorbus *in compend. priuil. Mendic. v. Ordines sacri.* Couar. *in cap. Alma mater p.2.§.3.n.5.vers.9.* Barbos. *de Offic.& potest. Episc.alleg.16.n.16.* Bonac. *d.8. punct.5.num.13.* Efficacius autem id asserendum de canentibus Euangelium, & Epistolam in Missâ ordinationis. Quia hæ actiones verè fiunt post completam Subdiaconi Ordinationem. Sic Auila *de Censur.p.3.d.5. dub.7.* Hurtado apud Leand. *tract. 6. dist. 5. quæstione 18.*

282 Non incurrit irregularitatem. Incurrunt suspensionem, sed non Irregularitatem. Quia quamvis verum sit, Sacerdotes qui suspensi celebrant, Irregularitatem incurrunt: tamen Petrus, qui Presbyter initiatur, & cum Episcopo ordinante consecrat, non completè adhuc Sacerdos, quia non est ei concessa absoluendi potestas, ac proinde tunc non incurrit Irregularitem, quæ tantùm incurritur ob celebrationem post ordinationem completam. Ita Henriq. *l.13.c.10.n.1.lit.F*, citans Medinam, Syluestrum, & Maiolum. Suar. *de Censur. d.31. sect.1.n.70.* Sayr. Vgolin. Quaranta, Auila, Nald. Homobon. quos affert, & sequitur Marchin. *tract.1.part.5. cap.3. num. 36.* Diana *p.5. tr.10. resol.37.* Coninch *d.16. n.36.* Profectò nec Ioannes Euangelium canens, nec Antonius Epistolam suspensi quidem, incurrunt Irregularitatem. Quia prædictæ actiones non censentur fieri moraliter loquendo post ordinationem, cum hæc durare censeatur, dum durat Missâ in quâ geritur. Ita Suar. Coninch, & Mercerus apud Leandrum *citatum.*

283 Veriorem hanc esse sententiam. Veriorem hanc reputo sententiam. Quia ille qui Presbyter initiatur, vel canit Euangelium, aut Epistolam, non celebrant, aut canunt ex propriâ voluntate, sed solum Episcopo celebranti se accommodant; is autem solum fit irregularis, qui propriâ voluntate malâ fide ante ætatem legitimam celebrat, aut actum eius Ordinis gerit: Ergo dicendum est, Ecclesiam pro primâ Missâ illam solam habere, quam Sacerdos postmodum per se ipsum celebrat; & illos Diaconatus & Subdiaconatus actus illos ducere, quos posteà suspensi illi Diaconi, & Subdiaconi primum exercent. Adde, propter vnum & eundem actum, etiam si diuersas specie malitias contineat, non incurritur duplicem pœnam. Vnde illi, cui sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ Missæ celebratio interdicereturi, prima vice celebrando etiam si excommunicatus maneret, non tamen fieret, secundum omnes, irregularis. Cum igitur qui Presbyteratum, Diaconatum, aut Subdiaconatum suscipit, & Episcopo concelebrat suspensus maneat, per eundem actum Irregularitatem non incurret. Profectò hic est Romanæ Cancellariæ stylus, vt hos irregulares non censeat.

PROBL. LXIII.

In supputanda Ordinandorum ætate dies bissextilis est, & non est enumerandus.

284 Nó est necessariò enumerandus. ENumerandus necessariò non est: quare si ordinandus Presbyter compleat annum vigesimum quartum die 23. Februarij, & die 24. capiat agere vigesimum quintum occurrente bissexto, poterit die 24. ordinari, nec necesse erit expectare diem vigesimum quintum bissextilem. Quia annus à Iure determinatus constat ex dibus 365. qui est annus ordinarius, quem per se leges intendunt: quod si eo anno contingit his 365. diebus diem aliam bissextilem, per accidens debet reputari. Sic Panormit. *ad Cap. Quasiuit. de verbor. significat.* Syluest. *v. Ætas, q.3.& 5.& v. Religio 3.q.10.* Henriq. *l. 10.c.19.lit.C*, Fornar. *de Ord. c.3.n.6.* Ricc. aliis allegatis, *in praxi, fori Ecclesiast. post resol.176. in notab. de mater. Sacr. Ord.* Gallet. *in Margar. casu. conscient. v. profiteri, penult.* Barbos. *de Offic.& potest. Episc. allegat.101.n.13.*

285 Necessariò enumerandus est. Enumerandus necessariò est. Quia in Ordinationibus accipiendus est annus Ecclesiasticus secundùm variationem temporum: At ritu Ecclesiastico dies bissextilis computatur: Ergo. Deinde quia eadem ratio est de vno anno bissextili ac de cæteris: sed tot anni bissextiles iam præteriti connumerandi sunt, secus parere poterant non modicam varietatem: Ergo etiam includi debet præsens dies bissextilis. Præterea in Iure vtraque dies vigesima quarta, & vigesima quinta bissextilis pro vnicâ habetur, *l. Cum bissextus, ff. de verbor. signif. & Cap. Quæsiuit, eodem tit.* Ergo necessariò computanda, nè necessaria ad perfectam ætatem dies desideretur. Ità Marchin. *tract.1.p.5.c.4.num.24.* Molsef. *in sum. tr.2.c.12.n.8.* Bonac. *d.8.q.vni.punct.5.num.14.* Dicast. *tract.6.d.1.dub.22.* Leand. *tr.6.d.6.q.20.* Diana *p.10.tr.11.resol.67.*

286 Cum his opinor. Cum his opinor, & à simili confirmo. In complendo anno probationis nouitij dies bissextilis est necessariò includendus: Secus professio esset nulla, ob non seruatam Tridentini formam *sess.25.c.15.* vt sustinet Graff. *to.1.conf.l.3.conf.6. n.2.* Rodrig. *tom.3. de Regul.q.15.a.4.& 5.* Molina *tom.2. de Iust. tr.2.d.573.* Lessi. *l.2. de Iust. c.41.* Sanch. *de Matr. tom.1. lib.2. distinct.24. num.22.* Ergo idem dicendum in ætate ordinandorum computanda. Dicastillo legendus.

CAPVT

CAPVT XIII.

Circa Ordinandorum scientiam.

PROBL. LXIV.

Defectus scientiæ ad Ordines requisitæ facit, & non facit ordinandum irregularem esse, ita vt nec ordinari possit, nec in recepto Ordine ministrare.

287 *Facit irregularem esse.*

RAcit irregularem esse. Quia Gelasius Papa *c. 1. dist. 36.* illiteratos ab Ordinibus repellit. Vnde qui prima Tonsura initiandus est, fidei rudimenta, legere (saltem vulgari lingua) & scribere scire debet. Qui minoribus Ordinibus, linguam Latinam. Qui Subdiaconatu, & Diaconatu, eâ, quæ ad suum Ordinem exercendum, pertinent. Qui Sacerdotio, scientiam Sacramentorum, ac Censuratum callere tenetur: iuxtà Tridentinum *sess. 23. c. 11. 13. & 14.* Qui igitur præscripta scientia non pollet nec ordinari potest, nec in suscepto Ordine ministrare.

288 *Non facit esse irregularem.*

Non facit defectus scientiæ esse irregularem. Quia Tridentinum solum præscribit, ordinandum ad hunc, vel illum gradum hac, vel illa scientia præditum esse debere: nullam tamen ipsum, aut alij Canones adiecere Irregularitatē. Ita Sayr. *de censur. l. 6. c. 13. n. 8.* Henriq. *l. 14. c. 8. num. 11. lit. A.* Reginald. *l. 30. num. 36.* Hugolin. *de Irregul. c. 3. §. 1.* Homobon. *in exam. tr. 4. c. 9. q. 72.*

289 *Vtor distinctione.*

Ego autem crediderim, distinctione vtendum, vt duas sententias oppositas conciliem. Si ordinandus, sit omninò illiteratus, ita vt officium in Ordine susceptum nequeat exercere, plane est ad Ordines inhabilis & consequenter irregularis, vt constat ex cap. *Illiteratos, dist. 36.* Deinde est contra ipsum ius naturale, prohibens, quem munus aliquod exercere, quod ignorat. Et hoc asserere primæ partis Auctores censuerim. Si verò adsit aliqualis scientia sufficiens ad ritè obeundum munus susceptum, licèt non sit tanta, quantam Tridentinum requirit: non incurri Irregularitatem existimo: quia nec Tridentinum, nec vlli Canones scientiam hanc, aut illam in omnibus ordinandis præscribentes de Irregularitate subeunda gessere mentionem, Concilium (ex. gr.) dicit initiandum prima Tonsura, fidei rudimenta scire oportere, & tamen Irregularis minimè foret, si quis ignorans mysteria fidei, Tonsuram acciperet. Idem Tridentinum nullam scientiam in eligendis ad Episcopatum, & Presbyteratum prædefinit; & tamen si absque illa scientia quam Canones in Episcopis, aut Presbyteris exigunt ad Episcopatum, aut Presbyterium eligerentur, non fierent irregulares; quia hæc Irregularitas non est expressa in iure. Ita etiam de aliis Ordinibus dicendum.

PROBL. LXV.

Episcopus potest, & non potest licitè admittere ad Ordines eum, qui linguam Latinam non benè callet, sed est bonæ indole præditus, vnde speratur, vt postmodum necessaria ediscat.

290 *Nonnulla supponc.*

SVppono Pontificem nullatenus dispensare posse per se, vt omninò illiteratus eos recipiat Ordines, qui ad exercitium scientiam requirunt: v. gr. cum eo, qui nescit legere, vt Ordines Lectoris, Exorcistæ, aut Subdiaconi accipiat; quia horum Officium est legere Psalmos, ac Prophetias, Exorcismos recitare, Epistolam canere. Bene tamen posse dispensare per accidens, vel ad tempus cum omninò illiterato, vt ediscat, licèt interim susceptum Ordinem exercere non valeat. Et cum eo, in quo defectus scientiæ est contra Canones Ecclesiasticos. Legendus Nauarrus *c. 27. n. 205.* Quæsierim verò, nùm Episcopus possit ad Ordines admittere eum, qui linguam Latinam non benè callens, ob docilitatem spem exhibet, quod postmodum opportuna ad Ordinem susceptum ediscat?

291 *Hoc non potest Episcopus.*

Hoc non potest Episcopus. Quia Tridentinum expressè postulat, vt ordinandus Latinam Linguam calleat. Sic Ledesm. *c. 7. de Ord. concl. 4.* Sanch. Leandr. *tract. 6. d. 7. q. 4.* Palaus *tom. 4. tr. 27. punct. 8. n. 11.*

292 *Potest plane.*

Potest planè. Quia Tridentinum *sess. 23. c. 11.* dum limitat scientiam pro minoribus Ordinibus, subdit: *Nisi aliud Episcopo expedire magis videbitur:* Ergo circa hoc Episcopis Concilium impendit potestatem. Præterea quia attendendo finem præcepti ab Ecclesiâ præscripti, sufficienter fit ei satis, cum ex bonâ ordinandi indole speratur, postmodum perficiendum circa scientiam ad receptum Ordinem exercendum necessariam. Ità Henriq. *l. 14. c. 8. n. 11. lit. E.* Perez, Hostiens. & alij ab ipso citati. Rodrig. Peirin. Menoch. & alij, quos refert, & sequitur Diana *p. 3. tr. 2. resol. 86.* Marchin. *tr. 1. p. 5. c. 1. n. 10.* Tamburin. *de iure Abbat. tom. 2. d. 2. q. 21. num. 5.*

293 *Idem affirmarim.*

Idem affirmarim. Quia quemadmodum magni ingenij Scholasticus non est à Doctoratus laurea repellendus etiam ante quinquennium, quando spes ediscendi manet, vti docet Menochius: ita non est ab ordinibus repellendus Clericus bonæ indolis, & pro ætate docilis, etiam si Latina lingua non satis polleret. Quod maximè debere ab Episcoporum examinatoribus obseruari monuerim ad scrupulorum sedationem.

PROBL. LXVI.

Regularis potest, & non potest cum minori scientiâ, quàm sæcularis, Ordinibus initiari.

294 *Non potest*

MInimè potest. Quia Tridentinum generatim scientiam in ordinandis requirit gradui

gradui proportionatam, nec de scientiâ quâ debeant Regulates pollere speciatim loquitur, vel distinguit. Imò maiori scientia deberent informari Regulares, quia ad ministeria proximorum frequentius assumuntur, & si Monastico recessui sint addicti, debent dexterius, quàm sæculares Clerici suis incumbere Ordinibus exercendis. Sic Ledesm. *cap. 7. de Ordin. conclus. 4.*

295 *Iure quidē.* Potest quidem. Quia de Regulari verosimilius iudicatur, propter Doctorum virorum societatem, in literis profuturum: quæ præsumptio in sæculari Clerico haud ita sæcurè locum habet. Ita Glossa *v. Instructio, in cap. Legi, 16. q. 1.* Sylvest. *v. Clericus 2. n. 1.* Graff *p. 2. decis. l. 3. c. 2. n. 24.* Miranda *Manual. Prælat. tom. 2. q. 8. a. 7.* Barb. *de offic. & potest. Episc. alleg. 46. n. 14.* Rodrig. *de Regul. tom. 1. q. 24. a. 7.* Maiol. *l. 1. de Irregular. c. 31. n. 5. & 10.* Henriq. *l. 10. cap. 16.* & alij apud ipsum. Menoch. *Centuria 5. de arbitr. Iudic. casu 425. n. 58. & 59.* adducens Turrecrematam, Rebuffum, Geminianum, & Innocentium. Marchin. *tract. 1. part. 5. cap. 1. numer. 9.*

296 *Distinguitur.* Æquè probabile hoc esse reor in Regularibus, qui cum proximis diuersantur ob adductum fundamentum. At in Regularibus à proximorum ministerio abstractis reputo probabilius; quia hi Ordines non recipiunt ad curam animarum habendam sicuti Clerici sæculares regulariter: ergò tanta peritia non indigent. Vnde asserierim, licere Episcopo sacris, imo Sacerdotio initiare Regularem, qui bene legit, & cantat, quamvis minus sit literatus: sic enim in aliorum societate, & pro officiis Religionis videtur idoneus Minister, & in ediscendi commoratur schola. Legendus Ludou. de San Iuan *q. 2. de Ord. a. 9. diffic. 6.*

PROBL. LXVII.

Regulares Ordinibus initiandi ab Episcopis Episcopis, non à Prælatis: à Prælatis suis, non ab Episcopis debent examinari.

297 *Debent examinari ab Episcopis, non à Prælatis.* DEbent examinari ab Episcopis, non à suis Prælatis citra scientiam necessariam ad suscipiendos. Quia Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 12.* id præscribit, dum ait: *Regulares quoque nec minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, priuilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis.* Sic Vasq. *in 3. p. to. 3. d. 246. c. 6. n. 55.* & alij, quos refert, Diana *p. 2. tr. 16. resol. 31.*

298 *Debent examinari à Prælatis, non ab Episcopis.* De peritiâ ad Ordines ineundos necessaria debent à propriis Prælatis, non ab Episcopis examinari. Quia ad id Regulares priuilegium obtinuêre: Nam Eugenius IV. Monachis S. Benedicti Congregationis Italiæ, Sixtus IV. PP. Prædicatoribus, Gregorius XIII. Religiosis nostræ Societatis IESV concesserunt, vt absque præuio per Episcopum examine, aliquo, ad Ordines reciperentur. Ita Ioannes de la Cruz *in Epist. l. 2. c. 3. dub. 5.* & docent Recentiores aliqui apud Vasquez *citatum*, & probabile esse ait Ludou. de San Iuan *de Ordin. quæstion. 3. artic. 1. dub. 4.*

Fatetur hanc sententiam me etiam probabilem satis existimare, non solùm ob priuilegium memoratum, sed quia forsasse quis non ineptè Concilij verba interpretabitur, si dicat Episcopum debere diligens examen præmittere circa dimissoriarum relationem, an in eis asseratur sufficienti peritia ordinandum pollere, & an ipsæ veræ sint dimissoriæ. Attamen quæstioni sic aptius respondeo: Potest quidem Episcopus Regularem ordinandum circa peritiam necessariam examinare: quia id patet ex Tridentini testimonio. Attamen ad id non tenetur: quia præterquam quod probabile est præfatum priuilegium suum hodie obtinere vigorem: nullo ad priuilegium respectu huiusmodi potest examen omittere; quia sufficit Episcopo, si ei constet de ordinandi peritia per Regularis Prælati literas dimissoriales. Nam si examinatori, ad quem ordinandum assolent remittere, credunt, cur non credendum Religionis Prælatis, qui accuratius præmittere consuescunt examen, aut subditum apertius agnoscunt, num sit aptus ad Ordines suspiendum. Vnde affirmarim, sine vllo scrupulo posse Episcopum dimissoriarum relationi fidem adhibere. Lege Dianam *vbi suprà*, mecum opinatum.

299 *Probabile hoc, sed tamen iudico, posse id facere Episcopum, sed non teneri.*

PROBL. LXVIII.

Qui ad Presbyteratum est admittendus, debet, & non debet tanta scientia pollere, quanta est ad Confessiones audiendas necessaria.

300 *Debet quidē.* DEber quidem. Quia cum sit Sacerdos perfectus traditur ei potestas ad consecrandum, & mox ad absoluendum à peccatis. Vnde Concilium Bracharense II. *can. 10.* definit ad Sacerdotium promouendos priùs fore in iis, quæ ad scientiam Confessionis spectant, examinandos. Idque ex Tridentino *sess. 23. cap. 11.* videtur colligi dum præscribit, Sacerdotem instructum esse debere, vt & populum edocere, & Sacramenta ministrare valeat. Vnde videtur pars hæc suâ probabilitate non carere.

301 *Non debet.* Minimè debet. Quia nullo id Iure præcipitur Concilium enim Bracharense loquitur solum de illis, qui ad Sacerdotium promouentur simul cũ animarum onere, vt constat ex annotationibus quæ ante idem Concil. apponuntur. Tridentinum verò *sess. 23. c. 15.* decernit, nullum Sacerdotem etiam Regularem Confessiones sæcularium audire posse, nisi prius vt idoneus de scientiâ ab Episcopo approbetur. Ergo mens Concilij non fuit, vt qui pro Sacerdotio suscipiendo examinatur, etiam pro audiendis Confessionibus idoneus tunc Minister iudicetur. Ita Marchin. *tr. 1. p. 5. c. 1. n. 12.* Rodrig. *tom. 1. de Regul. q. 24. a. 6.* Vasq. *d. 246. c. 6.* Ludou. *q. 2. art. 9. diffic. 6.* Dicastil. *tr. 6. de Ord. d. 1. dub. 22. n. 332. & 333.* Leand. *tr. 6. d. 7. q. 8.*

302 *Hoc mihi certum.* Hoc quidem indubitatum mihi, imò & communi Doctorum placito, quem vsus manifestè confirmat: alio enim modo periculum fit de Sacerdote ad Confessiones audiendas, quàm de Diacono ad Sacerdotium promouendo.

CAPVT

CAPVT XIV.

Circà Ordinandorum Intentionem.

Est, & non est peccatum mortale, quem prima initiari Tonsura, & minoribus Ordinibus, sine intentione ad alios Ordines ascendendi.

303 *Peccatum lethale est.*

PECCATVM lethale est. Quia recipere Tonsuram, & minores Ordines cum proposito retrocedendi à Clericatu, nihil aliud est, quam Christum, & Ecclesiam irridere, nec non maximam leuitatem, & inconstantiam præ se ferre. Suaderur id exemplo Nouitij, qui licèt in ingressu Religionis non teneatur habere propositum perseuerandi: non tamen licebit ei habere non perseuerandi propositum; sed saltem tenetur habere animum experiendi Regularis institutnti onera: Ita similiter ordinandus, quamvis non teneatur habere propositum ad sacros Ordines ascendendi, non tamen ei licebit ab initio habere voluntatem resiliendi: hæc enim intentio peruersa est, nec potest vllâ ratione iustificari. Sic Marchin. *tr.1.p.8.c.1.n.9.* citans Bañes, Victoriam, Ledesmam, & Molfesium.

304 *Peccatum lethale non est.*

Peccatum lethale non est. Quia nullo iure tenetur quis ad sacros Ordines ascendere: ergo nec tenetur habere animum illos recipiendi: Ergo potest habere animum illos non recipiendi, ingrediens Clericaratum. Certè nemo tenetur intendere aliquem actum, si actus huiusmodi sub præcepto non cadat: nullâque intentio est magis peccaminosa, quam sit ipsum factum, à quo voluntas omnem malitiam recipit: sed non est lethalis retro cessio à statu Clericali ad laicalem iis, qui solum Tonsura, aut minoribus Ordinibus sunt initiati: Ergo neque intentio ad id habita in Clericatus ingressu. Ità Nauar. *Man.c.25.n.106.& de Orat.c.22.n.112.* Garc. *de Benef. p.3.c.4.n.43.* Coninch. *d.20.n.104.* Laym. *l.5.de Ord.c.7.* Rodrig. *in sum.p.2.c.17. n.2.* Hurtad. *hic, diffic.22.* Sanch. *l.7.de Matr. d.31.n.16.* Bonac. *de Matr.q.3.punct.9.n.5.* Diastil. *dub.22.n.329.* Palaus *tom.4.tr.27.pun.8. num.8.*

309 *Nullum peccatũ esse reor.*

Nullum existimo peccatum comittere eum, qui prima Tonsura, aut minoribus Ordinibus initiatur animo non ascendendi ad Superiores. Quia nullo iure cautum est, suscipientem primam Tonsuram aut Ordines minores obligatum esse ad superiores ascendere. Nam Tridentinum *sess.23.c.4.* tantùm prohibet non initiari primâ Tonsura eos, qui Sacramentum Confirmationis non acceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere, & scribere nesciunt, & de quibus probabilis coniectura non sit eos non sæcularis iudicij fugiendi fraude, sed vt Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.

PROBL. LXX.

Peccat, & non peccat lethaliter qui primam Tonsuram, & Ordines minores suscipit solùm animo euadendi sæculare iudicium.

306 *Lethaliter peccat.*

LEthaliter peccat. Quia Tridentinum *sess.23.c.4. de reformat.* profatur: *Tonsura non initientur: ij, de quibus probabilis coniectura non sit, eos non sæcularis iudicij fugiendi fraude, sed vt Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.* Si ergo Concilium hanc appellat fraudem sæcularis iudicij, quomodo tale crimen non erit mortiferum, cum in maximum Reipublicæ detrimentum, necnon in grauem Ecclesiæ vergat iniuriam. Et quia ordinatus sola intentione forum sæculare declinandi in re magni momenti Ecclesiæ, & sæculo defraudat, & moraliter loquendo laxiorem vitam (ait Marchinus citandus) degere intendit, indequè ansam arripit, arma prohibita deferendi, aliosquè lædendi absque sæcularis fori timore: At hic finis est per se peruersissimus: Ergo iste læthaliter peccabit. Sic ille *tr.1.p.8.c.1.n.4.* Huic hærent sententiæ Bañes *2.2.q.12.a.1. concl.vltim.* Petr. de Ledesm. *hic, dub.2. concl.2.* Victor. *in sum.tit.de Sacr.Ord.n.240.* Rodrig. *in sum.c.17. n.2.p.2.* Molfes. *in sum.tr.2.c.18.n.1.* Barbos. *de offic.& potest. Episc. alleg.10.n.30. & alleg.11. n.12.* Leand. *tr.6.d.7.q.11.* Ludou. de San Iuan *q.2.de Ordin.art.9.diffic.3.* Trul. *l.6.dub.11.n.10. dicto 8.*

307 *Non peccat lethaliter.*

Lethaliter non peccat. Quia rationi consonum est, Ordinem susçipere sub intentione omnium, quæ sunt Ordini annexa: At Ordini annexa est exemptio à sæculari iudicio: Ergo susçipere Ordinem sub hac intentione non est rationi dissonum. Neque huic intentioni obstat Tridentinum citatum; quia in hac intentione nullam fraudem ordinandus committit: quippe vtitur iure sibi concesso. Illum ergo excludit Concilium ab Ordine susçipiendo, qui non vt fidelem cultum Deo præstet, ordinatur; sed sæcularis iudicij fugiendi fraude: fraus autem non est censenda committi, nisi ex graui aliqua causa apud sæculare iudicium incæpta initiaretur, tunc enim censeretur ordinandus fraude vti in sæculari iudicio fugiendo. Ita Laym. *l.5.tr.9.c.7.n.2.* citans Sanchez, Rodrig. & Nauarrum. Palaus *tom.4.tr.27.pun.8.n.7.* Martin. à San Ioseph *in Manu. tom.1.l.1.tr.3.de Ord. n.5.* Nald. *in sum.v.Ordo, n.15.* Hurtad. *diffic.22.* Villalob. *in sum.to.1.tr.11.diffic.14.n.2.* Auersa *de Sacr.Ord.q.4.sect.2.* Bonac. Io. Bapt. de Fabris, Homobon. & alij, quos, me citato affert, & sequitur perdoctus Diana *p.10.tr.16.resol.61.*

308 *Quid opinor expono.*

Crediderim Tridentini sententiam illam (probabiliter admodum) præceptum non indicere, sed adiicere monitionem, vnde ordinandi eiusmodi non delinquent, quia contra præceptum non agunt, optimoquè adhærent statui, licèt finis omninò perfectus non existat. Lubet autem à Philiberto Marchino rogitare, vndenam probabile moraliter agnouit, eos qui hoc fine Clericatum ineunt, intendere, laxiorem vitam ducere, vt inde ansam arripiant arma prohibita

prohibita deferendi lædendiquè alios? Equidem doctum planè virum vix ausus fuerim à temerariâ excogitatione excusare. Legi etiam Chetium *Thesau. animæ tom. 1. v. Clericus, q. 10.* primæ sententiæ sectatorem hanc contra amicissimum meum R.P. Antoninum Diana clausulam appositisse. Peccat mortaliter, qui recipit minores Ordines, vel primam Tonsuram cum intentione euitandi forum sæculare. Hoc expresse habemus ex Concilio Tridentino *sess. 23. c. 4. de reform.* & sic docet Bañes 2. 2. *art. 1.* Quidquid in contrarium dicat Diana *tract. 16. miscel. 2. resol. 22.* qui respondet ad authoritatem Concilij, dicens, ipsum solùm attendere quid ipsa decentia, & illius status reuerentia postulat, & ideo nullis vtitur verbis præceptiuis ad peccati mortalis obligationem sufficientibus. Sed iste hallucinatur: &c. Hactenus ille. An hallucinatur Diana quia *Sic docet Bañes:* & non potius hallucinabitur Ghetius quia contrarium edocent Concilium explicantes Sanchez, Coninch, Nauar. Rodrig. Laym. Nald. Bonac. Fabris, Hurtad. Homobon. Villalob. Auersa, San Ioseph. Palaus, & alij viri doctissimi? & quam probabilem esse Leander, & Machado, & Garsias profitentur?

PROBL. LXXI.

Peccatum est, & peccatum non est minoribus Ordinibus initiatos Matrimonium inire.

309 *Peccatum est lethale.* PEccatum est lethale. Quia retrocessio à Clericali statu ob vxorem ducendam, est quædam apostasia ab Ordine cum Sacramenti contemptu. Sic Caietan. 2. 2. *q. 12. a. 1.* Sanch. *l. 7. de Matr. d. 31. n. 7.* casu, quo id absque iustâ causâ fiat.

310 *Nullum peccatum est.* Nullum peccatum est. Quia potest ob iustam adeo causam fieri, vt non solùm peccatum non sit, verum possit esse meritorium v. gr. si quis ineat Matrimonium ob carnis tentamina postquam quis suam expertus est fragilitatem. Ita idem Caiet. retractans sententiam *in sum. v. Apostasia.* Tolet. *l. 4. c. 18. n. 8.* Angel. *v. Apostasia, n. 2.* Azor. *l. 13. c. 14. q. 14.* March. *tr. 1. p. 8. c. 1. n. 22.* Leand. *tr. 6. d. 7. q. 13.* Bonac. *de imped. Matr. q. 3. punct. 9. n. 2, & 3.* citans Valent. & Rodrig. Palaus *tom. 4. tract. 27. punct. 8. num. 9.*

311 *Cum his opinionibus, & aliis quæ nonnulli temere asserunt.* Nullam committi culpam reor, si causa iusta intercedat, puta si coniugium ineatur ad carnis tentaminibus medendum, ad sedandas inimicitias, ad indotatæ fœminæ succurrendum. Mortalem autem nullatenus culpam esse affirmo, etiam si quis sine causâ iustâ ab Ordinibus hisce recedat. Quia susceptio Ordinum ipsa sub intentione Matrimonium contrahendi non est ab Ecclesiâ specialiter interdicta, nec iure naturali videtur saltem sub grani piaculo interdici. Vnde meus Castro Palao liberat à veniali peccato Vniuersitatis Rectorem, qui vt iurisdictionem exerceat, quam alias exercere non valet, prima Tonsura insignitur tametsi animum habeat postmodum, terminato officio, ad nuptias transeundi. Demum si iusta non adsit causa grauis non erit culpa; quia non est ab Ordine apostasiâ: est enim apostasia ab Ordine, cum quis in sacro Ordine constitutus ducit vxorem non autem è minoribus Ordinibus ad coniugium transit; quia nulla lege quis obligatur ad sacros Ordines recipiendes. At sine causâ à minoribus recedere ob inconstantiam in meliori bono iam incepto, piaculum leue esse iudicarem.

CAPVT XV.

Circa ordinandorum ad proprium Episcopum subiectione.

PROBL. LXXII.

Episcopus impertiens primam Tonsuram alterius subdito, incurrit, & non incurit pœnam suspensionis latæ in Cap. Eo qui.

PRæmitto, Episcopum licèt validè possit Ordines subditis Episcopi alterius conferre: non tamen licitè; quia id interdictum est Episcopis in Concilio Niceno *c. 17.* & in Tridentino *sess. 14. c. 2.* & *sess. 23. c. 3.* & *8.* & *can. 7.* Et in Capit. *Eos qui, de tempor. Ordin. in 6.* vbi Episcopo Ordinibus initianti non subditum imponitur pœna suspensionis à collatione Ordinum per vnum annum: & ipsi ordinato ab exercitio Ordinum sic susceptorum ad beneplacitum proprij Episcopi. Vnde colligo sacris initiatum ab Episcopo alieno ipso iure esse suspensum, & si ante absolutionem celebret, irregularem. Quia sic habetur in Extrau. *Cum ex Sacrorum* Pij II. Quam Extrauagantem ad eos etiam, qui ad minores Ordines, & ad primam Tonsuram assumuntur, extendo. Porrò si Episcopus alterius subditum ignoranter ordinaret, præfata suspensione minimè afficeretur: quia cap. *eos qui* imponens pœnam ordinati alienum sine licentiâ sui Episcopi, requirit, vt id gerat scienter, vel affectata ignorantia. 312 *Nonnulla præmitto.*

His præmissis, quæsierim, num hanc pœnam incurrat, qui subdito alterius scienter primam Tonsuram impertierit? Non incurrit. Quia suspensio hæc est lata contra ordinantes non suos: sed prima Tonsura non est Ordo: Ergo qui sine proprij Episcopi licentia primam Tonsuram exhiberet alicui, suspensionem minimè incurret: præsertim cum in pœnalibus ab vno casu ad alium non fiat extensio. Sic Zeola *in Praxi, parte 1. ver. Dimissoria.* Tolet. *lib. 1. capite 49. numero 4.* Azor. *parte 2. lib. 3. capite 48. quæst. 5.* Fauet Molfes. *in sum. tract. 2. cap. 2. n. 15.* 313 *Episcopus non incurrit hanc pœnam.*

Incurrit planè. Quia hic casus habetur expresse in cap. *finali, de tempor. ordinat. in 6.* vbi suspenditur collator à primæ Tonsuræ collatione si absque licentiâ Ordinarij primam Tonsuram conferat: & recipiens priuilegiis Clericalibus priuatur. Sic Marchin. *tract. 3. p. 5. c. 10.* 314 *Incurrit pœnam.*

*num.*8. Rebuff. *de lite dimiſſor.n.*5. Azor. *p.*2. *l.*3.*c.*49.*q.*4. Leſſi.*l.*2.*c.*44.*dub.*19.*n.*91. Fornar. *in addit.* ad Tolet. *de Sacr. Ord.c.*5. *n.*3. Bonac. *de Sacr.d.*8. *q.*4. *punct.*4. *n.*26. Leand. *tract.*6. *d.*7.*q.*4.

315 *Hanc partem veriorem exiſtimo.* Hanc ſententiam longè veriorem eſſe puto. Quia Tridentinum eſt interpretandum iuxta ſacrorum Canonum regulas, & modum loquendi eorum: ſed in iure Canonico ſub nomine Ordinis etiam prima Tonſura comprehenditur, vt patet cap. *Cum contingat, de ætat. & qual.* Ergo ſententia lata contra conferentes, vel recipientes Ordines ſine proprij Epiſcopi facultate, etiam conferentes, & recipientes primam Tonſuram comprehendit.

PROBL. LXXIII.

Poteſt, & non poteſt Epiſcopus extra propriam Diœceſim ſuis ſubditis Ordines impendere, conſenſu proprij Epiſcopi non petito.

316 *Poteſt quidē.* POteſt quidem. Quia ſi poteſt Parochus confeſſiones ſuorum ſubditorum extra Diœceſim audire, vt permulti graues Theologi docent; quanto verius poterit Epiſcopus extra Diœceſim ſuum ſubditum ordinare? ſecus tamen eſſet in iuriſdictione contentioſâ. Sic Rebuf. *in praxi benefic. tit. de Clericis à quibus, & quomodo creentur, n.*12. Alberic. *in l. Emancipati, de adoption.*

317 *Minimè poteſt.* Minimè poteſt. Quia Tridentinum id prohibuit Epiſcopis ſuſpendens per annum in alienâ Diœceſi pontificalia exercentes: & ordinatos vſu Ordinis ipſo iure priuat. Ita Marchin. *tr.*1.*p.*5.*c.*5.*n.*12. Leand. *tract.*6.*d.*5. *q.*6. & alij communiter.

318 *Hoc certum reor.* Hoc certum exiſtimo. Quia & ante Tridentinum idipſum vetuit Concilium Antiochenum *c.*22. vt refertur in cap. *Epiſcopum* 9. *quæſtion.*2. vbi ſcriptum inuenio: Epiſcopus non debet in alienam irruere Ciuitatem, quæ illi probatur non eſſe ſubiecta: neque in regionem quæ ad eius curam minimè noſcitur pertinere ad aliquid ordinandum, neque Presbyteros, aut Diaconos conſtituere ad alios Epiſcopos pertinentes, niſi fortè cum voluntate, & teſtimonio propriæ regionis Epiſcopi. Ità ibi.

PROBL. LXXIV.

Poteſt quis, & non poteſt Ordinibus initiari ab Epiſcopo, in cuius Diœceſi fortuitò eſt natus.

319 *Quadam ſuppono.* REcolo ex *ſect.*1. triplici titulo poſſe quem alicui ſubiici Epiſcopo. Primò ratione Originis: quia ſcilicet in eius Diœceſi natus, aut baptizatus fuit. Secundò ratione Domicilij, quia videlicet in eius Diœceſi domicilium habet, licet alibi natus, vel baptizatus fuerit. Tertiò ratione Beneficij, quia ſcilicet in eius Diœceſi Beneficium obtinet, etiam ſi alibi natus fuerit, aut domicilium habeat; vnde ille qui in vnâ Diœceſi eſt natus, in altera baptizatus in tertiâ habet domicilium, & in quartâ beneficium: poteſt à quolibet ex his quatuor Epiſcopis Ordinibus initiari: vel ad id literas Dimiſſoriales accipere. Sic habetur in cap. *Nullus, de temp. Ordin. in* 6.

Quæſierim verò, num ille qui fortuito natus in aliquâ Diœceſi, inſtante partu, dum parentes tranſirent, poſſit ab illius Diœceſis Epiſcopo Ordines ſuſcipere? Minimè poteſt. Quia ad ius Originis contrahendum, non ſatis eſt natum eſſe aliquem in loco, vbi parentes domilicium non habent, ſed fortuitò, aut alia de cauſa ad tempus aderant, etiam ſi per decennium. Sic Dicaſtil. *tract.*6.*de Ord. d.*1.*dub.*16.*n.*225. Palaus *p.*4. *tr.* 27.*pun.*15.*n.*2. Trul. *l.*6.*de Sacr.dub.*7.*n.*3. Diana *p.*8. *tr.*2. *reſol.*11. Henriq. *l.*10.*c.*22. Leſſi. *l.*2. *c.*34.*dub.*19.*n.*92. Bonac. *d.*8. *punct.*4.*n.*15. Filliuc. *tract.*9. *num.*101. March. *tr.*1. *p.*5. *cap.*6. *num.*8. 320 *Non poteſt.*

Poteſt equidem. Quia ad effectum Ordines ſuſcipiendi ſufficit in illa Diœceſi licet fortuitò natum eſſe, cum verè dicatur illius Diœceſis originarius: quamvis verùm ſit, quod id non ſufficiat, vt filius ibi natus dicatur illius Oppidi filius. Ità Leand. *tr.*6.*d.*8.*q.*8. Hurtad. *hîc, diſſic.* 17. vſus ad huius ſententiæ probationem verbis Capitis *Nullus*, vbi abſolutè locus originis ille dicitur, vbi quis natus eſt. 321 *Poteſt quidē.*

Hæc ſententia probabilis ſatis eſt mihi; quia aliàs daretur aliquis, qui titulo Natalitij Ordinibus initiari non poſſet. At primam ſententiam probabiliorem reor, (Leandri venia) quam tot grauiſſimis Doctoribus ſtipatam intueor. Vndè affirmo, illum qui fortuitò in eâ Diœceſi natus eſt, ſiuè mater paret in itinere, ſiue in loco, vbi parentes ad tempus adeſſent; Originem trahere ab eo loco, vbi parentes conſtans obtinent domicilium: ſicque minimè priuatur titulo Originis ad Ordines recipiendos. Adde illis Doctoribus Salzedum *in ſuâ practicâ caſu* 75. *num.*27. & Sanchez plures alios referens *l.*3.*de Matr.d.*23.*n.*3. 322 *Hæc ſententia mihi probabilis, prima verò probabilior.*

PROB. LXXV.

Patris origo ſub aliquo Epiſcopo, eſt, & non eſt ſufficiens, vt eius filius alibi natus ab eo poſſit Ordines ſuſcipere.

NOn eſt ſufficiens. Quia præſcribitur in cap. *Cum nullus, de tempor. Ordinat.* propriam originem, & non paternam communicari filio, & ſic dici illi propriam. Et Cap. *Quod tranſlationem, de temporib. Ordinat.* vbi dicitur, Græcum non ordinari debere à Græco ſed ab Epiſcopo Latino, cui eſt ſubditus. Ergo Græci patentis origo non ſufficit, vt quis ordinetur à Græco. Sic Graff. *p.*2. *deciſ. l.*3. *tit. de Cleric. circa ordines, c.*23.*n.*4. *& lib.*1. *conſ. conſ.*2. *de tempor. Ordin. n.*15. Henriq. *l.*10.*c.*22. *lit. C*, plures referens Quaranta *v. Ordo, verſ. Quoad tertium.* Alcedo *in praxi Epiſc. p.*2.*c.*5. *n.*44. Tuſch. *tom.*2. *v. Ordo, concl.*592. Cæſar Graff. *deciſ.*15. *ſub titulo, de probat.* vbi multis hinc inde relatis, tandem aſſerit, Romæ id fuiſſe reſolutum. 323 *Sufficiens non eſt.*

Origo

Origo patris sufficit, vt filius etiam alibi semper commoratus, possit ab Episcopo, cui pater erat subditus, ad Ordines assumi. Quia l. *assumptio*, §. 1. *ff. ad municipal.* dicitur, filium esse originarium Ciuitatis, ex qua pater originem naturalem duxit. Idem colligitur ex L. *Libertus*, *C. de municip. & originar.* §. 1. & ex L. *Filius*, *ibidem.* Sed Canones absolutè dicunt, posse quem ordinari ab Episcopo originis: Ergo non excludunt originem paternam. Deinde paterna origo facit filium municipem quantum ad honores, quos pater habebat, vt asserit Hostiens. *in sum. §. Quibus ex causis, n.6.* Sed assumptio ad Ordines est ad maximum honorem assumptio: Ergo. Ita (plura alia congerens) March. *tr.1.p.5.c.6.n.4 n.10.* affertque pro hac sententiâ Ancharanum Francum *de vsuris in 6.* Angelum Rictium, Panormit. Molfes. Vgolinum, Comitol. Consonat Bonac. *d.8. punct. 4. n.13.* Torrebl. *l.1. practic. c.13. n.9.* Palaus *tom.4. tr.27. punct.15. n.2.* Diana *p.8. tr.2. resol.12.*

324 *Origo sufficit.*

325 *Ratio eius, & obiectio.*

Scio aliquos Doctores asseruisse, antè factum non licere filio, absque licentiâ proprij Episcopi, Ordines recipere ab alio Episcopo, sub cuius Diœcesi pater eius est natus: post factum autem excusant tam Episcopum ordinantem, quàm ordinatos à suspensionis pœna. Ita illi *ad cap. cum Nullus, de tempor. Ordin.* Geminianus scilicet *n.10.* Ioan. Andr. *n.3.* Francus *n.4.* Marianus Socinus *in Rubric. de foro comp. vers. 87.* Verum si hi post factum tam ordinantem, quàm ordinatos excusant, clarè indicant, secundam sententiam (quam amplector) esse ab omni culpa immunem: secus nec post factum essent illi excusandi. Quare præfati Doctores solùm indicant, tutius ac conuenientius esse, Ordines ab Episcopo propriæ Originis recipere, quod ingenuè profiteor: an non tollunt, quin etiam in aliquibus casibus præsertim deficiente propriæ originis Episcopo possit quis ab Episcopo sub quo pater eius est natus, vel domicilium habet, ad Ordines assumi. Textus autem in contrarium à Graffio pro primâ sententiâ adductos non obstare Marchinus citatus apertè demonstrat.

PROBL. LXXVI.

Aui origo sufficit, & non sufficit, vt Nepos ab Episcopo loci illius possit Ordinibus initiari.

326 *Non sufficit origo.*

NOn sufficit aui, aut aliorum ascendentium origo, vt nepos ab illius loci Episcopo valeat Ordines suscipere. Quia daretur processus in infinitum, nec satis dignosci posset, cui Episcopo quis foret subiectus. Sic Marchin. *tr.1. p.5.c.6.n.2.* dicens omnes in hoc Doctores conuenire. Sed non legit eos, qui ab eâ conuenientiâ omninò recedunt, Trullench. *l.6. de Sacr. dub. 7. n.3.* Et hi sunt omnes Doctores, quos conuenire Philibertus dictitat.

327 *Sufficit origo.*

Sufficit aui origo, vt nepos ab Episcopo loci illius Ordinibus initietur. Quia nepos etiam est originarius Oppidi in quo auus natus est, (vt colligitur ex l. *Assumptio*, §. 1. *ff. ad municip.* ex l. *Libertus C. de municip. & originar.* §. 1. & ex l. *Filius. ibidem.*) sicut est & Oppidi, in quo pater est natus. Ita plures Doctores, quos refert, & sequitur Henriq. *l.10. c.22. n.1. lit. B*, fatus: Et quamvis pro iure ad res temporales filius acquirat domicilium originarium in loco vbi pater, aut auus natus est, l. *Assumptio* §. 1 *filius ff. ad municip.* vbi Glossa Barthol. Oldrad. Iacob. Aretin. Angel. *v. Domicilium.* Bernard. *pract. c.8. fin. &c.* Sic Henriq. & idem March. consentit *n.25.* Hinc arguo: sed Canones absolutè, & simpliciter docent quemlibet posse Ordinibus initiari ab Episcopo originis: vt expressis verbis Marchinus fatetur *n.10.* Ergo sicut non excluditur origo patris, ita non excludetur origo aui quam nepos æquè participat. Porrò licet Henriquez hanc sententiam expressè non teneat, tamen probabilem esse fatetur dum adiicit: *Sed respectu Ordinum probabilius est, filium non dici oriundum, vt accipiat Domicilium in Diœcesi, vbi pater, aut auus natus est.* Ergo oppositum esse probabile clarè indicat. Expressè id asserit Leand. *tr.6. d.8. q.10.*

328 *Idem assero.*

Cui quidem adhæreo vt in ore saltem duorum hæc sententia consistat. Monuerim verò, in filiis illegitimis non esse attendendam patris originem, sed matris tantùm: Vnde hi non poterunt ratione originis ab Episcopo, in cuius Diœcesi pater, aut auus nati sunt Ordinibus initiari. Potest tamen ab Episcopo, sub cuius Diœcesi mater, aut auia eius originem habuissent. Lege Castrum Palao *tom.4. tr.17. pun.15. num.2.*

PROBL. LXXVII.

Petens quis dispensationem ad Ordines suscipiendum narrat se oriundum esse ex Vrbe Burgensi, cum tamen sit Vallisoleto ortus, sed pater eius ortus erat Burgis: In hoc casu literæ Apostolicæ censentur, & non censentur esse subreptitiæ.

329 *Subreptitiæ esse censentur.*

SVbreptitiæ esse censentur. Quia de stylo Curiæ *oriundum* pro orto accipitur, teste Mendoza *ad Regul. Cancellar. reg.16. q.40.* & consequenter literæ subreptitiæ erunt, cum falsa narratione suppositæ sint expeditæ. Sic Garzia *de Benef. p.7. c.9. n.25.*

330 *Non censentur esse subreptitiæ.*

Non censentur subreptitiæ. Quia *oriundum* dicitur à natiuitate tam propria, quàm paterna. Ita Iason *in l. Huiusmodi, §. legatum n.18. ff. de legatis 1.* Mendoza *vbi supra*, non rectè pro aduersa parte à Garzia allegatus. Marius Anton. idem in nostro casu asserit. *l.1. variar. resol. vlt. casu 33.* Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg.4. n.8.* Leand. *tr.6. d.8. q.12.* Marchin. *tr.1. p.5. c.6. n.25.*

331 *Cum his opinor.*

Existimo minimè fore subreptitias literas hasce. Quia sufficit genitorem Burgis fuisse natum, aut inibi domicilium habuisse. Doctoribus autem, qui pro nostrâ sententiâ militant, addiderim Trullenchum *de Sacram. l.6. dub.7. num.4.*

PROBL. LXXIX.

Potest, & non potest quis Ordines suscipere ab Episcopo, in cuius Diœcesi Beneficium simplex, non residentiale obtinet.

332 *Non potest.* NOn potest quis Ordinibus initiari ab Episcopo, in cuius Diœcesi habet Beneficium simplex. Quia tunc posse Episcopum aliquem promouere ad Ordines, Canones solummodo disponunt Beneficij ratione, quando Beneficium residentiam sub tali Episcopatu requirit. Nam ex huiusmodi residentiæ obligatione fit Beneficiarius quasi originarius, vel domiciliarius illius loci. Sic Abbas *in Cap. 1. de foro compet.* Felinus *ibidem.* Angel. *v. Domicilium.* Marius Anton. Ianuens. *in suâ praxi c. 48. n. 3.*

333 *Potest quidè.* Potest ordinari ab Episcopo Diœcesis, vbi obtinet simplex beneficium. Quia lex generaliter prolata generaliter debet intelligi, Cap. *Consulnisti 2. q. 5.* sed textus in cap. *Cum nullus, de temporib. Ordinat. in 6.* generaliter loquitur de quocumque Beneficio absolutè accepto, ratione cuius potest quis Ordinari: Ergo non requiritur, quod tale Beneficium residentiam, vel curam animarum habeat annexam; sed sufficit, si tale Beneficium sit sufficiens ad sustentationem. Ita Marchin. *tr. 1. p. 5. c. 8. n. 4.* Henriq. *l. 10. c. 22. n. 1.* Quaranta *v. Ordo, vers. circa secundum.* Hugolin. *de Offic. Episc. c. 26. n. 3.* Marius Anton. *lib. 1. variar. resol. 112. casu 28.* Garzia *de Benef. p. 2. c. 4. n. 9.* Barbos. *de offic. & potest. Episc. alleg. 4. n. 46.* Riccius *in praxi fori Eccles. resol. 258. & 260.* Squillantes *de priuil. Clericor. c. 4. à n. 237.* Francus in capite *Cum nullus, numer. 3.* & alij.

334 *Hoc teneo, & vberius confirmo.* Profectò si Beneficiatus solùm per residentiam fieret Diœcesanus, & posset ordinari ab illo Episcopo, in cuius Diœcesi situm est Beneficium: iam non darentur tres tituli, ob quos quis posset Ordines suscipere contra textum in Cap. *Cum nullus*, & contra omnium Doctorum sententiam. Quod autem ex contraria sententia hoc sequatur sic ostendo: Obtinens Beneficiū cum residentiâ acquirit Domicilium in loco, in quo tale Beneficium est situm, vt docent Mascard. *conclus. 534. n. 5.* Tuschus *v. Domicilium. concl. 596. n. 1.* Farinac. *in fragmen. criminal. p. 1. lit. D. n. 226.* Ergo non est, vnde Beneficij titulus possit vigere. Nam Beneficium habens residentiam annexam, arguit animum permanendi in loco Beneficij, & consequenter facit contrahere domicilium. Si ergo solùm Beneficiatus cum residentiâ potest ordinari ab Episcopo loci Beneficij: sequitur, hunc titulum non distingui à domicilij titulo: Et sic solummodo esse duos titulos, non tres, nempe Originis, Domicilij, & Beneficij; ineptè ergo cap. *Cum nullus*, tres enumerasset. Propter eandem rationem affirmo, eum, qui Præstimonium possidet, posse ordinari ab Episcopo loci, in quo adest Præstimonium. Quia Præstimonium est quoddam Beneficium, & per illud Domicilium contrahitur. Sic Henriq. *l. 10. c. 22. n. 1. lit. A*, Riccius *in praxi, resol. 258.* Barbosa *de offic. & potest. Episcopi, alleg. 4. n. 48.*

PROBL. LXXX.

Potest quis, & non potest ad titulum Beneficij valdè tenuis Ordinibus initiari.

335 *Non potest.* NOn potest. Quia ad hoc vt quis ordinari valeat, Tridentinum *sess. 21. c. 2. de reform.* requirit Beneficium ad sustentationem sufficiens. Sic Prosper, Ricci, Vgolin. Squillantes Piaserius apud Dianam *p. 6. tr. 8. resol. 24. & p. 8. tr. 2. resol. 21.* Praxis Episcopalis noua *p. 1. v. Beneficium, §. 3.* Sotus *de Iust. l. 11. q. 5. a. 3.* Quaranta *v. Ordo*, Molfes. *tr. 2. c. 2. n. 7.*

336 *Potest plenè.* Potest quidem. Quia textus in Cap. *Cum nullus*, non explicat qualitatem, & valorem Beneficij, sed simpliciter, & absolutè dicit, posse quem ratione Beneficij Ordinibus initiari ab Episcopo, in cuius Diœcesi situm est Beneficium. At vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Ita Garzia *de Benef. p. 2. c. 4. n. 8.* Barbos. *de iure Pontific. l. 1. c. 33. n. 38. & de Offic. & potest. Episc. alleg. 4. n. 4.* Henriq. *l. 10. c. 22. n. 1.* & alij.

337 *Auctoris resolutio.* Ego verò sic dirimerem quæstionem. Non potest quis ordinibus initiari ad titulum Beneficij valde tenuis absolutè loquendo: potest tamen si illi adiungatur aliquid patrimonij, quod cum fructu Beneficij tenui coniunctum sufficientem sustentationem reddat. Mecum Philibertus Marchin. *tr. 1. p. 5. c. 8. num. 1. & 2.* Vgolin. & Quaranta *citati.* Diana *p. 4. tr. 4. resol. 51.* Leand. *tr. 6. d. 8. q. 14.*

PROBL. LXXXI.

Qui obtinet duo, vel tria Beneficia sub diuersis Diœcesibus, potest, & non potest à quolibet illarum Antistite ad Ordines admitti.

338 *Non potest.* NOn potest. Quia effectus quis subditus vnius ob primum Beneficium receptum, non debet fieri alterius subditus in prioris præiudicium. Sic Molfes. & Archidiac. apud Dianam *p. 6. tr. 7. resol. 35.* Trullench. *l. 6. de Sacr. dub. 7. n. 18.*

339 *Potest quidè.* Potest profectò. Quia hoc in casu trium illorum Episcoporum est subditus, vnde potest à singulis ad Ordines recipi: nec est potius ius priori, quàm reliquis, cum ob tria Beneficia singulorum subditus efficiatur. Ita Marchin. *tr. 1. p. 5. c. 8. n. 8.* Riccius *in praxi, resol. 258.* Garzia *p. 2. c. 4. n. 2, & 15.* Rubeus *v. Ordo, num. 7.* Leand. *p. 6. d. 8. q. 15.*

340 *Hoc mihi probabilius.* Hoc mihi longè probabilius. Quia non video vndenam non sit ille qui obtinet Beneficium in triplici Episcopatu, subditus singulorum trium Antistitum. Trium omnium quidem subditum esse reor, non secus ac qui sub diuersis Parochiis æquè habitat, qui potest planè à singulis Parochis Sacramenta recipere.

PRO

PROBL. LXXXII.

Antonius non habet sub Diœcesi Vallisoletana Beneficium, sed Episcopus Vallisoletanus optans illum ad Ordines promouere, ei beneficium confert: Potest Antonius, & non potest, ad huius Beneficij titulum Ordines suscipere.

341 Primò ordinatur. POtest ad huius Beneficij titulum ordinari. Quia rextus solùm requirit, vt quis legitimè Beneficium obtineat, nec distinguit, qua ratione quis obtineat: Ergo nec nos debemus distinguere. Sic Vgolin. *de offic. Episc. c.* 26. §. 3. Leand. *tr.* 6. *d.* 8. *q.* 19. March. *tr.* 1. *p.* 5. *c.* 8. *n.* 9. probabile esse profitetur.

342 Ordinari non potest. Ordinari non potest. Quia huiusmodi collatio Beneficij videtur esse in fraudē legis, scilicet ad examinandum illum Clericum, cui Beneficiū conferetur, à proprij Episcopi iurisdictione: At fraus & dolus nemini debēt patrocinari. Et quia si id licitè geri posset, frustra Trid. *sess.* 23. *c.* 9. *de reform.* definiisset, Episcopum tunc solùm posse aliquem alterius Diœcesis ad Ordines promouere, cum per triennium fuerit cum eo commoratus, dummodo statim Beneficium ei conferat: iuxta primam enim sententiam non requireretur triennalis illa cum Episcopo commoratio. Ita Francus *ad cap. cum nullus.* Glossa *Cap. Eos qui, de tempor. Ordin. v. Figmentum.* Quaranta *v. Ordo.* Ricci. *resolut.* 262. Barbos. *de officio, & potestate Episcopi, alleg.* 4. *num.* 57. Marchin. *vbi supra.*

343 Primam sententiam eligo. Hanc sententiam valdè probabilem existimo, sed primam vt benigniorem eligo. Quia fundamenta contraria haud multum videntur vrgere; fraudem enim legi non molitur, qui vtitur iure suo, quod ipsa nititur lege. Præterea quia casus noster differt à casu triennalis familiaris, in quo potest sequi collatio Beneficij ordinationem, vt colligitur ex verbis Concilij: *Beneficium statim re ipsa illi conferat*, quasi dicat: statim post ordinationem: in nostro autem casu collatio Beneficij debet ordinationem præcedere.

PROBL. LXXXIII.

Satisfacit, & non satisfacit Episcopus Oneri triennali familiari conferendi statim Beneficium, conferendo illud cum primum vacauerit.

344 Dubitatio sup- SVppono Episcopum posse triennalem familiarem alterius Episcopi subditum Ordinib. initiare, dummodo *statim* post ordinationem illi Beneficium congruum conferat. Quia hanc facultatem concessit Episcopis Tridentin. *sess.* 23. *c.* 9. & docet Henriq. *l.* 10. *c.* 22. *n.* 2. Suar. *de consur. d.* 51. *sect.* 2. Hurt. *disp.* 17. Vasq. *d.* 243. *n.* 49. & alij. Quæsierim verò, nùm huic oneri conferendi triennali familiari Beneficium *statim*, satisfaciat Episcopus, conferendo ei Beneficium cum primum vacauerit?

345 Satisfacit planè. Satisfacit quidem. Quia Tridentinum concedens Episcopo, vt possit ordinare familiarem suum quamvis non subditum, qui cum ipso fuerit per triennium commoratus cum onere concedendi ei Beneficium *statim*, supponit id Beneficium vacaturum post Ordinum collationem. Nam si intenderet Concilium non prius ordinandum esse subditum, quam vacauerit Beneficium, quod posset ei Episcopus *statim*, post ordinationem conferre: facilius præscripsisset, posse triennalem familiarem admitti ad Ordines dummodo conferret illi Episcopus prius Beneficium ad cuius titulum posset ritè ordinari. Sic Hurtad. *hic, disp.* 17. Vasq. & Henriq. *citati.*

346 Non satisfacit. Non satisfacit, nisi collationem Beneficij gerat Episcopus intra decem dies à die ordinationis. Quia particula *statim*, qua Concilium vtitur, non admittit per longam dilationem: & supponit, velle Concilium, Episcopum iam præmanibus habere Beneficium, quod conferat sic ordinato, cum intendit eum ad Ordines recipere. Ita March. quem refert, & sequitur Leand. *tr.* 6. *d.* 8. *q.* 22. Zerol. *in praxi p.* 1. §. *Dimissorie, & p.* 2. *v. Ordo.* Molf. Ricc. & alij apud March. Diana *p.* 8. *tr.* 2. *res.* 33. Auers. *de ord. q.* 3. *sect.* 6.

347 Hanc partem amplector. Ego quidem hanc partem amplector, putans Tridentinum illam particulam *statim*, attentè admodum appositisse, ne casu aliquo sic ordinatus congrua sustentatione fraudaretur. Posset enim morte præueniri Episcopus ante seram Beneficij collationem. Vnde vt Episcopus illi oneri satisfaciat ante Ordinum collationem debet, authore me, iam quasi præmanibus (vt *n.* 344. dicebam) Beneficium habere, quod post paruum à die ordinationis temporis interstitium ei possit impendere. Certè Marchinus refert, quendam Episcopum subiisse pœnas præscriptas ordinanti non suos, eo quod collationem Beneficij suo triennali fecisse post sex à die ordinationis Menses.

PROBL. LXXXIV.

Potest, & non potest Episcopus ad titulum patrimonij, vel Pensionis suum triennalem familiarem Ordinibus initiare pro suæ Ecclesiæ vtilitate, vel necessitate.

348 Potest quidē. POtest quidem. Quia vtilitas aut necessitas Ecclesiæ bona est voluntatis legislatorum interpres. Nam si Concilium ideò exigit, vt *statim* Episcopos post collatos Ordines conferat familiari Beneficium, vt ei de congruà sustentatione prouideatur, videtur Concilio satisfieri, siquidem ex patrimonio, vel Pensione congruam obtinet sustentationem, præcipuè cum Ecclesiæ vtilitas, aut necessitas, probabiliter indicat hanc esse Concilij voluntatem. Sic Garzias *de Benefic. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 81. Barbosa *de officio, & potestate Episcopi, allegatione* 5. *num.* 12. & 13. Vasq. *in* 3. *p. tom.* 3. *d.* 245. *num.* 49.

349 Non potest. Minimè potest. Quia ratione Pensionis, vel Patrimonij nemo efficitur alieni Episcopi subditus: sed ad collationem Ordinum tam acti-

uam, quàm passiuam necessaria est subiectio ordinandi: Ergo ratione Pensionis, vel patrimonij non potest Episcopus suum triennalem familiarem Ordinibus initiare. Ita Marchin. *tract.1.p.5.cap.9. num.15.* Leand. *tract. 6. d.8. q.26.*

350 *His adhæreo.* His adhæreo. Quia necessariam esse ordinandi subiectionem, vt ab Episcopo Ordines possit suscipere in cap. *Cum nullus* præscribitur. Nullum autem effici subditum alicuius Episcopi ratione Pensionis, vel patrimonij constat apertè: quia nec Pensio, nec patrimonium est Beneficium. At cum triplex sit ad Ordines suscipiendos subiectionis titulus, nempè Beneficij, Originis, & Domicilij, nullo ex titulo triennalis ille familiaris subditus illi Episcopo existere appareat. Benigna verò illa propter Ecclesiæ vtilitatem, aut necessitatem Concilij interpretatio gratis excogitari reor. Potest autem ob Ecclesiæ vtilitatem, imò quamvis hæc non adsit, non expectato triennio suum familiarem ordinare, si conferat ei antè Ordinationem Beneficium. Quia tunc iam non confert Ordines suo familiari ratione familiaritatis, sed prætextu Beneficij ab eo collati ratione cuius subditus efficitur. Monuerim verò, Episcopis Titularibus (vulgo *De anillo*) non licere suis triennalibus familiaribus Ordines conferre; quia expressè eis à Tridentino *sess.14.cap.2.* interdicitur.

PROBL. LXXXV.

Licet, & non licet Episcopo suis subditis conferre primam Tonsuram sinè Episcopi Diœcesani licentia in priuato Oratorio.

351 *Non licet.* NOn licet. Quia generatim Tridentinum *sess.6.c.5.* prohibet, ne Episcopus in alienâ Diœcesi Pontificali exerceat sine proprij Episcopi facultate: At collatio primæ Tonsuræ ad Pontificalia pertinet cum solus Episcopus possit id munus exerere. Et quia in iure Canonico sub nomine Ordinis etiam prima Tonsura comprehenditur. Igitur si Episcopus publicè non valeat in Diœcesi aliena Tonsuram conferre, quomodo poterit in oratorio, quod quidem ad eandem pertinet Diœcesim? Sic Campanil. *in diuers. Iuris Canon. rubr.6.c.1.n.2.* Barbosa *de Offic.& potest.Episc.alleg.6.n.15.* Sanch. *tom.2. consil.l.7.cap.1.dub.5.num.2.* Cæsar. Madius *de sacris Ordin.c.2.n.4.* qui de stylo, ac consuetudine testatur. Diana *p.2.tr.4.resol.194.* citatus à Marchino, sed requirens haud inuenire potui.

352 *Licet planè.* Licet planè. Quia etsi Episcopus non possit in alienâ Diœcesi sine Ordinarij licentia Pontificalia exercere: tamen vbi collatio Tonsuræ in priuato cubiculo, aut oratorio fieret, ad actus Pontificales spectaret, cum Tonsurâ Ordo non sit: & soleat alieno Episcopo concedi sine Pontificalium exercitio. Ita Henriquez *l.3.c.6.n.6.* Barbati. *in Cap.Nouit,n.18.de offic. legati.* Rebuff. *in praxi Benefic. rubr. de Ecclesiast. à quibus & quomodo creentur. n.13.* Molfes. *cap.2.num.15.* Bonac. *d.8.quæst.vni. punct.4.n.18.* Fornar. *de Ord.c.3.n.6.* Azor. *p.2. l.3.cap.48.quæst.5.* Villalob. *tom.1.summ.tractatu 8. diffic.7.n.17.* Diana *p.4. tract.4.resol.143. & p.5. tract.10.resol.45.* Marchin. *tract.1.p.5. c.10.n.9.*

Hoc probabilius esse existimo. Quia si potest Parochus suis ouibus extra propriam Diœcesim in itinere Sacramentum Pœnitentiæ impendere: cur Episcopus cum Pontificalia non exerceat non poterit suis subditis etiam extra Diœcesim prima Tonsura in recessu Oratorij, vel cubiculi initiare? Portò cum Episcopus ad Ordines conferendos in aliena Diœcesi inuitatur, poterit ibi ordinare proprios subditos, imo etiam subditos Episcoporum aliorum, dummodo literas dimissorias habeant. Quia sufficit generalis illa licentia, quam à Diœcesano ad ordinandum habet. Et sicut liceret proprio Episcopo Ordinibus initiare cunctos, qui dimissorias literas obtinent, non est cur inuitato illi Præsuli non liceat, cui generatim videtur omnis proprij Antistitis collata potestas, dum non limitatur expressè. Mecum Bonac. citatus, & Nauar. Toler. Villalob. Fornarius, Alzedo, Luis. de Torres, aliique, quos contra Mirand. & Barbos. citat, & sequitur Leand. *tr. 6. d.8. q.30.* 353 *Hoc puto probabilius.*

PROBL. LXXXVI.

Episcopus Ordines conferens sine Dimissoriis alieno, est, & non est per annum non solùm ab Ordinum collatione, quos malè contulit, suspensus; sed ab omnium Ordinum collatione.

354 *Est suspensus ab omnibus Ordinib. conferendis.* ESt per annum ab omnium Ordinum collatione suspensus. Quia id habetur iure antiquo in cap.2. *de tempore Ord.in 6.* & iure nouo in Tridentino *sess.23.c.8.* & in Bulla Vrbani VIII. *contra malè ordinantes, & malè ordinatos*, ibi: *Aliàs promouentes ad annum ab exercitio Pontificalium suspensus maneat.* Vbi videtur Concilium Episcopum non solùm à traditi Ordinis collatione per annum, sed & ab omnium Ordinum exercitio suspendere. Sic Glossa *Cap.2. de temp. Ordin. in 6. in ver. Omnium.* Sayr. *de Censur.l.4.c.12.n.30.* Campanil. *in diuersor. iuris Canon.rubr.9.c.1.n.16.* Barbos. *de offic.& potest.Episc.alleg.8.n.1.* qui citat Suarium *to.5.d.31.sect.1.n.15.* de quæstione ista nec verbum proferentem: & Hugolinum *de offic.& potest.Episcopi,c.26.§.22.n.2.* qui oppositam sententiam approbat.

Non est per annum suspensus ab omnium Ordinum collatione, sed solùm ab Ordine illo, quem malè contulit. Quia in *Cap.fin.de temp. ord.in 6.* suspenditur collator à collatione primæ Tonsuræ, si sine Ordinarij licentia primam Tonsuram conferat: & recipiens priuatur priuilegiis Clericalibus, nec in dicto casu suspenditur ab omnium Ordinum collatione, sed solius Tonsuræ cum tamen Tonsura iuxta Canonistarum sententiam sit Ordo. Ita Geminian. Ioan. Monach. & Archidiac. *ad Cap.2. de temp.Ordin.in 6.* Nauar. *l.1. consil.31.& 39. de tempor.Ordin.* Graff. 355 *Nō est ab omnibus suspensus.*

eodem

*eodem tit.conſ.*2.Sayr. *eodem tit.deciſ.*32. & 33. Ricci. *in praxi deciſ.*297.*num.*1. Molfeſ. *ſum. tract.*2.*cap.*2.*numero* 12. March. *tract.*1. *part.*5. *cap.*10.*num.*3.

356 *Cum his opinantur.* Cum his opinor. Itaque ſi Epiſcopus malè contulit Diaconatum,erit ſolummodò à Diaconatus collatione ſuſpenſus : ſi Presbyteratum, malè miniſtrauit, erit per annum ſuſpenſus ſolùm à Presbyteratus collatione. Nam pœna non extenditur vltra culpam : ſed culpa commiſſa ſolùm fuit in collatione vnius, vel alterius Ordinis : Ergo non eſt ad omnes Ordines extendenda. Clauſulam Bullæ Vrbani ſic interpretor: *Ab executione Pontificalium ſuſpenſus maneat*, circa illum Ordinem, quem malè contuliſſe conſtiterit.

PROB. LXXXVII.

Licet, & non licet Epiſcopo Ordinibus initiare ſubditum alterius cum ratihabitionis ſpe.

357 *Non licet.* NOn licet. Quia in iis, quæ ſunt contra ius, alterius quæ tangunt iuriſdictionem non eſt facilè præſumenda ratihabitio, præſertim cum videmus, tot de iuriſdictione altercationes vigere: & aliàs proprij Prælati conſenſus facilè per literas valeat obtineri. Nec conueniens eſt, ſub hoc colorato titulo ratihabitionis iura Epiſcopalia perturbari. Sic Salzedo *in praxi, cap.*26. Rebuff. *tit.de liter. dimiſſ. num.*11. Paril. *conſ.*136. *vol.*4. Quaran. *v.Ordo, verſu, Amplia hanc extrauagantem.* Iulius Cæſ. Madius *de ſacr.Ordin.cap.*4. *num.*18. Bonac. *d.*8.*q. vnic.punct.*4. *num.*28. Barboſ. *de Offic.& poteſt. Epiſc.alleg.*8. *num.*4. Turrian. *de Cenſur. lib.*5. *d.*46.*dub.*1.

358 *Licet quidem.* Licet quidem. Quia ad incurrendam huiuſmodi ſuſpenſionem requiritur præſumptio, quam excuſat bona fides ſaltem in foro interno. Colligitur ex verbis textus : *ſcienter, ſeu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæſito, præſumpſerit ordinare.* Ità March. *tr.*1.*p.*5.*c.*10. *num.*12. Mandoſi. *de regul. Cancel.*24.*q.*4. Fornar.*de ord.cap.*5.*n.*4. Molfeſ.*tr.*2.*c.*2.*n.*14. Suar. *tom.*5.*d.*31.*ſect.*1. *num.*17. Franc. Marcus, *deciſ. Delphin.*105. *lib.*10. Tuſc. *v. Ordo, concl.*188. *num.*41. Maiol. *de Irregular.lib.*4. *cap.*2. *num.*7. Cherubin. *ad conſt.*40. *Clementis VIII.* Diana *part.*3. *tr.*4.*reſol.*191. Citans Reginaldum,& alios.

359 *Auctoris ratio.* Exiſtimo, antè factum id facilè non debere permitti : poſt factum verò ratione bonæ fidei in foro conſcientiæ excuſari à Cenſura tam Ordinantem Epiſcopum,quàm non ſubditum Ordinatum. Nam *Cap. vltimo* 9.*q.*2. Lego approbari factum D. Epiphanij,qui ſub ratihabitionis ſpe ſubditos S. Chryſoſtomi ordinibus initiare non renuit.

CAPVT XVI.

Circa qualitatem, & quantitatem Beneficij aut patrimonij ad Ordines requiſita.

PROBL. LXXXVIII.

Poteſt quis, & non poteſt ad Sacros Ordines admitti ſine ſufficienti Beneficio aut patrimonio, cum ſola fideiuſſione alimentorum.

SVPPONO ex *ſeſſ.*21. ſæcularem Clericum haud poſſe Sacris initiari ſi ad victum neceſſaria non habeat ex Beneficio certo, aut ex penſione, donatione, vel patrimonio. Quia ſic definit Concilium Trident. *ſeſſ.*21. *cap.*2 & anteà alia Concilia, & Canones. Secus dicendum de Regularibus ſolemniter profeſſis quibus quidem de Monaſterij redditibus aut eleemoſynis ſufficiens victus prouidetur. Porro Societatis IESV alumnis poſſe ad Ordines Sacros admitti poſt vota ſimplicia Gregorius XIII. in Bulla edita anno 1573. die vltima Februarij conceſſit. Quod ſi contingat è Societate aliquem in Sacris conſtitutum dimitti Societatis Præſules ei de victu honeſto prouident,donec ſufficiens Beneficium (aut patrimonium alibi) conſequuntur. 360 *Nonnulla ſuppono.*

Quæſtio itaque volitur,num quis poſſit ad Ordinem Sacrum admitti ſinè ſufficienti Beneficio aut patrimonio cum ſola fideiuſſione alimentorum, id eſt,cum impetrat ab amico ſchedulam, in qua promittit, ſe illi neceſſaria vitæ ſubſidia miniſtraturum? Non poteſt ad Ordinem Sacrum admitti : Quia Concilium requirit perpetuam, & pacificam patrimonij poſſeſſionem: at obligatio illa perſonalis non eſt res immobilis ſiue perpetua, ac pacificè poſſeſſa : per eamque Ordinandus haberet quidem ius ad rem, ſed non ius in re. Sic Nauat.*conſ.*34.*de tempo Ordi-* Ricci.*in praxi, deciſ.*318. Hugol. *de offic.Epiſc. c.*26.§.14. *n.*2. Molfes. *in ſum.tr.*2. *cap.*15. *n.*4. Azor.*p.*2.*l.*3.*c.*4.*q.*7. Ex quibus aliqui referunt, id à Sacra Congregatione eſſe definitum. Marchin. *tract.*2. *part.*6. *cap.*7. *diffic.*2. adiiciens, ſi quis de fructibus omnium bonorum irreuocabili donatione publico Notario firmata in patrimonium quinquaginta aureos nummos alicui aſſignaret, vt ad Subdiaconatum promoueretur : titulum huiuſmodi validum eſſe; nam hoc patrimonium irreuocabile, & perpetuum exiſteret. 361 *Non poteſt ad Ordinem ſacrum admitti.*

Admitti ad Sacrum poteſt Ordinem. Quia cauſa finalis ob quam Tridentinum *ſeſſ.*21.*c.*2. diſponit, ne Ordines Sacri conferantur,Beneficium, penſionem, aut patrimonium ſufficiens non habentibus, ea præcipua eſt, ne qui Sacro addicti ſunt miniſterio, cum Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum quæſtum cogantur exercere : Ergo ſi prouidetur mendicitati huiuſmodi, vt fit cum fideiuſſione alimentorum, ſufficienter Concilij menti ſatisfiet. Ita Gri- 362 *Admitti poteſt.*

lenzoni. *conf.*14. quem refert, & sequitur Diana *part.*5.*tract.*10.*resol.*48. Barbos. *in remission. ad loca Concil.sess.*21.*cap.*2.*num.*11. Flamini. *l.*2. *q.*6.*n.*11. Zechi *cap.de Cleric. sub num.*7. *versu* 64. Leand. *tr.*6.*dist.*9.*quæst.*3.

363 *Hoc mihi probabilius.* Hoc mihi probabile esse videtur, si firma fidei iussio sit facta quidem ab eo, qui sufficientia ad id implendum bona immobilia haberet. Ad firmitatem vero crediderim firmatam esse à publico Notario debere: nam simplicis schedulæ firmitatem difficulter admiserim.

PROBL. LXXXIX.

Incurrit, & non incurrit suspensionem, qui ad sacros Ordines promouetur, cum Beneficio aut patrimonio ficto.

364 *Non incurrit suspensionem.* NOn incurrit. Quia ficto patrimonio quem Ordinari, idem est, ac sine patrimonio Ordines sacros recipere: sed in hoc casu nulla est suspensio: Ergo Ordinatus, ficto patrimonio suppositio, non incurrit suspensionem. Minor probatur: è quia licet olim ordinati sine titulo pœnam suspensionis ipso facto incurrebant Cap. *Neminem*, & Cap. *Sanctorum*, *dist.*70. & consequenter in huiusmodi suspensione celebrantes irregularitatem contrahebant: postea verò hæc suspensio sublata fuit ab Innocentio III. in Cap. *Cum secundum Apostolum*, *de præbendis*, & impositam ordinanti Episcopo onus alendi Clericum sine titulo ordinatum, donec illi de sufficienti Beneficio prouideretur. Porrò Tridentinum *sess.*21.*cap.*1. hanc suspensionem non renouasse illis verbis: *Antiquorum Canonum pœnas super his innouando*: Sed onus alimentorum Episcopis denuo impositum, fuit sæpè declaratum per sacram Congregationem anno præsertim 1583. cuius hæc sunt verba: *Ordinatus contra formam huius decreti sine Beneficio, vel patrimonio non est per hoc suspensus, nec aliquam pœnam incurrit; sed cogendus est Ordinarius illi prouidere, iuxta cap.* Cum secundum Apostolum, de præbendis, *qui solus Canon, non alij à Concilio innouatur.* Hanc declarationem referunt Viuald. Garzia, Barbosa, & alij apud Marchinum *tract.*2.*part.*6. *cap.*7. *diffic.*6. Sic Henriq. *lib.*13. *cap.*37. *num.*2. qui duodecim Doctores affert. Viuald. *de susp. num.*28. & 31. Tolet. *lib.*1. *cap.*48. *numer.*16. Rodrig. *in sum. part.*2. *cap.*14. *num.*5. Auila *de Cens. part.*3.*d.*5. *concl.*1. Diana *part.*2.*tract.*16. *resol.*5. & *part.*5.*tract.*10. *resol.*50. Marchin. *citatus.* Si ergo nunc suspensionem non incurrit, qui sine Beneficio, aut patrimonio sufficienti sacro Ordine initiatur: nec illam incurret ille, qui ficto Beneficio, aut patrimonio ad Sacrum Ordinem promouetur.

365 *Suspensionem incurrit.* Incurrit suspensionem. Quia probabilius est, cum qui sine Beneficio, vel patrimonio sufficienti ordinatur, suspensionem incurrere latam in Cap. *Neminem*, & in Cap. *sanctorum*, *dist.*7. renouatam plane à Tridentino citato. Sed patrimonium aut Beneficium fictum reuera non est patrimonium, nec Beneficium: ergo idem est, quem ficto patrimonio aut Beneficio ordinari, ac sine Beneficio aut patrimonio. Ita Suar. *de Censur. dist.*31. *sect.*1. *n.*34. & 35. Nauar. *c.*27. *n.*158. Sanch. *l.*6. *de Matr. d.*32. *num.*8. Vasq. *tom.*3. *in* 3.*p. d.*243. Bonac. *d.*8. *q.*vni. *punct.*5. *n.*24. Barbos. *de offic. & potest. Episcop. alleg.*19. *n.*57. Comitol. *l.*6. *respons. moral. q.*38. Molfes. *tr.*2. *c.*18. *n.*26. & alij.

Probabilem satis primam sententiam reor, probabilior autem mihi secunda apparet. Quia verius puto, illam antiquam suspensionem Canonum, quam abstulerat Innocentius III. esse à Tridentino innouatam illis præfatis verbis: *Antiquorum Canonum pœnas super his innouando.* Quia appellatione antiquitatis venit id, quod est antiquius: vt in *l.*1. & 2. *ff. de albo scribendo* dictitatur: sed pœna suspensionis contrà ordinatos sine titulo lata in Cap. *Neminem*, & in Cap. *Sanctorum*, est multò antiquior eâ, quæ fuit lata in cap. *Cum secundum Apostolum*: nam primus Canon latus fuit in Concilio Chalcedonensi *can.*6. Placentiæ sub Vrbano II. tertius autem sub Innocentio III. multò posterior: Ergo Tridentinum innouans antiquos Canones, antiquiorem suspensionem contra ordinatos sine titulo innouauit: Igitur qui ficto Beneficij, aut patrimonij titulo initiantur sacris Ordinibus, incurrunt proculdubio suspensionem. 366 *Secundam sententiã probabilem reor.*

PROBL. XC.

Ordine sacro initiatur quis titulo patrimonij sub hac conditione accepto, vt post ordinationem illud largitori restituat: Hic quidem incurrit, & non incurrit, suspensionem: tenetur, & non tenetur restituere.

SVspensionem incurrit. Quia est patrimonium velut fictum, & ementitum, cuius falso titulo ordinati pœna suspensionis à Tridentino *sess.*21. *cap.*1. innouata percutitur. Et restituere tenetur. Quia quamvis ille qui patrimonium ementitum ordinando assignauit sub præfata conditione grauiter deliquit, & in foro exteriori nullam actionem contra Clericum habet: attamen non verò donauit, nec dominium in illum transtulit: Ergo cum Clericus talis patrimonij dominium vere & realiter non acquisierit, tenetur in foro interno vero domino restituere. Primum asserit Machado *tom.*2.*l.*4.*p.*1. *tr.*7.*docum.*8.*n.*5. Torrebl. *l.*2. *pract. c.*13. *n.*30. Ludou. Lopez 1.*p. instruct.c.*45. secundum autem Marchin. *tr.*2.*p.*6.*cap.*7.*diffic.*5 Ledesm. *in sum. tit. de Sacr. Ordin. concl.*5.*diffic.*6. Sanch. *l.*6. *de Matr. d.*32. *n.*8. Garzia *de Benef.* (ibi quidem contrarius) *c.*5. *n.*152. Ioan. de la Cruz *in direct. p.*2. *tit. de Sacr. Ordin. dub.*6. *concl.*2. Auila *de cens. p.*3. *d.*5. *dub.*5. *concl.*5. 367 *Suspensionem incurrit.*

Suspensionem non incurrit, licet lethaliter planè deliquit. Quia re ipsa vero, & non ficto patrimonio ad Ordinem sacrum ascendit. Nec tenetur restituere. Quia patrimonium acceptum. Quia in pœnam donantis qui voluit Ecclesiam decipere ei ius ad illud acquirendum est sublatum. Primum docent Auila *citat. concl.* 3. Petr. de Ledesm. *c.*7. *de Ord. c.*6. *diffic.*3. & *l.*1. *consil. de tempore ord. consil.*13. Sa *v. Ordo, n.*26. Leand. 378 *Suspensionem non incurrit.*

Leand. *tract.6. d.9. quæst.5.* Secundum verò cuncti hi citati, præter Auilam, Auctores profitentur.

369 *Vnum, & alterum, hos probabilius duco.*

Vnum, & alterum hoc probabilius duco. Manifestè enim ostenditur huiusmodi Clericũ cum vero patrimonij titulo sacrum Ordinem iniisse; quia per pactum, quem gessit obligatus non mansit, vnde promissio nullius fuit valoris. Itaque ementito patrimonio ad Ordines sacros assumitur data antapocha,) quæ vulgò dicitur *contra scriptura* (aut data fide, vel iuramento, se post Ordinationem patrimonium illi assignatum redditurum, vel fructus nunquam perceptum: haud promissis stare tenetur. Moueor in primis Tridentini *sess.21. cap.2.* authoritate, prohibentis vtique, ne pensio, aut patrimonium, ad cuius titulum quis fuit Ordinatus, absque Episcopi licentia alienari, aut remitti possit, donec is Beneficium Ecclesiasticum sufficiens fuerit consecutus, vel aliundè habeat, vndè viuat. Deindè, Quia assignato tali patrimonio in sacri Ordinis titulum, Episcopus ius in illud acquirit, sitquè illi hypothecatum. Deniquè roboro ex eo, quod tale patrimonium effingens, & illud ordinando ficta donatione impendens, propriæ culpæ imputare debet, si id minimè valeat recuperare.

PROBL. XCI.

Verè quis fratri, vel propinquo donauit sufficiens patrimonium, ad cuius titulum Subdiaconatum, & Diaconatum ritè recepit: mox renunciato vltroneè patrimonio ipsi fratri aut propinquo, Presbyteratum sine patrimonio alio suscepit: Hic quidem incurrit, & non incurrit suspensionem.

370 *Incurrit suspensionem.*

SVspensionem incurrit. Quia sacrum Ordinem sine titulo patrimoni recepit, siquidem valida fuit eiusmodi renunciatio. Sic plures Doctores apud Sanchez *citandum*. Ludou. de S. Iuan *quæst.2. de Ord. art.10. diffic.2.*

371 *Non incurrit suspensionem.*

Non incurrit suspensionem. Quia re vera non recepit Presbyteratum sine patrimonio, cum renunciatio facta post Diaconatum nullius fuerit valoris, irritatur enim à Tridentino *sess.21.c.2.* Ità Nauar. *lib.1.Conf.17. & 18. de temp. ordinat.* Henriq. *lib.13.cap.37.n.2.* Bonac. *dist.8. q.vni. pun.5.num.19.* Diana *p.4. tr.4. resol.52.* Sanch. *tom.2.Consil.l.7.c.1.dub.40.* Sa *v. Ordo, num.27.* Villalob. *tom.1. tr.18. diffic.10. n.10.* Marchin. *tr.2.p.6.c.7. diffic.7.n.10.*

372 *Putare lethaliter, sed suspensionem non incurrere, tenent.*

Existimo peccare lethaliter Diaconum, qui renuncians acceptum patrimonium putans validam esse renunciationem Ecclesiam decipere tentat: sed minimè contrahere suspensionem; quia fuit ad Presbyteratum eleuatus cum vero titulo patrimonij (vti fert secunda sententia) licèt postea illi renunciauerit: renunciatio enim est nulla prorsus ex Tridentini decreto tollentis potentiam alienandi, & impedientis dominij translationem. Neque quidem impedimentum præstat, quod de iure non fortitur effectum: *de regul. iuris in 6.*

PROBL. XCII.

Potest, & non potest, ad sacros Ordines admitti filius, qui ex bonis paternis pingue patrimonium expectat, hoc tamen à patre ei in titulum assignatum nondum est.

373 *Potest admitti.*

POtest admitti. Quia patris diuitiæ bona sunt filiorum: & valet argumentum: Pater est diues: ergo diues est est filius. Videtur autem decreto Concilij satisfieri, siquidem congrua alimenta dùm viuit pater, non deerunt, & post eius obitum redundabunt. Sic Surdus *de alim. tit.7. q.37. num.2.* Probabile à Machado *citando* hoc reputatur.

374 *Admitti non potest.*

Admitti non potest. Quia non sufficit ius ad rem, sed ius in re prærequiritur. At filius solùm habet ius ad patrimonium post eius obitum: illo autem superstite non habet ius in re. Ità Vgolin. *cap.26.§.9.n.3.* Campanil. *in diuers. iur. Canon. rubr.8. c.5. n.3.* Flamin. *de resignat. Benefic.l.2. q.6.n.28.* Molfes. *in sum.tr.2.cap.15.n.5.* Sanch. *l.8. de Matr. dist.19.n.21.* Garzia *de benef.p.2. cap.5.num.91. & 92.* Barbos. *de offic. & potest. Episc.alleg.19.n.60.* Marchin. *tract.2. p.6. c.7. diffic.2.*

375 *Cum his opinor.*

Cum his opinor. Quia ad licitam promotionem non sufficit dominium bonorum directum, sed requiritur vtile, quo ordinandus allatur; quod quidem à Concilio præscribitur. Porrò satis probabilem primam sententiam reor.

PROBL. XCIII.

Potest, & non potest quis Ordinibus sacris initiari titulo patrimonij, quod consistit in censu redimibili.

376 *Non potest.*

NOn potest. Quia census redimibilis facilè extingui potest: & si redemptus de more consumitur, malè sustentationi congruæ prouidebitur. Ideò census inter bona immobilia propriè non computatur, ex Molina *de Hispanor. primogen.l.2.cap.10. num.6.* Antonio Gomez *de censib.c.3.num.4.* Vnde inferunt aliqui Doctores ordinandi patrimonium minimè constituendum supra emolumenta officiorum Romanæ Curiæ, quæ Officialis obitu extinguuntur, & in successoris detrimentum onera aliqua nequeunt imponi. Sic Vgolin. *cap. 26.§.10.n.2.*

377 *Potest eodem.*

Potest planè. Quia census est titulus per se frugifer, & certus, ex quo quis acquirit ius habendi certam pensionem, vnde congruè valeat victitare. Accedit, quod census actiuus acceptus pro iure exigendi pensionem ex fructibus fundi censiti, inter bona immobilia annumeratur iuxta perspicuum textum in Clement. *Exiui de paradiso, §. Cumque annui reditus, de verb. signific.* Quia quod rei immobili cohæret, illius participat qualitates, consequentérque ratione illius cohærentiæ res immobilis reputatur: sed huiusmodi est Census impositus in re immobili: Ergo Census inter bona stabilia connumerandum. Ità relatis multis aliis rationibus, auctoritatibus

ritatibus & Romanæ Rotæ decisionibus. Cencius de Censib. *part.1.cap.3.q.1.art.2. à num.4. ad 34.* Marchin. *tract.2. part.6. cap.7. diffic.2.* Leand. *tract.6.d.9.quæst.10.* Patisius, quem citat, & sequitur meus Castro Palao *tom.4.tr.27. punct.11.num.9.*

378 *Hoc vt probabilius eligo.* Hoc vt probabilius eligo. Quia non videor obstare, quod Census redimi ac extingui possit; in ipsa enim tituli electione hæc cautio potest adhiberi, vt in casu redemptionis, & extinctionis pecunia iterum ex Episcopi decreto quamprimùm implicetur.

PROBL. XCIV.

Acquisita aliunde congrua sustentatione, potest, & non potest Clericus sine Episcopi licentia alienare, aut renunciare patrimonium, ad cuius titulum fuit sacris initiatus.

379 *Nonnulla præmitto.* PRæmitto Tridentini *sess.21.cap.2.de reform.* præscriptionem. *Atque illa*, id est, pensio, vel patrimonium, *sine licentia Episcopi alienari aut extingui, vel remitti nullatenus possit, donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, vnde viuere possint.* Vbi difficultas tota versatur circa particulam illam *Donec.* ex qua grauis controuersia à Doctoribus excitatur, an valeat renunciatio seu alienatio patrimonij, ad cuius titulum fuit quis ordinatus facta sine Episcopi facultate post Beneficij, vel congrui victus assecutionem?

380 *Valida est, & licita.* Valida est, & licita. Quia dictio illa *Donec* est restrictiua temporis, habétque naturam suspensiuam, donec aliud emergat, id est donec detur Beneficium, vel hæreditas, vnde promotus viuere valeat, prohibetur patrimonij alienatio absque alia Episcopi licentia: Ergo acquisito Beneficio, aut alio congruenti subsidio, vnde promotus decenter victitare possit, iam non est licentia Episcopi necessaria. Sic Flamin. *lib.2. de resignat.Benefic.quæst.6.num.16.* Zauak. *commun. contra commun. q.527.num.8. & quæst.561.n.20. & 30.* Azor. *p.2.lib.3.cap.4.quæst.3.* Garzia *de Benef.p.2.cap.5.num.186.vsque ad 192.* Gratian. *discept. forens.cap.159.num.14.* Molfes. *in sum.tract.2.c.18.n.31.*

381 *Illicita est, & inualida.* Inualida & illicita est, etiamsi promotus de nouo habeat sufficiens Beneficium, vel congruã sustentationem, si fiat sine Episcopi facultate. Quia patrimonium erectum in titulum sacri Ordinis connumeratur inter bona Ecclesiastica, & gaudet eodem priuilegio, ita vt à Principe sæculari collectari non possit: ergo dictum patrimonium absque Episcopi licentia est inalienabile. Sensus autem Concilij est, patrimonium, ad cuius titulum quis fuit initiatus, non posse cum licentia Episcopi alienari, nisi post cõgruam Beneficij vel victus consecutionem. Quare illa particula, *Donec* limitat Episcopi potestatem ad tempus nouæ consecutionis; qua posita alienationem permittere potest. Reddit ergo hunc sensum: *Donec* constet legitimè Episcopo, promotum aliunde habere, vnde victitet, alienatio patrimonij ad cuius titulum quis fuit promotus, non admittatur: & aliter facta nulla sit. Ità Bursatus *cons.178.num.55.d.2.* Vgolin. *de offic.Episc. cap.26.§.13.num.4.* Barbos. *de Offic.Episc. alleg. 19.num.90. & in Trident. sess.21.cap.2. num.2.* Canedo *practicabil.& Canonic.qq.lib.1. quæst.11. n.9.* Iulius Cæsar Madius *de sacris Ordin. in quodam discursu super cap.5. Eiusdem libri ad finem operis, num.2.* Marchin. *tract.2.part.6. cap.7.diffic.9.*

Cum his opinor. Nam si ordinatus habens aliundè congruam sustentationem posset absque licentia Episcopi patrimonium, ad cuius titulum sacris fuit initiatus pro libito suo alienare: Ergò ineptè Concilium illam particulam apposuisset: *Absque Episcopi licentia*: Siquidem iuxta oppositam sententiam sensus esset; tunc solum prærequiri Episcopi facultatem ad alienandum illud patrimonium, vbi quis aliunde non haberet, vnde viueret: nam si habeat, vnde viuere aliunde congruenter possit, nolunt Doctores aduersæ sententiæ, necessariam esse hanc Episcopi facultatem. Quare si hæc propositio negatiua est falsa, affirmatiua erit vera. At si factam illationem coacti admittant, rursus rogito, ad quid Episcopi licentia in eo casu necessaria à Tridentino exigitur, cum illam Episcopus daturus non sit, qui si illam ob quamlibet causam daret, teneretur ipse suis sumptibus promotum sustentare? Duo ergo hisce verbis asseruerim Concilium prærequirere: vnum, vt in locum patrimonij sufficiens Beneficium, vel congrua pensio pro decenti victu promoti subrogetur; alterum, vt Episcopus post diligens examen de tali sufficientia iudicet: qua existente, pro dicti patrimonij alienatione facultatem impendat. 382 *His hæresco Doctoribus.*

PROBL. XCV.

Bona à patre assignata filio pro sacris Ordinibus suscipiendis, succedunt, & non succedunt legitimæ loco: & in diuisione bonorum cum alijs fratribus sunt, & non sunt annumeranda.

383 *Non succedunt in locum legitimæ, nec in diuisione bonorum sunt annumeranda.* NEc succedunt in locum legitimæ, nec in diuisione bonorum inter fratres sunt annumeranda. Quia legitima potest à filio vendi, & alienari, *l. Omnimodo, §.imputari, C.de inofficioso testam.* argumento sumpto à contrario sensu: sed patrimonium sacri Ordinis est inalienabile absque Episcopi licentia ex Trident. *sess. 21.cap.2.* Ergò non potest in locum legitimæ succedere, &c. Et quia bona data loco alimentorum non veniunt in computatione legitimæ, Surd. *de aliment.tit.8.quæst.57.num.2. & tit.9. quæst.54.* Molina *de iust.tract.2.d.308.* Sed patrimonium Clerici pro sacris Ordinibus datur alimentorum titulo, ne cogatur mendicare: Ergo. Et quia donatio simplex & liberalis, quæ non fit ob causam necessariam, non venit in computatione legitimæ: sed talis est donatio patrimonij facta filio à patre. Minor constat: nam illa est donatio ob causam necessariam, ad quam compelli quis potest officio Iudicis: sed pater minimè compelli potest ad hanc donationem: Ergo. Quare sicut expensæ factæ pro doctorando filio, aut pecunia insumpta pro emendo officio in Romana Curia, vel pro consequendo Canonicatu, Episcopatu, aut alio Beneficio Eccle

Ecclesiastico, aut pro ingredienda militia non debent in supputatione legitimæ conferri: multo minus supputari debet patrimonium donatum pro sacris Ordinibus suscipiendis, maximè cum ipse Clericatus quædam sit Ecclesiastica dignitas. Et quia peculium Castrense, vel quasi castrense secundùm omnes Doctores intra legitimam minimè computatur: sed patrimonium Clerici est peculium quasi castrense: ergo. Sic Azeuedo. Quintanad. Zeual. Garzia, Polidorus Pripa, Balan. Dueñas, Roxas Rebuf. Spino, Gratian. Fernand. Gomez. Cassane. Igneus, & Fauer, quos refert, & sequitur Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 19. a num. 64.* Riccius *in praxi, decis. 394. & resol. 522.* & alij.

384 *Succedunt & annumerandi in diuisione bonorum.*

Succedunt in locum legitimæ, & in diuisione bonorum inter fratres sunt annumeranda, nisi de expressa voluntate patris constet pinguiorem voluisse Clerico impendere portionem. Quia ex mente patris semper præsumitur velle filios in hæreditate æquales existere. Repugnat enim æquitati, inter filios inæqualitatem seruare. Crottus, *in l. Gallus, §. & quid si tantum, n. 55. ff. de liberis, & posthumis.* Syluan. *cons. 71. n. 9. vol. 2.* Menoch. *de præsumptio. 26. num. 22.* Quinimo, si locus est præsumptioni, potius dicendum est, patrem voluisse partem laicalem esse pinguiorem propter conseruationem & splendorem familiæ, quàm illam Clericorum. Et quia donatio ob causam necessariam, ad quam quis officio Iudicis compelli potest, sine dubio in legitimam supputatur, v. gr. donatio propter nuptias. *Authent. Ex testamento, C. de collationib.* Sed donatio patrimonij ob Ordines sacros recipiendos, est donatio propter causam necessariam, ad quam pater per Episcopum cogi potest: Ergo, Ità Gutier. *pract. qq. lib. 2. q. 65. n. 12.* Molina *de iustit. tr. 2. d. 238. & 241.* Bonac. *de contract. d. 3. q. 6. pun. 6. §. 5. & in Bullam Cœnæ d. 1. q. 19. pun. 3. §. 1. n. 14.* Marchin. *tr. 2. p. 6. c. 7. diffic. 10.* citans Couarru. Salce. Viuium, Auend. & alios. Rodrig. *de Ord. c. 15. num. 8.* Ludou. de San Iuan. *q. 2. de Ord. art. 10. diffic. 5.* Palaus cum aliis *tom. 4. tract. 27. punct. 11. n. 7.*

385 *Probabiliorem mihi videtur sententiam communem.*

Equidem quæstio hæc adeo est perplexa, vt vtriusque sententiæ Auctores propriam opinionem communem esse asserant. Ego autem semper secundam probabiliorem esse iudicaui, ductus ex Authent. *citat.* vbi dicitur: *ex testamento, & ab intestato cessat dotis & aliorum datorum collatio: ita demum si parentes hoc designauerint.* Ergo à contrario sensu, si parentes minimè designauerint, conferentur in legitimam tùm dos, tùm alia data similia doti, vt Glossa exponit. Atqui patrimonium Clerici est donatio ad dotis similitudinem: nam est donatio ob causam matrimonij spiritualis, sicut donatio propter nuptias fit ad matrimonium carnale, & ex hoc validum argumentum ad illud deducitur. Cæterùm admitto, quod concessa ob causam necessariam alimentorum non sint computanda in legitimam, si actu consumuntur: secus verò si concedantur, vt firma persistant & ex illorum reditibus ac fructibus alimenta prouenient; tunc enim debent bona illa in legitimam computari; esto fructus, & redditus non computentur.

PROBL. XCVI.

Potest quis, & non potest ad sacros Ordines promoueri titulo Beneficij certi de futuro, vel Coadiutoriæ perpetuæ cum futura successione.

POtest profecto. Quia certò sperat, se Beneficium aut Canonicatum possessurum, quasi iam possidet: & titulus hic sufficiens est, vt Ordinibus sacris possit initiari sine mendicitatis periculo. Nunquam enim vel ex mutuo desunt annonæ, qui creduntur habituros, vnde reddant. A grauibus Doctoribus titulus de futuro in hoc casu sufficiens ad ineundum sacrum Ordinem esse affirmatur. Sic Sayrus *de Censur. lib. 4. c. 14. n. 19.* Glossa magna *in cap. Osius, dist. 61.* Molius *de Irregul. lib. 4. c. 14. n. 19.* & alij. 386 *Potest profecto.*

Minimè potest. Quia opposita sententia Tridentino manifestè aduersatur, quod quidem prærequirit titulum de præsenti iam pacificè possessum, *sess. 21. c. 2. Pacificè possidere* debet. Ergo non sufficit titulus de futuro. Ita Vgolin. *de potest. Episc. cap. 26. §. 8. num. 3.* Rodrig. *in sum. p. 2. c. 15. n. 20.* Garzia *de Benef. par. 2. cap. 5. num. 130.* Barbosa *de Offic. Episc. allegat. 19. n. 28.* Marchin. *tract. 2. p. 6. c. 6. num. 8.* 387 *Minimè potest.*

Hanc partem probabiliorem duxerim, adiiciens, posse nihilominus ex satis probabili sententia quem initiari Subdiaconatu, aut Diaconatu ad titulum Beneficij præsentis, licèt fructibus illius non statim potiretur, sed solum post receptum Presbyteratum illis frui inciperet. Quia sic fuisse à sacra Congregatione resolutum referunt Garzia *n. 120.* & Barbosa *num. 29.* Fateor tamen, difficilem mihi videri huiusmodi decisionem; nam ex ea fieret, promotum ad Subdiaconatum vel Diaconatum, si non habeat vnde victitet, cogi interim mendicare, quod à Clericali honestate alienum sacri Canones abhorrent. Infero ex dictis, non posse quem ad sacros Ordines promoueri ad titulum Coadiutoriæ etiam perpetuæ cum futura successione. Quia est titulus Beneficij de futuro, & non de præsenti: secùs si ratione præsentis Coadiutoriæ haberet ex quotidianis distributionibus quibus à proprietariis assolent mox donari: aut aliundè congruam obtineret sustentationem. 388 *Hanc partem probabiliorem duco.*

PROBL. XCVII.

Impetrat quis Beneficium, sed à Iudice sæculari eius ei possessio prohibetur: Tunc licet, & non licet Clerico ad huiusmodi Beneficij titulum sacro Ordini initiari.

LIcet planè. Quia verè hic habet titulum Beneficij, & absque eius culpa à tali possessione iniustè arcetur: Ergò in foro conscientiæ si Ordines sacros recipiat, non peccabit, nec post Ordinationem illos exercens aliquam incurret iuris pœnam. Sic Rodrig. *in sum. p. 2. c. 15.* 389 *Licet quidem.*

*cap.*15. *num.* 11. Ludou. de San Iuan *quæst.* 2. *de Ord. art.*11. *diffic.*3. Rebuf. Menoch. Lamin. apud Barbosam *de Offic. & potest. Episc. allegat.*19. *num.*25.

390 *Non licet.* Non licet. Quia lex dans formam susceptioni Ordinum sub lethali culpa seruanda est: sed Concilium Tridentinum *sess.*21. *cap.*2. antè Ordinationem pacificam Beneficij possessionem requirit: ergo non licet. Ita Marchin. *tract.*2. *part.*6. *cap.*6. *numer.*13. Petr. Ledesm. *cap.*7. *de Ord. concl.*8. *diffic.*3. Barbos. *citatus.* Palaus. *to.*4. *tract.*27. *punct.*10. *numer.*8. Trullench. *lib.*6. *de sacr. dub.*12. *numero* 5. Leand. *tract.*6. *d.*10. *quæst.*15.

391 *Hoc mihi probabilius.* Hoc mihi longe probabilius. Quia fieri hoc in casu posset, vt propter iniustam eam Iudicis prohibitionem, Ordinatus, Beneficioquè spoliatus mendicare cogeretur, quod est contra expressam Concilij mentem. Nec verum est, idem esse in foro conscientiæ pacificam possessionem Beneficij quem habuisse, ac per ipsum non stare, quominus eam fuerit adeptus. Namre vera etiam in foro conscientiæ hic Clericus pacificam Beneficij possessionem antè sacros Ordines initos requisitam minimè obtinuit, vnde Tridentini legem proculdubio violauit: consequenterquè suspensus ab vsu Ordinis remanebit iuxtà sententiam asserentem, Ordinatos ficto patrimonio vel Beneficio in suspensionem labi, quod suprà non admisi, probabiliori hærens opinioni.

PROBL. XCVIII.

Potest quis, & non potest sacris initiari Ordinibus ad titulum Præstimonij, aut Pensionis perpetuæ.

392 *Non potest.* NOn potest. Quia Præstimonium, vel Pensio non est Ecclesiasticum Beneficium, nec patrimonium quorum titulum ad sacros Ordines Tridentinum requirit. Sic Diaz. *in sua pract. cap.*10. & Vgolin *de Offic. Episc. cap.*29. §.8. *n.*3. *de Præstimonio.* At de Pensione. Sic Petr. de Ledesm. *cap.*7. *concl.*12. Ludou. Lop. *quæst.*2. *de Ord. art.*11. *diffic.*6. & Sotus *de Iust. quæst.*5. *art.*3.

393 *Potest planè.* Potest quidem. Quia Præstimonium perpetuum nihil est aliud quàm quidam redditus ex Beneficiorum redditibus abstracti concessi adolescentibus, vt studiis incumbentes se possint substentare, vt postea eruditi Ecclesiæ deseruiant: Vnde vel est Beneficium, vel saltem est pensio Ecclesiastica, vt omnes docent. At Pensio perpetua ex Tridentino *sess.*21. *cap.*2. expresè assignatur vt sufficiens titulus ad Ordinationem, id est, *Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes.* Declarauit sacra Congregatio. De Præstimoniis ita Garzia, Barbos. & alij, quos citat, & sequitur Marchin. *tract.*2. *part.*6. *cap.*6. *numero* 23. De Pensione autem præter hosce Doctores Leand. *tract.*6. *d.*10. *quæst.*19. & Trullench. *lib.*6. *de sacram. dub.*12. §. *de patrim. num.*1. *& 6.*

394 *His hæreo, & ex Tridentini* His hæreo, & ad huiusce materiæ diluciorem resolutionem recolo conditionem illam à Tridentino præscriptam, vt quis possit titulo Beneficij sacro Ordine initiari, nempe vt sit perpetuum; quia si solùm sit temporale, eo amisso, Ordinatus vel mendicare, vel sordidum quæstum exercere cogeretur. Hinc infero, non posse quem promoueri ad titulum temporalis Vicariæ, vel cuiuscumque Beneficij, vel officij amouibilis: secus si Vicariatus esset perpetuus, tunc enim posset in titulum conferri. Henriquez *lib.*10. *cap.*17. *num.*3. *lit. Q.* Barbos. *de Offic. & potest. Episc. alleg.*19. *num.*25. Gonzalez *ad regul.*8. *Cancell. glossa* 5. §.3. *numero* 42. Nec promoueri ad titulum Beneficij, de se ad victum insufficientis, quod posteà sufficiens reddatur ob eleemosynas, & Missarum ac anniuersariorum stipendia; quia hæc omnia sunt incerta, & non firma, ac perpetua. Zerola *v. Dimissoriæ*, §.5. *dub.*2. Garzia *cap.*5. *num.*125. Nec Clericum Seminatio inseruientem initiari sacris posse ad titulum huiusmodi seruitij; quia non est titulus perpetuò frugifer, nisi ex bonis beneficialibus seminarj pensio annua ei legitimè assignetur, donec de congrua sustentatione ei prouideatur. Sic à Gregorio XIII. resolutum testatur Garzia *cap.*5. *num.*104. Nec esse licitam promotionem ad titulum Episcopalis mensæ, vel cuiuslibet stipendij ab Episcopo, vel ab aliis assignati; quia à Concilio exigitur vel verum patrimonium, vel Beneficium. Sic à sacra Congregatione fuisse resolutum asserit Garzia *cap.*5. *num.*93. At si congrua pensio Ecclesiastica super mensa Episcopali ordinando daretur, liceret Ordinatio, ob præfatam rationem. Attamen ex eodem principio infero, posse quem promoueri ad titulum quotidianarum distributionum, quæ licèt non sint propriè Beneficia, sunt tamen perpetua, & sufficiunt, ne quis cogatur mendicare. Barbos. *alleg.*19. *numero* 24. *& in Trident. sess.*21. *cap.*2. *numero* 13. Et initiari sacris posse ad titulum Capellaniæ, dummodo ei antè Ordinationem conferatur; quia est Beneficium Ecclesiasticum perpetuum. Sic de stylo Rotæ testatur Rodrig. *summ. part.*2. *cap.*15. *num.* 14. Nauarr. *consil.*20. *de tempor. Ordination.* Et posse ad sacrum Ordinem assumi ad titulum obsequij perpetui alicui Ecclesiæ, accedente Rectoris consensu, ne postea amoueri valeat. Quarranta *v. Ordo pag.*362. Vgolin. §.8. *numero* 6. Hinc demum deduxerim, posse Clericum promoueri ad titulum Præstimonij, vel Pensionis perpetuæ, ad victum sufficientis: Si Præstimonium ordinando non solùm pro studiorum tempore, sed in perpetuum illi conferatur. Salzedo *in pract. cap.*8. Rodriguez *citatus.* De Pensione autem perpetua manifesta est Tridentini præscriptio, & ita fuisse à sacra Congregatione declaratum testatur Garzia *cap.*5. *num.*93. & Barbosa *allegat.*19. *num.*74.

apposita contra distione non-nullas infero resolutiones.

PROBL.

PROBL. XCIX.

In sacra Theologia, vel in Iure Canonico graduatus potest, & non potest ad titulum literaturæ absque Beneficio, aut patrimonio ad sacros Ordines admitti.

395 Bon. quæst. POtest profectò. Quia certa moraliter huiusmodi literatis esse debet sustentatio: Theologi enim facilè saltem ad Beneficia curata ascendũt: & legisperiti ex litium defensione saltem decentem planè quæstum acquirunt. Sic Corduba *in sum. q.* 36. Vega 1. *p. sum. cap.* 54. *casu* 1. Alzedo *in praxi Episc. p.* 2. *cap.* 5. *num.* 6. Auila *de Censur. p.* 3. *d.* 5. *dub.* 16. Gonzal. *ad regul.* 8. *cancell. num.* 36. Henriq. *lib.* 13. *c.* 36. *num.* 2. *& lib.* 10. *cap.* 17. *& lib.* 14. *cap.* 5. *n.* 3. vbi refert, peritissimos Theologos Salmanticenses, Complutenses, ac Toletanos ita consuluisse. Barbosa *in Trident. sess.* 21. *cap.* 2. *num.* 24. Garzia *de Benef. c.* 5. *num.* 128. *&* 129. Affert Barbosa ibi decretum sacræ Congregationis tenore sequenti: *In Concilio Vlissbonensi decretum de promouendis ad titulum literaturæ iussit sanctissimus deleri: & dicit, se datum Breue Cardinali Portugaliæ, vt solos Doctores in Iure Canonico, vel Theologia possit ipse Cardinalis præuio examine à se facto promouere ad sacros Ordines ad hunc titulum literaturæ.* Sic ex Garzia Barbosa. Concinit Ludou. de S. Iuan *q.* 2. *de Ord. a.* 11. *dub.* 5. *pag.* 806. Emanuel Rodr. *p.* 2. *sum. c.* 5. *n.* 15.

396 Non potest. Non potest. Quia Tridentinum *sess.* 21. *c.* 2. præscribit nullum posse sacris initiari, quamuis alias sit idoneus moribus, scientia, & ætate, quin actu vnde honestè viuere possit, possideat: Ergo non sufficit scientia, nec gradus, nec spes acquirendi vnde quis valeat victitare, qua sola graduati nituntur. Sic declarasse sacram Cardinalium Congregationem Sa correctus affirmat *v. Ordo num.* 27. Ita Sanch. *tom.* 2. *Consil. lib.* 7. *c.* 1. *d.* 35. *n.* 10. Salcedo *c.* 18. *n.* 7. Petr. de Ledesm. *c.* 7. *ante vlt. concl.* Matchin. *tr.* 2. *p.* 6. *c.* 6. Ioan. de la Cruz *in sum. de Ord. dub.* 6. *concl.* 1. Diana *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 32. *& p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 50. Leand. *tr.* 6. *d.* 9. *q.* 20.

397 Dubius sed non tamen sententia probabilior. Ego quidem reor, primam sententiam satis esse probabilem. Quia Episcopus moraliter est certus, graduatis huiusmodi vitæ necessaria deesse non posse, qui perbreui tempore vacantia per concursum Beneficia consequentur, vnde Concilij menti satisfieri videtur, quod solum exigit, ne constitutis in sacro ordine honesta desint alimenta. Attamen secundam probabiliorem esse iudicarim. Quia illi particulæ *Quamuis alias sit idoneus scientia* non plenè satisfieri video. Præterea Concilium requirit pacificam Beneficij possessionem, graduati verò hic manent in sola spe obtinendi: Porro Beneficia non tam properè vacare assolent, & interdum minus literatis, qui alias digni ex aliis virtutis, aut industriæ donibus digniores apparent merito conferuntur: & inter plures graduatos ad idem Beneficium concurrentes, vnus alio Doctior assumitur: vnde plures casus esse possunt, in quibus graduato absque titulo ad sacrum Ordinem assumpto victui necessaria desint. Censuerim autem Collegialibus ex aliquo Collegio maiori Salmanticensi (v. gr.) Complutensi aut Valisoletano S. Crucis posse sacrum Ordinem ad literaturæ titulum conferri: certum est enim togatos huiusmodi citò habituros plusquam congruam sustentationem, vt adnotauit Diana citatus *part.* 4.

CAPVT XVII.

Circa Literas Dimissoriales.

PROBL. C.

Legatus à latere potest, & non potest literas dimissoriales impertire, ad Ordines suscipiendos.

DImissoriarvm expeditio propriè conuenit Summo Pontifici, & Episcopo originis, domicilij, Beneficij, vel familiaritatis, dummodo sit electus, & confirmatus, etiamsi consecratus non sit. Ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 10. sic docent Tolet. *lib.* 1. *c.* 49. *n.* 2. Bonac. *d.* 8. *punct.* 4. *n.* 22. Henriq. *lib.* 10. *cap.* 22. *n.* 3. & omnes. Quæsierim verò, num Legatus à latere valeat dimissorias concedere? Non potest, etiam in casibus intra annum præmissis. Quia non potest contra Concilij præscripta dispensare. Sic Marchin. *tract.* 1. *p.* 6. *cap.* 3. *n.* 5. Glossa *ad cap. Dilectus de præuend.* Rodrig. *de Ord. c.* 14. *n.* 6. 398 Non potest.

Potest planè. Quia Legatus à latere plenam solet referre ea Pontifice potestatem, nisi expressè aliqui casus excipiantur. Ita Nauar. *cons.* 27. *de temp. Ordinat.* Petr. Ledes. *c.* 8. *de Ord. concl.* 4. *diffic.* 3. Ludou. de San Iuan *q.* 2. *de Ord. art.* 3. *dub.* 1. Leand. *tr.* 6. *d.* 10. *q.* 2. 399 Potest planè.

Hoc probabilius puto ob doctissimi Nauarr. assertionem, ait enim *Legatus reuerendas quidem dare potest etiam Sede vacante, sed non derogare sacro Concilio.* Hoc est, dare dimissorias potest, dummodo iuxta Concilij præscripta eas concedat. Igitur non est contra Concilij mentem posse Legatum dimissoriales literas impertire. Et infrà *num.* 2. addit: *Secundò quod pro Ordinato & Ordinante facit, quòd Legatus potuit dare reuerendas, & dedit eas, accedente testimonio idoneitatis Ordinarij, vel Prouisoris N. quod testimonium accessit, seu datum fuit, vt requirebatur.* Sic Nauarro malè à Philiberto Marchino pro contraria sententia citatus. 400 Hoc verius puto.

PROBL. CI.

Præsente Episcopo potest, & non potest Vicarius generalis Dimissorias dedere.

SVppono, minimè posse Vicarium generalem Episcopi sine speciali eiusdem mandato dimissorias impertire *capite* 3. *de temp. Ordinat. in* 6. Glossa §. *Inferiores in verbo non extendant.* Mandos. *de regular. Cancel. tom.* 2. 401 Non potest.

regul.24.quæst.2. Graff. *lib.3.decis.cap.12.num.2.* & aliis. Quæsierim autem, an præsente Episcopo possit Vicarius generalis has concedere? Non potest præsente Episcopo sed solùm cum ipse absens manet in locis remotis. Quia sic præscribitur in Cap. *Cum nullus, de temp.Ordinat.* Qui textus absolutè prohibet, ne possit Vicarius præsente Episcopo dimissorias expedire. Sic Menoch. *de arbitrar. lib.2. Casu 222. num.9.* Astens. *tit.3. art.8.* Narbo. *de appellat. à Vicario ad Episc.p.1.num.197.* Henriq. *lib.10. cap.22.num.3.lit.P.* & aliis.

402 *Potest planè.* Potest, præsente Episcopo, Vicarius generalis ex particulari expressa eius vel tacita licentia concedere dimissorias. Quia textus citatus non seruatur in praxi. Et quia licentia expressa vel saltem tacita præsumitur vere adesse, quandò Vicarius, præsente Episcopo, dimissorias concedit, nec enim potest id, ignorante Episcopo, gerere; vnde si non prohibeat ipse speciatim, creditur planè annuere. Ità Ioan. Andr. *in Cap. cum nullus. Quaranta v. Ordo.* Molfes. & alij, quos refert, & sequitur Marchin. *tract.1.part.6. cap.3. numer.8.* Leand. *tract.6.d.10.q.3.*

403 *Cum his opinor.* Cum his opinor, & existimo ita esse intelligendos nonnullos Doctores, qui pro contraria sententia afferuntur. Vnde qui bona fide, & vniuersali credulitate cum Vicarij dimissoriis, præsente Episcopo expeditis ordinaretur à pœnis statutis contrà ordinatos ab alieno Episcopo sine licentia proprij excusaretur. Certè vbi Episcopus in remotis locis degeret, existimarim Vicarium generalem posse concedere dimissorias ex Cap. *Cum nullus.* iuncta Glossa: tametsi tutius esset, in literis sui Vicariatus hanc facultatem expressam haberi: At si hæc facultas non fuisset in literis vicariatus expressa, dubium est, quinam locus dicatur remotus, vt sciamus, quando, Episcopo absente, sine licentia expressa Vicarius possit ad Ordines suscipiendos dimissorias impertire. Aliqui, quos Glossa memorat, dicunt, per locum remotum hîc intelligi citra quinquaginta milliaria extra montes. Alij locum extrà Prouinciam asserunt dici remotum. Alij intra vnam diætam. Sed (vt aptè ibi annotauit Glossa) arbitrio Iudicis relinquitur, quinam locus remotus dicatur. Zabarella *in Clement. Causam, v. ex remotis, de elect.* Menoch. *de arbitrar. casu 222. numero 26.* Crediderim, sufficere, quod huiusmodi remotio sit ordinandis valde incommoda.

PROBL. CII.

Prælati Regulares possunt, & non possunt suis subditis Regularibus literas dimissoriales impertire.

404 *Non possunt.* NOn possunt. Quia id expressè à Tridentino prohibetur *sess.23.cap.8.ibi: Nullus cuiusuis generalis, aut specialis rescripti, vel priuilegij prætextu ordinetur, etiam statutis temporibus, nisi eius probitas ac mores Ordinarij sui testimonio commendentur:* Sed quo ad Ordines Episcopi Diœcesani, non autem Prælati Regulares sunt Ordinarij: ergò ad Episcopos pertinet dimissorias Regularibus concedere. Sic Henriq. *lib.10. cap.23. num.4.* Filliuc. *tract.9. num.98.* Qui excipiunt nostræ societatis Prælatos, qui ex priuilegio speciali Gregorij XIII. anno 1584. expedito, possunt suis subditis dimissorias elargiri.

405 *Possunt præfecti.* Possunt equidem. Quia id ex Tridentino *sess.23. cap.10.* perspicue deducitur. Prohibet enim Abbatibus, & aliis quibuscunque Prælatis exemptis, ne subditis sæcularibus dimissorias literas concedant: Ergo facultatem à contrario sensu relinquit eisdem Prælatis, vt subditis professis dimissorias concedere valeant: excluso namque vnius est alterius inclusio. Deinde quis est, quæso, Regularium Ordinarius Prælatus in iis, quæ ad iurisdictionem pertinent, nisi Generalis, aut Prouincialis Religionis? Præterea ex eodem Concilio Ordinarius per literas de vita & moribus Ordinandorum, & ætate ferre debet testimonium: At Episcopus, qui nec Regularem ordinandum nouit, fidem huiusmodi per dimissorias nequit præstare: Igitur Concilium quoad Clericos sæculares intellexit Episcopum vel Ordinarium Diœcesanum: quoad Regulares verò proprios Prælatos. Ita Nauar. *lib.1. de temp. Ordinat. conf.36.* Rodrig. *part.2.summ. cap.14. num.9.* Diana *part.2.tract.16.resol.15.* Barbos. Gutier. & alij apud Machado *tom.2. lib.4. p.6. tract.10.docum.9. num.4.* Marchin. *tract.1.p.6. cap.4.num.3.*

406 *Hoc certum reor, & confirmo.* Posse dimissorias concedere suis subditis quemcunque Generalem, vel Prouincialem non solùm Societatis, sed & cuiusuis Religionis, certum existimo. Non solum quia ex Tridentino non prohibentur, vt ex declaratione sacræ Congregationis ostendam: sed quia sic est illis concessum à Sixto V. & à Clemente VIII. anno 1596. vt referunt Quaranta *v. Ordo in fine.* Piaseti. *in praxi Episcop.part.1.cap.1.n.14.* Marchin. & Diana citati. Ad vberius autem robur do sacræ Congregationis declarationem: *De mandato Sanctissimi Domini nostri Clementis diuina prouidentia Papæ VIII. tenore præsentium mandatur omnibus & singulis quorumcunque Regularium superioribus, vt de cætero obseruent, & obseruari faciant ea, quæ in decreto sacræ Congregationis Concilij Tridentini continentur:* cuius tenor est huiusmodi: *Congregatio Concilij censuit, superiores Regulares posse suo subdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, literas dimissorias concedere: ad Episcopum tamen Diœcesanum, nempè illius Monasterij, in cuius familia ab ijs, ad quos pertinent, is Regularis positus fuerit; etsi Diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus Ordinationes, ad quemcunque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam; & dummodo ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Diœcesanus vel abfuturus, vel nullas habiturus esset Ordinationes. Verum cum à superioribus Regularibus, Episcopo Diœcesano absente, vel Ordinationes non habente, literæ dimissoriæ dabuntur, in eis vtique huiusmodi causam absentiæ Diœcesani Episcopi, vel Ordinationem ab eo non habendarum experimendam esse. Quod qui non fecerint, officij & dignitatis, seu administrationis activæ & passiuæ,*

passiue, priuationis, ac alias arbitrio eiusdem Sanctissimi Domini nostri Papæ reseruatas pœnas incurrent. In quorum fidem, &c. Datum Romæ die 15. Mensis Martij 1596. Hinc infero in primis, ad Ordinationem Regularium sufficere, si in literis dimissoriis Prælatus Religionis, siue Conuentus testetur de Diœcesani absentia, vel quod nolit habere Ordinationes, vt possit ab alio Episcopo ordinari; nec esse necessarium habere hac de re ex Curia Episcopali instrumentum, vel fidem authenticam. Quia sacra Congregatio agens de requisitis ad Regularium Ordinationem, huius requisiti non meminit. Deinde deduco, fuisse reuocata quæcumque priuilegia, queis plures Religiones nitebantur, vt habitis suorum Superiorum dimissoriis, non possent ab Episcopis, quibus hasce dimissorias præsentabant, examinari. Quod priuilegium concessit Eugenius Quartus Monachis Benedictinis, & Gregorius Decimustertius, Patribus nostræ Societatis.

PROBL. CIII.

Prælati Regulares possunt, & non possunt suis Nouitiis literas dimissorias impertire, ad Ordines suscipiendos.

407 *Non possunt.* NOn possunt. Quia Prælati Regulares non habent in Nouitium absolutam iurisdictionem velut Episcopalem, sicuti habent in professos; sed tantùm habent iurisdictionem in iis, quæ ad probationis munus spectant. Quare graues Doctores ex hoc inferunt aptè fundamento casibus reseruatis Religionis minime illigari. Sic Peregrin. *in comment. constit. sui Ordinis, part. 1. & in addit. quæst. 10.* Homobon. *part. 4. respons. 99.* quos sequitur Marchin. *tract. 1. p. 6. cap. 4. num. 10. & 15.*

408 *Possunt omnino.* Possunt omnino. Quia Nouitij priuilegiis professorum potiuntur: At professis possunt Prælati, ex priuilegio, dimissorias ad Ordines recipiendos conferre: Ergò & illis. Ita Bechius, & Tambur. quos refert, & sequitur Diana *part. 3. tract. 3. resol. 7. & part. 4. tract. 4. resol. 7. & part. 5. tract. 10. resol. 43.* Sanch. *in sum. lib. 6. cap. 10. numer. 22.* Suar. *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 16. num. 17.* Leand. *tract. 6. d. 10. quæst. 10.*

409 *Item opto.* Scio, nostram Societatem IESV priuilegium habere concedendi professis dimissorias ad Ordines suscipiendos, cum ampliatione illud communicandi Nouitiis; & aliis Ordinibus lego apud grauissimos Doctores idem priuilegium fuisse concessum. Vndè probabiliorem secundam sententiam omninò profiteor.

* * *

PROBL. CIV.

Omnes exempti Abbates habent, & non habent potestatem concedendi suis subditis sæcularibus dimissorias, ad Ordines suscipiendum.

OMnes Abbates habent huiusmodi potestatem. Quia qui potest Ordinibus initiare aliquem potest eidem vt ab alio initietur dimissorias concedere: sed possunt omnes Abbates exempti Ordines minores suis sæcularibus subditis impertire: Ergo & eisdem poterunt literas dimissorias elargiri. Tenere hanc sententiam Villalob. *tom. 1. tract. 11. diffic. 9. num. 4.* Rodrig. *in compend. qq. Regul. resol. 1. num. 26.* asserunt Diana *3. part. tract. 2. resol. 95.* & Marchin. *tr. 1. part. 6. cap. 3. n. 21.* 410 *Omnes Abbates eam potestatem habent.*

Non omnes id possunt Abbates exempti. Quia expressè eis interdicitur sub pœna suspensionis ab officio & Beneficio per annum à Tridentino *sess. 23. c. 10. de reform.* Ita Azor. *to. 2. lib. 3. c. 49. q. 3.* Miranda *in manua. Prælat. tom. 1. q. 39. a. 5.* Tambur. *de iure Abbat. to. 2. d. 2. q. 26. num. 2.* March. *citatus.* 411 *Non habent omnes.*

Hoc mihi certum. Quia non omnes Abbates exempti possunt minores Ordines suis subditis sæcularibus exhibere (de quo suprà) sed solummodo Abbates Magnates habentes scilicet iura Episcopalia plenissima in suos sæculares subditos, id est, qui possunt tribunal erigere, deputare Vicarium, ad Confessiones approbare, exequi defunctorum voluntates, euocare Synodum, è quorum numero non nulli sunt in Hispania, & in Gallia. Hi quidem possunt suis Clericis sæcularibus dimissorias conferre literas, non obstante Tridentini decreto, quod solum habet locum in Abbatibus carentibus Episcopali iurisdictione in sæculares subditos, non verò in Magnatibus Abbatibus, qui excepto Charactere Episcopali, Episcopis æquiparantur. Sic Sayr. *decis. 25. de temp. Ordin.* Molfes. *in sum. tr. 2. c. 2. n. 17. & 18.* Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg. 2. n. 7.* Tamburin. *de iure Abbat. tom. 2. d. 11. q. 20.* Diana *p. 2. tr. 2. resol. 94.* Existimo denique, iuxta hanc Abbatum distinctionem exponendos esse Henriquum *l. 10. c. 22. n. 3.* Azorium, Rodericum *in sum. p. 2. c. 14. n. 2.* & Fornarium *de Ord. c. 5. n. 6.* volentes, Abbates non posse Clericis sæcularibus dimissorias expedire. Debent enim intelligi de Abbatibus communibus carentibus vtique Episcopali iurisdictione, non de Magnatibus. 412 *Hoc mihi certum.*

PROBL. CV.

Cum Regularis Ordinibus initiandus affert quidem literas dimissorias Prælati Religionis, sed casu non gestat publica instrumenta præcedentium Ordinum susceptionem attestantia: potest, & non potest Episcopus ei Ordinem, ad quem suscipiendum mittitur, denegare.

POtest quidem. Quia non tenetur fidem plenam exhibere literis dimissoriis Prælatorum, quæ attestantur, Ordinandum reliquis Ordinibus 413 *Potest quidem.*

bus iam esse initiatum. Sic fert quorundam Doctorum vsus examinatorum, qui consentiente Episcopo, iudicant non solum eum posse, sed debere Regularem huiusmodi repellere. Attestantur id non sine admiratione & dolore Marchin. *tract.1.part.6.cap.5.* & Rodrig. *tom.1.qq. Regul. q.24.num.7.*

414 *Minimè potest.* Minimè potest. Quia literæ dimissoriæ Prælati Regularis tam plenam fidem faciunt, ac si essent publica instrumenta, ita vt Episcopus Ordines collaturus eis fidem non solùm possit, sed debeat exhibere. Ita Abbas *in Cap. Tua nos, de Cleric. peregrin. num.3.* Mascard. *de probat. concluf. 1145. in fine*, qui adducit authoritatem Franci *ad Cap. Tua nos.* Marchin. & Rodrig. *citati.* Machado, Tambur. Villalob. Portel. quos citat, & sequitur Leander *tract.6. dist.10. quæst.21.*

415 *Hoc mihi omninò certum.* Hoc mihi omninò certum. Nec enim est verisimile Prælatos Regulares omni planè exceptione maiores, velle publicis literis suo sigillo munitis rem falsam attestari. Profectò si ipsi rigidi examinatores eisdem literis fidem præstant circa attestationem natalium, ætatis & similium: cur non eisdem credent, dùm præcedentium Ordinum susceptionem attestantur? vel enim in omnibus, vel in nullis fides est hisce literis adhibenda.

PROBL. CVI.

Literæ dimissoriæ expirant, & non expirant concedentis obitu, aut ab Officio cessatione.

416 *Expirat planè.* EXpirant planè. Quia mandatum morte mandantis finitur. *l. Et quia, ff. de iurisd. omnium Iudicum.* Sed Episcopus concedens dimissorias mandat alieno Episcopo suam iurisdictionem: ergò morte mandantis, seu delegantis extinguitur. Et quia si hæ dimissoriæ morte concedentis non expirarent, grauis iniuria succedenti in Episcopatu irrogaretur, siquidem qui tales litetas à defuncto Episcopo, vel à Vicario Capituli iam impetrasset, posset sine consensu noui Episcopi ad Ordines promoueri: similiter posset Vicarius Capituli quibuscumque etiam inutilibus dimissorias concedere, & Episcopus eos deberet tolerare. Et quia licèt priuilegium re non integra, id est, post aliquem vsum illius duret post mortem concedentis: non tamen durat, re integra, id est, non durat, si priuilegiatus illo vti non cœperit, vt docet Felin. *in cap. Licet vndique, de Offic. delegati, numero 1.* Sylvest. *v. Gratia, q.2.* & apud ipsum Ioan. Andre. *in Cap. Ex tua, de filiis Presbyteror.* At in præsenti casu ordinandus nunquam est vsus præfatis literis dimissoris: ergo post obitum concedentis illis amplius vti non poterit. Sic Zerol. *in praxi Episcop. v. Dimissoriæ.* Gutier. *lib.2. cap.17. num.12. apud Barbo. citandum.*

417 *Minimè expirant.* Minimè expirant. Quia gratia semel obtenta non expirat concedentis obitu, *Cap. si super gratia, de offic. delegati in 6.* & *Cap.51. Cui nulla, de præbend. in 6.* de qua regula lege Nauarrum *conf.1. de priuil.* Monetam *tract. de Iudic. conseruator. cap.10. num.328.* Sed concessio dimissoriarum est quædam gratia, & fauor: Ergò quoties illæ literæ fuerunt in actu impetratæ re integra licet, seu ante omnem earum vsum non extinguntur obitu concedentis siue naturali, siue ciuili. Et quia vera donatio alicuius rei absolutè facta, valet etiam post mortem: sed concessio dimissoriarum est quædam libera donatio: ergo quando absolutè fit, vt in casu nostro supponitur, post mortem etiam concedentis valebit. Ità Quaranta *v. Ordo. vers. Veritur in dubium,* Rodrig. *in sum.p.2.c.14.n.15.* Sa *v. Dimissoriæ, n.1.* Sanch. plures alios adducens. *lib.8. de Matr. d. 28.n.83.* Suar. *de legib. lib.8. cap.31.n.19.* Henriq. *lib.10.c.22.n.vlt.* Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg.7.n.24.* March. *tr.1.p.6.c.6.n.4.*

418 *Non teneo & confirmo.* Certè si facultas Confessiones audiendi, aut eligendi aliquem in Confessarium, aut non residendi in Diœcesi, aut celebrandi in priuato Oratorio, aut testandi, si sit Religiosus: aut dispensandi, seu commutandi vota: non expirant morte concedentis, vt fusè probat Sanchez citatus: ergò neque in nostro casu expirare, dicendum. Hoc autem verum puto non solùm in naturali morte Episcopi, sed etiam in morte ciuili, id est, si ab Episcopatu deponeretur, vel transferretur ad alterum. Quia non minus his modis, quam per naturalem mortem Episcopalis potestas extinguitur: & sic literæ dimissoriæ concessæ antè degradationem, depositionem, renunciationem, aut translationem ad alium Episcopatum, eundem valorem habebunt. Quod si Episcopus licentiam alicui concessisset, vt posset ab alieno Præsule Ordinari, & antè literarum dimissoriarum expeditionem mortem obiret, aut degradaretur, &c. talis licentia non expiraret. Quia scriptura, vel sigillum necessariò non requiritur ad substantiam priuilegij, seu gratiæ: sed sufficit expressa concedentis voluntas signis externis sufficienter manifestata, vt luculenter comprobat ipse Sanch. *lib.8. de Matrim. d.29.* & Suar. *citat. n.20.*

CAPVT XVIII.

Circa Tempora Ordinationum.

PROBL. CVII.

Minores Ordines possunt, & non possunt, quacunque die etiam feriata conferri.

419 *Possunt quidem.* PRaxis communis est, posse primam Tonsuram quacumque die, hora, & loco conferri. De Ordinibus autem minoribus ambigitur, num valeant feriata die ministrari? Possunt conferri quacumque feriata die. Quia in rigore iuris non videtur prohibitum. Cap. *quando, dist.75.* ibi: *Quando, & vbi libitum fuerit vsque ad Subdiaconatus Officium ordinentur Clerici: Diaconi verò & Presbyteri nunquam nisi in publica ordinatione.* Sic March. *tract.1.part.6. cap.5. numero 7.* Zerol. *p.2. praxis Episc. v. Ordo.* Rebuf. *in Reg. Cancel.25.n.5.* Ludou. de San Iuan *q.2. de Ord. a.9. dub.1.* Perr. de Led. *c.7. concl.2. pag. mihi 664.*

420 *Non possunt.* Non possunt quacunque feriata die conferri, sed solis Dominicis, aut alio die festo. Quia sic

sic perspicuè colligitur ex cap. *de eo autem, de tempore Ordin.* Vbi Alexander III. de eo autem, quod quæsiuistis, an liceat extra ieiunia quatuor temporum aliquos in Ostiarios Lectores, Exorcistas, vel Acolytos, aut etiam Subdiaconos promouere ? taliter respondemus, quod licitum est Episcopo Dominicis, & aliis festiuis diebus vnum aut duos ad minores Ordines promouere : sed ad Subdiaconatum nisi quatuor temporibus aut Sabbato Sancto, vel in Sabbato ante Dominicam de passione, nulli Episcoporum præterquam Romano Pontifici, licet aliquos ordinare. Ità Sylvest. *v. Ordo* 2. *quæst.* 6. Angel. *v. Ordo* 4. Henriq. *lib.* 10. *c.* 12. *num.* 2. Vasq. *d.* 246. *cap.* 5. Bonac. *d.* 8. *punct.* 6. *num.* 1. Marchin. *citatus num.* 1. statim sibi Contrarius. Sanch. *tom.* 2. *Consil. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 52. Palaus *tom.* 4. *tract.* 27. *punct.* 13. *num.* 1. Dicastil. *tom.* 1. *tractat.* 6. *de Ord. distinct.* 1. *dub.* 93. *numero* 340.

421 *His licere.* His hærens Doctoribus existimo minores Ordines posse conferri quibuscumque Dominicis & festis diebus priuatim tribus aut etiam pluribus, modo non sint tot ordinandi, vt generalis Ordinatio videatur, quæ solis statutis temporibus etiam, quoad minores est gerenda.

PROBL. CVIII.

Dies festiui, in quibus minores Ordines conferri possunt, debent, & non debent necessariò, esse festiui de præcepto.

422 *Debent esse festiui de præcepto.* DEbent necessariò esse dies festi, qui à populo ex Ecclesiæ præcepto obseruantur. Quia id expresse habetur in Cap. *De eo, de temp. Ordinat.* & clarius in Pontific. Rom. §. *de minor. Ordin.* ibi : *Quatuor minores Ordines dari possunt extra Missarum solemnia diebus Dominicis, & festiuis duplicibus, sed in mane tantum.* At nomine festiuorum duplicium non possunt venire, aut comprehendi omnia festa duplicia, aut omnes dies festi duplicis non feriati (vt per se patet) sed ad summum omnia festa quæcumque sint, modo ab Ecclesia obseruari mandentur : Ergo. Sic Azor. *part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 27. *quæst.* 19. Barbos. *de potest. Episc. part.* 2. *alleg.* 11. *num.* 22. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 11. *diffic.* 13. *num* 4. Vega, Zanard. Palud. Sylvest. Antonin. Viguer. Rosel. & alij quos citat Diana *part.* 5. *tract.* 13. *resol.* 97. Machad. *tom.* 2. *lib.* 4. *part.* 1. *tract.* 3. *dec.* 2. *num.* 5. Palaus *tom.* 4. *tract.* 27. *punct.* 13. *num.* 2.

423 *Non debent.* Non debent necessariò esse festi dies, qui ex præcepto ab Ecclesia obseruantur : sed sufficit esse festa duplicia ex Officio Ecclesiastico. Quia in iure Canonico ille etiam dicitur dies festus, in quo Officium duplex recitatur, licet à laboribus feriatus non sit, vt constat ex Clement. vnica *de relig. & venerat. Sanctor.* Et quia in Pontific. Romano dicitur : *Quatuor minores Ordines possunt dari diebus Dominicis, & festiuis duplicibus.* An non dies S. Agneris, aut D. Catherinæ sunt festi Duplicis ? Ergo in hisce, & aliis duplicibus possunt minores Ordines exhiberi. Ita Fagund. *de præcep. Eccles. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 22. Matchin. *tract.* 1. *part.* 7. *cap.* 6. *num.* 12. Rodrig. *tom.* 2. *de qq. Regul. quæst.* 23. *art.* 5.

Escob. & Mend. Theol. Moral. *T. III.*

Hanc eligo sententiam. Quia in compendio priuilegiorum nostræ Societatis *v. Ordo* facultas conceditur Episcopis, vt tribus diebus Dominicis, vel aliis festiuis continuis per extra tempora Religiosos nostros ad omnes Ordines sacros promouere valeant. At cum dubitaretur, quid per illa verba : *aliis festiuis diebus continuis* Pontifex intelligeret, re diligenter examinata, in eam ventum est sententiam, festos dies hîc accipi more Ecclesiastico pro diebus habentibus Officium duplex : atque iuxtà hunc sensum quamplures Patres Societatis nostræ à non paucis doctissimis Episcopis (quos recenset Fagundez citatus) de facto ad sacros Ordines tribus diebus duplicibus, quamuis feriatis, fuêre promoti. Quo priuilegio gaudere Barnabitas, & D. Hieronymi Religiosos Marchinus affirmat. Fateor tamen, primam partem valdè esse probabilem. 424 *Hanc eligo sententiam.*

PROBL. CIX.

Potest, & non potest Episcopus diebus Dominicis, vel festis minores Ordines pluribus quàm duobus, vel tribus impertire.

POtest Episcopus non solùm duobus, sed & pluribus minores Ordines diebus præfatis conferre. Quia ratio, cur præcipitur, vt tam paucis Ordines conferantur, est quidem nè Ordinatio generalis illa videatur : At in communi sententia prudentum arbitrio relinquendum est, qualis ordinandorum numerus Ordinationem generalem reddat, & qualis priuatam constituat. Cum autem prudentum iudicio ordinatio illa, qua tres, vel quatuor, initiantur, generalis minimè videtur : verum non est, solis duobus, non pluribus minores Ordines Dominicis vel festis diebus posse conferri. Sic Marchin. *tract.* 1. *part.* 7. *cap.* 5. *num.* 5. Glossa *in Cap. de eo, de tempore Ordinat.* Innocent. Groffred. *ibidem.* Sylvest. *v. Ordo* 2. *quæst.* 6. Henriq. *lib.* 10. *c.* 12. *num.* 1. Sa *v. Ordo, numero* 13. Reginald. *lib.* 30. *num.* 26. Sanch. *tom.* 2. *Consil. lib.* 7 *cap.* 1. *dub.* 52. *num.* 8. Filliuc. *tract.* 9. *numero* 83. Diana *part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 30. 425 *Potest pluribus quam duobus.*

Non potest Episcopus plusquam duobus minores Ordines hisce diebus exhibere. Quia hoc expresse habetur in cap. *De eo*, ibi : *Licitum est Episcopis Dominicis, & aliis festiuis diebus vnum, aut duos ad minores Ordines promouere.* Ergo plures quam duo ordinati non possunt. Ita Hostiens. & Angel. apud Sylvestrum & Henriquez, Vasquez *d.* 246. *cap.* 5. Hurtad. *diffic.* 23. Abbas, Palud. & alij penès Sanchez, Martin. de S. Ioseph *tom.* 1. *lib.* 1. *tr.* 5. *de Ord. n.* 2. Leand. *tr.* 6. *d.* 11. *q.* 5. 426 *Non potest pluribus, quàm duobus.*

Primæ sententiæ subscribo existimans, Alexandrum III. in Cap. *De eo* vsum fuisse verbis illis : *Vnum aut duos*, vt exponeret paucos debere ad Ordines hisce diebus admitti, non vt certum numerum ordinandorum præscriberet. Et quidem Hispano idiomate, vt exponamus exiguum extitisse numerum accedentium, (v. gr.) ad concionem, dicimus : *No auia sino vno, o dos.* Verum Leander asserit, *non posse Episcopum plusquam duobus, vel tribus* Ordines conferre 427 *Primæ parti subscribo.*

ferre, & hanc suam sententiam probabiliorem vocitat, cum tamen ex vi clausulæ illius: *Licitum est Episcopis Dominicis, & aliis festiuis diebus vnum aut duos ad minores Ordines promouere*, si rigorosè accipienda sit, non licet plures quàm vnum aut duos ordinare. Ergo si tium ordinario illud præceptum non violat, cur quatuor, vel quinque non poterunt Ordines minores suscipere sine decreti illius violatione. Assero itaque tot posse illis diebus ad Ordines minores assumi, quot non sufficiant, vt generalis ordinatio geri videatur. Si autem audacem inter prudentes hunc numerum speciatim assignare, dicerem sex aut septem ordinandos minimè videri generalem Ordinationem constituere.

PROBL. CXI.

Licet, & non licet Episcopo, post prandium minores Ordines impertire.

428 *Non licet.* NOn licet. Quia in Pontificali Romano *de Ordin. confer. §. Minores verò*, præscribitur, ne Ordines minores à prandio conferantur ob Sacramenti gerendi reuerentiam. Sic Sylvest. *ver. Ordo 2. quæst. 6.* Angel. *ver. Ordo 6. n. 5.* Tabie. Armil. Hugo, quos citat, & sequitur Fornar. *de Ord. c. 8. n. 3.* Zerol. *p. 2. praxis Pontif. v. Ordo, vers. 10.* Marchin. *tr. 1. p. 7. c. 5. n. 3.* licet *c. 1. n. 15.* oppositum asseruisse videatur.

429 *Licet equidem.* Licet equidem. Quia consuetudo recepta Episcoporum fert, vt feria sexta vespere ante Sabbatum, in quo iure possint omnes Ordines conferri liceat dare quatuor minores Ordines, nec vlla in eo indecentia in Sacramenti administratione ab hisce tot Episcopis reperitur. Ita Villalob. *tom. 1. tr. 11. diffic. 13. n. 4.* Henriq. *l. 10. c. 12. n. 2.* Diana *p. 2. tr. 16. resol. 30.* male à Marchino citatus *resolut. 28.* vbi nihil ad rem.

430 *Abstracta necessitate, non licere puto.* Existimo, abstracta necessitate non licere; quia communis id fert vsus Ecclesiæ, vnde primam partem probabiliorem reor. Fateor hanc consuetudinem in Hispaniâ vigere, credidérim & in Italiâ. Si Molfesio credendum *c. 14. n. 13.*) vt die antecedente Sabbatum ordinationum aliqui minoribus initientur, vti sequenti die eosdem ex causâ iustâ ad Subdiaconatum promoueant, vel ne in die generalis ordinationis nimia ordinandorum multitudine premantur. At huiusmodi ex causâ consuetudo non probat posse sine causâ diebus aliis Dominicis, vel festis imò in diebus præfata Sabbata præcedentibus id vniuersim agi.

* * *

PROBL. CXII.

Potest, & non potest Episcopus maiores Ordines exhibere mane diei Dominicæ post generalem in Sabbato factam Ordinationem.

431 *Non potest.* NOn potest. Quia dies, in quibus potest Ordines maiores conferre, sunt iam à iure statutæ, sex Sabbata ieiuniorum, quatuor temporum scilicet Sabbata, & Sabbata ante Dominicam Passionis, & Resurrectionis. Id statuitur in Cap. *De eo*, & in cap. *Quando*, & in Tridentino *sess. 23. c. 8.* Sic D. Thom. *in 4. d. 25. in lit...* Henriq. *l. 10. c. 12. n. 1.* Barbos. *in Trident. citatum* Marchin. *tr. 1. p. 7. c. 5. n. 8.* Sanch. *tom. 2. Consil. c. 1. dub. 51. n. 3.* Palaus *tom. 4. tr. 27. pun. 13. n. 13.*

432 *Potest quidem.* Potest quidem, dummodo ieiunium Sabbati continuetur tam ab ordinante, quàm ab ordinando. Quia tunc fictione Canonica mane Dominicæ sequentis trahitur ad vesperam Sabbati præcedentis, & sic Ordines conferti in Sabbato dicuntur. Ità Maiol. *lib. 3. de irregular. capit. 23. numer. 12.* Suar. *tom. 5. dist. 31. sect. 1. num. 41.* Laymann. *tractat. 9. de Ordin. c. 8. n. 9.* Villalob. *diffic. 13. n. 2.* Leand. *tr. 6. d. 11. quæst. 8.*

433 *Auctoris iudicium.* Certè omnes fere Doctores pro parte primâ citati præsertim Marchinus Henriquez, & Palaus secundam partem veram esse profitentur; quia existimant à primâ sententiâ non recedere, cum vnâ dies præfata ex computatione reputetur. Hos sequor duplici conditione appositâ: vna si ieiunium Sabbati continuetur: altera, si iusta causa subsit. Certè causam iustam adesse crediderim, si in Sabbato ob ordinandorum multitudinem, generalis Ordinatio expediri non possit, vel si Episcopus ob grauem infirmitatem illam Sabbato gerere non valuerit.

PROBL. CXIII.

Episcopus in Missâ Sabbati ablutionem tionem sumpsit: Poterit ex causâ, & non poterit in sequente Dominica maiores Ordines conferre.

434 *Non potest.* DIximus *Problem. proximo*, debere ieiunium Sabbati continuari, vt liceat Episcopo Ordines maiores sequenti Dominica celebrare. Quæsierim verò, num Episcopus, qui in Missâ Sabbati præcedentis ablutionem sumpsit, possit sequenti Dominica maiores Ordines exhibere? Non potest. Quia id colligitur ex c. *Quod à Patribus, dist. 75.* Ob hanc enim ieiunij continuationem Ordinatio facta die Dominica retrotrahitur ad Sabbatum, & quasi in Sabbato facta reputatur. Sic Henriq. *l. 10. c. 12. n. 2.* hisce verbis: *Potest Episcopus Dominica sequenti post Sabbatum prædictum, si causa subsit, dummodo ieiunium Sabbati continuet vsque ad Dominicam: quod continuari dicitur post Missam Sabbati, nisi sumpserit ablutionem* Videtur Henrico subscribere

scribere Diana *part.2.tract.16.resol.30.* Laym. *tract.10. cap.8.n.5.* & alij penes ipsum Palaus *tom.4.tr.27.punct.13.n.13.*

435 *Potest omnino.* Potest omnino. Quia textus citatus solum loquitur de ieiunio Ecclesiastico, quod nullatenus per ablutionis sumptionem soluitur. Ita Sylvest. *v. Ordo 2. n.6.* male quidem ab Henrico pro sua sententia citatus. Sanch. *tom.2.consil. cap.1. dub.51. numer.5.* Marchin. *tract.1. part.7.cap.5.num.9.* Leand. *tract.6.d.11.q.9.* & alij.

436 *Contra opinionem.* Cum his opinor, quia dum indicitur tam Episcopo, quàm ordinandis ieiunium clarè ostenditur, de Ecclesiastico ieiunio, non de naturali, geti sermonem in Cap. *Quod à Patribus.* Monuerim verò, nullatenus Episcopo licere, etiam continuato Sabbati ieiunio, vsque ad Dominicam sequentem, vnum Ordinem sacrum die Sabbati vni conferre, & manè Dominicæ sequentis alterum eidem impertire. Quia sub suspensionis pœna prohibetur in cap. *Literas*, & in cap. *Dilectas, de temp.ordinat.* Docet Nauar.*c.25.n.71.* & Suar. *de cens.d.31. sect.1. num.40.*

PROBL. CXIV.

Vt qui die Sabbati Sacerdotium suscepit, die dominica immediata possit suscipere Episcopatum : necessarium est, & necessarium non est, Sabbati ieiunium continuari.

437 *Regula supponitur.* SVppono, cum qui die Sabbati Sacerdotij Ordinem accepit, posse sequenti Dominica recipere Episcopatum sine suspensionis reatu ; quia licet suspensionis pœna indicitur recipienti Sabbato vnum Ordinem sactum & alterum immediata Dominica : Episcopatus non annumeratur in præfatis, *Probl. proximo*, iuribus inter Ordines sacros : & ideo non incurrit suspensionem qui die Sabbati ordinaretur Sacerdos, & die Dominica immediata consecraretur Episcopus. Sic Ioan. Andr. *in c. Quod à Patribus*, & Abbas *in cap. Literas.*

438 *Necessarium vt ieiunium Sabbati continuetur, necessarium est.* Do autem quæstioni an ad id sit necessarium, vt ieiunium Sabbati continuetur ? Necessarium est, ieiunium Sabbati continuari. Cuius propositionis non facile rationem inueni ; sed pro ratione mihi sufficit sapientissimi mei Franci Suarij auctoritas, qui *tom.5.d.31.sect.1.n.14.* profatur : *Est autem hic aduertendum, Episcopatum non numerari in his iuribus inter Ordines sacros : & ideo non incurri hanc suspensionem, etiam si quis die Sabbati & Dominica, continuato ieiunio, ordinaretur Sacerdos, & consecretur Episcopus.*

439 *Non est necessarium continuari.* Non est necessarium ieiunium Sabbati continuari. Quia Episcopatus conferri potest quauis Dominica die, ergo absolutè potest etiam in eâ, quæ est immediata post Sabbatum ordinationis generalis eodem more seruato : At in quauis alia Dominica nullius ieiunij indicitur continuatio : Ergo sine ieiunij continuatione poterit consecrari die Dominica Episcopus, qui die Sabbati ordinatus est Presbyter. Ita Laym. *tr.9.de Ord.c.8.n.5.* Marchin. *tr. 1. p.2. c.11.n.5. & p.7. c.6.n.9.* Palaus *tom.4.tract.27. punct.vlt. numer.4.* Leand. *tractat.6. dist.11. quæst.11.*

Hoc certum, Suarij venia, existimo, nec video vndenam ieiunium Sabbati continuari debeat. Imò addiderim cum Castro Palao *citato*, illum, qui ex priuilegio v.gr. promotus fuit die Dominica in Presbyterum, posse eâdem ipsâ die in Episcopum consecrari, eo quod consecratio Episcopi non reputatur Ordo distinctus à Sacerdotio, sed illius perfectio. Si igitur consecratio Episcopi die Dominica est perfectio ordinationis Sacerdotalis nec ab illâ distinguitur, & ieiunium Sabbati ordinationi Sacerdotali deseruiit, nullo ex capite ad perfectionem illam accidentalem ieiunij continuatio requireretur.

440 *Hoc certum existimo.*

PROBL. CXV.

Licet, & non licet Episcopo eâdem die primam Tonsuram & omnes minores Ordines eidem impertire.

NOn licet. Quia Tridentinum *sess. 23. c...* præcipit, ne eadem die quatuor minores Ordines eidem conferantur, sed *per tempora, interstitia.* Ergo multo minus licebit minores omnes simul cum primâ Tonsurâ eâdem die impertiri. Sic Innocent. Panormit. & Hostiens. ad Cap. *De eo, de temp.ordinat.* Sylvest. *v. Ordo 2. q.7.* Angel. *v. Ordo 6.* Marchin. *tr.1.p.7. c.1.n.10.* & alij. 441 *Non licet.*

Licet planè. Quia aliquibus Doctoribus grauibus quidem placet, id nullo iure esse prohibitum. Concilium enim ait : *Minores Ordines his, qui saltem Latinam linguam intelligant per tempora interstitia nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferant.* Ergò multo magis placito rationabili Episcopi committet Concilium cum prima Tonsura minores conferre ordines si ei expedire videbitur. Addo, hanc esse multarum Ecclesiarum consuetudinem. Ita Vasq. *d.246.c.1.* Machad. *tom.2.l.4. p.1.tr.4.docum.2.* Barbos. *de iure Eccles.l.1.c.33. n.185.* Sanchez Ledesm. Armil. & alij, quos sequitur Leand. *tr.6.d.11.q.12.* Dicastil. *tr. 6. de ord.d.1.dub.23.n.342.* 442 *Licet planè.*

Hoc verum existimo, si vel consuetudo vigeat, quam in Hispania vigere non dubites ; vel Episcopo videatur id magis expedire iuxta Concilij clausulam : *Nisi aliud Episcopo expedire videretur*, ex causa scilicet rationabili. Causam autem sufficientem adesse crediderim, vitam solitariam Carthusianorum ex declaratione sacræ Congregationis (de qua testatur Iulius Cæsar Madius *de Sacrament. Ordin. capite 5. numero 7.*) vel ætatem ordinandi nimium prouectam, vel causam studij, vel arctationem Beneficij recepti, seu recipiendi, &c. 443 *Hoc verum putarim.*

PROB. CXVI.

In Hispaniâ, & Germaniâ est consuetudo initiandi eundem eâdem die iusta ex causâ tam minoribus Ordinibus quàm Subdiaconatu : Hæc consuetudo est, & non est laudabilis, ac retinenda.

444 *Nec laudabilis, nec retinenda est.* NEc laudabilis, nec retinenda est, sed vrgente causa ad Papam recurrendum, aliter Episcopus labitur in Censuram suspensionis. Cap. *De eo, qui furtiuè Ordines suscipit*, nec contraria consuetudo eos excusat. Quia hæc fuit sublata à Tridentino *sess.* 23. *cap.* 11. & 13. Sic Maiol. *de Irregular. l.* 4. *c.* 11. *n.* 1. Lopez *in addit. ad Practic. crim.* Bernardt Diaz, *c.* 25. Sylueſt. *v. Ordo* 2. *q.* 7. Tolet. *l.* 1. *c.* 71. *n.* 1. Reginald. *l.* 30. *n.* 28. Menoch. *de Arbitr. cent.* 6. *casu* 564. *n.* 8.

445 *Laudabilis est & retinenda.* Laudabilis, & retinenda est huiusmodi consuetudo in iis locis, in quibus olim iam vigere cœperitur. Quia consuetudines antiquæ non tolluntur à Tridentino nisi vbi id expressè declarat vt fecit *sess.* 23. *c.* 6. & 9. *de reformat.* Ita Nauar. *c.* 25. *n.* 51. Suar. *de censur. d.* 31. *sect.* 1. *n.* 41. Miranda *in Man. Prælat. p.* 1. *q.* 38. *art.* 8. *concl.* 2. Fornar. *de Ord. c.* 8. *n.* 3. Molfes. *in sum. tr.* 2. *c.* 8. *n.* 27. Rodrig. *qq. Regul. tom.* 3. *q.* 23. *a.* 4. & *in sum. p.* 2. *c.* 16. *n.* 3. Sayr. *l.* 4. *de cons. cap.* 14. *n.* 25. & *l.* 7. *c.* 10. *n.* 26.

446 *Quid sentiam, expono.* Profectò absolutè asseruerim, etiam secluſa consuetudine, nostra tempestate licere Episcopo eadem die eidem ex causa iusta minores Ordines cunctos & Subdiaconatum simul impertire. Quia id nullo iure Canonico vetitum esse reor. Nam in Cap. *Literas*, & in Cap. *Cum dilectus, de temp. ordinat.* & in Tridentino *sess.* 23. *c.* 13. solum prohibetur duos Ordines sacros eidem eadem die conferri : neque Canones adducti à primæ sententiæ Doctoribus in casu nostro loquuntur. Neque contraria consuetudo Episcoporum vim legis habet: siquidem in Hispania non seruari testis sum oculatus. Neque aliter in Tridentino *sess.* 23. *c.* 11. definitur, sed potius res ista Episcopi relinquitur arbitrio. Assolent attamen laudabilius Episcopi die præcedente Sabbatum ordinationum, aliquos initiare minoribus Ordinibus, vt sequenti die ex causa iusta ad Subdiaconatum promoueant. Mecum Vasq. *tom.* 3. *in* 3. *p. d.* 246. *c.* 5. *n.* 48. Diana *part.* 1. *tract.* 16. *resol.* 28. Miranda, & Molfes. *citati.*

PROBL. CXVII.

Qui duos Sacros Ordines in vna die recipit, incurrit, & non incurrit ipso facto suspensionem.

447 *Nonnulla præmitto.* CErtum est, non posse Episcopum eadem die plures Ordines maiores eidem conferre siue sæculari, siue Regulari, quibuscumque priuilegiis non obstantibus ; quia hæc fuerunt à Tridentino reuocata. Ita habetur in cap. *Dilectus, de temp. ordinat.* & in cap. *Per literas, eodem titulo*, & in aliis iuribus, quæ confirmata fuêre à Trident. *sess.* 23. *c.* 13. ibi: *Duo sacri Ordines non in eadem die etiam Regularibus conferantur, priuilegiis, atque indultis quibuscumque non obstantibus.* Potrò etsi à Trident. nulla pœna definiatur contra recipientes eadem die plures Ordines sacros : nihilominus iure Canonico erat imposita suspensionis pœna, vt habetur in cap. *Literas*, ibi: *Ab executione officij Sacerdotalis tandiu volumus manere suspensum, donec de illo disponatur.* Et in c. *Innotuit, de eo, qui furtiuè Ordin. suscipit*, ibi: *In susceptis Ordinibus ministrare non debeat.*

448 *Non incurritur ipso facto.* Quæsierim igitur, an suspensio hæc ipso facto incurratur ? Non incurritur ipso facto. Quia id non exprimunt citata iura, vt alibi asserunt. Vnde colligitur suspensionem hanc non esse latæ sententiæ, sed ferendæ. Sic Villalob. *p.* 2. *tr.* 18. *diffic.* 11. *n.* 7. Diana *p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 36. Citatur ab his Suarius *de Censur. d.* 31. *n.* 41. qui quidem solum ait, rem esse dubiam.

449 *Ipso facto incurritur.* Ipso facto incurritur. Quia illa verba Capitis *Innotuit : In susceptis Ordinibus ministrare non debeat* haud obscurè colligitur, hanc suspensionem esse latæ sententiæ, & ipso facto. Ita Nauar. *c.* 25. *n.* 71. Marchin. *tract.* 1. *p.* 7. *c.* 1. *n.* 2. Leand. *tr.* 6. *d.* 11. *q.* 14. Luis. Turrian. *l.* 5. *de cens. d.* 46. *dub.* 1. Bonac. *de censur. d.* 5. *punct.* 1. §. 1. *n.* 4. & *d.* 7. *q.* 3. *n.* ... *punct.* 4. *n.* 3.

450 *Cum hu opinor.* Cum his opinor, existimoquè Suarium id apertè asseruisse dum ait : *In alio autem casu duorum Ordinum sacrorum, licèt res sit dubia, nihilominus iura supra citata attentè perpensa videntur, hanc suspensionem iure ipso imponere.* Vndè non benè Villalobos & Diana pro contraria sententia absolutè citatur, si tamen ei faueat, dum rem dubiam esse fateatur. Adiicio ex eodem Suario *n.* 40. suscipientem eadem die absque summi Præsulis dispensatione duos Ordines sacros, suspensum fieri solum ab vltimo Ordine recepto. Cap. *Literas, de temp. Ordinat.* Quod docuere etiam Sayr. *l.* 4. *de cens. c.* 14. *n.* 23. & Molfes. *in sum. tr.* 2. *c.* 18. *n.* 9. Idem dixerim de eo, qui eadem die Ordines minores simul cum Subdiaconatu suscipit. Nam licet sit grauiter prohibitum suscipere eadem die minores Ordines, & Subdiaconatum non solùm ex Tridentino *sessione* 23. *capite* 11. Sed etiam *ex capite* 2. *de eo, qui furti. Ordin. suscepit.* vbi suspensio fertur, quam Nauar. *capite* 25. *numer.* 71. & alij putant esse ipso iure sed re vera non est, quia Pontifex *in eo capite* 2. solum ait: *Mandamus, vt eum ministrare non permittas.* Sic Suarius citatus.

* * *

CAPVT

CAPVT XIX.

Circa Ordinum Interstitia seruanda.

PROBL. CXVIII.

In Ordinum minorum receptione sunt, & non sunt Interstitia requisita.

451 Nulla supp. SVPPONO ex *sect.* 1. in Ordinum maiorum receptione requiri vnius anni interstitia ex Tridentino *sess.* 23. *c.* 11. & 13. qui quidem annus non est mathematicè, sed moraliter iuxta annum Ecclesiasticum computandus: vnde initiatus Diaconatu (v.gr.) temporibus Pentecostes, vel Septembris, aptè poterit anno sequenti eisdem temporibus Sacerdotium recipere, etiamsi duodecim menses iuxta Solarem circulum nondum fuerint elapsi.

452 Non requiruntur. Do autem quæstioni, num etiam in Ordinum minorum receptione Interstitia requirantur: Minimè requiruntur Interstitia. Sed possunt recipi eodem die si ita Episcopo videatur. Quia Tridentinum *loco citato*, id arbitrio Episcopi relinquit, & ius antiquum in cap. *singulis dist.* 77. est iam antiquatum. Sic Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 17. *n.* 86. Diana *part.* 5. *tractat.* 10. *resol.* 40.

453 Requiruntur quidem. Quia id expressè Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 11. præscribit. *Minores Ordines iis, qui saltem Latinam linguam intelligant, per temporum interstitia nisi aliud Episcopo expedire magis videatur, conferantur.* Ita Petr. de Ledesm. *c.* 8. *de Ord. concl. vlt.* Ludou. de San Iuan *q.* 2. *de Ord. a.* 4. *diffic.* 3. March. *tr.* 1. *p.* 7. *c.* 1. *n.* 6. Zerol. *in praxi Episc. p.* 1. *v. Ordo.* Leand. *tr.* 6. *d.* 11. *q.* 17.

454 Hæc tenùs ver. De huius sententiæ veritate non dubito, & miror Filliucium, & Dianam oppositum asseruisse. Quia Tridentinum æquè inducit Interstitia ad maiores, quàm ad minores Ordines suscipiendos licet minoribus spatium temporis expectandum ab vno ad aliud Ordinem non assignet: & Episcopi arbitrio relinquat tempus maiorum intercidere, seu breuiare, & minorum absolutè auferre, vt vna in die quatuor minores simul conferantur. Profectò non laudabiliter se illi gerunt Episcopi, qui non eâdem die, sed eâdem hebdomade omnibus minoribus eundem solent initiare, vt asserit Marius Antonin. *variar. resol. l.* 1. *resol.* 112. *casu* 26. Quia illud dicitur fieri incontinenti, quod breui temporis spatio peragitur, teste Menochio *de arbit. l.* 2. *cent.* 1. *casu* 9. Hoc quidem ex Concilij iure: attamen ex consuetudine fateor omnes minores Ordines vnâ die vni posse conferri.

PROBL. CXIX.

Qui Ordinibus initiatur, Interstitiis non seruatis, incurrit, & non incurrit suspensionem.

455 Suspensionem incurrit. CErtum est, eum peccare mortaliter, quia præceptum Trid. in re graui transgreditur: an autem suspensionem incurrat, quæstioni commicto? Incurrit suspensionem. Quia si plures Ordines sacros eodem die recipiat, est id prohibitum ex cap. *Dilectus C. literis, de temp. Ordinat.* quod etiam procedit in duobus diebus continuis fictione Canonica sumptis pro vno, vt si die Sabbati continuato ieiunio vsque ad mane Dominicæ fiat vnus dies. Si verò continuatis diebus plures Ordines Sacros suscipiat recipit extra tempora, & incurrit suspensionem ab vltimo Ordine. Si demùm diuersis diebus & legitimis temporibus sed non seruatis debitis interstitiis suscipit duos Ordines sacros, id gerit contra Tridentini statutum *sess.* 23. *c.* 13. Igitur qui neglectis interstitiis, sacros recipit ordines suspensionem incurrit. Sic Filliuc. *p.* 1. *tr.* 20. *n.* 190. Diana *p.* 4. *tr.* 2. *resol.* 55. Henriq. *l.* 6. *c.* 10. *n.* 3. Portel. *in dubiis Regul. v. Suspensio, num.* 14.

456 Non incurrit suspensionem. Suspensionem non incurrit. Quia nulla pœna indicta est in Iure eis qui haud obseruatis interstitiis Ordines suscipiunt. Ità Madius, Riccius, Sayrus, Zerola, & alij, quos citat & sequitur Marchin. *tr.* 1. *p.* 7. *c.* 2. *n.* 12. Bonac. *d.* 8. *pun.* 5. *n.* 35. Villalob. *tr.* 11, *diffic.* 12. *n.* 2. & alij apud ipsos.

457 Idem asseruerim. Idem asserens. Nam licet Sixtus V. *in quadam Extrau. contra male promotos* pœnam suspensionis ipso facto imposuerit: postea tamen sublata fuit per Clementem VIII. teste Nauarro *l.* 1. *consil.* 4. *de temp. ordin.* & Suario *de cens. d.* 31. *sect.* 1. *n.* 43.

PROBL. CXX.

Capitulum, Sede vacante, vel eius Vicarius potest, & non potest cum suis subditis in interstitiis dispensare.

458 Non potest. NOn potest Capitulum Sede vacante, nec eius Vicarius in interstitiis dispensare. Quia id gerendi facultas solum est Episcopis concessa, vti exprimit illud Tridentini *sess.* 23. *cap.* 11. verbum: *Per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videatur.* Sic Rodrig. *in Bull.* citatus à Leandro *tr.* 6. *d.* 11. *q.* 20. Salcedo, Maiolus, Nauarro penès Machado *tom.* 2. *l.* 4. *p.* 4. *tr.* 1. *docum.* 7. *n.* 4.

459 Potest quidem. Potest Capitulum Sede vacante, & eius Vicarius in interstitiis dispensare. Quia quod Episcopus potest Tridentino ei concedente, declarauit Sacra Congregatio Concilij posse etiam Capitulum Sede vacante, eiusque Vicarium. Ita Homobon. Armendar. Marta, quos citat, & sequitur Diana *p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 209. Ioan. de la Cruz *de Ord. dub.* 3. *concl.* 2. Leand. *citatus.*

Quaranta

Quaranta Graf.Modern. Barbos. Riccius quos affert, & sequitur March. *tract.1.part.7. cap.2. num.8.*

460 *Cum his opinor, & causas dispensationis huiusmodi recolo.*

Videor equidem, non benè prouisum à Tridentino fuisse Ecclesiæ vtilitati, aut necessitati, si facultatem dispensandi in interstitiis Capitulo Sede vacante impedisset; quia potest obuenire casus, in quo id ad vtilitatem vel ad necessitatem Ecclesiæ maximè expediret. Vnde reor Capitulum gerens Episcopi potestatem ad dimissorias concedendum, frui etiam ad dispensandum in interstitiis facultate. At quemadmodum Vicarius generalis Episcopi habet licentiam dispensandi in interstitiis, (vt Suarius, Vega, Sanchez, & alij à Machado *vbi s.* citati affirmant) etiam hac potestate frui non dubito Capituli Sede vacante Vicarium. Vt autem Episcopus, Capitulum & vterque Vicarius ad manum gerant causas iustè in interstitiis dispensandi, recolo eas, quas ex Tridentino *sess. 23.cap.11.13.& 14.* Doctores apponunt. Quinque sunt huiusmodi dispensationis causæ. Prima necessitas, aut vtilitas Ecclesiarum particularium. Per necessitatem Concilium intelligit, quando deficiunt omninò Ministri; per vtilitatem, quando Ministri idonei sunt pauci. Secunda est ætas ordinandi prouecta cum grauitate, ac integritate coniuncta. Tertia arctatio recipiendi Diaconatum, aut Presbyteratum ratione Beneficij recepti, aut recipiendi *sess.7. c.10.* Quarta magna ordinandi virtus, aut excellens in literis profectus. Quinta studium in aliquâ Vniuersitate, vt scilicet Missarum stipendio sustentationi congruæ subsidium acquirat. Lege Hurtadum *diffic.23.* & Maiolum *c.24. num.13.*

PROBL. CXXI.

Prælati Regulares, nempè Generales, vel Prouinciales possunt, & non possunt in interstitiis cum subditis dispensare ex iure.

461 *Possunt quidem.*

POssunt equidem. Quia sicut pertinet ad eos subditis ordinandis literas dimissorias concedere, sic ad eos attinebit in interstitiis dispensare, cum fuerit opus: ipsi enim solummodo valent agnoscere suarum Ecclesiarum vtilitatem, ac necessitatem, subditorum eximiam virtutem, prouectam ætatem, in literis excellentem profectum, &c. Sic nonnulli Doctores apud Petrum Ledesm. *capite 8. de Ordin. conclus.11.*

462 *Non possunt.*

Minimè possunt. Quia hæc facultas est annexa Ordinum collationi, vnde sicut ad Episcopum spectat Ordines conferre, ita ad eundem pertinet ab interstitiis dispensare: accessorium enim sui principalis naturam sequitur. Et quia Tridentinum hanc dispensationem arbitrio Episcopi semper relinquit, vt ex locis supra citatis manifestè constat. Ita Vgolin. *de potest. Episc.p.2.c.26.§.27.n.3.* Genuens. *cap.28. n.1.* Rodrig. *tom.3. Regul. qq.q.27. art.3.* Barbos. *de offic.& potest. Episc. alleg. 18. num.10.* Mirand. *in Man. Prælat. tom.1.q.38. art.7.* Bonac. *d.8. q.vni. punct.5.n.34.* Quaran. *v.Ordo, vers. Addicio, fol.393.* Madius *de Sacram. Ord. cap.10. n.13.* Vasq. *d.246.n.57.* Molfes. *sum.tr.2.cap.1. num.56.* Marchin. *tract.1.part.7. cap.2. numero 2.*

Certè quo ad ius attinet, assero, minimè id posse Religionum Prælatos, vti expressè sacra Congregatio præscripsit. *Congregatio Concilij posse id ex iuxta censuit, Superiores Regulares non posse dispensare super interstitiis Regularium ordinandorum; sed id pertinere ad Episcopum ordinantem, qui tamen quoad causam dispensationis iudicium facere debet ex attestatione Superiorum Regularium.* Hanc declarationem refert Peirin. *de priuil. Minor. to.1.const.1. Sixti IV.§.22.n.35.* & Dian. *p.2. tr.2.resol.112.* Hoc de iure. De priuilegio autem certum est, id Prælatos Religionum posse. Nam Gregorius XIII. id concessit Generali nostræ Societatis IESV, & eius delegatis. Quo priuilegio aliæ Religiones participant, non obstante communicationis prohibitione ab ipso Gregorio XIII. expressa; nam hæc prohibitio non tollit, quin alij Pontifices successores eam communicationem facere valeant, vt fecit Gregorius XIV. teste Rodrig. *tom.1.qq. Regul.q.55. art.17.* & Palaus *tom.4.tr.27. punct.13.num.13.* Præterea Clemens VIII. die 23. Nouembr. anno 1596. concessit Congregationi S. Ioannis Euangelistæ in Portugalia, vt Patres dictæ Congregationis possint ordinari extra tempora, & per quemcumque Episcopum tribus Dominicis, aut festis continuis vel interpolatis, non seruatis interstitiis à Tridentino assignatis. Lege Dianam *p.3.tr.2.resol.32.& 112. & p.4. tr.4. resol.209.& 5.p.tr.13.resol.57.* per multos citantem pro hac parte Doctores, certè hoc magis planum ex sequenti Problemate fiet. 463 *Assero non bene autem ex priuilegio.*

PROBL. CXXII.

Regulares omnes possunt, & non possunt ex priuilegio vbique extra tempora à Iure statuta Ordinibus initiari.

NOn possunt omnes. Quia Gregorius XIII. qui hoc concessit priuilegium nostræ Societatis alumnis, prohibet expressè, vt aliæ Religiones valeant, in tali priuilegio participare, etiamsi priuilegiorum Societatis participatione generatim fruantur. Sic Vasq. *d.246.c.5.n.50. & c.6.n.58.* Hurtad. *de Ord.diffic.23.* Lezana *in sum.qq.Regul.c.14.n.19.* Peirin. *in priuil. Minor. tom.1.constit.2. Sixti IV.§.1.n.39.* Suar. *de legib.l.8.c.17.n.8.* Miranda *in Man.Prælat.tom.1. q.38.a.4.* Quia Tridentinum hoc expresse prohibuit, & aliis Religionibus communicatio in huiusmodi indulto fuit ablata. 464 *Non possunt omnes nunc.*

Omnes nunc possunt. Quia hoc priuilegium fuit olim concessum Mendicantibus, & postea à Clemente VIII. absque limitatione confirmatum, vt docent Rodrig. *tom.1. qq. Regul.q.55.a.17.& tom.3.q.13.a.5.* & quia priuilegium simile concessere Alexander VI. & Eugenius IV. D. Hieronymi, & D. Benedicti Monachis vt refert Marchin. *tr.1. p.7. c.7.n.1.* & Clemens VIII. idem concessit Congregationi D. Ioannis Euangelistæ, vt *Probl. proximo* exposui. Denique anno Domini 1634. die 28. Martij idem priuilegium Vrbanus VIII. Ordini 465 *Omnes nunc possunt.*

dini discalceatorum Trinitatis Sanctissimæ impertiit, cuius Bullam perlegi. Ita Ioan. de la Cruz *in Epistol. l. 2. c. 8. dub. 1.* Laym. *tr. 10. c. 8. n. 2.* Ludou. de San Iuan *q. 3. de Ord. a. 2. dub. 2.* Machado *to. 2. l. 5. p. 2. tr. 6. docum. 9. n. 2.* Leand. quem sequitur Diana *p. 10. tr. 11. resol. 10.* qui alibi sæpè huic parti subscribit.

466 *Sua probabilitas.* Hoc probabilius reor, quia licèt Gregorius XIII. concedens hoc priuilegium Societati nostræ, prohibuerit, id aliis Ordinibus communicari: communicant tamen multi; nam alij summi Pontifices Gregorij successores priuilegia Societatis multis Ordinibus absolutè concessêre, vt constat ex dictis.

PROBL. CXXIII.

Regulares possunt, & non possunt quibusvis Ordinibus initiari in diebus, quibus festum de Sancto semiduplici celebratur.

467 *Possunt quidem.* POssunt equidem. Quia Patribus nostræ Societatis concessit Gregorius XIII. vt valeant tribus in diebus festiuis Ordinibus initiari: At per diem festiuum etiam intelligitur semiduplex, vt constat ex declaratione Clementis VIII. quam reddidit Compostellano Archiepiscopo D. Ioanni de San Clementi sanctissimo Præsuli de nostrâ Societate optimè merito, quam quidem declarationem D. Petrus Iunco de Posana Salmanticensis Episcopus se legisse testatur. Hoc autem Societatis priuilegio alios etiam potiri Ordines per communicationem ex *Problem. proximo constat.* Sic Fagund. *de quinque Præcept. c. 2. num. 12.* Villalob. *tr. 11. diffic. 13. n. 6.* Rodrig. *tom. 3. qq. Regul. q. 23. a. 5.* Ludouic. de San Iuan *q. 3. de Ord. a. 2. dub. 3.* Quam sententiam probabiliter sustineri posse docet Palaus *citandus.*

468 *Minimè possunt.* Minimè possunt. Quia id perspicuè constat ex priuilegiorum tenore. Nam Alexander VI. solum concessit Ordini D. Hieronimi, vt Prior Generalis & alij Priores eiusdem Ordinis valeant eligere quemcumque Episcopum Catholicum, qui personas Monasteriorum eiusmodi ad id idoneas *ad omnes etiam Sacros Ordines etiam extra tempora à Iure statuta, tribus diebus Dominicis, siuè festiuis Duplicibus successiuè promouere possit, Diœcesanorum licentia super hoc requisita.* At Gregorius XIII. concessit Societatis nostræ Patribus, *vt extra tempora à iure statuta tribus Dominicis, vel aliis festis diebus etiam continuis ad sacros etiam Presbyteratus Ordines promoueri possint.* Ergo ex vi horum priuilegiorum non possunt Regulares initiari sacris nisi in diebus Dominicis, aut diebus festis duplicibus. Ita Rodrig. *tom. 3. qq. Regul. q. 23. num. 6.* Leand. *tractat. 6. d. 11. quæst. 24.* & alij.

469 *Probabiliorem hanc partem esse puto.* Probabiliorem hanc sententiam existimo si de Ordinibus sacris sermo procedat. Si autem loquamur de Ordinibus minoribus, poterit quis ordinari diebus, quibus fit festum semiduplicis, si vera sit illa Clementis VIII. declaratio, quam quidem ad hoc duntaxat affert Rodrig. *citatus.* Consentit Palaus *tom. 4. tr. 27. punct. 13. num. 13.* fatus: Quia dies festi, aut festiui, in quibus concedunt Pontifices posse Regulares initiari Sacris, secundum communem hominum acceptionem, solum pro diebus festis, qui à Clero, & populo sub obligatione præcepti celebrantur, accipiuntur. Sic ille.

PROBL. CXXIV.

Regulares vi suorum priuilegiorum possunt, & non possunt sacris initiari quacumque die, in quâ Ecclesiâ Officium duplex celebrat, etiam si ex præcepto festiua non sit.

470 *Possunt planè.* POssunt planè. Quia priuilegiorum illa particula: *siuè festiuis duplicibus*, id apertè demonstrat. Nam si necessarium fuisset, dies ex præcepto festiuos existere duplices, id profectò Pontifex exposuisset, sciens vocabulum: *Duplex* tam posse diem festum de præcepto custodiendum, quam festum duplex à laboribus non feriatum significare. Sic Præpos. *in 3. part. quæst. vni. de Sacrament. Ordin. dub. 15. numer. 150.* Fagund. *de quinque præc. capite 2. numero 12.* Diana *part. 5. tractat. 13. resol. 97.* citans Homobonum, Villalob. *tr. 11. diffic. 13. n. 6.*

471 *Minimè possunt.* Minimè possunt in die festi duplicis, nisi ex præcepto festiuus sit sacris initiari. Quia ex priuilegiorum tenore patescit. Nam Regulares solummodo possunt sacris initiari extra tempora diebus Dominicis, *aut festiuis duplicibus* (vt loquitur Alexander VI.) *vel aliis festiuis diebus* (vt Gregorius XIII. profatur:) Sed duplex festiuus vel dies festus solum denotat diem, in quo celebratur officium de Sancto, qui feriatus à laboribus à populo colitur: Ergo Minorem probo, quia *tò Festiuus* in suâ primæuâ significatione nil aliud significat, quàm diem feriatum, apud Hispanos, *Dia de olgar*, vt annotat Ambros. Calep. *v. Festus dies.* Deinde quia Festum duplex diuiditur in festum duplex festiuũ (cuius Ordinis sunt festa primæ, ac secundæ Classis, & alia, quæ ab Ecclesiâ celebrari præcipiuntur è seruili labore abstinendo) & in festum duplex non festiuum (cuius Classis sunt festa Doctorum, & alia huiusmodi quæ solùm dicuntur duplicia in ordine ad chorum.) Ergo ex vi tenoris priuilegij Alexandri solùm possunt Regulares promoueri ad sacros Ordines diebus festiuis? id est fariatis.

472 *Hoc verius putarim.* Hanc partem profectò veriorem esse putarim, quia nomine *diei festi* absolutè prolati solum feriatus dies, in quo populus ab operibus seruilibus cessat intelligitur, vt constat ex illo: *Non in die festo*, ex Tridentino *Sess. 5. c. 2. sess. 22. in decreto de observandis, & vitandis in celebr. Missar.* & ex cap. *Omnes dies*, & ex c. *Quoniam*, & ex cap. *Licet*, *de feriis.* iunctis Glossis: & ex communi modo loquendi.

CAPVT

CAPVT XX.

Circa sacrorum Ministrorum Obligationes.

PROBL. CXXV.

Obligatio, quam Subdiaconi contrahunt, ad continentiam seruandam, est, & non est ex mera Ecclesiæ constitutione.

473 *Nonnulla supponit.*

SVPPONO initiatos sacris Ordinibus non obligari iure diuino, sed solum Ecclesiastico, ad continentiam seruandam. Quia quod est ex iure diuino indispensabile est: Atqui tam in Ecclesiâ Græcâ, quàm in Latinâ permissum aliquando, vt qui Subdiaconatu, aut Diaconatu initiati erant iustas ob causas ad Matrimonium ineundum procedant, sumus experti. Audi Tridentini *sess.24.can.9.* definitionem: *Siquis dixerit, Clericos in sacris constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ, vel voto: anathema sit.* Vbi sacrorum Ministrorum continentiam non in diuinum aliquod præceptum, sed in legem Ecclesiasticam quoad Clericos, & in solemne votum quo ad Regulares professos refert.

474 *Est ex mera Ecclesiæ constitutione.*

Quæsierim autem, num hæc obligatio (v.g.) Subdiaconi ad continentiam seruandam, sit ex meta constitutione Ecclesiasticâ, an simul ex annexo voto implicito ab Ecclesiâ præcepto castitatis, quod Deo dum sacris initiatur, emittit? Non est ex voto immediatè quod Ecclesia annexuit Ordini sacro, sed ex merâ Ecclesiæ constitutione illi continentiam præcipientis. Quia cum votum sit de consilio, & promissio voluntaria Deo facta de meliori bono, seu lex priuata quam quisque sibi imponit, non potest sub Ecclesiæ præcepto cadere. Dicitur verò votum castitatis implicitum fieri à Subdiacono, non quia ipse verè castitatem voueat; Sed quia statutum illud Ecclesiasticum respicit maiorem Dei cultum eundemque Religionis finem, quem votum ipsum natura sua intendit: & appellari solemne, quia instar voti solemnis dirimit Matrimonium. Sic Sotus *in 4. dist.37.q.vni.* Palud. *ibi, q.1.a.2.n.14.* Valent. *3.p.d.9.q.5.punct.5.§.1. & in controu.l.vni. de cœlibatu, c.2.* Pro câdem sententiâ plures Doctores refert Sanch. *de Matrim. d.27. quæst.2. num.9.*

475 *Nõ est ex mera Ecclesiæ cõstitutione.*

Ecclesia ad Subdiaconatum promouendo præcipit, vt volens hoc Ordine initiari, simul in ipsâ Ordinatione, Deo continentiam promittat: & consequenter præcipit illi immediatum continentiæ votum non absolutè, quia est de consilio: sed ex suppositione, quod velit, ad Subdiaconatum eleuari. Quia hoc suader apertissimum D. Gregorij testimonium, quod habetur c. *Nullum d.28.* ibi: *Nullum facere Subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se victurum castè promiserit.* Vbi Glossa, illud verbum *promiserit* notat expressam vel tacitam promissionẽ, aut votum significare. *Si autem* (inquit) *quæris, quomodo Ecclesia imposuit alicui necessitatem continendi, cum continentia sit res voti, non præcepti; dico, quod Ecclesia, neminem cogit continere: sed in Ordine, quem dat, potest imponere legem, quam vult; sicut quilibet alius in traditione rei suæ: vt ff. de pactis, in traditionibus.* Ita D. Thom. *in 4. dist.37.q.1.a.1.* Caiet. *tom.1. Opusc. tr.27. quæstiunc. vni.* Sotus *l.7. de iust. q.4.a.2.& q.5.art.3. ad 2.* Azor. *l.13. c.12.q.6.* Medi. *de Sacr. viror. contin. l.5. c.2.* Nauar. *c.22. n.52.* Bellarm. *l.1. de Matr. c.21.* Sanch. *in Decal. tom.2. l.1. c.6. n.2. & 3. & de Matr. l.7. d.27. q.2. n.10.* Basil. Pontif. *l.7. de Matr. c.27. n.7.* Vasq. *tom.3. in 3.p.d.249. c.2. & 3.* March. *tr.2. p.6. c.8. diffic.6.*

476 *Cum his opinor.*

Cum his opinor, assertionemque confirmo ex Cap. *Assumi* ex Concilio Arelatensi III. *eadem distinct. Assumi aliquem ad Sacerdotium in coniugij vinculo constitutum, non oportet: nisi fuerit promissa conuersio*, id est nisi fuerit facta continentiæ promissio. Clarius idem colligo ex c. *Diaconi eadem distinct.* ibi: *Professi continentiam.* Ex quibus testimoniis deduxerim, Ecclesiam ab Altaris Ministris immediatè exigere continentiæ promissionem, & votum emissum. Quarè qui Subdiaconatum voluntariè recipit, non verbis, sed facto ipso continentiam, quam norit illi gradui esse annexam Deo implicitè vouet.

PROB. CXXVI.

Initiatur quis Subdiaconatu cum aliquo substantiali defectu, vel ex parte materiæ, vel formæ, vel intentionis, &c. Hic obligatus manet, & non manet obligatus ad seruandam continentiam.

477 *Manet obligatus.*

MAnet obligatus ad continentiam. Quia votum fuit simul cum receptione Subdiaconatus implicitè emissum, & licet Ordo inualidus fuit, manet autem votum, quod quis voluntariè emisit, simplex scilicet ex sacri Ordinis inualiditate. Vt si quis inualidè in aliqua Religione professeretur, vel ex defectu ætatis, &c. is voto simplici castitatis astringitur, cap. *Placet, de conuer. coniugat.* Sic Ioan. Andr. Dominic. & Brunel. apud Sanch. *citandum.* & alij, quos presso nomine refert Marchin. *tract.2. p.6. c.8. diffic.8.*

478 *Obligatus nõ manet.*

Non manet ad continentiam obligatus. Quia ablato principali, corruit accessorium: Ergo ablata Ordinis validitate, quod est principale, corruit continentiæ obligatio, quod est accessorium. Ita Marchin. *citat.* Sanch. *l.7. de Matrim. d.27. n.13.* Paludan. *in 4. dist.38. q.2. a. vni. n.11.* Supplem. Gabrielis *ibi, q.vni. a.2.* Candidus *disquis.28. a.9. dub.3.* Leand. *tr.6. d.13. q.4.* & Barbosa apud ipsum.

479 *Eiusdem sententiæ.*

Eiusdem mentis sum infirmum adiudicans primæ sententiæ fundamentum. Quia votum castitatis in professione non est accessorium sed principale, & ideo professione non subsistente alicuius circunstantiæ ob defectum, adhuc vori

voti obligatio quoad essentiam subsistit. At qui subdiaconatum recipit, non vouet primò & per se castitatem, sed solum ex consequenti, & accessoriè, hoc est, suppositis sacris Ordinationibus, cuius valore sublato, quod principale est, corruit, & ipsa continentiæ obligatio, quæ valori Ordinis velut fundamini innitebatur.

PROBLEM. CXXVII.

Quis per vim, vel metum iniustum cadentem in constantem virum Ordines sacros suscipit: Hic quidem tenetur, & non tenetur continentiæ lege.

SVppono, si per vim, vel per metum initiatus non consenserit Ordinationi, tunc nullum oriri continentiæ onus, consequentérque posse ducere vxorem, & illud Matrimonium tàm coram Deo, quàm in facie Ecclesiæ esse validum. Quia absque intentione recipiendi sacramentum character Ordinis non tenet, vnde consequenter corruit onus continentiæ in eo fundatum. At si vis, vel metus sit iustè incussus cùm Prælatus necessitate Ecclesiæ vigente aliquem ad sacros Ordines præcepto compellit, cui tamen ipsi consensisset: tunc compulsus lege continentiæ adstringitur. Quia irrationabiliter est inuitus: nec iniuriam patitur, si ad sacros Ordines in publicam vtilitatem compellitur: & ita fuit à Valerio Augustinus initiatus, si Possidonio in *in eius vita* credimus. Tota igitur difficultas est de ordinato per metum & vim iniustè incussam.

Certè illud fuit verum votum, quantumuis metu graui incusso emissum, & consequenter sic vouens continentiæ lege tenetur, donec ab Ecclesia dispensetur votum: etsi interim nubet matrimonium non est quidem irritum, sed irritandum. Quia qui vel metu sacra vnda diluitur, adhuc Christianæ Religionis legibus tenetur, Cap. *de Iudæis, dist.* 45. Ergo similiter coactè ordinatus lege continentiæ adstringitur. Et quia Concilium Toletanum VIII. *c.* 7. proponit aliquorum sacerdotum corruptelam, qui à sacerdotio recedebant, ac ducebant vxores sub colore, quòd ad sacros Ordines per metum & vim assumpti fuissent. At duplici argumento hanc pravam refellit consuetudinem: primò exemplo baptizati per vim, & metum, qui nihilominus tenetur legem Christianam obseruare; secundò, exemplo Templi, vel, Calicis, qui accepta consecratione, re integra profanari non possunt. Et concludit, istos, tametsi inuitos, vel metu ordinatos, cogendos esse castitatem seruare, & matrimonio iunctos vt Apostatas esse puniendos. Sic Archidiac. *c.* 2. *de Iudæis, in fine.* Henric. Boitius *in cap. Maiores, n.* 5. *de Baptis.* Petr. de Ledes. *de matr. q.* 55. *a.* 4. Rebel. *de oblig. iust. p.* 2. *l.* 1. *q.* 5 *post* 2. *concl.* Comitol. *resp. moral. l.* 1. *q.* 55. *n.* 3. Basil. Pon. *l.* 7. *de matr. c.* 29. Diana *p.* 2. *tr.* 4. *resol.* 193. & alij plures apud Sanch. *l.* 2. *d.* 29. *n.* 4.

Sacris Ordinibus initiatus per vim vel metum iniustè incussum cadentem in constantem virum lege perpetuæ continentiæ ex vi voti minimè tenetur. Quia illud votum nullum est iure naturæ, Canonico, & diuino. Et quidem matrimonij exemplo suadetur, quod graui metu nitum à iure irritatur, Cap. *Verùm de Regular.* & Cap. *Veniens de sponsal.* Et exemplo solemnis professionis, quæ similiter ipso iure est irrita, si per vim, vel metum grauem emittatur. Cap. *Perlatum*, & Cap. *Cum dilectis, de iis, quæ vi.* Inducto argumento à contrario sensu, quod in iure est validissimum. Ita plurimi Doctores, quos refert, & sequitur Sanchez *citatus.* Queis addiderim Glossam ad cap. *Maiores, v. conditionaliter.* Hieron. Paulum *in praxi Cancel. fol. mihi* 55. Graf. *decis.* 19. & 20. Barthol. de Ledes. *de ord. dub.* 14. *collat.* 4. *vers. Annotare.* Azor. *l.* 3. *c.* 14. *q.* 8. Vgolin. *de offic. Episc. c.* 13. *n.* 5. Sayr. *in Clavi, l.* 6. *c.* 4. *n.* 20. Coninch. *d.* 10. *n.* 143. Bonac. *de matr. q.* 3. *punct.* 2. *n.* 14. Marchin. *tr.* 2. *p.* 6. *c.* 8. *diffic.* 9.

His firmiter adhæreo, quia votum solemne etiam tacitum perpetuæ continentiæ, constituens hominem in statu à quo retrocedere non potest, naturâ sua exigit plenam voluntatis libertatem, quam non habet, qui ex metu graui operatur: & ideo crediderim falli eos, qui asserunt illud liberum sat esse ad votum perpetuę continentiæ, quod sufficit, ad peccatum lethale patrandum. Nã cum votũ perpetuæ cõtinẽtiæ sit adeò difficile, & de solo consilio, non de præcepto, naturâ sua exigit plenum libertatem, quo deficiente votum non permanebit. Cæterum obligatio in baptizato viuendi secundum leges Christianas est essentialiter annexa Characteri Baptismi: & ideò qui vult antecedès vult cõsequẽs de necessitate: at onus cõtinentiæ est accessorium Ordini sacro ex statuto Ecclesiæ, & ideò stat, quem voluisse initiari; non tamen voluisse onus continentiæ subire, ad quod plena libertas exigebatur. Certè Toletanum Concilium Prouinciale erat, próinde non cogit. At etiamsi esset vniuersale, apertè loquitur de illis, qui suscepium Ordinem pluries ratum habuerunt, & in eo per multos annos permanserunt, actuique Ordinis sæpè exercuere. Vnde de huiusmodi Clericis optimè asserituṛ vti Apostatas ab Ordine puniendos, si vxorem ducant, vel cogendos seruare, quod promisere. Quia ex eo quod per liberam ratificationem elegerunt, in Ordine sacro permanere, etiam ad continentiæ onus se deuinxerunt.

483 *His adhæreo doctrinabus.*

PROBL. CXXVIII.

Tenetur, & non tenetur continentiæ lege qui post vsum rationis, ante pubertatem, sacris fuit initiatus.

SI puer ante vsum rationis Ordines sacros susciperet, postquam ad rationis vsum perueniet, danda ei optio, num velit in statu Ecclesiastico permanere, vel non? Si nolit permanere in statu Ecclesiastico, potest ducere vxorem, nec ab Ecclesia cogi ad continentiam. Quia ignorantia voti, eiusdem obligationem abstulit, qua cognita, iam non vult vouere, & reclamat, vt post multos docet Sanch. *l.* 1. *de matr. d.* 30. *n.* 3. Quid autem si habens plenum rationis vsum sed ante pubertatem sacros recipit ordines, sciens onus castitatis illi esse annexum?

484

SCOBAR
Mor.
Tom. III. IV.

nexum ? Num hic seruandæ castitatis lege adstringatur ?

485 *Non tenetur lege castitatis.* Non tenetur castitatis lege, potestque vxorem ducere. Quia votum solemne castitatis in professione ante pubertatem emissum non est validum, Cap. *Ad nostram, de Regular.* Ergo idem dicendum de voto solemni tacito sacri Ordinis : siquidem eadem ratio in vtroque casu militat, scilicet lenitas ingenij puerorum, qui aliquem statum amplectuntur, quem postea amplexatos esse dolent. Sic Maiol. *l. 1. de Irregul. n. 6.* Sanch. *d. 30. n. 8.* Squillant. *n. 85.* & alij ab his relati.

486 *Tenetur castitatis lege.* Tenetur lege castitatis nec potest contrahere Matrimoniũ. Quia habet rationis vsum, plenã habet libertatem, doli est capax, sponsalia potest inire, & matrimonium, valet perpetuæ castitatis votum simplex emittere, & arctissimæ Religionis ingressum promittere: Ergo poterit etiam matrimonium spirituale cum Deo contrahere, & sui corporis dominium sacri Ordinis susceptione in Dominum transferre. Ita Glos. *in Cap. Pueri, q. 1. v. Ad sacros.* Imola *ad Cap. Ioannes, n. 22. de Cler. coniugat.* Vega *to. 2. sum. c. 57. casu 7.* Sotus *de Iust. l. 7. q. 2. a. 5.* Caiet. *2. 2. q. 88. a. 9.* Coninch. *d. 20. n. 136.* Bonac. *de matrim. q. 3. pun. 9. n. 9.* Basil. Pont. *l. 7. de matr. cap. 29. n. 15.* & probabilem sustinet Barbosa *de offic. Episc. alleg. 15. n. 4.*

487 *Hoc mihi probabilius* Hoc probabilius iudico, quia si solùm ius naturæ considero, hæc obligatio facta cum plena deliberatione irrita non est: & nullum legoius Canonicum eam irritam reddens. Nam licet Tridentinum *sess. 25 c. 15. de Regular* professionem factam ante annum decimumsextum completum irritam reddit, non est similis noster casus. Professio enim solemnis præter onus perpetuæ castitatis, includit etiam paupertatis ac obedientiæ votum, & plures Religionis regulas obseruandas quidem non sine ingenti difficultate, & ideo maturiori deliberatione opus est, quapropter ad eam gerendam annus Nouitiatus præcedit. At susceptio Ordinis sacri præter onus continentiæ & officij Canonici recitationem (quod etiam professus debet persolnere) nihil amplius includit : ideóque non valet argumentum à professione solemni ante pubertatem irrita, ad vinculum continentiæ Ordini sacro adnexum, quod nullo Canonico iure expressè irritatur.

PROBLEM. CXXIX.

Clerici, qui tonsuram gestare tenentur, peccant, & non peccant lethaliter, eam non gestando.

488 *Nonnulla suppono.* SVppono gestationem Clericæ seu tonsuræ Clericalis factæ in capitis summitate instar coronæ, initium sumpsisse à D. Petro (auctore Beda *l. 5. hist. Anglic.* & Germano Patriar. Constantinop. *theoria rerum Ecclesiastic. to. 4. Bibliot. antiq. PP.*) qui aut propria voluntate sic est actionis in memoriam Dominicæ spineæ Coronæ, aut ab iis, ad quos missus fuit ad prædicandum, in ludibrium, quod Ecclesia voluit in honorem conuerti. Porrò Doctores conueniunt, Clericos minoribus ordinatos habentes Ecclesiasticum Beneficium: & maioribus Ordinibus initiatos, quamuis Beneficio carentes, teneri tonsuram Clericalem gestare, quia id præcipitur sacris initiatis in Cap. *Si quis, de vita, & honest. Clericor.* & minorum Ordinum Clericis Beneficium habentibus in Cap. *Ioannes de Cleric coniug.* & idem præscribitur vtisque in motu proprio edito à Pio V. super reformat. Cleri vrbis (& idem est de habitu Clericali, quia id eis indicitur in *Cap. penult. de vita, & honest. Clericor.* & in Clement. *Quoniam*, *eodem titulo.*) At Clericos minoribus initiatos carentes Beneficio, non teneri tonsuram Clericalem gestare: imo hos, qui bigami sunt, non posse, constat ex *Cap. Alterationis, de Bigamis in 6.* His præmissis.

Iam vertitur in quæstionem, num Clerici qui tonsuram gestare tenẽtur, delinquant mortaliter eam non gestando ? Non peccant mortaliter ex vi præcepti, secluso contemptu, & contumacia. Qui ex præcepta humana ex vi sua, secluso contemptu, & contumacia non obligant sub mortali. Sic Caietan. *in Sum. v. Clericorum peccata.* 489 *Non peccant mortaliter.*

Mortaliter peccant. Quia est omissio rei grauis præceptæ. Ita Abbas *in Cap. si quis*, Angel. *v. Clericus 4. n. 1.* Nauar. *c. 25. n. 200.* 490 *Mortaliter peccant.*

Ego autem existimo præfatos Clericos ex vi præcepti illius posse mortaliter delinquere non gestando tonsuram in formam coronæ, sed de facto non peccare lethaliter, nisi quando mora temporis, in quo non gestatur, est adeò notabilis, vt detur occasio vilipendendi Clericalem statum. Quia id præcipitur Clericis in statu Clericalis honorem, vt non vilipendatur. Vnde ex hoc fine desumenda est, me iudice, grauitas, aut lenitas transgressionis huiusce præcepti, quę attenta mora temporis, & attento consueto modo, discernenda est arbitrio prudentis. Ideò quamuis res præcepta grauis sit ex obiecto, id est, possit esse grauis: de facto tamen potest esse lenis ex, moræ temporis paruitate. Mecum Sylues. *v. Clericus 2. n. 2.* Armil. *n. 11.* Vasq. *d. 250. n. 24.* Reginal. *l. 30. c. 2.* Layman. *c. 12. pun. 6.* Hurtad. *diffic. vlt.* Caietanum verò crediderim manifestè falli, vt contra ipsum communiter edocent Doctores in tract. de legibus ; quia præcepta humana, etiam secluso contemptu, & contumacia, ex vi sua obligare non dubito. 491 *Mediam ierò quam*

INDEX
RERVM ET VERBORVM,
Quæ in hoc Tomo tertio continentur.

Prior numerus paginam, Posterior numerum Marginalem indicat.

A

Abbas.

ABbates ins mitræ habentes possunt suis subditis Regularibus minores Ordines conferre, imò, & sæcularibus Episcopo subditis, ex ipsius licentia. p. 202. n. 31.

Sicut & aliis Regularibus, qui speciales litteras dimissorias à suis Superioribus, & specialem Episcopi licentiam habuerint. ibid. n. 32.

Abbas excommunicatus, aut interdictus valide confert minores Ordines. pag. 202. n. 33.

Abbates tantùm possunt ordinare in Monasterij sui Templo. ibid. n. 34.

Abbates non possunt ordinare Nouitios suos ante professionem. p. 203. n. 35.

Abbates exempti habentes diœcesim cum iurisdictione Episcopali, possunt etiam subditis sæcularibus concedere dimissorias litteras. p. 204. n. 7.

Abbates omnes mitrati possunt suis subditis sæcularibus minores Ordines ministrare post Tridentinum, & quas qualitates ad hoc habere debeant. p. 225. n. 207. & seq.

Abbates qui suis subditis Regularibus minores Ordines valent conferre, possunt eos suis Nouitiis ministrare. ibid. n. 212. & seq.

Abbates qui suos subditos Regulares possunt ordinare, possunt etiam alterius Ordinis Religiosos minoribus Ordinibus initiare. p. 226. n. 215. & seq.

Abbates mitrati possunt sæculares minoribus Ordinibus cum litteris dimissoriis initiare. ibid. n. 218. & seq.

Abbates non omnes potestatem habent litteras dimissoriales ad Ordines suscipiendum suis subditis concedendi. p. 253. n. 411. & seq.

Acetum.

Acetum non est materia consecrabilis. p. 49. n. 189. & seq.

Acolytatus.

Acolytatus materia totalis est traditio candelabri, & vrceoli. p. 220. n. 174.

Adulti.

Adulti sunt Extremæ-vnctionis capaces mox post Baptismum susceptum. p. 172. n. 36. & p. 183. n. 122. & seq.

Æger.

Æger qui post sumptum viaticum mortaliter deliquit, non tenetur ad diuinum implendum præceptum iterum communicare. p. 76. n. 410. & seq.

Ægro, qui in mortis articulo deglutire non potest Eucharistiæ particulam, ministrandane est sanguinis species. ibid. n. 412. & seqq.

Æger vtrum prius teneatur recipere viaticum quàm Extremam-vnctionem. p. 175. n. 61. & seqq.

Æger qui sufficienti vsu rationis præditus nunquam deliquit, est capax Extremæ-vnctionis. p. 182. n. 119. & seq.

Æger in eo debet existere statu vt graviter ad mortem laborare videatur, vt valide Extremam-vnctionem recipiat. p. 185. n. 137. & seq.

Ægro repentino morbo correpto ministranda est Extrema-vnctio saltem sub conditione, sine præuia confessione. p. 186. n. 146. & seq.

Ægro vnctionem recipienti non sufficit attritio vt talis cognita. p. 197. n. 222.

Ægro non confertur effectus vnctionis Sacramentalis, si vnam vel duas vnctiones tantùm acceperit, & minister intendat eam communi modo conferre. p. 195. n. 193. & seq.

Æger qui per modum viatici Eucharistiam non ieiunus accepit, vult rursum Eucharistiam sumere, debetne ieiunium præmittere. p. 70. n. 364. & seq.

Ætas.

Ætas præscripta requiritur in ritè ordinando, iuxta Ecclesiastica iura. p. 205. n. 59.

Ætatis dubium impedit promotionem ad Ordines. ibid. n. 66.

Index Rerum,

Ætas septennij sufficit ad minores Ordines suscipiendos. p. 231. n. 253 & seq.

Ætatis moderatio facta à Concilio Viennensi circa ordinandos. p. 232. n. 258.

in Ætate ordinandorum supputanda dies Bissextilis est enumerandus. p. 235. n. 285. & seq.

Altare.

Altare quid sit in communi. p. 100. n. 96.

Altare ecclesiasticum dupliciter sumitur. ibid. n. 97.

Altare quantæ dimensionis, & longitudinis esse debeat. p. 100. n. 105.

Altare consecratum nequit duobus constare lapidibus. ibid. n. 106.

Si Altari consecrato noui lapides addantur, quid agendum. p. 106. n. 107.

Altare portatile clausum ligno, non amittit consecrationem per separationem à loco, & quomodo aliàs amittatur. p. 101. n. 108. & seq.

Altare quomodo polluitur, & reconciliatur. ibid. n. 110.

In Altari non potest celebrare Sacerdos, in quo eodem die celebrauit Episcopus. ibid. n. 111.

Altaria quisnam possit construere, vel destruere. ibid n. 102.

In Altari fixo non debet necessariò totum ædificium esse lapideum. ibid. n. 103.

Amens.

Amentes à natiuitate ac perpetuò furiosi non sunt extremæ vnctionis capaces. p. 184. n. 131. & seq.

Amentes, pueri, & perpetuò furiosi si ordinentur recipiunt caracterem. p. 205. n. 55.

Angelus.

Angelus potest diuina dispensatione conferre Ordines. p. 202. n. 20.

Apostata.

Apostatæ, & fugitiui à Religione, vtrum aliquando possint frui Iubilæis, & Indulgentiis in defunctorum gratiam expensis. p. 26. n. 233. & seq.

Aqua.

Aqua vino Calicis miscenda debet esse in minori quantitate. p. 33. n. 27.

Aquæ gutta vino calicis mixta vtrùm immediate conuertatur in Dominicum Sanguinem. p. 49. n. 191. & seq.

Aquæ immixtio in calice non est de iure diuino. p. 51. n. 204. & seq.

Aquæ quantitas vino admiscenda vtrum possit determinari. ibid. n. 206. & seqq.

Aquæ guttulæ quæ intra Calicis latera separatæ à vino assolent detineri, an debeant censeri consecratæ. ibid n. 209. & seqq.

Auus.

Aui origo sufficit, vt eius nepos ab Episcopo illius loci possit Ordinibus initiari. p. 241. n. 327. & seq.

Auxilium.

Auxilia quæ per Missam conferuntur non semper sunt efficacia. p. 122. n. 248. & seq.

B

Beneficium.

Beneficia curata vtrum inducant obligationem dicendi Missam pro aliis. p. 158. n. 577. & seq.

Beneficiarius.

Beneficiarij simplices non obligantur celebrare, nisi ex fundatione aut consuetudine. p. 108. n. 151.

Beneficiarius curatus tenetur sacrum facere omnibus diebus, quibus Parochiani tenentur audire. ibid. n. 152.

Beneficiarius potest iusto stipendio concesso aliis Missas dicendas committere sibi reseruans residuum. p. 109. n. 157.

Beneficiarius potest accepto stipendio Missam alteri applicare, etsi beneficium habeat simplex onus cantandi Missam in assignato Templo. p. 158. n. 572.

Beneficiarius plura beneficia in diuersis Diœcesibus habens potest à quolibet illarum Antistite ad Ordines admitti. p. 242. n. 339. & seq.

Blatta.

Blatta non est idonea consecrationis materia, & qui talem panem consecraret grauiter peccaret. p. 46. n. 159. & seq.

Bonum.

Bona à patre filio assignata ad sacros Ordines suscipiendos, sunt connumeranda in diuisione bonorum cum aliis fratribus, etsi succedant legitimæ loco. p. 249. n. 384. & seq.

Bulla.

Bullæ Cruciatæ virtute nõ potest à quolibet Sacerdote sumi communio. p. 81. n. 445. & seq.

Bulla beatificationis exprimit, vt personæ designatæ tantùm liceat Missam de tali Beato dicere. p. 105. n. 143.

C

Cæcus.

Cæci à natiuitate, aut manibus mutilati, an & quomodo debeant inungi. p. 187. n. 153. & seq.

Calix.

Calix cum vino, & patena cum hostia est materia remota Sacerdotalis Ordinis; & quæ materia proxima. p. 21. n. 14.

Calix & hostia tangenda super Altare. p. 100. n. 101.

Calix, & patena requiruntur ad Missæ celebrationem. p. 102. n. 119.

Calicies & patenæ mystica significatio. ibid.

Calix, & patena ex qua materia debeant esse. ibid. n. 122.

Calix stanneus non permittitur nisi ratione paupertatis. p. 102. n. 123.

Calix potest fieri ex plumbo, vel cupro inaurato. ibid. n. 124.

Calix & patena debent consecrari per Episcopum. ibid. n. 125.

Calix non amittit consecrationem per separationem cuppæ à pede cùm iunctura est tornatilis. p. 146. n. 475. vide *vasa.*

Si Calix fuerit sine vino consecratus, non debet simul noua hostia consecrari. p. 154. n. 536.

Calicis cum vino, & patenæ cum hostia materia est de necessitate Sacramenti Præsbyteratus. p. 218. n. 163. & seq.

Campana.

Campanæ possunt pulsari ad commonendum

dum populum de communionis generalis Iubilæo.p.22.n.207.& seq.

Canon.

In Canone Missæ,eiusque omissione verborum datur materiæ levitas.p.151.n.515.

Capellanus.

Capellani circa dicendam pro alio Missam obligatio.p.108.n.150.

Capellanus potest iusto stipendio concesso aliis Missas dicendas committere, sibi reservans residuum.p.109.n.157.

Capellanus non debet ipsemet tot missas celebrare quot præscripsit fundator.p.159.n.581. & seq.

Capellanus qui sine iusta causa mutauit locum designatum à fundatore ad celebrandam Missam,tenetur ad restitutionem.ibid.n.584. & seq.

Capellanus qui tenetur celebrare quotidie non potest singulis hebdomadis vnam, aut alteram Missam omittere.p.160.n. 588.& seq.

Capitulum

Capitulum Sede vacante non potest litteras dimissorias intra annum à morte Episcopi concedere. p.203.n.42.

Capitulum Sede vacante quandonam possit litteras dimissorias conferre.ibid.n.43.

Capitulum, & Vicarius generalis Episcopi Sede vacante habent dispensationem interstitiorum.p.206.n.67.

Capitulum, aut vicarius sede vacante, quare possint in interstitiis dispensare.p.260.n.460.

Cardinalatus.

Cardinalatus non est verus Ordo Ecclesiæ. p. 212.n.114.& seq.

Cardinalis.

Cardinales, Presbyteri, & simplex Sacerdos possunt ex Papæ licentia ordinare. pag.202. n.30.

Cardinales Presbyteri possunt suis familiaribus conferre primam tonsuram,aut Ordines minores,ex privilegio, vel consuetudine. p.224.n.202. & seq.

Character.

Character est secundus effectus Ordinis.p.207. n.77.

Character Ordinis quid sit.ibid.n.78.

Christus.

Christus in consecratione panis vsus fuit particula *enim*. p.52.n.228.& seq.

Christus se offert Deo Patri in Missa.p. 90. n.20.

Et Ecclesia offert Missæ sacrificium per Sacerdotes. p.90.nn.21.

Christus per se nulli applicat fructus sacrificij Missæ. p. 93.n.46.

Christus pro seipso Missam offerre non potest,benè tamen reliqui Sacerdotes. ibidem n.47.

Christus est principalis res sacrificata in Missa. p.89.n.17.

Christus vtrum in cruce obtulerit verum sacrificium.p.113.n.191.& seq.

Christus offert nunc immediatè Missæ sacrificium.p.117.n.217.& seq.

Cingulum.

Cingulum Sacerdotis debet esse benedictum. P.147.n.478.

Cingulum ita ruptum, vt neutra pars dimissa ad cingendum sufficiat, non retinet benedictionem.47.n.481.& seq.

Clericus.

Clerici Diacono inferiores, & laici aliquando possunt seipsos communicare. p.83.n.455. & seq.

Clerici minorum Ordinum solùm peccant venialiter in mortali sua munia exercendo. p.213.n.226.& seq.

Clericus in minoribus constitutus fit irregularis,si indutus dalmatica,& manipulo Epistolam in Missa solemni cantet. p.214. n.136. & seq.

Clericus qui ante legitimam ætatem Sacerdotio initiatus,suspensus manet, non est simul ab inferiorum Ordinum executione suspensus.p.233.n.267.

Clericus qui ante legitimam ætatem Sacerdotiũ bona fide init,postmodũ verò ante legitimam ætatem mala fide celebrat, non fit irregularis,sed mortaliter peccat. p.234.n.274.

Clericus malâ fide ante legitimam ætatem ordinatus, non potest ætate completa sine dispensatione susceptum Ordinem exercere. ibid.n.276.

Clerici ante legitimam ætatem maiores Ordines susciptentes,& quisque proprium munus secũdum susceptum Ordinem Episcopo celebrante obit,vtrum omnes incurrant irregularitatem.p.135.n.281.& seq.

Clericus minoribus tantùm initiatus non peccat contrahendo matrimoniũ.p.239.n.311.

Clericus non potest sacris initiari,nisi aliquo titulo ad victum necessaria habeat. p.245. n.360.

Potest tamen cum sola fideiussione alimentorum.ibid.n.362.& seq.

Clericus qui sub vero titulo Diaconatum recepit, mox renunciato patrimonio presbyteratum suscipit,vtrum incurrat suspensionem. p.247.n.370.& seqq.

Clericus non potest renunciare patrimonio, ad cuius titulum fuit ordinatus, sine Episcopi licentia.p.248.n.381.& seq.

Clerici,an mortaliter peccẽt non gestando tonsuram clericalem p.264.n.488.& seq.

Communio.

Communio cunctis licita die Veneris Sancti. p.77.n.419.& seq.

Communio quotidiana vtrum omnibus existentibus in gratia vtilior,& singulis suadenda.ibid.n.421.& seqq. p 78.

Communio quotidiana licita cunctis fidelibus non habentibus peccati lethalis conscientiam.ibid.n.421.

Compostella.

Compostellæ commorantes possunt lucrari Iubilæum.p.3.n.20.

Compostellani incolæ tenentur tantum semel inuisere ecclesiam ad Iubilæum consequendum.p 4.n.21.

Concilium.

Concilij clausula,qua Sacerdotes,qui sine præuia confessione communicarunt, monentur quam primùm confiteri, continet

præceptum, non solùm consilium p.61.n.296. & seq.

Confessarius.

Confessarius potest virtute Iubilæi duarum, hebdemadarum commutare votũ vouendi castitatẽ, sicut & alia vota.p.5.n.39.&seqq.

Confessarius potest commutare omnia vota quorum pœnitens non meminerit Iubilæi tempore.p.5.n.49.

Confessarius qui ex facultate Iubilæi eligitur ad commutanda opera præscripta, non debet necessariò esse solus qui ad confessionem ad Iubilæi lucrationem eligitur.p.15.n.144. & seq.

Confessarius potest virtute Iubilæi extra confessionem vota commutare.ibid. n.147. & seq.

Confessarius potens virtute Iubilæi commutare iuramenta etiam commutare vota potest, p.16 n.156.& seq.

Confessarius cui virtute Iubilæi impenditur facultas commutandi vota, exceptis votis Religionis,& castitatis, non potest commutare iuramenta ingrediendi Religionem,& castitatem obseruandi.p18.n.168.& seq.

Confessarius potest virtute Iubilæi iuramentum commutare,quod quis emisit,ad aliquod votum confirmandum.p 17.n 159.& seq.

Confessarius Iubilæi virtute potest commutare vota Religionis,aut Castitatis,emissa leui metu ab extrinseco incusso.ibidem n.171.& sequent.

Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ potest absoluere à suspensione incursa per susceptionem Ordinum ante legitimam ætatem. p. 134.n.279.& seq.

Confessio.

Confessionem debere præmitti ad Eucharistiã susciendam, si communicaturus sit lethalis piaculi reus,fuit ante Concilium Tridentinum obligatio.p.56.n.259.& seq.

Coniugium.

Coniugia inita post Sacerdotium nullibi sunt licita nec valida.p.207.n.80.

Coniugia licita quibusdam in locis Diaconis, & Subdiaconis.ibid.n.81.

Consecratio.

Ad Consecrationem requiritur vt materia consecranda sit Sacerdoti præsens. p. 33.n.31.

Ad Consecrationem requiritur ea quantitas quæ possitpronomine *hoc*,vel *hic*,designari. p 33.n.32.

Consecrationis panis forma.p.34.n.35.

Consecrationis vini forma.ibid.n.37.

In Consecratione pronomen *hoc*, vel *hic*,supponit confusè.ibid.

Consecratio, & sumptio simul constituunt essentialiter Missæ Sacrificium.ibid.n.16.

Consecratio altaris portatilis quomodo amittatur.p.101.n 108.

Consecratio sola potest essentialiter missæ Sacrificium constituere,p.114.n. 196.& seq.

Consecratio non tollitur ab altari quoties à lapide amouetur lignum, in quo est lucellus in quo reconduntur reliquiæ.p.142.n.245.& seq.

Consecratio altaris non perditur quoties eius cornua quæ solent vngi franguntur.p.242. n.248.& seq.

Consecratio & sumptio simul possunt constitui,vt constituant Missæ Sacrificium. p.115. n.202.& seqq.

Consuetudo.

Consuetudo in Hispania,& Germania initiandi eadem die minoribus Ordinibus, & Subdiaconatu,an laudabilis,& retinenda. p. 258.n. 444.& seq.

Contactus.

Contactus materiæ est de essentia Sacramenti Ordinis.p.200.n.10.

Contactus hostiæ,& Sanguinis non est necessarius in Sacerdotio.ibid.n.11.

Contactus physicus an sit necessarius ex parte ordinandi.ibid.n.12.

Contactus non debet necessariò fieri simul in instanti mathematico cum verborum prolatione.ibid.n.13.

Copula.

Copula coniugalis an, & quando possit impedire communionem.p.40.n.95.

Copula coniugalis habita in ecclesia ratione necessitatis,non pollut illam.p.137.n.379.

Copula coniugalis vtrum possit esse licita in loco sacro,ibid.n.381.& seqq.

Corporale.

Corporale requiritur ad Missæ celebrationem, p.101.n.13.

Corporale vnde sic dictum. ibid. Eius materia quæ esse debeat.ibid.

Quando amittat consecrationem.ibid.

Corporale potest fieri ex cannabe.pag.343.n. 146.

Corporale reliquæque Altaris mappæ vtrum possint ex gossipio fieri. pagin. 144. n.448. & seq.

Crux.

Crux collocanda super Altare ad Missæ celebrationem.p.102.n.117.

D

Decretum.

Decretum Concilij Tridentini circa Missarum reductionem.p.165. n.626.

Decretum Tridentini de Missarum reductione de quibus loquatur.ibid.

Decretum Tridentini prædictum non extenditur ad Missas dotationum post Concilium relictas.ibid.n.131.& seq.

Deus.

Deus attendit ad intentionem Sacerdotis, non ad eius obligationem in Missæ Sacrificio. p. 118.n.223.& seq.

Diaconatus.

Diaconatus est verum nouæ legis Sacramentum.p.209.n.96.& seq.

Diaconatus totalis materia proxima non est scala libri Euangeliorum traditio.p. 229.n.166. & seq.

Diaconus.

Diaconus, imò & laicus ex delegatione poterunt Eucharistiam ministrare.p. 36.n.52.

Diacono vrgente necessitate poterit ab Episcopo,& Sacerdote committi facultas ministrandi Eucharistiam.ibid.n.53.

Diaconus potest Eucharistiam moribundo ministrare, vbi Sacerdos Pastor adest, & iniquè

iuisque illi denegat facultatem eam ministrandi.pag.79.n.427.& seq.

Diacono præsente non potest Sacerdos communione laica Eucharistiam sumere.p.82.n. 451.& n.453.

Diaconi non peccant moraliter, solemniter ministrando cùm in mortali existunt.p.214. n.129.& seq. Peccant tamen venialiter.ibid. n.132.& seq.

Diaconi, & Subdiaconi non tenentur Missæ solemni seruire.p.110.n.168.

Diaconus prædicans in mortali occulto non delinquit mortaliter. p.215. numero 139. & seq.

Diaconi officium.p.202.n.25.

et Subdiaconi officium.ibid.

Distantia.

Distantia vnius leucæ inter pœnitentem & confessarium, vtrum sit sufficiens causa, vt pœnitens possit vrgente necessitate absque præuia confessione communicare.p.64.num. 319.& seqq.

E

Ecclesia:

Ecclesiæ inuisendæ ad lucrandum Iubilæũ debent quotidie visitari.p.2.n.10.

Ecclesia iustis de causis communionem laicis sub vtraque specie prohibuit. p.83.n. 460.

In Ecclesia Christi datur verum,proprium, ac visibile sacrificium.p.88.n.10.

Ecclesiæ Cathedrales debent quotidie Missam celebrare,sicut Collegiales, & Conuentuales, vbi adest sufficiens copia Sacerdotum p.95.n.69.& seq.

Ecclesia quomodo violetur homicidio. p. 99. n.88.Et quomodo humani sanguinis profusione. ibid. n.89. Et seminis humani effusione, vel sepulturæ excommunicati. ibid. n. 90. & seq.

Ecclesia destructa amittit consecrationem.ibidem n.92.

Ecclesia polluta quomodo reconcilianda.ibid. n.95.

Ecclesia violatur quando intra Templum datur causa mortis sine sanguinis effusione, quomodocumque detur.p.136.numero 370. & sequent.

Ecclesia violatur per profluentem sanguinis effusionem è natibus. ibid.373.& seq.

Ecclesia violatur si quis intra eam fuerit percussus, & extra sanguinem profuderit. ibidem n.376.& seq.

Ecclesia non violatur per copulam coniugalem in ea habitam ratione necessitatis.p.137.n. n.379.& seq.

Ecclesiæ non consecratæ parietes debent abradi si in ea sepultus fuit infidelis; secus si fuerit consecrata.p.138.n.393.

Ecclesia & Cœmeterium solùm benedicta,possunt reconciliari,si fuerint violata, per simplicem Sacerdotem cum aqua benedicta. p.139.n.403.

Ecclesiæ violatio non tollitur per Missæ celebrationem.p.140.n.412.& seq.

Episcopatus.

Episcopatus materia an sit sola impositio manuum trium Episcoporum super caput illius qui est consecrandus.p.216.numero 150. & sequent.

Episcopatus nequit nisi in Dominica die conferri.p.208.n.87.

Episcopatus est ordo Ecclesiasticus. pag. 210. num.102.

Episcopus.

Episcopis commissa est designatio loci apti ad Missam celebrandum.p.97.n.182.

Episcopi quid possint circa celebrationis locum.p.98.n.85.

Episcopi soli possunt altaria consecrare iure communi, alij Sacerdotes ex priuilegio. p. 100.n.99.

Episcopus non potest concedere facultatem simplici Sacerdoti reconciliandi templũ consecratum violatum. p. 139. n. 408. & seq.

Episcopus conferens minores Ordines in mortali, non delinquit mortaliter p. 215.n.148. & seq.

Episcopus ita potest Missarum stipendia taxare, vt nec maius,nec minus dari possit. p.160.n.594. & seq.

Episcopus quid possit circa reductionem Missarum. p.110.n.164.

Episcopus tenetur ex iustitia Parocho deficiente Extremam-vnctionem ministrare, alij autem ex charitate.p.171.n.29.

Episcopus solus potest calices,& patenas consecrare,alij ex priuilegio.p.102.n.26.

Episcopi possunt vrgente necessitate sine Synodo,Missas,de quibus Concilium Tridentinum loquitur reducere. p.166. n.634. & sequent.

Episcopus Extremam-vnctionem ministrans vti debet oleo,non chrismate.p.189.n.174. & seq.

Episcopus solùm proprius, & ordinarius est Ordinis Minister. p.202.n.27.

Episcopus licet excommunicatus,aut suspensus validè confert Ordines.ibid.n.28.

Episcopus non potest ordinari nisi à tribus Episcopis. p.203. n.36.

Episcopus non potest ordinare subditum alterius Episcopi sine eius licentia.ibid.n.37.

Episcopus orignis quis propriè dicatur.ibidem n.38.

Episcopus domicilij, quis sit, & quis item beneficij.ibid.n.39.40.

Episcopus,an possit ordinare subditum alterius Episcopi sub spe ratihabitionis.p.204.n.45.

Episcopus nondum consecratus potest litteras dimissorias impendere. pagina 203. n.41.

Episcopus habet dispensationem interstitiorum temporum in susceptione Ordinum. pagina 206.n.65.

Episcopus ordinans quem scit non impleuisse interstitia,censetur dispensare.ibidem numero 66.

Episcopis licet aliquando ex iusta causa Ordines maiores die Dominica conferre.p.208. num.85.

Episcopus cõficiens Sacramẽtalia dum in mortali existit, non peccat mortaliter.p.215.n. 142.& seq.

Episcopus consecrans Chrisma, vel oleum infirmorum dum in mortali existit non peccat mortaliter.p.215.n.145.& seq.
Episcopus impertiens primam Tonsuram alterius subdito, incurrit pœnam suspensionis latæ in cap. *Eo qui*. p.239.numer.214. & sequent.
Episcopus extra propriam Dœcesim non potest suis subditis Ordines impendere,consensu proprij Episcopi non petito.p.240.n.317. & seq.
Episcopo potest quis tripliciter subiici.p. 240. n.319.
Episcopus an possit ordinare illum,qui fortuitò in sua Dœcesi natus est. ibidem numero 320.& seq.
Episcopus hæreticus, vel degradatus valide potest Ordines conferre. pagina 223. num. 193.
Episcopus per saltum ordinatus, nec minoribus initiatus, validè potest hos Ordines conferre.ibid.n.195.& seq.
Episcopus nequit facultatem ordinandi, nec etiam primam Tonsuram impertiendi Parocho, aut simplici Sacerdoti concedere.pag. 228.n.230.& seq.
Episcopus qui puerum ante rationis vsum minoribus Ordinibus, aut Tonsura initiaret, peccaret mortaliter.p.231.num. 250.& sequent.
Episcopus potest licitè admittere ad Ordines eum qui linguam Latinam non bene callet, sed est bona indole præditus, vnde speratur, vt postmodùm necessaria addiscat. p. 236. n.292.& seq.
Episcopus potest familiarem triennalem alterius Episcopi subditum Ordinibus initiare,& quomodo.p.243.n.344.
Episcopus non satisfacit oneri conferendi statim beneficium familiari triennali,coferendo illud cùm primùm vacauerit.ibidem n.346. & seq.
Episcopus non potest ad titulum patrimonij, vel pensionis triennalem familiarem ordinare pro suæ Ecclesiæ necessitate,vel vtilitate. ibid.n.349.& seq.
Episcopo licet suis subditis conferre primam Tonsuram in priuato Oratorio,sine Episcopi Diœcesani licentia. p. 244.n.352. & sequenti.
Episcopus conferens Ordines alieno sine litteris dimissoriis non est per annum ab omnium Ordinum collatione suspensus. ibid. n.355.& seq.
Episcopus non potest Ordinem suscipiendum denegare Regulari, qui litteras habet dimissoriales à suo Prælato, etsi forte instrumenta præcedentium Ordinum omiserit.pag. 254.n.414.& seq.
Episcopus potest diebus dominicis, vel festis minores Ordines pluribus quàm duobus conferre.p.255.n.425.& 427.
Episcopo non licet sine necessitate post prandium minores Ordines conferre. pag. 256. n.430.
Episcopus an possit maiores Ordines mane diei Dominicæ post generalem in Sabbato ordinationem conferre.ibidem. numer.431. & seq.
Episcopus qui in Missa Sabbati ablutionem sumpsit poterit ex causa, sequenti Dominica maiores Ordines conferre. pagina 257.num. 435.& seq.
Episcopo licet eadem die primam Tonsuram, & omnes minores Ordines eidem impertiri. p.157.n.442.& seq.
Episcopus non potest eadem die plures Ordines maiores eidē siue Regulari,siue Sæculari conferre.p.258.n.447.

Eucharistia.

Eucharistiæ nomen quid significet.pagina 31. num.1.
Eucharistia proprium est nouæ legis Sacramentum. ibid. n.2.
Eucharistia in vltima cœna die 14. Lunæ Martij à Christo fuit instituta. ibidem n.3. 4. 5.
Eucharistiæ definitio.ibid.n.6.
Eucharistia constat ex speciebus panis, & vini,& corpore, ac sanguine Christi. ibidem n.7.
Eucharistia est omnium Sacramentorum perfectissimum.p.32.n.2.
Eucharistia sub diuersis speciebus corporis & Sanguinis Christi vnum constituit sacramentum. ibid.n 10.
Eucharistiæ materia remota.ibid.n.11.& 20. & seqq.
Vide in verb. *Panis*.
Eucharistia adorotione latriæ adoranda. p.35. n.41.debetque absolutè adorari. p.35. numero 42.
Eucharistia necessaria ad salutem necessitate præcepti.p.35.n.45.
Ad Eucharistiæ administrationem non requiritur approbatio Ordinarij.p.36.n.61.
Eucharistia est deneganda publico peccatori, in loco vbi publicum est peccatum.p.37.numer.68.
Debet tamen ministrari emendato.ibid.numero 69.
Eucharistia concedi potest peccatori occulto non emendato,publicè petenti. ibid.numero 70.
Non tamen debet concedi si occultè petat. ibidem.n.71.
Eucheristia vtrum vt quādo possit concedi his, qui criminis suspicione laborant.ibibidem n. 72.
Eucharistia tripliciter potest recipi. pagina 38 n.73.
Eucharistia danda est amenti, qui aliquando vsum rationis habuit.ibid.n.79.
Eucharistia quando debeat dari semifatuis.ibidem n.80.
Eucharistia quando sit concedenda surdis, & mutis.ibid.n.81. Quando vevò surdis, mutis, vt cæcis simul.ibid. n.82. Quando energumenis ibid.n. 83. Quando pueris vsum rationis habentibus.ibid.n.84. Et quando pueri censendi sint sufficientem discretionem habere ad Eucharistiam suscipiendam.p.39.numero 85.
Ad Eucharistiam suscipiendam debet susceturus certitudinem moralem habere quod in gratia existat.ibid n.86.
Ad Eucharistiæ sumptionem nihil ex parte corporis præter carentiam cibi & potus requiritur.

ritur. pag.40.n.96.
Et hoc ieiunium, debet esse naturale. ibidem n.97.
Post Eucharistiam sumptam mox licet comedere, sed non decet.ibid.n.102.
Eucharistia sumi potest à non ieiunio ob viaticum obeuntis naturaliter.p.40.n.103.Sicut & obeuntis violenter. p.41.n.104. Et cùm in corporali aut patena particula aliqua inuenitur.ibid.n.106.
Ad Eucharistiæ sacramẽtum conficiendum debet materia conficeranda coram Sacerdote existere, nec sufficit à tergo. p.43.n.131.& 133.
Ad Eucharistiam conficiendam vtrum sufficiat materiam esse præsentem secundum aliquam partem, vt tota possit consecrari. p. 43.n.134.& seq.
Eucharistia est vnum specie atoma Sacramentum.p.45.n.153.& seq.
Eucharistiæ Sacramentum fuit mense Martio institutum.p.46.n.156.& seq.
Eucharistia vtrum ministranda neophytis, & energumenis.p.53.n.239.& seq.
Eucharistiam sumere cum peccato veniali vtrũ sit peccatum veniale. pag. 54.num. 245.& seqq.
Ad eucharistiæ effectum non requiritur actualis deuotio suscipientis. pag.55.numero 249. & seq.
Eucharistiam suscipere potest, qui ante communionem degustit aliquid non comestibile. p.66. 334.& seq.
Ad Eucharistiam recipiendam necesse non est cibum esse digestum, vel dormisse post cœnam.p.68.n.346.& seq.
Eucharistiam sumens cum peccato mortali, & prohibitus per censuram à receptione Sacramentorum, committit vnicum peccatum duobus æquivalens.p.56.n.256.
Eucharistia non est medium necessarium ad primam iustificationem. p.72.numero. 388. &.seq.
Eucharistia est medium necessarium ad perseuerandum in gratia. pagina 73. num. 392. & seq.
Eucharistia vtrũ possit pestis tempore moribũdo ministrari medio aliquo instrumento, ne sacerdos manu tangat infirmum, & inficiatur.p.76.n.415.& seqq.
Eucharistiam potest quis dupliciter dispensare, p.79.n.425.
Eucharistiæ receptæ quatuor enumerantur effectus.p 83.n.470.
Eucharistia quandonam conferat gratiam habitualem.p.83.n.470.& seqq.
Eucharistia aliquando confert primam gratiam p.85.n.490.& seq.
Eucharistiæ virtute præter vnionem animæ cum Deo fit etiam aliqua vnio inter carnem suscipientis, & carnem Christi. p. 85. n.496.& seq.
Eucharistia in hac vita non producit in corpore suscipientis dignè aliquam qualitatem. p.86. n.499.& seq.
Eucharistiæ primarius effectus est augere gratiam.p.4.n.110. Quem effectum commu-cat cum primùm ex ore trancitur in stomachum.ibid.n.111.
Eucharistia dum in stomacho perseuerat gratiam non auget.ibid.n.112.
Eucharistiæ antidoto à peccatis seruamur. p.41.n.114.
Eucharistia peccata venialia remittit, & temporalem pœnam pro peccatis debitam, & speciali suauitate animum reficit.ibid.num. 115.& seqq.
Eucharistia specialissimam cum Christo ac fideli peragit vnionem.p.42.n.118.
Eucharistia fomitem concupiscentiæ moderatur, digneque communicanti impertitur resurrectionem ad vitam æternam. ibid.n.119. & seq.
Eucharistiæ duplex necessitas, alia sacramenti alia sacrificij.ibid.n.121.

Extrema-vnctio.

Extrema-vnctio quomodo possit à pluribus Sacerdotibus partialiter conferri. p.189.n.168. & seq.
Extrema vnctio vnde sic dicta.p.169.n.1.
Extremæ-vnctionis sacramentum de fide est, à Christo esse institutum. ibid.n.2.
Extremæ-vnctionis sacramentum quid sit. ibidem n.3.
Extremæ-vnctionis materia remota. ibid.numero 4.
Extremæ-vnctionis sacramentum non potest sacro Chrismate perfici.ibid.n.6.
Extremæ-vnctionis materia proxima. pag.170. num. 7.
Ad extremæ-vnctionis validitatem non requiritur quod sit oleum eo anno benedictum. ibid.n.9.
Vide in verb. *Vnctio.*
Extremæ-vnctionis forma. p.170. n.10 Proferenda modo deprecatiuo, quod sufficit.ibid.n. 19.& seq. Quæ forma essentialiter requirit, vt explicetur materia proxima huius sacramenti.ibid.n.21.
Extrema-vnctio in casu necessitatis potest à Ministro perfici, sub vnica prolatione formæ attingendo quinque sensus.pagina 170.numero 22.
Extrema-vnctio potest tempore pestis virga mediante subministrari.p.171.n.23.
Extremæ-vnctionis Minister solus Sacerdos. ibid.n.24.
Extrema-vnctio non potest à Regulari Sacerdote ministrari nisi necessitate vigente.ibid. numero 25.
Extrema-vnctio potest validè conferri à pluribus Sacerdotibus partialiter concurrentibus. ibidem n.27.
Quod extra necessitatem non debet fieri.ibidem.
Extremæ-vnctionis quis sit propriè capax susceptor.p.172.n.32.
Extrema-vnctio quibus possit ministrari. ibidem n.33.
Et qui sint huius incapaces. ibidem numero 34.
Extrema vnctio potest dari pueris peccati capacibus, licèt nondum Eucharistiam receperint.ibid.n.35.
Extrema-vnctio administrari debet si fieri potest dum adhuc æger pollet vsu rationis. pag. 172.n.37.
Extrema-vnctio quam dispositionem requirat

rat in ſui cipiente. ibidem numero 38. eius omiſſio ex negligentia non eſt peccatum mortale; Poteſtque recipit ante pœnitentiam, & Euchariſtiam. ibidem numero 39. & ſequent.

Extrema - vnctio non cadit ſub præcepto. p. 175. n. 56. & ſeq.

Extremæ-vnctionis recuſatio non excuſatur à peccato veniali. ibid. n. 59. & ſeq.

Extremæ-vnctionis ſacramentum non neceſſariò debet fieri in modum Crucis. ibidem num. 86. & ſeq.

Neque eſt de neceſsitate præcepti quod inunctio fiat per modum Crucis. pagina 179. num. 89.

Extrema - vnctio an validè conficeretur, omiſſa particula; *Et ſuam piſſimam miſericordiam.* p. 180. n. 97. & ſeqq. Non validè tamen conficeretur omiſſa particula; *Per viſum, per auditum, &c.* ibidem n. 101. & ſeq.

Extremæ-vnctionis forma deprecatiua an ſit de neceſsitate Sacramenti. ibidem num. 103. & ſeqq.

Extrema - vnctio poteſt conferri pueris de quorum rationis vſu dubitatur. pag. 182. numero 113. & ſeq.

Sicut & pueris, qui annos diſcretionis attigerint, etiam ſi ob ætatis defectum ſint recipiendæ Euchariſtiæ incapaces. ibidem numero 116. & ſeq.

Extrema-vnctio vtrum fuerit Deiparę miniſtrata. p. 123. numero 124. & ſeqq.

Extrema - vnctio nequit bis conferri niſi ægrotus conualuerit. ibid. numero 204. & ſequent.

Extrema - vnctio poteſt ſine neceſsitate conferri ſine Miniſtro reſpondente. pagina 196. n. 207. & ſeq.

Extrema - vnctio tribuit corpori ſanitatem vbi ſaluti animæ expedierit. p. 195. num. 200. & ſeq.

Extrema - vnctio non eſt miniſtranda capitali ſupplicio plectendis. ibidem numero 134. & ſeq.

Extrema - vnctio miniſtranda eſt lethaliter vulneratis, aut morſu viperarum correptis. p. 185. n. 143. & ſeq.

Extrema-vnctio poteſt à quolibet Sacerdote miniſtrari præſente Paroeho, ſed eam denegante. p. 188. n. 161. & ſeq.

F

Facultas.

FAcultates omnes quæ ratione quærendæ Indulgentiæ conceduntur, ſuſpenduntur virtute Iubilæi Romani p. 3. n. 16.

Facultates aliquæ non ſuſpenduntur virtute Iubilæi prædicti. ibidem n. 17.

Facultates quas habent Regulares ex vi ſuorum priuilegiorum, ad abſoluendum ſæculares à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, non ſuſpenduntur per Iubilæum Romanum. p. 9. numero 84. & ſeq.

Facultas commutandi vota virtute Iubilæi, extenditur ad commutanda iuramenta adiecta contractui in quo eſt turpitudo, aut iniuſtitia p. 17. num. 162. & ſeq.

Facultas adminiſtrandi Euchariſtiam aliis à Diacono extra extremam neceſsitatem, minimè eſt à iure conceſſa. p. 36. n. 54.

Facultas præſumpta ſufficit ad Euchariſtiæ adminiſtrationem. p. 36. n. 59.

Facultates abſoluendi ac diſpenſandi, Religioſis conceſſæ, non ſuſpenduntur per renouationem Iubilæi Romani. p. 6. numero 57. & ſeq.

Farina.

Farina triticea ſi aqua roſacea, vel alia non naturali ſubigatur, non erit apta conſecrationi materia. p. 46. numero 162. & ſequent.

Fidelis.

Fideles poſſunt lucrari in Eccleſiis monialium Diui Franciſci Regulam profitentium, Iubilæum Sanctæ Mariæ de Angelis, licet tales Moniales ſub Ordinariorum, non Regularium regimine viuant. pagina 29. n. 251. & ſeq.

Fidelis poteſt in Paſchate communicare abſque præuia confeſsione, quando adeſt Sacerdos, ſed non approbatus. p. 59. n. 284. & ſeq.

Fidelis ad implendum communionis præceptum non poteſt non ieiunus communicare. p. 69. numero 361. & ſeq.

Fidelis qui communicauit paulò ante periculum mortis, non tenetur ad diuinum implendum præceptum iterum in periculo mortis communicare. pagina 75. numero 407. & ſeq.

Fideles coofferentes, vtrum participent aliquem ſatisfactionis fructum opere operato, ex Miſſa à Sacerdote vt perſona particulari oblata. p. 122. n. 253. & ſeqq.

Fœmina.

Fœminà poterit reſpondere Miſſæ, viro muto aut ignaro miniſtrante. pagina 168. num. 652. & ſeq.

Fœmina non poteſt proximè Miſſæ miniſtrare. p. 111. n. 175.

Fœminæ nec prima Tonſura, nec minoribus Ordinibus poſſunt initiari, etiam ex Pontificis diſpenſatione. p. 229. n. 233.

Fœmina quæ prorumpente natura tranſit in virum non poteſt ad Ordines licitè admitti. p. 229. n. 240. & 242.

Forenſes.

Forenſium appellatione quinam deſignentur. pag. 2. n. 12.

Forma.

Forma Euchariſtiæ ſacramentum conficiens. p. 34. n. 35. & ſeq.

Forma huius Sacramenti per quam tranſpoſitionem, mutationem, diminutionem, vel addi-

additionem annulletur. ibid. n. 36.

G

Graduatus.

GRaduatus in Sacra Theologia, vel iure Canonico, non potest sub titulo literaturæ, absque beneficio, aut patrimonio ad sacros Ordines promoueri. p. 251. n. 396. & seq.

Gratia.

Gratia quæ communicari debebat suscipienti Eucharistiam, nec communicatur ob indispositionem, sublata indispositione, & consumptis speciebus nequit amplius communicari. p. 41. n. 113.

Gratia augetur ex opere operato dum species sacramentales in stomacho durant, si dispositio recipientis Eucharistiam melioratur. p. 84. n. 484. & seq.

Vt Gratiæ augmentum recipiat qui Eucharistiam sumit non requiritur præter statum gratiæ deuotionis affectus. pagin. 85. numero 493.

Gratia habitualis requiritur in illo, cui remissio pœnæ temporis ex opere operato est conferenda. p. 124. n. 269

H

Hermaphroditus.

HErmaphroditus in quo prævalet sexus virilis potest sine dispensatione Pontificis Ordinibus initiari. pagin. 229. nu. 237. & sequent.

Homo.

Homo solus potest tribus modis Eucharistiam suscipere. p. 38. n. 74.

Homo non baptizatus nequit sacramentaliter Eucharistiam suscipere, potest tamen spiritualiter. ibid. n. 71

Hostia.

Hostia, & calix retinendus super altare. p. 100 num. 101

Hostiæ quæ super aram collocantur, quas celebrans non adnertit ante consecrationem, sed post illam, hæ quidem non manent consecratæ. p. 45. n. 147. & seq.

Hostiis pluribus consecratis vna non consecrata admiscetur, vtrum eam Sacerdos possit consecrare. pagina 149. numero 149. & sequent.

Hostiæ tunc consecratæ sumptio requisita est ad Missæ sacrificium. pag. 116. n. 208. & seqq.

I

Ieiunium.

IEiunium, & communio aliàs debita sufficit ad Iubilæi duarum hebdomadarum consequutionem. pagin. 4. num. 30.

Vt Ieiunium naturale violetur duo requiruntur. p. 66. n. 332.

Ieiunij violatio per saccari sumptionem post mediam noctem, impedit communionem. p. 67. n. 343. & seq.

Ieiunij dubium negatiuum impedit communionem. p. 68. n. 349. & seq.

Ieiunium solum ex parte corporis requiritur ad Eucharistiæ sumptionem, & hoc naturale. p. 40. n. 97. & seq.

Ieiunium necessarium ad Eucharistiam suscipiendam læditur cibo & potu ad medicinam sumpto. ibid. n. 98.

Non tamen læditur traiectione per modum saliuæ. ibid. n. 99.

Nec fructularum dentibus adhærentium. ibid. num. 100

Bene tamen læditur saccaro sumpto post mediam noctem, diffluente in stomachum. ibid. n. 101

Immunditia.

Immunditia corporis non impedit communionem. p. 40. n. 93

Impetratio.

Impetratio specialium auxiliorum, quæ confertur his pro quibus Missæ Sacrificium offertur, an semper sit infallibilis. p. 121 n. 144. & seqq.

Indulgentiæ.

Indulgentia plenaria non debet publicari sub nomine Iubilæi, ideò in earum publicatione cautè procedendum est. p. 2. n. 5

Indulgentiæ plenariæ suspenduntur Iubilæi Romani virtute. p. 3. n. 14. Cum limitatione tamen. ibid. n. 15

Indulgentiæ ac facultates Bullæ Cruciatæ non suspenduntur per reuocationem in Iubilæo Romano expressam. p. 6. n. 54. & seq.

Indulgentiæ, & facultates sic per Iubilæum Romanum suspenduntur, vt non indigeant postmodum nouâ concessione, vt vim habeant Iubilæo transacto. pag. 6. numer. 60. & sequent.

Indulgentiæ aliæ omnes non suspenduntur Romæ durante Anni Sancti Iubilæo. p. 8. n. 75. & seq.

Indulgentiæ non plenariæ, & ab Ecclesiasticis Prælatis concessæ, seu concedendæ non suspenduntur durante Anni Sancti Iubilæo. ibid. n. 78. & seq.

Indulgentiæ quæ vinis conceduntur, vt eas pro defunctis valeant applicare, non suspenduntur durante Anni Sancti Iubilæo. p. 9. n. 81. & seq.

Indulgentiæ plenariæ, & non plenariæ Religiosis, eorumque Ecclesiis concessæ ferè sunt innumeræ. p. 26. n. 229.

Infans.

Infantes sunt suscipiendæ Eucharistiæ capaces. p. 53. n. 237. & seq.

Infantes, & perpetuò amentes baptizati si eis Eucha-

Index Rerum,

Eucharistia concedatur recipiunt gratiæ augmentum. p.38.n. 77. Non tamen debet eis concedi.ibid.n.78.

Infantes possunt fructum impetrationis ex Missa accipere ; & energumeni fructum satisfactionis p.93.n.51.

Infantes non sunt Extremæ-vnctionis capaces. p. 181n.110.& seq.

Infantes furiosi, & perpetuò amentes si ordinentur, recipiunt caracterem. pagina 205. num.55.

Infantes ante rationis vsum sunt omnium Ordinum capaces. p.230.n.244.& seq.

Infans vtrum ante rationis vsum possit ad Episcopatum promoueri. ibidem num. 246. & seqq.

Infidelis.

Infidelibus irruentibus post consecrationem, Sacerdos potest sacrificium imperfectum relinquere propter mortis periculum. p.157. num.566.

Iubilæum.

Iubilæi nomen,& origo.p.1.n.1.

Iubilæi antiquissimus vsus.p.2.n.2.

Iubilæum à quo Pontifice primò scriptis fuerit concessum,incertum est.ibid.n.3.

Iubilæum inter, & indulgentiam differentia. p.2.n.4.

Iubilæum non debet publicari sub nomine indulgentiæ plenariæ; ideò publicantes indulgentias cautè procedere debent.p.2.n.5.

Iubilæum Romanum qualiter sit concessum, ibid.n.6.

Iubilæi Romani fauores.ibid.n.7.

Iubilæi Compostellani concessionis forma.p.3. num.18.

Et circa idem iubilæum Alexandri concessio exprimitur.ibid.n.19.

Iubilæum Compostellanum non lucrantur qui Ecclesiam Apostoli non visitant. p.4.n. 22.

Iubilæum Compostellanum non suspendit gratias, & facultates sicut Romanum.ibid. num.23.

Iubilæum Compostellanum pluries in anno potest obtineri.ibid.n. 24.

Iubilæi duarum hebdomadarum concessionis modus.p.4.n.26.

Ad iubilæi duarum hebdomadarum lucrationem quæ sint necessaria. ibidem numer.27. & seqq.

Ad iubilæi prædicti lucrationem sufficit vltimum opus in gratia fieri, consultiùs præmittitur Confessio. ibid.n.32.

Iubilæi tempore potest fieri voti commutatio, & quomodo.ibid.n.33.

Iubilæi lucratio non est alligata.domicilio.p.5. num.36.

Iubilæum Romanum incipit à pernigilio natiuitatis Domini.p.7.n.69.& seq.

Iubilæum Romanum non potest obtineri tota pernigilij Natiuitatis die. p. 8.n.72. & seq.

Iubilæum Compostellanũ non concedit facultatem commutandi vota præter potestatem absoluendi à reseruatis.p.10.n 89.& 91.

Iubilæum duarum hebdomadarum non potest bis obtineri.p.11.n.93.& seq.

Iubilæo duarum hebdomadarum obtento in prima hebdomadâ, poterit pœnitens in secunda absolui à casibus reseruatis si inciderit.ibid.n.96.& seq.

Ad iubilæum duarum hebdomadarum obtinendum non tenetur confiteri qui peccati lethalis conscientiam non habet.p.12.n.105. & seq.

Ad iubilæum lucrandum sufficit Dominica sequenti post transactam hebdomadam confiteri.p.12.n.114.& seq.

Ad iubilæum obtinendum sufficit confiteri ipsa die Dominica qua solet promulgari. pag.13. n.116.& seq.

Iubilæum non lucratur qui illius tempore propter aliquam impotentiam physicam, vel moralem confiteri non potest, sed reliqua opera præscripta gerens, contritus communione se reficit.ibid.n.120.& seq.

Iubilæum non lucratur qui partem operum præscriptorum adimplet in prima hebdomada, & partem in secunda.p.14.n.129.

Ad iubilæum duarum hebdomadarum lucrandum sufficit quod fiat Sabbatho commutatio operum quę diebus præcedentibus geri debuissent.p.14.n.135.& seq.

Iubilæi tempore exacto poterit quis obtinere commutationem votorum Pontifici reseruatorum,quorum commutationem non efflagitauit.p.16.n.153.& seq.

Iubilæi communionis generalis, singulis mensibus in Societate Iesu, ac in aliis Religionibus lucrari soliti tenor,& exordium.p.19. n.185.

Iubilæi prædicti casus notabilis circa eius lucrationem. p.20.n.186. & seq.

Iubilæum Societatis prædictum poterit quis lucrari pluries in vrbe,in qua plures sunt domus Societatis.ibid.n.191.& seq.

Iubilæum prædictum potest obtineri in Ecclesiis Seminariorum Societatis. pag.21.n.194. & seq.

Iubilæum hoc potest obtineri in Capellis domorum Societatis.ibid n.196.

Iubilęum hoc potest obtineri in prędiorum Oratoriis.ibid.n.198.& seq.

Ad iubilæi cõmunionis generalis lucrationem non est necessarium pręmitti confessionem cùm quis lethali crimine non grauatur.p.22. num.201.& seq.

Ad iubilæi prędicti lucrationem necessarium non est suscipere communionem à Sacerdote Societatis Iesu.pag.22.n.204.& seq.

Iubilæi quadraginta horarum formula. p. 23. n.209.

Ad iubilæũ quadraginta horarũ obtinẽdũ non est necessaria continuatio orationis sine interruptione,toto quadraginta horarum tempore.ibid.n.211.& seq.

Iubilæi prędicti septennium non est necessariò computandum à die factę notitiæ eis in quorum gratiã concessum est.pag.24.n.215. & seq.

Iubilęum hoc valet, etsi pro eodem tempore in eadem Ecclesia aliud quodcumque iam concessum extet.p.24.n.218.& seq.

Pro iubilęi prędicti expeditione licet aliquid dare vel accipere. ibid.n.221.& seq.

Iubileum pro alicuius diei festiuitate concessũ non potest simul transferri, si festiuitatis celebritas à proprio die extrahatur. pagina 25. num.

numero 224. & sequent.
De Iubilæo Missionum Societatis IESV nonnulla præmittenda. p. 29. n. 253.
Iubilæum Missionum potest publicari in locis, & oppidis, vbi Societas domos, aut Collegia habet. p. 30. n. 258. & seq.

L

Laicus.

LAicus poterit ex delegatione Eucharistiam ministrare. p. 36. n. 52.
Laicus in extrema necessitate poterit sublato scandalo eucharistiam ministrare. ibid. num. 55.
Laicus accedens ad locum communionis, ibique recordatur grauis piaculi non confessi, non potest sine præuia confessione communicare quando communio fit secretè. p. 59. n. 178. & seq.
Laicis cunctis licet die veneris sancti communicare. p. 77. n. 419. & seq.
Laici possunt aliquando sine Ecclesiæ dispensatione Sanguinis speciem Sacramentalem absumere. p. 84. n. 462. & seq.
Laicus qui primam Tonsuram, & minores Ordines suscipit solùm animo euadendi sæculare iudicium, an peccet mortaliter. p. 288. n. 306. & seqq.

Legatus.

Legatus à latere potest litteras dimissoriales impertiri ad sacros Ordines percipiendos. p. 251. n. 399. & seq.

Linteum.

Linteum est altari apponendum ad Missæ celebrationem. p. 101. n. 115.
Lintea Altari deseruientia debent esse linea. ibidem.

Littera.

Litteræ dimissoriæ non expirant concedentis obitu. p. 204. n. 51.
Litteræ Apostolicæ, an censeantur subreptitiæ cùm ordinandus petens dispensationem dicit se esse oriundum à loco, in quo pater tantum fuit natus, non ordinandus. p. 241. n. 329. & seqq.
Litteræ dimissoriales non expirant morte naturali concedentis, nec morte ciuili. p. 254. n. 417. & seq.

Locus.

Locus sacer manet violatus per occultam causam ante eius manifestationem. pagina 138. n. 398. & seq.
Locus sacer est violatus ante iudicis sententiam declarantem talem publicam violationem. p. 139. n. 401. & seq.
Loca quædam pia quæ nec consecrata, nec benedicta sunt, vtrum sint violationi obnoxia. p. 140. n. 414. & seq.

Lora.

Lora vtrum possit consecrari. p. 48. num. 179. & seqq.

Lumen.

Lumen est necessariò requisitum ad Missæ celebrationem. p. 201. n. 116.
Lumen si deficiat ante consecrationem nec haberi possit, Missa est relinquenda, quacumque necessitate vrgente. ibid.

M

Mappa.

MAppæ tres præter corporale requiruntur ad Missæ celebrationem; Et vtrum sine illis celebrare sit mortale. p. 143. n. 437. & seq.

Minister.

Minister debet saltem habere virtualem consecrandi intentionem. p. 33. n. 30.
Ministrorum Missæ numerus iure diuino indefinitus. p. 110. n. 165.
Minister Missæ requiritur ex Ecclesiæ ritu. ibidem n. 167.
Ministrorum Missæ solemnis obligatio. p. 111. n. 169. Et Missæ priuatæ. ibid. n. 170.
Minister Eucharistiæ debet habere iurisdictionem ordinariam, vel delegatam in personam cui sacramentum administrat. p. 36. n. 58.
Minister publica authoritate constitutus requiritur ad essentiam sacrificij. p. 111. numer. 181. & seq.

Missa.

In Missa datur verum & proprium sacrificium. p. 88 n. 11.
Missa continet legis Euangelicæ sacrificium. p. 89. n. 12.
Missa quid significet. ibid. n. 13.
Missæ sacrificium vnicum est. ibid. n. 14.
Missa conuenit cum sacrificio crucis & cœnæ. p. 90. n. 8. Differt tamen accidentaliter à sacrificio cœnæ. ibid.
In Missa tres offerentes distinguuntur, & qui sint. ibid. n. 19.
Missæ sacrificium quatenus propitiatorium est, confert aliquo modo primam gratiam. p. 92. n. 38.
Missæ effectus est infallibilis, quatenus placat Deum. ibid. n. 39.
Missæ sacrificium quatenus impetratorium habet semper effectum aliquem infallibilem. ibid. n. 40.
Ob Missæ sacrificium Deus semper confert ea auxilia quibus peccator possit conuerti. p. 92. n. 4. Non tamen confert gratiæ sanctificantis augmentum ex opere operato. ibidem numero 42.
Missæ sacrificium conducit ad venialium remissionem. p. 92. n. 43.
Missa valet ad impetranda bona temporalia quatenus spiritualibus deseruiunt. p. 93. n. 45.
Missa potest offerri pro quibuslibet excommunicatis indirectè tamen. ibid. n. 49. Sicut & pro peccatoribus publicis. ibid. n. 50. Et pro defunctis in Purgatorio existentibus. ibidem num. 52.
Non tamen pro damnatis. p. 94. n. 53. Pro Sanctis impropriè offerri potest. ibidem numero. 54.
Missæ fructus, vt ab iis percipiatur pro quibus sacrificium offertur, quid in illis prærequiratur. ibid. n. 55.
Missæ valor quatenus à Christo offertur est infinitus quatenus est opus sacerdotis est finitus. ibidem numero 56. & 57.

Index Rerum,

Missæ fructus potest dici intensiuè, & extensiuè infinitus; cathegorematicè, vel syncathegorematicè. ibid. n. 58. & seqq.

Missæ fructum integrum iuxta dispositionem percipiunt plures coofferentes. p. 94. n. 61.

Missæ fructus quoad impetrationem est infinitus extensiuè syncathegorematicè, pag. 94. n. 62. Et quoad satisfactionem est extensiuè finitus. p. 95. n. 63.

Missæ quotidiana celebratio iure diuino nec præcipitur nec prohibetur. p. 95. n. 68.

Missa potest celebrari cunctis anni diebus excepto triduo maioris hebdomadæ. ibid. n. 71.

Missam pluries in die celebrare vetitum est iure Canonico, quod duas patitur exceptiones. ibid. n. 72. & seq. Et quæ necessitas ad hoc requiratur. p. 96. n. 74. & seqq.

Missa priuatur suo effectu quando celebrans refert suam intentionem ad applicationem alterius cui nondum Missam applicauit dum talis Missa dicebatur. p. 91. n. 30.

Missa habet vim ad impetrandos hos effectus pro quibus obtinendis offertur. p. 91. n. 33. Et talis impetratio potest considerari tripliciter. ibi. n. 34.

Missa ex opere operato pœnam aliquam temporalem remittit. p. 91 n. 35.

Missa de se est sufficiens ad impetrandū quodlibet bonum spirituale, & talis effectus potest præstari mediatè, vel immediatè. p. 92. n. 36. & seq.

Missæ fructus Sacerdotis intentione applicatur. p. 91. n. 26.

Missam licet celebrare ab aurora vsque ad meridiem; quæ regula patitur exceptiones. ibid. n. 77. & seq.

Missam non licet celebrare extra locum sacrum. p. 97. n. 81. Ab eaque regula exceptiones. p. 97. n. 83.

Missa non debet dici in Ecclesia violata p. 99. n. 93.

Missā Sacerdos sine altari consecrato celebrans peccat mortaliter. p. 100. n. 98.

Missam de Beato personæ designatæ tantùm licet dicere. p. 105. n. 143.

Missa solemnis cantari non potest ante Matutinum in Choro decantatum. ibid. n. 144.

Missæ defectus substantiales, & accidentales. ibid. n. 145.

Missæ defectibus substantialibus quomodo occurrendum. p. 106. num. 146. Et quomodo accidentalibus. ibid. n. 147.

Missa nunquam sine vrgenti causa interrumpenda. p. 107. n. 148.

Missam sine Ministro celebrare graue peccatū; à quo tamen necessitas excusat, & quæ requiratur. p. 111. n. 71. & seqq.

Missæ fructus dubius cùm celebrans nulli, aut incapaci applicat. p. 119. n. 228. & seq.

Missæ sacrificium habet aliquem effectum ex opere operato p. 119. n. 232. & seq.

Missa per se non confert immediatè primam gratiam, & peccati lethalis remissionem, iis pro quibus dicitur. p. 121. n. 241. & seq.

Missa quare dicatur propitiatorium. pag. 121. num. 243.

Missæ sacrificium, vtrum iustis actualiter in obiectis venialiter prauis, complacentibus remittat peccata venialia. pagina 222. num. 250. & seqq.

Missæ triplex fructus. p. 223. n. 256.

Missa potest directè quo infidelibus offerri. ibidem n. 261. & seq.

Missa vtrum possit pro Catechumenis offerri. p. 124. n. 253. & seqq.

Missam defunctorum nullus potest facere sibi celebrare dum viuit. ibid. n. 267. & seq.

Missæ effectus pro pœnâ debita, impeditus per peccatum non confertur peccato recedente. p. 124. n. 271. & seq.

Missæ effectus, & fructus crescit ex meliori dispositione recipientis. p. 125. numero 274. & sequent.

Missam non licet operto capite celebrare; quod necessitas excusat, & solus Pontifex hodie dispensat. p. 104. n. 134.

Missæ fructus vtrum & quomodo possit esse infinitus. p. 125. n. 276. & seqq.

Missæ duę an debeāt cantari, de festo scilicet, & de feria, in Ecclesiis Cathedralib. & collegiatis, quando casus occurrit. p. 127. n. 295. & seqq.

Missæ præfatæ vtrum in Ecclesiis Regularibus debeant cantari. p. 128. n. 298. & seqq.

Missa non potest inchoari ante auroræ initium. p. 132. n. 344.

Omnes tres Missæ in die Natalis Domini possunt nostu celebrari. p. 133. n. 347. & seq.

Missa potest celebrari sine licentia ante Auroræ initium ad communicādum infirmum alioqui sine viatico moriturum. ibid. num. 351. & seq.

Missa non potest celebrari hora tertia post meridiem. ibid. n. 355. & seq.

Missam licet celebrare in mari, vel flumine. p. 134. n. 358. & seq.

Missam extra locum sacrum celebrare crimen est. p. 13. n. 361.

In Missa si aliquid sit omissum quod ad substantiam sacrificij pertineat, est repetendum, secus non. p. 105. n. 140.

Missæ nihil addendum. ibid. num. 141.

Ad Missæ celebrationem requiruntur in Altari tres mappæ præter corporale. p. 143. n. 437. & sequent.

Ad Missę celebrationem debent sub veniali saltem duæ candelæ accendi. p. 144. n. 452.

Missa potest absque peccato, in necessitate sine cereo lumine celebrari. ibid. n. 455.

Missam licet celebrare necessitate vrgente cum lumine sebaceo, vel ex adipe. ibid. n. 158.

Missam sine Cruce celebrare mortale non est. p. 145. n. 460.

Missa Natiuitatis, aut alterius festi Deiparę potest dici per annum. p. 151. n. 518. & seq.

Missæ immutatio in festis Duplicibus est saltem veniale peccatum. p. 151. n. 522.

Missa aut officium diuinum non potest recitari de Sanctis Canonizatis, qui non habentur in Kalendario breuiarij, vel Missalis. p. 152. n. 527. & seq.

Missa an sit incepto Canone relinquenda, si eidem excommunicatus vitandus velit assistere. pagina 156. numero 562. & sequent.

Missa incepta vtrum possit repeti, si Princeps, Episcopus, aut supplicatio solemnis aduenerit. pagina 157. num. 568. & sequent.

Missæ fructus cui debeat applicari, si non clarè constet de intentione petentis. p.158. numero 574. & seqq.
Missam quotidianam in Ecclesiis Regularibus omitti, vtrum sit peccatum mortale. p.227. n.292. & seqq.

Missale.

Missale ita est necessarium, ad Missæ celebrationem, vt mortale piaculum sit sine illo Canonem recitare. p.102. n.118.

Mustum.

Mustum potest cõsecrari, sed non ritè sine vrgenti causa. p.33. n.22.
Mustum verum possit esse consecrationis materia. p.148. n.177. & seq.

N

Necessitas.

NEcessitas communicandi sine prævia confessione, vtrum sit necessitas sufficiens, quando vel ex confessione, vel ex omissione communionis sequetur scandalum. p.58. num.274. & seqq.

Notarij.

Notarij Regij, & pro sæculari foro deputati subscriptio sufficit, vt Iubilæorũ in aliquas festiuitates concessorum transumptis fides adhibeatur. p.25. n.227. & seq.

O

Oleum.

OLeum Extremæ-vnctionis quotannis innouandum, & vetus in Ecclesia comburendum. p.169. n.5.
Olei quæuis minima guttula sufficit ad cuiusuis sensus vnctionem. p.170. n.8.
Nec requiritur quod sit eo anno benedictum ad Sacramenti validitatem. ibid. n.9.
Oleũ extremę-vnctionis inseruiẽs debet esse simplex, & quę simplicitas requiratur. ibid. n.10.
Oleum Extremæ-vnctionis debet necessariò ab Episcopo esse benedictum. p.176. n.68. & seq.
Oleum prædictum vtrum possit ex commissione Pontificis à simplici Sacerdote benedici. p.177. n.70. & seqq.
Oleo infirmorum deficiente, potestne Parochus Extremam vnctionem Chrismate ministrare. p.177. n.73. & seqq.
Olei non benedicti pars minor admixta benedicto, vtrum sit sufficiens Extremę-vnctionis materia. ibid. n.76. & seqq.
Oleum esse eo anno benedictum non cadit sub graui præcepto. p.178. n.80. & seq.
Olei quæuis guttula sufficit ad ministrandum sacramentum. ibid. n.83. & seq.

Opus.

Opus quod iniungitur ad consequendum Iubilæum, & alij iubilæi fauores. p.2. n.8.
Opus iniunctum ad lucrandum Iubilæum ex Gregorij præscripto. ibid. n.9.
Opus iniunctum ad Romani iubilæi consequutionem quodnam sit. p.3. n.13.
Opera omnia pro consequutione iubilæi duarum hebdomadarum præscripta non debent necessariò in eadem præstari hebdomada. p.11. n.102. & seq.

Ordinandus.

Ordinandus qui bona fide ob aliorum testimonium, vel cum ignorantia vincibili non affectata Ordinem sacrum ante legitimam ætatem suscepit non incurrit suspensionem, nec lebrando irregularitatem. p.233. num. 270. & seq.
Ordinandus an fiat irregularis propter defectum scientiæ ad suscipiendos Ordines requisitæ. p.236. n.287.
Ordinandus nullo modo peccat qui primam Tonsuram, & minores ordines suscipit sine intentione ascendendi ad maiores. pag 238. n.305.
Ordinandus incurrit suspensionem, quiad sacros Ordines cum beneficio, vel patrimonio ficto promouetur. p.246. n.365. & seq.

Ordinari.

Ordinari potest quis ab Episcopo, in cuius diœcesi beneficium simplex, non residentiale obtinet. p.242. n.333.
Ordinari non potest quis ad titulum beneficij valdè tenuis. ibid. n.337.
Ordinari potest quis ad titulum beneficij, quẽ Episcopus illi animo illum ordinandi contulit. p.243. n.341. & 343.
Ordinari non potest quis ab alieno Episcopo sub ratihabitionis spe. p.245. n.357. & seqq.
Ordinari non potest filius qui à patre pingue n patrimoniũ expectat, nondũ tamen ei in patrimoniũ assignatũ est. p.247. n.374. & seq.
Ordinari potest quis sub titulo patrimonij quod consistit in censu redimili. ibid. n.377. & seq.
Ordinari non potest quis sub titulo beneficij quod impetrauit, cuius ei possessio prohibetur à iudice sæculari. p.250. n.390. & seq.
Ordinari potest qui Sabbatho post meridiem complet ætatem præscriptam. p.232. n.263.

Ordinatio.

Ordinatio Episcopi est nouæ legis sacramentum. p. 211. n.105. & seq.
In Ordinatione Episcopi infunditur caracter distinctus à caractere Sacerdotali. ibid. n.108. & seq.
Ad Ordinationem Episcopi non requiruntur ex præcepto diuino, & necessitate sacramenti tres Episcopi. p. 216. n.154 & seq.
Ordinatio Lectoris, vel Exorcistæ non est valida si fiat per traditionem libri Euangeliorum, in quo Prophetiæ, aut Exorcismi non continentur. p. 220. n. 176. & seq.
Ad Ordinationum singularum valorem requiritur de necessitate sacramenti ex parte ordinandi contactus physicus rei cuius traditione ordinatur. pagina 221. numero 181. & seqq.
Ordinatio est valida in ratione sacramenti etiamsi contactus rei non fiat simul cum prolatione verborum. pagina 222. n.186. & seq.
Ordinatio Sacerdotis qui tetigit Calicem, & patenam, sed non hostiam, an sit sub conditione repetenda. pag. 222. num. 188. & seqq.

Ordinatio excommunicati est valida, & irregularis, quamuis ante ordinationem Episcopus dicat; *Non intendo ordinare excommunicatum, irregularem, &c.* p. 224. n. 199. & seq.

Ordinatus.

Ordinatus extra tempora sine dispensatione incurrit suspensionem ab Ordinis executione. p. 208. n. 86.

Ordinatus quilibet non potest ex Pontificis priuilegio aliis eundem Ordinem conferre, quo ipse est initiatus. p. 227. n. 221. & seq.

Ordinatus, qui non consensit ordinationi, sed vi vel metu coactus fuit, non tenetur continentiæ lege. p. 263. n. 482. & seq.

Ordinatus post vsum rationis, sed ante pubertatem, tenetur continentiæ lege. ibid. n. 486. & seq.

Ordo.

Ordo Sacramentum quid sit. p. 199. n. 1.

Ordo Sacramentum quàm aptè sic appellatum. ibid. n. 2.

Et quando fuerit institutum. ibid. n. 3.

Ordines sacri quot sint. ibid. n. 4.

Ordo sacerdotalis vere est sacramentum. p. 200. num. 7.

Ordines cuncti vnum sacramentum dicuntur. ibid. n. 8.

Ordinis materia proxima, & remota. ibid. n. 9.

Ordinum singulorum, vt Diaconatus, Subdiaconatus, &c. materia. p. 201. n. 15. & seqq.

Ordinum minorum materia. p. 202. n. 26.

Ordines non validè conferuntur ei qui post vsũ rationis incidit in amentiam. p. 205. n. 56

Ordinum valida susceptio tria prærequirit in adulto alioquin capaci. ibid. n. 58.

Alia prærequisita ad Ordinum validam susceptionem. ibid. & seqq.

Ordinis sacramentum duplicem habet effectum. p. 207 n. 76.

Ordines sacri cœlibatus onus habent adiunctum Ecclesiastico iure. p. 207. n. 79.

Ordines sacri quibus temporibus conferendi. p. 207. n. 82.

Ordines sacri solis præscriptis temporibus conferendi. ibid. n. 83.

Ordines maiores, & minores validè extra Missarum solemnia conferri possunt. p. 208. n. 84.

Ordines quatuor minores sunt vera Ecclesiæ Sacramenta. p. 209. n. 93. & seq.

Ordines omnes septem fuerunt sigillatim, & in particulari à Christo Domino instituti. p. 213. n. 123. & seq.

Ad Ordinum validã susceptionem, vtrum sufficiat annum præscriptum esse per exiguum temporis spatium inchoatum. p. 232. numero 258. & seqq.

Ordine sacro initiatur quis titulo sub hac conditione accepto, vt post ordinationem illud largitori restituat, an is incurrat suspensionem. p. 246. n. 367. & seqq.

Ordo potest conferri sub titulo præstimonij, aut pensionis annuæ. p. 250. n. 393. & seq.

Ordines minores non possunt quacumque die conferri. p. 254. n. 420. & seq.

Ordines minores non debẽt de præcepto conferri in die festiuo. p. 255. n. 423. & seq.

Ordines duos sacros eadem die suscipiens mãnet ipso facto suspensus. p. 258. n. 449. & seq.

In Ordinum minorum susceptione interstitia temporum requiruntur. pagina 259. numero 453. & seq.

Ordinibus initiatus interstitiis non seruatis non incurrit suspensionem. ibid. num. 256. & seq.

Ordines minores ex rationabili causa possunt omnes simul conferri. p. 258. n. 445. & seq.

Ordinibus sacris initiati obligantur solùm iure Ecclesiastico ad continentiam seruandam. p. 62. n. 473.

Ordines sacros suscipiens propter vim vel metum cadentem in constantem virum, non tenetur continentiæ lege. p. 263. n. 582. & sequent.

Ostiariatus.

Ostiariatus proxima & adæquata materia est sola clauium traditio. p. 221. n. 179. & seq.

P

Palla.

PAlla parua requiritur ad Missæ celebrationem; non sic olim, sed corporale totum munus gerebat. p. 101. n. 113.

Palla parua qua calix operitur est de essentia ornamentorum altaris p. 142. n. 431. & seq.

Panis.

Panis & vinum Eucharistiæ materia remota. p. 32. num. 11.

Panis consecrandus debet esse triticeus, aqua naturali confectus, igne coctus. p. 32. n. 12. 13. 14.

Pani consecrando non obest aliqua diuersa grana misceri. ibid. n. 15.

Pani & vini simul consecratio non est de necessitate sacrificij. p. 42. n. 123. & seq.

Panem & vinum simul consecrari est præceptum diuinum. ibid. n. 125.

Panis & vini materia est consecrabilis sine definita quantitate. p. 44. n. 138. & seq.

Panis aliquantulum corruptus nequit vrgente necessitate consecrari. p. 47. n. 165. & seq.

Panis ex amydo non est idonea consecrationi materia. ibid. n. 168. & seq.

Panis, vel vini particula quæ ob sui paruitatem sentiri nequit, neque etiam potest consecrari. p. 51. n. 213. & seq.

Papatus.

Papatus non est Ordo. p. 200. n. 6.

Parochus.

Parochus tenetur ex iustitia Eucharistiam ęgrotis ministrare, nec ab hac obligationne eximitur ob vitæ periculum. p. 37. n. 64. & seq.

Parochus tenetur omnibus ministrare Eucharistiam quoties hæ rationabiliter petunt. ibid. n. 66.

Parochus vbique terrarum tenetur ministrare Eucharistiam morte plectendis. pagina 37. num. 67.

Parochus vtrum possit cum lethali celebrare sine præuia confessione, si contingat quod populum sine Missa relinquet nisi in tali statu celebret. p. 59. n. 280. & seqq.

Parochus qui solet celebrare pro defuncto præsente, & non suppetit Confessarius, non potest sine præuia confessione celebrare. p. 60. n. 287. & seq.

Parocho deficiente, vel iniquè viaticum indigenti denegante potest quiuis sacerdos illud ministrare. pagina 80. numero 436. & seq.

Parochus carens coadiutore,& duas Parochias regens, Feria quinta Cœnæ non potest in vtraque missam celebrare.p.96.n.75.
Parochus die Natalis Domini non tenetur tres celebrare Missas.p.130.n.317.& seq.
Parochus potest sæpius quam bis in die celebrare.ibid.n.320.& seq.
Parochus potest diebus profestis duas Missas in Ecclesiis quas habet diuersis celebrare.ibid. n.323.& seq.
Parochus non potest Missam de die, & pro Defunctis celebrare; Parochiano Missam pro defuncto petente.p.131.n.329.& seq.
Parochus non potest iterum Missam celebrare; etsi nuptiæ benedicendæ sint.ibid.num.332. & seq.
Parocho Eucharistiam denegante potest à Regulari Sacerdote ministrari.p.171.n.26.
Parochus tenetur ex iustitia Extremam - vnctionem ministrare. ibidem numero 28.Et quomodo se gerere debeat tempore pestis; vel si æger aliud sacramentum non possit recipere.ibidem n.30.& seq.
Parochus non tenetur cum vitæ periculo sacramentum Extremæ-vnctionis ministrare. p.176.n.65.& seq.
Parochus excommunicatus non potest ministrare Extremam-vnctionem. p.188.n.164. & seq.
Parochus mortaliter peccat,qui vt conferat vnctionem,expectat vt æger vel vsu rationis careat, velnon possit naturaliter viuere. p. 189. n.171.& seq.
Parochus conferens ægro Extremam - vnctionem sine lumine, peccat venialiter. p. 196. n.213.& seq.
Parochus Extremam-vnctionem conferens sine vestibus ab Ecclesia præscriptis non delinquit mortaliter.p.197.n.219.& seq.
Parochus sacrum Extremæ - vnctionis oleum domi custodiens,vt facilius ad ægros noctu deferat, non delinquit mortaliter. p.198. n.224.& 226.
Parochi, Priores, Guardiani, non possunt suis subditis primam tonsuram conferre.p.224. n.205.& seq.

Patena.

Patena cum hostia & calix cum vino,est materia remota Sacerdotalis Ordinis,& quæ sit materia proxima.p.201.n.14.
Patenæ cum hostia, & Calicis cum vino materia est de necessitate Sacramenti Presbyteratus.p.218.n.163.& seq. Vide *Calix*.

Pater.

Patris origo sub aliquo Episcopo sufficiens est, vt eius filius alibi natus possit ab illo ordinari.p.241.n.324.& seq.

Peccator.

Peccator baptizatus tantùm sacramentaliter Eucharistiam suscipit.p.38.n.76.

Peccatum.

Peccatum actuale veniale non impedit præcipuum Eucharistiæ effectum;impedit tamen secundarios.p.39.n.87.
Peccati mortalis conscius præmittere debet Confessionem ad Communionem.ibid.n.88.
Peccatum valde graue est, Eucharistiam post minimum cibum,aut potum sumere. p.65. n.330. & seq.
Peccatum veniale potest nobis remitti virtute Missæ,seclusa quouis actu quo tale peccatum detestemur.p.92.n.44.
Peccatum mortale est, Missam quotidianam in Ecclesiis Cathedralibus,Collegiatis,& Cõuentualibus omitti.p.127.n.290.& seq.
Peccatum mortale non est omittere septem Psalmos Pœnitentiales,quos post vnctionem infirmorum recitandos præscribit Ecclesia. p.197.n.216.& seq.

Persona.

Personæ ad Ordines inhabiles.p.204.n.52.
Persona quæ per metum ordinaretur validè susciperet Ordines,sed voto castitatis non illigabitur,nec officium recitare tenebitur, & nubere poterit.p.205.n.53.
Secus si metus sit iustè incussus.ibid.n.54.
Personæ inhabiles ad ministrandum in Ordininibus iure naturæ,& Ecclesiastico.ibid.n.57.
Persona suscipiens Ordines sine interstitiorum obseruatione grauiter peccat,sed nullam incurrit censuram.p.206.n.68.

Pœna.

Pœnę inflictæ contra eum qui Ordines suscipit sine Papę licentia, aut dimissoriis litteris. p.203.n.44.
Pœnę quas incurrit Regularis qui sine dimissoriis litteris ordinatur. p.204.n.48.
Pœnę Regularis laici sine licentia Ordines suscipientis.p.204.n.50.

Pœnitens.

Pœnitens non tenetur sub graui culpa iubilęum quęrere obtenta absolutione à reseruatis.p.11.n.99.& seq.
Pœnitens qui post confessionem incidit in peccatum lethale ante finem hebdomadę, non non tenetur iterum confiteri ad lucrandum Iubilæum duarum hebdomadarum. pag.12. numero 108.& seq.
Pœnitenti qui intra hebdomadam fecit Confessionem sacrilegam,non sufficit ante hebdomadæ finem contritionem elicere ad Indulgentiam lucrandam.ibid.n.111.& seq.
Pœnitens qui Burgis lucratus est Iubilæum duarum hebdomadarum, & postmodùm pergit Vallisoletum, vbi idem Iubilæum incratur,non potest illud secundò lucrari,& à reseruatis absolui.p.14.n.132 seq.
Pœnitens qui ex malitia præscripta, opera in Iubilæo præscripta omisit, poterit vltimæ hebdomadæ illud lucrari,si opera quę geri debuissent,in alia à Confessario commutentur, p.14.n.138.& seq.
Pœnitens qui pro iubilæo lucrando cuncta opera præscripta gessit,sed die vltima in qua sacram Eucharistiam debebat sumere, per incuriam vel obl uionem naturalem ieiuniũ violauit, potest iubilęum lucrari mutatæ à Confessario in aliquod opus pium communione.p.15.n.141.& seq.
Pœnitens qui iubilæi tempore sectatur opinionem probabilem circa illius consequutionẽ,lucratur indulgentiã.p.19.n.178.& seq.
Pœnitens dubius an lethaliter deliquerit, aut confessus fuerit lethale commissum, confiteri tenetur ante communionem. pag.57. num.265.& seq.
Pœnitens habens Confessarium vnicum, qui iustam habet causam, vt grauia crimina ei non confiteatur;communicatus non debet ei priùs cõfiteri venialia.p.58.n.272.& seq.

Pœnitens priùs confessus postea recordatur peccati mortalis obliti, quod iam confiteri non potest, non debet ante communionem, nouam illius contritionem elicere. pag. 60. n. 290. & seq.

Pœnitens qui peccauit mortaliter, & mox confessus est, vtrum teneatur communionem differre sub mortali. p. 63. num. 313. & seq.

Pœnitens qui sacrilegè communicauit indignus in parte prima sumptionis, & durante sumptione resipuit, ita vt aliquampartem ritè dispositus acceperit, recipit Sacramenti effectum. p. 83. n. 485. & seq.

Pœnitens dignè communicans, post acceptam gratiam iuxta præsentem dispositionem, maiorem gratiã ex opere operato recipit, si per intensiorem aut perfectiorem actum disponatur durante sumptione. p. 83. n. 478.

Pœnitens excusatur præmittere Confessionem ad Communionem si adsit necessitas communicandi, & absit copia Confessoris; & quando totum hoc contingere possit. p. 391. n. 89. & seq.

Et in his omnibus casibus debet pœnitens conteri de peccato. ibid. n. 21.

Pœnitens non peccat lethaliter, qui postquam bona fide votorum commutationem obtinuit, postmodùm voluntariè præscripta in iubilæo opera omisit. p. 19. n. 183. & seq.

Pollutio.

Pollutio quandonam impediat communionem, & quando non. p. 40. n. 94.

Pollutio vtrum, & quando possit impedire saltem sub veniali communionem. p. 65. n. 326 & seq.

Pontifex.

Pontifex quis sit qui primus iubilæum scriptis concesserit, incertum est. p. 2. n. 5.

Pontifex non potest dispensare vt in altera tantùm specie, panis scilicet, vel vini liceat consecrare. p. 43. n. 129. & seq.

Pontifex nocte Natalis Domini dispensat in ieiunio cum Cardinali celebrante primam Missam post Matutinum in sacello Pontificio. p. 69. n. 354 & 356.

Pontifex quonam modo sæcularibus domestica priuilegia concedat. p. 98. n. 87.

Pontifex supremus solus potest dispensare vt Altare ex alia materia quàm lapidea consecretur. p. 100. n. 104.

Pontifex potest Missarum stipendia augere earum minuendo numerum. pag. 110. n. 162.

Pontifex potest dispensare vt sine ministro Missa possit celebrari, & quando hoc petendum. p. 111. n. 174.

Pontifex nullatenus potest dispensare, vt omnino illiteratus eos Ordines recipiat, qui ad exercitium scientiam requirunt. p. 236. numero 290.

Potestas.

Potestas absoluendi à reseruatis extenditur ad reseruata Episcopis, & Religionum Prælatis. p. 4. n. 25.

Potestas absoluendi à reseruatis, per iubilæum Compostellanum cõcessa, extenditur ad contenta in Bulla Cœnę. p. 10. n. 87. & seq.

Præceptum.

Præceptum diuinum de sumenda Eucharistia obligat in articulo mortis, & extra articulum mortis. p. 35. n. 46. & seq.

Præceptum præmittendi confessionem ante communionem, est præceptum diuinum positiuum p. 57 n. 263.

Præceptum in Concilij clausula contentum, qua Sacerdotes qui sine præuia confessione communicarunt, monentur quamprimùm confiteri, est solùm præceptum humanum. p. 61. n. 299. & seq.

Præceptum in Concilij clausula contentum laicos non obligat. ibid. n. 302. & seq.

Præceptum diuinum sacrificandi datur, & naturale. p. 113. n. 187. & seqq.

Præceptum quamprimùm confitendi, si Sacerdos absque præuia confessione, contritione præmissa celebrauit, comprehendit Sacerdotem in die Parasceues celebrantem. p. 64. n. 323. & seq.

Præceptum diuinum communicandi omninò adest. p. 74. n. 395. & seq.

Præceptum diuinum communicandi non baptizatos siue fideles sint, vt catechumeni, siue sint infideles ibidem n. 397. & seqq.

Præceptum prædictum obligat sæpius in vita. p. 75. n. 401. & seq.

Præceptum diuinum obligat sub mortali eum qui communicauit in Paschate, recipere Eucharistiam in mortis articulo. ibid. n. 404. & seq.

Præceptum diuinum nunquam fuit indictum laicis sub vtraque specie communicandi. p. 83. n. 458. & seq.

Præceptum adhibendi saltem vnum ministrum ad Missam non habetur ex iure. pag. 167. num. 642. & 644.

Et hoc præceptum non extenditur ad grauissimam necessitatem. ibid. n. 647.

Prælatus.

Prælato regulari non expedit vt concedat suis Monachis licentiam pergendi in vrbem Romam anno iubilæi. p. 7. num. 66. & seq.

Prælati Regulares possunt suis subditis dare dimissorias litteras, & quomodo. p. 204. n. 46.

Prætati exẽpti habentes diœcesim cum iurisdictione Episcopi, possunt etiam subditis sæcularibus concedere dimissoras litteras. ibidem num. 47.

Prælati licentia vtrum requiratur, vt quilibet Sacerdos feria quinta in Cœna Domini celebrare possit. p. 128. n. 304. & seq.

Prælati regulares possunt suis subditis litteras dimissoriales impertiri. p. 252. numero 405. & seq.

Sicut etiam suis nouitiis ad sacros Ordines suscipiendos. p. 253. n. 408.

Prælati Regulares non possunt ex iure, benè tamen ex priuilegio cum suis subditis dispensare. p. 260. n. 463.

Presbyteratus.

Presbyteratus materia totalis an sit Calicis cum vino, & Patenę cum hostia traditio. p. 217. n. 158. & seq.

Presbyteratus essentialis materia est impositio manuum Episcopi supra caput ordinandi. p. 218. n. 160. & seq.

Ad Presbyteratum non requiritur tanta scientia, quanta est ad audiendas Confessiones necessaria. p. 237. & seq.

Priuilegium.

Priuilegia Religiosis concessa circa Eucharistię administrationem.p.36.n.62.

Priuilegium Minoribus concessum circa reductionem Missarum.p.110.n.163.

Priuilegia Regularibus concessa, vt sine Episcopi consensu possint cum altari viatico celebrare,vtrum per Tridentinum sint reuocata.p.125.n.363.& seq.

Priuilegium Societatis Iesu circa hoc. ibidem n.365.

Et vt Sacerdos in Ecclesia violata celebrãs nullam incurrat pœnam.p.135.n.367. & seq.

Puer.

Pueri qui sufficientem habent vsum rationis ad peccandum, vtrum possint, & debeant communicare.p.54.n.242.& seqq.

Purificatorium.

Purificatorium requiritur ad Missæ celebrationem.p.101.n.114.

Purificatorium ad abstergẽdum Calicem debet necessariò esse benedictum.p.142.num.434.

Pyxis.

Pyxis in qua recipienda est Eucharistia necessariò debet benedici.p.141.num 418.& seq.

Pyxis,& aurea fistula. Vide *Calix.*

R

Regularis.

Inter Regulares diuersi Ordinis eorumque Ecclesias non datur tam arcta cõmunicatio circa Iubilæa, vt si vna Religio fruatur quinque Iubilæis pro quinque Sanctorum solemnibus, totidem aliæ Religiones mendicantes ad similem Diuorum numerum potiri existimentur.p.27.n.239.& seq.

Regulares possunt sine bulla Cruciatæ lucrari Iubilæa pro suis Ecclesiis concessa. pag. 27. n.242.& seq.

Regulares vtrum possint Eucharistiam administrare in die Paschatis non materialiter sumpta.p.80.n.438.& seqq.

Regulares non possunt in Paschate ministrare fidelibus Eucharistiam, ad præceptum annuæ confessionis implendum. p.81.n.442. & seq.

Regularium priuilegium circa tempus celebrationis.p.97.n.80.

Et circa locum celebrationis. p. 98.n.86.

Regularis an possit cum minori scientia quam Sæcularis, Ordinibus initiari.p.236. n.294.& seqq.

Regulares Ordinibus initiandi ab Episcopis, non à Prælatis, an à Prælatis suis, vel ab Episcopis debeant examinari.p.237.n.297. & seq.

Regularis Sacerdos potest necessitate vrgente Extremam-vnctionem sæcularibus ministrare, Parocho eam iniquè denegante. p.171.n.26.

Regulares possunt ex priuilegio familiaribus Extremam-vnctionem ministrare.pag. 172. n.41.

Regularis potest absente Parocho sine licentia Extremam-vnctionem ministrare.p.187.n.158 & seq.

Regulares omnes vtriusque sexus possunt in suis Ecclesiis lucrari omnia Iubilæa,& indulgẽtias concessas pro omnibus Christiani Orbis Ecclesiis,locis,& stationibus.p.28.n.247. & 249.

Regulares omnes nunc possunt ex priuilegio vbique extra tempora à iure statuta Ordinibus initiari.p.260.n.465.& seq.

Regulares non possunt quibuslibet Ordinibus initiari in festo semiduplici. p.261.n.468.& seq.

Regulares vi suorum priuilegiorum non possunt sacris initiari quacumque die, in qua Ecclesia officium duplex celebrat, etiamsi ex præcepto festiua non sit. ibid. n. 461. & seq.

Religiosus.

Religiosi vtrum Iubilæi tempore possint eligere Confessarium non approbatum ab Episcopo,sed à Regulari Prælato.p.13. n.122.& seqq.

Religiosi Iubilæi tempore possunt sine sui Superioris licentia ad Confessarios approbatos extra suum Ordinem accurrere. ibid.n.126.

Religiosi Societatis Iesu qui à nullo Superiore mittuntur,possunt Iubilæo Missionum vti,& eius indultis potiri.p.30.n.255. & seq.

Religiosus peccati lethalis reus,non potest, licet adsit sæcularis Confessarius, sine præuia confessione,eliciens contritionis actum communicare, si breui sperat Ordinis sui Sacerdotem.p.58.n.269.& seq.

Religiosi Episcopi facti fruuntur suæ Religionis Indulgentiis.p.26.n.230.& seq.

Religiosi in Hispaniæ Regnis possũt lucrari Iubilæa,& indulgentias, vniuersis Christi fidelibus concessas in generali,sine Cruciata.p.28. n.245.& seq.

Religiosi suorum priuilegiorum vi possunt vnica Missa pluribus stipendiis satisfacere, vel maius stipendium exigere.p.164. n. 618. & seq.

Religiosi possunt extra tempus variis de causis ordinari.p.208.n.88.

Religiosi Mendicantes, vtrum modò retineant priuilegium,quo valeant ante ætatem à Tridentino præscriptam maioribus Ordinibus initiari.p.231.n.255. & seqq.

Reliquiæ.

Reliquiæ cibi præcedentis diei remanentes in dentibus,aut ginginis vtrum possint impedire communionem. pag. 67. num. 339.& seqq.

Reliquiæ sacrificij post ablutionem remanentes,non sunt incontinenti necessariò absumendæ.p.72.n.379.& seq.

Reliquiæ præfectæ inuentæ post ablutionem in patena,calice aut corporali,vtrum possint laicis qui iam tunc communicarunt,cum ablutione ministrari. pag. 72. num. 384. & seqq.

Reliquiæ Sanctorum debent reponi in Ara consecrata.p.141.n.420.& 422.

Reliquiæ peccatorum quænam sint. p. 191. n. 179.

Remissio.

Remissio pœnæ temporalis virtute Missę semper certa lege confertur pro defunctis. p.119. n.235.& seq.

Remissio imperatur per Missam Orationi coniunctam,

iunctam, pro peccatis eorum pro quibus offertur. p. 120. n. 238. & seq.
Remissio peccatorum venialium non est primarius effectus Extremæ-vnctionis. p. 290. n. 177. & seq.

Ritus.

Ritus ab Ecclesia institutus ad missam celebrandam. p. 104. n. 137.
Ritus accidentales quinam, & quid circa eos agendum. ibid. n. 138.
Rituum transgressio alia grauis, alia leuis. p. 105. n. 139.
Ritus in Missa non licet innouare. ibid. n. 142.

Romani.

Romanorum nomine quinam intelligendi sint. p. 2. n. 11.

Rubrica.

Rubricæ Missalis quæ præscribunt accidentales Missæ ritus, obligant sub mortali. p. 149. n. 503. & seq.

S

Sabbathum.

SAbbatho sancto licet vltra Missam solemnem plures alias priuatas celebrare. p. 129. n. 308. & seq.
In Sabbathum Sanctum festo incidente, vtrum Missæ priuatæ sint dicendæ. ibid. n. 310. & seqq.
Sabbatho Sancto, vtrum Missæ priuatæ ante solemnem possint celebrari. ibid. n. 313. & seqq.

Sacerdotium.

Sacerdotio non fungens non potest consecrari Episcopus. p. 211. n. 111. & seq.

Sacerdos.

Sacerdos in pane, & vino qui incipit corrumpi consecrans graviter peccat. p. 32. n. 16.
Sacerdos in pane fermentato valide consecrare potest. p. 32. n. 17.
Sacerdos in Ecclesia Latina debet in pane azimo de necessitate præcepti consecrare. p. 32. n. 18.
Sacerdos Latinus in Ecclesia Græca potest in pane fermentato consecrare. ibid. n. 19.
Sacerdos debet gerere mixtionem tempore Sacrificij, & ante oblationem. p. 33. n. 28. & seq.
Sacerdotis intentio necessaria ad formulas consecrandas. ibid. n. 33.
Sacerdos in dubijs quomodo se gerere debeat. ibid. n. 34.
Sacerdos simulans eucharistiæ celebrationem grauissimè delinquit. p. 35. n. 43.
Sacerdos irreuerenter tractans hoc Sacramentum, sacrilegium committit. ibid. n. 44.
Sacerdotes solisunt ministri ad consecrationem. p. 35. n. 48.
Sacerdotes plures qualiter possint esse ministri consecrationis vnius hostiæ. ibid. n. 49.
Sacerdos depositus, ac degradatus valide potest consecrare. ibid. n. 50. & seq.
Sacerdos solus est minister ex officio ad dispensationem Eucharistiæ. p. 36. n. 51.
Sacerdos quando possit sibimetipsi Eucharistiam ministrare. p. 36. n. 56.
Sacerdos celebrans potest particulam hostiæ cuilibet ad communicandum reseruare. ibid. n. 57.
Sacerdos qui absque vlla facultate Eucharistiam ministrat, nulla præter peccatum pœna afficitur. ibid. n. 60.
Sacerdos quilibet tenetur ex charitate in mortis articulo Eucharistiam obeunti ministrare. 37. n. 63.
Sacerdos non præmissa confessione celebrans, debet quam primùm confiteri. p. 39. n. 91.
Sacerdos vere consecrat hostias coram se positas in pixide, vel in altari, quas initio Missæ consecrandas susceperit, licèt postea consecrationis tempore prorsus oblitus fuerit. p. 44. n. 141. & seq.
Sacerdos non consecrat hostias quas consecrandas accipit, cum non sunt in corporali super aram, si consecrationis tempore tradidit obliuioni. p. 45. n. 143. & 145.
Sacerdos Græcus in azimo consecrans vtrum peccet. p. 47. n. 170. & seqq.
Sacerdos Latinus nequit graui obueniente necessitate in fermentato consecrare. pag. 47. n. 174. & seq.
Sacerdos particulam *enim* omittens in consecratione, vtrum peccet mortaliter. pag. 52. n. 230. & seqq.
A Sacerdote cõsecratio his verbis facta. *Hic est calix nouum testamentum in meo sanguine*: valet. p. 53. n. 234. & seq.
Sacerdos qui post consecrationem lethaliter peccat, aut lethalis non confessi recordatur, potest sine nouo peccato non elicita contritione communicare. p. 55. n. 252. & seq.
Sacerdos celebrans, & in Missa recordatur, quod sit in mortali, debet statim contritionis actum elicere. p. 60. n. 293.
Sacerdos qui recordatur in Missa peccati mortalis, aut hunc committit ante sumptionem, & contritus communicat sine præuia Confessione ob vitandam infamiam, non debet quàm primùm confiteri. pag. 62. n. 305. & seq.
Sacerdos qui non ex necessitate, nec ob carentiam Confessarij, sed ex mera malitia sine præuia Confessione in mortali celebrauit, non tenetur quàm primùm post Missam confiteri. p. 62. n. 308. & seq.
Sacerdos qui ob defectum Confessarij sine præuia Confessione celebrauit, vtrum debeat statim finita Missa confiteri. ibid. n. 310. & seq.
Sacerdos, qui ex obligatione eleemosynę accepte tenetur offerre Sacrum, vtrum possit deficienti Confessario sine præuia confessione celebrare. p. 63. n. 316. & seq.
An Sacerdoti liceat peccatori occulto petenti hostiam non consecratam ministrare, ad sacrilegium, vel graue aliud damnum ipsius suscipientis vitandum. pag. 63. num. 325. & seq.
Sacerdos non ieiunus potest ad communicandum moribundum, alias sine viatico excessurum celebrare. p. 70. n. 367. & seq.
Sacerdote post consecrationem deficiente, potest alius ieiunus, aut non ieiunus sacrificium perficere. ibid. n. 370. & seq.
Sacerdos non ieiunus vtrum possit reliquias sacrificij absumere. p. 71. n. 372. & seqq.
Sacerdos melius aget alseruando grandiusculas particulas sacrificij, si remaneant incaute post ablutionem. ibid. n. 377.

Sacerdos in sacristia vestibus sacris retentis, non potest reliquias cuiusuis magnitudinis inuentas in calice, vel in patena abstumere. p.72. n.382.& seq.
Sacerdos potest necessitate vrgente administrationem Eucharistiæ Clericis inferioribus, & etiam laicis committere. p.79.num. 430. & seq.
Sacerdotes omnes nequeunt Eucharistiam administrare. p. 80.n.433 & seq.
Sacerdos, vel Diaconus extra casum necessitatis, potest propria manu communione laica Eucharistiam sumere. p.82.n.449. & seq.
Sacerdos celebrans potest extra viatici occasionem hostiam consecratam dividere ad laicum communicandum. p.84.n.465.& seq.
Sacerdos communicans more laicorum non debet stolam gestare. ibid.n.468.& seq.
Sacerdotes omnes licèt indigni & præcisi Missæ sacrificium valide offerunt, sed non toleraati nomine Ecclesiæ non offerunt, pag.90.numero 22.
Sacerdos præcisus,& toleratus nomine Ecclesiæ offert. p.90.n.23.
Sacerdos debet applicare Missam pro persona determinata. p. 91 n.27.
Sacerdos tenetur obedire superiori præcipienti vt pro tali persona, vel re offerat Missam. ibid.n.28.
Sacerdos aliquando ad hoc non tenetur obedire superiori sub mortali. p.91.n.29.
Sacerdos ad Missæ applicationem debet saltem habere intentionem virtualem. ibid.n.31.
Sacerdos in Missa effectum aliquem ex opere operato habet. p.91.n.32.
Sacerdos debet Missam pro tota Ecclesia militante offerre. p.93.n.48.
Sacerdos nouus per annum primum non celebrans non delinquit. p.95.n.64.
Sacerdos ex iusta causa a celebratione abstinens non peccat, secus si non adsit talis causa. ibid.n.65.& seq.
Sacerdos simplex tenetur die festo sub mortali facere sacrum, vt laici impleant præceptum. ibid.n.67.
Sacerdos Missam in Ecclesia violata celebrans non incurrit irregularitatem. p. 99. n. 94.
Sacerdos simplex non potest celebrare in Altari, in quo eodem die celebrauit Episcopus. p.101.n.111.
Sacerdos non debet nudis pedibus celebrare. p.103.n.132.
Quod semper non est peccatum. ibid.
Sacerdos potest variis modis ad celebrandum pro aliis obligari. p.108.n.149.
Sacerdos qui inchoata Missa recordatur se non esse ieiunum potest in tali statu communicare. p.41.n.107.
Sicut etiam quando ei grauis nota imminet, nisi ieiunus communicet. ibid. n.108.
Et cum hostia hæret calicis labro. ibidem nu. 109.
Sacerdos cui abundans stipendium concessum est pro Missis à se dicendis, potest pro minori iusto stipendio aliis dicendas Missas committere. p.109.n.158.
Non tamen hoc currit si ita traditum sit stipendium, vt alius tradat. ibidem n.159.
Sacerdos diu differens sacrificium pro aliis pro quibus est obligatus, mortaliter peccat. p.109. num.160.
Et quæ dilatio sit sufficiens ad peccatum. p.110. n.161.
Sacerdos potest celebrare cum ministro inexperto, & quando. p.111.n.176.
Sacerdotis tumpuo præcepta est iure diuino. p.115.n.205.& seq.
Sacerdotis intentio habitualis sufficit, vt Missæ fructus possit personæ pro qua offertur, applicari. p.117.n.220.& seq.
Sacerdos non potest intentionem suam ad futurum referre, seu anticipatè Missas offerre. p.118.n.226.& seq.
Sacerdos non debet omnibus Ecclesiæ membris impetrationem, & satisfactionem Missæ applicare. p.123.n.256.& seq.
Sacerdos vtrum ex vi solius Ordinationis teneatur aliquando celebrare. p.126.n.280.& seq.
Sacerdos nunquam celebrans vtrum mortaliter an venialiter tolũ peccet. p.126.n.263.& seqq.
Sacerdos in die festo dum non adest aliud sacrum tenetur celebrare. p.127.n.286. & 288.
Sacerdoti cuilibet licet celebrare feria quinta maioris hebdomadæ. p.128.n.302. & seq.
Sacerdos, vtrum post sumptam ablutionem possit iterum celebrare ad ministrandum moribundo viaticum. p.130.n.325.& seqq.
Sacerdos vtrum bis in festo solemni celebrare possit, Templi angustiis impedientibus, ne omnis populus audiat sacrum. p.131. n. 334. & seq.
Sacerdos non potest iterum celebrare in die festo, peregrinorum, aut magnatum copia adueniente post consecrationem. p.132.n.338. & seq.
Sacerdos non potest bis celebrare concurrentibus duabus Missis, vna de festo, altera de vigilia, Rogationibus, aut pro Defunctis. ibid. n.341.& seq.
Sacerdos simplex vtrum ad reconciliandum Ecclesiam benedictam indigeat Episcopi facultate. p.139.n.403.& seq.
Sacerdos sine mappis celebrans, vtrum & quando peccet mortaliter. p.143.nu.439.& seqq.
Sacerdos optimè instructus, vtrum possit sine culpa lethali celebrare sine Missali. p.145. n.462.& seqq.
Sacerdos dimittens aduertenter Cingulum vel Manipulum mortaliter peccat. p.147.n.484.
Sacerdoti licet ob mortis metum sine cunctis vestibus sacris celebrare. p.148.n.488.
Sacerdos operto capite celebrans peccat. p.149. n.492.
Sacerdoti non licet sacro amictu caput celebrando tegere. p.149.n. 497. & seq.
Sacerdoti vtrum,& quando licet sine dispensatione operto capite celebrare. ibid. n.500. & seq.
Sacerdos omittés preces omnes, quas Missale prescribit dicendas dum indutur, vtrum peccet mortaliter. p.149.n.505.& seqq.
Semper tamen est veniale. p.150.n.509.& seq.
Sacerdos cantãs Missam solemnem tenetur voce submissa legere Euangelium, Epistolam, & introitum. ibid.n.512.& seq.
Sacerdos quilibet num possit celebrare Missam de Sancto beatificato, cuius celebrationem Pontifex alicui Religioni, vel prouinciæ

eiæ conceſsit.p.151.n.523.& ſeq.
Sacerdos vtrum ſub mortali teneatur ſaltem Matutinum ante celebrationem Miſſæ recitare.p.152.n.529.& ſeqq.
Hoc tamen ſemper eſt veniale.p.153.n.533.
Sacerdos tenetur ſacrificium ab alio inceptum perficere.p.154.n.543.
Sacerdos in mortali exiſtens debet contritione præmiſſa ſacrificium ab alio inceptum perficere ſi occurrat occaſio.p.155.n.547.
Sacerdos excommunicatus,aut ſuſpenſus ab officio,poteſt, & debet perficere Sacrificium cœptum,ſi ſolus adſit qui perficere poſsit. p.550.n.33.& ſeq.
Sacerdote celebrante deficiente ante conſecrationem non debet alter Sacerdos Miſſam perficere Canone incepto.ibid.n.553.
Secus ſi poſt ſumptam Hoſtiam deficiat ſanguine relicto.p.156.n.554.& ſeq.
Sacerdos temerè Miſſam inchoatam relinquens nullam incurrit excommunicationem. p.156. n.558.
Et vtrum incurrat ſuſpenſionem.ibid.n.559.& ſeqq.
Sacerdos dives poteſt pro Miſsis ſtipendium accipere.p.160.n.591.& ſeq.
Sacerdos pauper nequit pro vna Miſſa plura ſtipendia accipere.p.162.n.603.
Sacerdos nequit à duobus duplex ſtipendium ſumere pro vna Miſſa, vni applicando medium fructum ,alteri ſuum fructum ſpecialiſsimum.ibid.n.606.
Sacerdos non poteſt vni ſatisfactionem Miſsæ, alteri impetrationem applicare,vt vnica Miſſa duplici promiſsioni, vel ſtipendio ſatisfaciat.p.163.n.609.& ſeq.
Sacerdos vtrum poſsit pro vna miſsa plura ſtipendia accipere,quando dantur minora iuſto. ibid.n.611.& ſeqq.
Sacerdos pro Miſsa diei feſti poteſt duplum ſtipendium accipere.ibid.n.614.& p.164.n.616
Sacerdos qui pinguiora recipit ſtipendia pro Miſsis celebrandis, non poteſt alij dare tenuiora.p.164.n.621. & ſeq.
Sacerdos cui offertur interdum ſtipendium maius ſolito pro Miſsis quas celebrare poſset,tenetur ſub mortali totum ſtipendium exhibere ſi aliis Miſsas dicendas committat.p.165. n.623.& 625.
Sacerdos cui non vacat in die feſto Miſsam audire,an poſsit celebrare ſine miniſtro. pag.168. n.643.& ſeqq.
Sacerdos non eſt vngendus in palma in Extrema-vnctione.p.170.n.15.
Sacerdotes plures duobus modis poſſunt partialiter concurrere ad miniſtrandam Extremam-vnctionem.p.188.n.166.
Sacerdos conficiens ſacramentalia in mortali, non peccat mortaliter.p.215.n. 142.& ſeq.
Sacerdotis officium.p.201.n.24.
Sacerdos ſimplex poteſt ex Pontificis delegatione cunctos Ordines Sacerdotio minores miniſtrare.p.227.n.224.& ſeq.
Sicut etiam Preſbyteratus Ordinem.ibid.n.227. & ſeq.
Sacerdos factus die Sabbatho præcedenti poteſt fieri Epiſcopus Dominica ſequenti, & vtrum ad hoc debeat continuari ieiunium. p.257.n.437.& ſeq.

Sacrificium.

Sacrificium quid ſit propriè, & ſtrictè ſumptum.p.87.n.1.
Sacrificium eſt ſimul oblatio,& ſacrum ſignum. ibid.n.2.
Sacrificij in communi definitio.ibid.n.3.
Ad Sacrificij eſſentiam non requiritur diuina inſtitutio.ibid.n.4.
Ad Sacrificium non eſt neceſſe quod gratiam operetur.p.88.n.5.
Ad Sacrificium neceſsario requiritur miniſter. ibid.n.6.
Sacrificiandi facultas non eſt ſingulis hominibus data.p.88.n.7.
In ſacrificio quolibet danda eſt neceſsariò alicuius rei deſtructio.ibid.n.8
Sacrificium quadrupliciter diuidi poteſt.ibidem n.9.
Sic conſecratio ſola inſtituti poteſt in ſignum aptum ad conſtituendum eſsentialiter Miſsæ ſacrificium.p.89.n.15.
Sacrificium ſacerdotis indigni habet ſuum valorem quatenus ſit nomine Chriſti, & Eccleſiæ.p.90.n.24.
Sacrificium, Miſsæ miniſtrantes,& aſſiſtentes offerunt.p.20.n.25.
Sacrificium quod Sacerdos imperfectum reliqui propter ſuperuenientem mortem, aut grauem morbum, poteſtne ab alio ſacerdote altera die perfici.p.154.n.538. & ſeqq.
Sacrificia ab hominibus inſtituta non ſunt vera ſacrificia.p.112.n.173.& ſeq.
Ad Sacrificij eſsentiam requiritur ſignum & miniſter publica authoritate conſtitutus.ibid. n.181.& ſeq.
In omni ſacrificio proprio danda eſt deſtructio aliqua rei oblatæ.p.113. n. 185. & ſeq.
Sacrificium materiale duo complectitur. p.113. n.183.
Sacrificium Crucis vtrum verum ſacrificium. ibid.n.191.& ſeqq.
Ad Sacrificium requiritur ſumptio hoſtiæ tunc conſecratæ.p.116.n.208.& ſeq.
Ad ſacrificium Miſsæ eſt requiſita vtriuſque ſpeciei ſumptio.ibid.n.210.& 212.

Scandalum.

Ad ſcandalum vitandum poteſt quis non ieiunus communicare.p.69.n.358.& ſeq.

Sepultura.

Sepultura excommunicati non vitandi non violat Eccleſiam.p.137.n.386.& ſeq.

Species.

Species Sacramentales adhuc in ſtomacho perſeuerantes non producunt vberiorem gratiæ effectum.p.84.n.481.& ſeq.
Species Sacramentalis vtraque ſimul ſumpta non confert recipienti maiorem gratiam quàm ſeorſim ſingulæ.p.84.n.487.
Specierum ſumptio ſola poteſt eſsentialiter Miſsæ ſacrificium conſtituere. p. 115. n. 199. & ſeq.
Species ſacramentales ſunt pars victimæ in Miſsa oblatæ.p.116.n.214.& ſeq.

Stipendium.

Stipendium abſque ſimonia poteſt pro miſsâ accipi.p.109.n.153.
Stipendium inſtam vnius Miſsæ quodnam. ibid. numero 154.

Stipendij taxa desumenda ex lege Pontificia, vel communi hominum æstimatione. ibidem n.155.
Stipendia plura nulla licet accipere, & vnico Sacrificio satisfacere. ibid.n.156.
Stipendij æqualitas pro missa dati non desumenda est ex congrua Sacerdotis sustentatione. p.161.n.597.& seq.
Stipendia plura etsi iusta non possunt accipi pro vna Missa.ibid.n.600.

Subdiaconatus.

Subdiaconatus ex iusta causa potest simul cum minoribus Ordinibus conferri. p.206.n.70.
Subdiaconatus, an sit verum nouæ legis Sacramentum.p.210.n.98.& seqq.
Subdiaconatus totalis materia proxima non est sola libri Epistolarum traditio.p.219.num.169

Subdiaconus

Subdiaconi non peccant mortaliter, solèmniter ministrando cùm in mortali existunt. p. 214. n.129.& seq.
Peccant tamen venialiter.ibid.n.132.& seq.
Subdiaconi non obligantur ad continentiam seruandam ex mera Ecclesiæ constitutione.p.262 n.475.& seq.
Subdiaconus initiatus cùm aliquo defectu substantiali non manet obligatus ad continentiam seruandam.ibid.n.478.
Subdiaconus non afficitur suspensione qui Subdiaconatu suscepto titulum patrimonij resignat,& Diaconatum init.p.207.n.75.

Superior.

Superior Regularis,aut Sacerdos sæcularis, vtrũ aliquando possint secluso priuilegio Missas ad minorem numerum reducere.p.166.n.636.& seq.

Suspensio.

Suspensio non incurritur nisi ob maiorum ordinum sine dimissoriis litteris susceptionem. p.204.n.99.

Suspicio.

Suspicio lenis de crimine non impedit communionem concedere, nec etiam grauis, sed sola suspicio vehemens impedit.p.37.n.72.

T

Tabachum.

TAbachi sumptio in re[illegible], in fumo, vel in puluere, vtrum possit impedire communionem.p.66.n.336.& seqq.

Templum

Templum vtrum amittat consecrationem, si per temporum intertalla maior eius pars corruat, & restauretur.p.138.n.394.& seq.
Templum vel Cœmeterium consecratum per Episcopum, si violetur debet reconciliari per proprium Episcopum, vel per alium de eius licentia.p.139.n.407.

Tonsura.

Tonsura prima non est verus Ordo.p.208.n.90. & seq.
Tonsura prima non constat propria materia, & forma.p.212.n.117.& seq.
Tonsuræ collatio valida esset, si nec Episcopus abscindens comam,nec tonsurandus illa verba proferrent: *Dominus pars*,& c.ibid.n.120.& seq.
Tonsura clericalis in summitate capitis facta, à quo habuerit initium.p. 264. n.488.

V

Vas.

VAsis ac vestibus sacris cultus debitus qualis.p.104.n.135.
Vasa ac lintea contingere, quæ immediatè speciebus consecratis deseruiunt, peccatum veniale est.ibid.n.136.
Vasa non remanent consecrata,etsi in eis Sacerdos bona fide ante eorum consecrationem celebrauerit.p.145.n.466.
Vasa deaurata non amittunt consecrationem si per vsum deauratio tollatur.p.146.n. 469. & seq.
Vasa non aurata consecrata, post inaurationem non indigent noua consecratione.ibid.n.472. & seq.

Verbum.

Verba consecrationis non sunt forma extrinseca Eucharistiæ,sed extrinseca.p. 32. n. 8.
Verba Consecrationis quid operentur. ibidem n.39.
Et Christi existentia in Eucharistia.p.34.n.40.
Verba consecrationis recitatiuè, & enunciatiuè proferuntur.p.51.n.217.
Verba præcedentia formam consecrationis panis ad valorem formæ non requiruntur.ibid.n.217 & seq.
Verba consecrationis non essent valida si loco illius formę, *Hoc est corpus meum*, Niceretur, *Hac est caro mea*.p.52.n.222.& seq.
Verba consecrationis calicis, *Noui & æterni testamenti*, vsque ad, *Remissionem peccatorum*, non sunt essentialia.p.32.n.225.& seq.
Verba, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, non sunt de necessitate præcepti, aut Sacramenti extremæ vnctionis.p. 179.n. 95. & seq.

Vestis.

Vestes Sacræ quibus induitur Sacerdos ad celebrandum sunt sex.p.103.n.127.
Vestium Sacrarum materia color, & forma.ibid. n.128.
Vestem aliquam sacram omittere quod peccatum sit.ibid.n.129.
Aliquando nullum si adsit causa.ibid.n.130.
Vestibus immundis celebrare quale peccatum sit. ibid.n.131.

Vicarius.

Vicarius Generalis Episcopi Sede vacante habet dispensationem interstitiorum.p. 296. n.67.

Vinum.

Vinum de vite expressum è botris est materia Calicis Eucharistiæ.p.32.n.20.21.
Vinum debet aqua ante consecrationem misceri, ex necessitate præcepti. pag. 33. num.25. & seq.
In Vino congelato licitè potest consecratio fieti in necessitate.p.48.n.186.& seq.
Vinum imbibitum in mica panis non potest consecrationis materiam ministrare. p. 50.n.201. & seq.

Index Rerum,& Verborum.

Vinum congelatum est consecrationis apta materia.p.48.n.183.& seq.

Vnctio.

Vnctio Sacramentalis debet fieri in modum Crucis.p.170.n.11.

Vnctio quintuplex requiritur in Extrema-vnctione,& quare. ibid.n.12.13.

Vnctio in renibus ac pedibus an semper admittenda.ibid.n.14.

In Vnctione sensuum non est necesse seruari Ordinem,nec vtrumque organum vngi.ibid. n.16.17.

Vnctio debet fieri à Sacerdotis manu. pag.179. n.92.& seq.

Vnctionis forma, qua nunc Ecclesia vtitur , an sit de necessitate Sacramenti.p.181.n.106. & seqq.

Vnctiones septem non sunt de necessitate Sacramenti.p.186.n.149.& seq.

Vnctiones quinque sensuum necessariæ sunt ad valorem Sacramenti.ibid.n. 152. & seq.

Vnctionis primarius finis non est tollere reliquias peccatorum.p.191.n.181. & seq.

Vnctione prima peracta non datur totus gratiæ effectus.p.192.n.184. & seq.

Vnctio quælibet non confert partem gratiæ.ibid. n.187.& seq.

Vnctionis effectus non pendet à Ministri intentione.ibid. Vnctionis effectus nō datur in prima vel secunda vnctione,si Minister intendat perficere.p.194.n.196.& seq.

Non potest absente viro conferenti Extremā-vnctionem,fœmina ministrare , seu respondere. p.196.n.210.& seq.

Votum.

Voti commutatio potest fieri Iubilæi tempore, & quomodo.p.4.n.33.

Voti Iubilæi tempore manifestati potest fieri commutatio,etsi dilata in vlterius tempus.ibid. n.34.

Voti facta commutatione ,votum extinctum est, licèt qui vouit Iubilæum non lucretur.ibidem n.35.

Vota nequeunt commutari transacto Iubilæi tempore ei qui Iubilæum non est consequutus. p.5.n.35.

Votum castitatis , & Religionis nequeunt commutari ab eo,cui ex generali indulto concessa est facultas commutandi omnia vota. ibidem n.37.

Quod patitur exceptionem.ibid.n.38.

Votum vouendi castitatem potest commutari à Confessario,& quomodo.p.5.n.39.

Sicut & votum non fornicandi. ibid.n.40.

Et votum Castitatis , & Religionis pro tempore limitato emissum.ibid.n.41.

Et votum Castitatis coniugalis. ibid. n.42.

Et votum non petendi debitum etiam ex consensu coniugis.ibid.n.43.

Votum seruandæ Castitatis centum annuis nequit commutari.p.5.n.44.

Sicut nec votum seruandæ Virginitatis , nisi intenderit vouens solum primum actum includere.ibid.n.45.

Vota reseruata , quorum mutatio per Iubilæum conceditur , possunt commutari durante ipso , toties quoties emissa fuerint. pagina 5. n.50.

Sicut & votum perseuerandi in Religione ibid. n.51.

Ad vota commutanda vi Iubilei sufficit pro causa opera præscripta implere.ibid.n. 52.

Votum sumendi habitum Beatarum est commutabile.p.5.n.46.

Votum ineundi Religionem ad probandum an vouenti placeat,non est commutabile. ibidem n.47.

Votum paupertatis, vel obedientiæ in Religione non approbata potest commutari. ibid. n.48.

Votum quo quis astringitur Iubilæi tempore, quod non curat sibi commutari,potest Iubileo transacto illius commutationem impetrare. p.16.n.150.& seq.

Vota reseruata peregrinationis Hierosolymitanę, Romanæ,ac Compostellanæ non comprehenduntur in generali facultate ad vota commutanda.p.17.n.165.& seq.

Votum emissum in vtilitatem Tertij, & ab eo acceptatum non est commutabile indulto Iubilæi.p.18.n.174.& seq.

Votum alicui commutatum Iubilæi indulto, amplius non reuiuiscit, licet Iubilæum quis postmodum non lucretur. pagina 19. num. 180. & seq.

Vxor.

Vxor vtrum,& quando teneatur obedire marito Romam abeunti,& sibi præcipienti vt comes sit peregrinationis.p.7.n.62.& seqq.

FINIS

ESCOBAR
Theol. Mor:
Tom. III. IV.
E. IV.

ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
F. IV.



ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV.
E. IV.



ESCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. in IV.

Th
862a

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


E. SCOBAR
Theol: Mor:
Tom. III. IV.
E IV